37
27 D
16

HAG 1164

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE IMMACULATO

DEIPARAE

SEMPER VIRGINIS

CONCEPTU

CAROLI PASSAGLIA

SAC. E S. I.

COMMENTARIUS

Pars III.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLV.

Digitized by Google

IMPRIMATUR — Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.
IMPRIMATUR — Fr. A. Ligi Archiep. Iconien. Vicesgerens.

Digitized by Google

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO

CAROLO PASSAGLIA

PRESBYTERO SOCIETATIS IESU

DOCTORI DECURIALI THEOLOGIAE TRADENDAE

IN COLLEGIO ROMANO

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, Religiose Vir Salutem et Apostolicam Benedictionem. Laetissimo prorsus animo excepimus duo volumina ex typographeo Nostri Consilii christianae fidei propagandae in lucem iam edita Operis, quod latina lingua a Te conscriptum, ac Nobis dicatum praesefert titulum « De Immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu Commentarius. » Etsi vero gravissimis supremi Nostri Pontificatus curis continenter distenti, ac paene obruti nondum eadem volumina integra legere potuerimus veluti exoptamus, tamen ex illis, quae degustavimus non mediocrem certe iucunditatem cepimus. Namque perspeximus qua singulari sane pietate, doctrina, eruditione ac sermonis elegantia opus idem conficiendum curaveris, et qua summa industria ex sacris potissimum litteris, sanctisque Patribus ea colligere studueris, quae ad admirabilem et ineffabilem gloriosissimae Dei Genitricis Virginis Mariae sanctitatem, dignitatem, eius-

Digitized by Google

que Immaculatam Conceptionem asserendam referuntur. Cum autem nihil Nobis gratius, nihil iucundius, nihilque optabilius, quam ut erga augustam Virginem pietas et cultus magis in dies ubique foveatur, atque augeatur, tum vehementer delectati sumus, quod ecclesiasticis praesertim viris opus idem uberem materiam praebere potest ad scite ornateque de ipsa beatissima Virgine loquendum, eiusque praerogativas, et laudes enarrandas. Itaque dum tertium expectamus volumen, quod pari sententiarum vi, et verborum splendore nitere plane non dubitamus, Tibi ex animo vehementer gratulamur, Dilecte Fili, quod omnes ingenii Tui vires in Deiparae Virginis gloria procuranda impendere tantopere sis gloriatus. Te autem etiam atque etiam hortamur, ut maiori usque alacritate omne tuum studium ponere pergas in illis scribendis et vulgandis operibus, quae catholicae praesertim rei magno usui et ornamento esse possint. Denique praecipuae paternae Nostrae in Te caritatis testem, omniumque caelestium munerum auspicem accipe Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Tibi ipsi, Dilecte Fili, Religiose Vir, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 14. Decembris Anno MDCCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

PIUS PP. IX.

Digitized by Google

PRAEFATIO

Prodit in lucem tertia eademque postrema commentarii nostri pars, atque utinam dextero vel non eo saltem omine, quo indigna tempore, indigna caussa et indigna sapientium oculis penitus videatur. Non recensebimus iniectas moras, non exhaustas commemorabimus difficultates, neque lectoribus quidquam pollicebimur quod nostro ingenio nostraque industria partum ad creandam exspectationem pertineat; sed candide compendioque referemus quid spisso volumine contineatur, quo illud spectet et in quo efficiendo expoliendoque versetur.

Itaque id nobis principio consilii fuit, ut maiorum fide de innocentia Deiparae deque illius primordiis in medium adducta sedulo exquireremus quid Oriens quidve Occidens senserit, quid Graeci quidve Latini statuerint, quid Syri, quid Copti quidve Armenii tradiderint, et quid universum christianum nomen tam prisca quam media aetate uno ore docuerit. In qua quidem indagatione illud mihi meoque in omnibus socio r. p. Clementi Schrader contigit, quod in hoc studiorum genere usuvenit ut quae prima fronte simplicia videbantur, ea deinceps composita deprehenderentur, quae videbantur disiecta, ea deinceps multipliciter iuncta cumque universa christianae doctrinae oeconomia penitissime conserta apparerent, et quae angustos praeferebant fines, ea deinceps latissime spatiarentur. Pro virili contendimus ut quaecumque omnia caussae forent opportuna, illa primum articulatim spectaremus, tum vero in summam collecta non secus ac unius eiusdemque corporis membra quae sese mutuo excipiunt seque iuvant, ea qua decet ordinis concinnitate disponeremus. An id utrique nostrum e voto cesserit, penes alios sit; hoc unum videmur nobis serio graviterque posse testari, tantam postremo ex unitis radiis effulsisse lucem, ut doctrina de immaculato Deiparae conceptu quodam veluti circumfusa sole enituerit.

Hac explicata parte varia et periculosa, ad alteram unanimes accessimus, et de cultu conceptae Deiparae disserentes, illius initia deteximus, progressiones aperuimus, amplificationem patefecimus, sollemnitatemque illustravi-

Digitized by Google

mus, nihilque praetermisimus quo omnes intelligerent ac probe assequerentur, fidem de immaculato Deiparae conceptu cum religioso cultu iis vinciri nexibus, ut constare sibi iste nequeat, nisi illa certa immotaque habeatur.

Reliquum erat ut absolutis actoris partibus, mutata persona, vices iudicis multo severiores indueremus. Neque vero ab his etiam abstinuimus, quin satius praestituto universae tractationis epilogo, singula limae subiecimus, subiecimus monimenta, subiecimus interpretationes, subiecimus commentarios, subiecimus consectaria, ipsamque subiecimus partium harmoniam, et ad aequi verique normam dicta sententia censuimus, omnia rata fixaque esse, eamque referre speciem quae doctrinae caput caelitus manifestatum repraesentet. Quare habeant sibi lectores quidquid hoc operis est, qualecumque, neque sibi ex animo sinant excidere quod in pervulgato scazonte legimus:

» Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam
» Quem non in aliqua re videre Suffenum
» Possis: suus cuique attributus est error,
» Sed non videmus manticae quod a tergo est.

Digitized by Google

INDEX

SECTIO SEXTA

TRADITIONIS DE VIRGINE SENTENTIA

De iis doctrinae capitibus maiorum consensione receptis quibus eorumdem fides ac sententia de immaculato Virginis conceptu innexa continetur: referuntur ex ordine, comparantur, excutiuntur, nihilque praetermittitur quo intima illorum colligatio cum praerogativa immaculati conceptus suo in lumine collocetur: ex his autem inferendo deducitur, immaculatum conceptum ad eam veritatum christianarum classem pertinere quae sin minus enucleate ac distincte, acervatim dubio procul et implicite catholica traditione comprehenduntur: accedunt diserta testimonia, quibus efficitur nihil prorsus impedire quominus eadem veritas aperto immediatoque traditionis suffragio comprobata iudicetur. . 1099

CAPUT I. Aperitur mutuus habitus quo ex maiorum sententia immaculatus Virginis conceptus cum divina eiusdem maternitate innectitur penitusque cohaeret: quam praeclara et omnino caelestis esset species divinae maternitatis quae illorum mentibus insidebat: quae ex ea deducerent et cum ea conserta arbitrarentur: multiplex ratio propter quam immaculatus quoque conceptus haec inter numerari debeat..... 1106

Articulus I. Praestantia divinae maternitatis ex unanimi maiorum doctrina hoc sibi necessario vindicavit, ut Virgo prae ceteris creaturis omnigena donorum copia locupletaretur: hoc enim sibi vindicavit perfectio qua ditari illa debuit quae ad tantum munus proveheretur: hoc Filii honor et gloria: atque hoc non minus consignata tabulis quam indita mentibus lex, honora matrem tuam. Quibus omnibus efficitur, ab ea divinae maternitatis idea ac forma quae maiorum animis splendidissima obversabatur, praerogativam immaculati conceptus nullatenus posse sciungi 1110

Articulus II. Expolitur doctrina superioris articuli, et praeeunte inprimis auctore tractatus de conceptione beatae Mariae virginis ex ordine confirmatur, praerogativam immaculati conceptus dirimi nullatenus posse neque ab excellentia Deiparae propria, neque ab iis dotibus quae cum eadem penitissime cohaerent, cuiusmodi nominatim habentur quod Deipara credatur et sit universorum Domina ac Regina, quod substantivo originis habitu cum Filio copuletur, quod ea debuerit puritate nitere quae Filium deceret, quod Filii honos puritatem cuiusvis expertem maculae exigeret, quodque eiusdem pietas tantum decus optimae matri certissime detulerit. Epilogus et ducta ex ecclesiasticis monimentis epilogi illustratio..... 1139

Articulus III. De ordine providentiae Virginis proprio, deque illo primum quem intentionis nuncupant, et quo ad divinam maternitatem electa ipsa fuit ac caelitus praedestinata: ratio huius praedestinationis exponitur, et insigni maiorum testificatione comprobatur dividi illam sciungique non posse ab aeterna eius beneficii praeparatione, quo Deipara originalis exsors labis conciperetur.. 1147

Articulus IV. De eo providentiae ordine Virginis proprio quem exsequutionis dicunt: is aeterno praedestinationis atque electionis ordini adamussim respondit, et aeque ac iste mirabilis omnino fuit et plane singularis: potiores illius veluti gradus ex maiorum doctrina recensentur atque expoliuntur, et ille inprimis quo Virginis creatio tamquam eximium Dei opus, puriasimum et nulla umquam labe taminatum praeclarissime exhibetur..... 1165

Articulus V. Maiorum doctrina de reliquo

Digitized by Google

exsequutionis ordine ad genitum usque ex Virgine Patris filium : Virginis in templo praesentatio, divinumque huius dispositionis consilium : eximia Spiritus cura, angelorumque in Virginem tutela plane singularis : innocentia et sanctitas ad eiusmodi progressa fastigium, ut una ex omnibus Virgo divinam maternitatem promeruerit, dignaque exstiterit e qua Verbum Patris gigneretur : superiorum epilogus et splendidissima immaculati conceptus confirmatio..... » 1202

CAPUT II. Rata christiani nominis fides de Virgine beatissima, quae ab omni actualis culpae naevo libera semper fuerit ac soluta: alterum eodem pertinens doctrinae caput : spectari Virginem non secus oportere ac ut longissime seiunctam atque divisam tum a peccatoribus generatim, tum nominatim a protoparentibus per quos culpa in mundum ingressa universam posteritatem originali corruptione vitiavit. Quam perspicue cum his praerogativa cohaereat immaculati conceptus, qua una prae omnibus Virgo Deique mater honestata celebratur..... » 1249

Articulus I. Ecclesiae fides de Virgine nullo umquam actuali peccato infecta : multiplex ratio ex maiorum traditione derivata qua cum hac fide conserta intime ostenditur persuasio de immaculato eiusdem conceptu : alia quae huc faciunt veterum testimonia, atque ducta ex iis propositae veritatis confirmatio..... » 1252

Articulus II. Metaphoricae loquutiones usu maiorum frequentatae, quibus Deipara a peccatoribus secreta celebratur : nonnullae eaeque illustriores proferuntur, et praerogativa immaculatae originis cum iis conserta stabilitur..... » 1266

Articulus III. Maiorum doctrina propriis concepta verbis, qua Deipara a mundo in quem peccatum introivit, et ab universis funditus peccatoribus segregata declaratur : idonea quae huc spectant testimonia depromuntur, fidesque de immaculato conceptu novo probationis genere communitur..... » 1281

Articulus IV. Concors christiani nominis traditio de multiplici omnino antithesi, qua Virgo a protoparentibus secernitur : accommodatiora huius oppositionis capita recensentur, cum quibus duo inprimis conserta demonstrantur, quorum alterum est nullum admitti posse Virginis consortium cum protoparentibus originalis praevaricationis auctoribus, alterum vero primordia Virginis nullo plane naevo fuisse maculata..... » 1289

CAPUT III. De habitu similitudinis et coniunctionis, quo ex maiorum fide vulgataque doctrina Virgo censeri debet cum iis sive conspicuis sive ultra conspectum positis arctissime vincta, quae originali innocentia eximiaque sanctitate commendantur. Expolitur coniunctio et similitudo cum iis quae conspicua sunt, atque ex ordine cum Virgine conferuntur Eva adhuc innoxia, consitus a Deo paradisus, terra nondum maledicto obnoxia, ac tandem ecclesia. Tum coniunctio et similitudo cum iis expolitur quae conspectum superant, cuiusmodi sunt angeli et Deus Trinitas. Ex omnium summa colligitur, fidem de immaculato Virginis conceptu cum christiana traditione penitissime cohaerere. » 1320

Articulus I. De respectu similitudinis et arctissimae copulationis, quo Virgo cum iis iuncta haberi debet quae quum ex sese sint conspicua, originali pulcritudine excellunt : ad eiusmodi classem spectant Eva innocens, consitus a Deo paradisus, terra nondum maledictio obnoxia, et ecclesia quae una est cum Christo caro : singuli quique respectus traditione maiorum explanantur, eademque immaculatus Virginis conceptus stabilitur.. » 1321

Articulus II. Obiter de similitudinis habitu Deiparam inter et Iohannem Baptistam, deque praerogativa immaculati conceptus Deiparae asserenda : de duplici eodemque novo cognationis respectu, quorum alter Deiparam inter caelumque purissimam Dei sedem, et alter inter illam angelosque versatur : traditionis suffragia quae huc pertinent, quaeque Deiparae primordia cuiusvis nescia labis ostendunt..... » 1337

Articulus III. Similitudinis habitus Deum inter ac Deiparam quod ad puritatem sancti-

Digitized by Google

tatemque pertinet declaratur proposito multiplici epithetorum consortio, negantium et affirmantium, positivorum et superlativorum, propriorum et eorum quae comparatione aut metaphora efferantur: quam intime cum his cohaereat praerogativa immaculati conceptus..... 1351

Articulus IV. De eodem Deiparae cum Deo consortio aliis neque minus perspicuis dicendi modis usque maiorum receptis significato: nonnulli enumerantur, iique inprimis quibus Deipara audit caelestis, divina, divinissima, Deo persimilis, Dei imago eiusque forma ad vivum expressa. Quam apte cum his cohaereat praerogativa integri a labe conceptus, et quantopere ab his abhorreant Deiparae origines haereditaria culpa maculatae..... 1362

Articulus V. Triplex antithesis Deum inter illosque omnes qui haereditaria infecti labe concipiuntur: huic ex adverso respondens triplex synthesis qua Virgo cum Deo copulata perhibetur: singula quaeque maiorum suffragiis stabiliuntur: difficultati occurritur, et decus immaculati conceptus Deiparae vindicatur..... 1369

CAPUT IV. Duplex habitus quo secundus et caelestis Adam ad priorem terrenumque refertur: utriusque ratio explanatur, tum secundus Adam ac beatissima eiusdem genitrix mutuo componuntur: insigniora parallelismi capita memorantur, et praeclara maiorum traditione asseruntur: ex omnium summa colligitur, simillimum esse respectum quo secundus Adam eiusque genitrix cum priore Adamo cohaerent: splendidissima demonstratio immaculati conceptus, quae ex his intime pendet suaque sponte dimanat.. 1383

Articulus I. Sex enumerantur Christi τοῦ θεανθρώπου dotes, quibus ipse est creditusque Unigenitus, ille in quo sibi Pater complacet, locuples divinitatis plenitudine, gratia et veritate plenus, Orieus atque caelis excelsior ac sublimior: aperitur Virginis τῆς Θεοτόκου consortium, atque ex eo pendens immaculati conceptus praerogativa illustratur. 1387

Articulus II. Praeclarus idemque multiplex similitudinis atque consortii habitus inter Christum hominem et Mariam genitricem: huius tam similitudinis quam consortii illustriora quaedam capita recensentur maiorumque suffragio comprobantur: quid aptum cum illis sit atque nexum, et quomodo praerogativa immaculati conceptus ex illis dependeat..... 1392

Articulus III. Comparatio Deiparae cum Christo mediatore, eaque primum mediationis parte qua Christus est diciturque hominum exemplar, lux ac via: quo pacto ex maiorum doctrina ipsi quoque Deiparae ista conveniant, illamque ab omni labe, umbra et aberratione immunem integramque demonstrent..... 1400

Articulus IV. De mediatione quae adiutorio continetur: aliquot recensentur formulae quibus ea in Scripturis quum de Christo agitur, efferri consuevit: ostenditur nullas ex huiusmodi formulis esse, quae ad ipsam quoque Virginem suffragio maiorum non pertineant: tum duo eruuntur, quorum alterum est praestantissimum consortium Deiparae mediatricis cum Christo mediatore, alterum vero Deiparae innocentiam nulla unquam labe fuisse maculatam..... 1409

Articulus V. Consortium Deiparae cum Christo humani generis reparatore: aliquot huius consortii partes enarrantur, quae ex fide sententiaque maiorum eo redeunt, ut Deipara sit dicaturque caput, causa et salutis principium, mater salutis, cornu salutis, mundique salus: ut sit dicaturque regenerationis et laetitiae auctrix, causa renovationis, instaurationis, revocationis, fons reformationis, reparatrix, communisque purgatio: ut sit dicaturque propitiatorium et propitiatio, maledicti solutio, chirographi in nos scripti deletrix, medicina veneni, mortis et satanae debellatrix: ut postremo sit dicaturque redemptrix, et propter concilatam nobis salutem omnium nostrum domina. Quam haec ab opinione abhorreant contractae labis originalis, et quam intime cum immaculatis Deiparae primordiis copulentur..... 1417

Digitized by Google

ARTICULUS VI. Quam intimus sit et omnino singularis societatis habitus, quo cum Christo humani generis reconciliatore Deipara reconciliatrix copulatur: multiplices dicendi formae, quibus maiores nostri hoc non minus intimum quam singulare consortium significarunt: nonnullae proferuntur, opportunisque testimoniis illustrantur: quid sit consequens, et quam ista praeclare traditionem de praerogativa immaculati conceptus patefaciant..... 1444

ARTICULUS VII. Constituitur generica mediatoris ratio, tum ea sic dispescitur, ut altera ad mediatorem naturalem, et altera ad mediatorem moralem referatur: utrum Virgo existimari debeat nostri generis mediatrix: promuntur argumenta quae id luculenter efficiunt: inquiritur subtilius in propriam Deiparae mediationem: ostenditur illam sanctorum prorsus omnium mediationi praecellere, et eo usque praecellere ut ad singularem Christi Θεανθρώπου mediationem quam proxime accedat: consectaria quae ex his dimanant, atque illud potissimum, quo praerogativa immaculati conceptus vindicatur. 1459

CAPUT V. Ea promuntur veterum testimonia, quibus Deipara eiusmodi perhibetur, quae sola semper et tota fuerit immaculata, et sola, semper ac tota iis aucta donis, quibus a nostro genere secreta eximio proprioque ordine continetur. Eiusmodi sint haec testimonia: recensentur, certisque comprehensa articulis explanantur. Quae ex iisdem dependeant, et quantopere seorsum pariter atque coniunctim ad superiorum confirmationem, certamque de praerogativa immaculati conceptus demonstrationem conducant..... 1491

ARTICULUS I. De appositis ad innocentiam sanctitatemque spectantibus, iisque circumscriptis pronomine *sola*: diribentur in classes, et ad normam institutae distributionis recensentur. De sententiis eodem pronomine affectis, quaeque Deiparam ab infecto hominum genere secretam, eximio proprioque in ordine sitam ostendunt: argumenti conclusio et iterata immaculati conceptus demonstratio..... 1494

ARTICULUS II. Maiorum testimonia eo pertinentia, ut Virgo tota expers labis, totaque innocentia et sanctitate insignis declaretur: praeclariora referuntur ac mutuo comparantur: insita eorumdem vis ac potestas, et cum hac cohaerens immaculati conceptus demonstratio..... 1533

ARTICULUS III. Unus Christus Θεάνθρωπος idemque hominis filius ex universo nostro genere semper purus, semper sanctus, semperque immaculatus: haec praerogativa quae uni hominis filio ex sese primumque convenit, ipsi quoque Deiparae gradu altero et benevolo participationis consortio ex traditione maiorum tribuenda est: quam varie quamque luculenter suam mentem maiores prodiderint, fidemque declararint: expoliuntur ipsorum testimonia, et conceptus Deiparae originali puritate nitens demonstratur..... 1542

CAPUT VI. De eo argumenti genere, quo effectibus negatis caussa cum illis intime atque necessario cohaerens vicissim negatur: Deipara ex traditione maiorum ab iis libera fuit penitusque soluta, quae totidem veluti effectus ab originali praevaricatione tamquam a caussa dimanant: recensentur, propriisque articulis comprehenduntur: hinc tam ex singulis quam ex omnium summa colligitur, doctrinam de immaculato Deiparae conceptu splendidissima maiorum traditione comprobari..... 1556

ARTICULUS I. De incorrupto Virginis corpore: huius facti argumenta, atque illud inprimis quod ex assumpta in carne Virgine, festoque assumptionis repetitur: illud deinde quod apertis maiorum suffragiis coalescit: eruitur praerogativa Virginis, qua exsors fuit latae in Adami prolem sententiae, pulvis es et in pulverem reverteris: promuntur quae de huius praerogativae caussis maiores tradiderunt, eaque prae ceteris commemorantur quae Virginem nesciam originalis transgressionis ostendunt: his accedunt quae de eiusdem morte inculcata reperimus, quaeque Deiparae origines immaculatas praeseferunt. 1559

ARTICULUS II. De lege qua Deus Gen. III. 16. in Evam ac mulieres omnino omnes originalis

Digitized by Google

transgressionis consortes animadvertit: ostenditur Deiparam huic legi nulla ex parte fuisse subiectam: quid cum hac praerogativa nexum censeri debeat, et quam haec apte ad asserendum tuendumque immaculatum Deiparae conceptum adhibeatur.....» 1595

Articulus III. De malo concupiscentiae eiusque nexu cum originali praevaricatione: traditio maiorum qua Virgo cuiusvis exsors concupiscentiae declaratur: propositae traditionis expolitio, et disceptatio inter Petrum cellensem et Nicolaum sancti Albani monachum: praerogativa immaculati conceptus insigniter confirmatur.....» 1609

Articulus IV. De propria singularique ratione qua Deipara virgo et semper virgo credenda est: idoneis ad fidem faciendam testimoniis praestituitur virginitatem non ad corpus dumtaxat sed ad animam quoque referri, eidemque non corpoream tantum sed spiritalem quoque corruptelam adversari: argumentis deinde efficitur non minus Deiparae tribui oportere singularem perennemque animae virginitatem ac ipsi eximia et perpetua corporis virginitas asseratur: quae cum his conserta sint, et quam praeclare ad praerogativam immaculati conceptus vindicandam conducant.....» 1623

Corollarium I. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu ea ipsa fidei professione continetur, qua illa eximie et antonomastice Virgo celebratur.....» 1672

Corollarium II. Doctrina immaculati conceptus multo etiam evidentius ea fidei professione continetur, qua Deipara creditur diciturque ἀειπάρθενος semper virgo.....» 1673

Corollarium III. Immaculato Deiparae conceptui neque officiunt neque ea maiorum testimonia officere ullatenus possunt, quibus eiusdem caro peccati caro nuncupatur.» 1675

Corollarium IV. Immaculato Deiparae conceptui ne minimum quidem ea obsistunt veterum suffragia, quae ipsam expiatam, mundatam ac divinitus sanctificatam declarant..» 1680

Articulus V. De discrimine faciendae perficiendaeque iustitiae: quibus perfectio iustitiae veluti elementis componatur: de Deipara quae non solum fecerit verum etiam iustitiam perfecerit: expolitur: quae cum hac iustitiae perfectione conserta sint, et quam arcte praerogativa immaculati conceptus ex iis dependeat: maiorum suffragia quae intimum huiusmodi nexum patefaciunt: totius probationis epilogus, et immunitatis Deiparae a noxa originali plenior confirmatio..» 1684

CAPUT VII. De explicitis disertisque maiorum testimoniis ad immaculatum Deiparae conceptum pertinentibus: quae norma obversari oculis debeat, ut de hoc testimoniorum genere iudicetur: ea continentur duplici classe, quum alia sint ῥητῶς formaliterque diserta, alia virtute et significatione aequipollentia: utraque porro classis nunc propriis, nunc metaphoricis translatisque vocabulis effertur: totidem distinctis articulis singulae classes proponuntur et illustrantur: his postremo comparatio subiicitur inter formulas usu maiorum receptas ad contractam originis labem significandam, et antitheses quas de Deipara eiusque primordiis loquentes saepissime frequentarunt: probationis conclusio, qua decus immaculati conceptus perenni traditione assertum vindicatumque demonstratur.» 1699

Articulus I. Compendium eorum quae suis opportune locis uberius enarrata, disertis explicitisque sententiis immaculatum Deiparae conceptum demonstrant: recoluntur primum sententiae metaphoricae: subiiciuntur deinde propriae, atque ex omnibus in summam coactis explicita ac diserta immaculati conceptus testificatio depromitur.....» 1706

Articulus II. Translatae maiorum testificationes, eaedemque explicitae ac disertae: ad suprema quinque capita revocantur: singula rite expoliuntur, et demonstratio immaculati conceptus absolvitur.....» 1713

Articulus III. Referuntur explicita disertaque veterum testimonia, eaque propriis expressa verbis: perspicuitatis gratia in quatuor classes diribentur: classes singulae promuntur, et si quando opus sit, idoneo commentario explanantur: consectarium ex iis pendens,

suisque expleta numeris immaculati conceptus demonstratio..... 1722

Articulus IV. Rursum de explicitis sententiis disertisque veterum testimoniis : complanatur via, receptusque penes illos loquendi usus de propagata originis labe definitur : aperiuntur fontes, e quibus huiusmodi usus defluxit : ad novem revocantur, et novem promuntur formularum classes quibus transfusio hereditariae noxae efferri consuevit : singulae expenduntur, et ex singulis pariter atque ex omnium summa efficitur, communem vulgatamque loquendi rationem de propagata originis culpa ab ea fuisse omnino alienissimam eique e diametro oppositam, quam maiores de Virgine disserentes usurparunt : consectarium duplex, quorum altero contentio dirimitur de sententiis explicitis disertisque testimoniis, altero autem insignis exhibetur immaculati conceptus demonstratio non aliunde quam ex disertis explicitisque christianae traditionis suffragiis collecta..... 1728

SECTIO SEPTIMA

CONCEPTAE VIRGINIS CULTUS

De festo conceptae Deiparae : festi initia atque progressiones penes Orientis ecclesias : penes ecclesias Occidentis ac nominatim penes Romanam : utrum affirmari non immerito possit, festum conceptionis una cum festo nativitatis fuisse celebratum : promuntur argumenta quae id efficiunt, et duplex conceptionis festum, alterum implicitum et explicitum alterum constituitur : huius festi dotes proprietatesque numerantur, illudque ostenditur origine antiquissimum, amplitudine catholicum et lege necessarium : explanato discrimine inter occasiones et adiuncta festi propriumque eiusdem obiectum, de hoc agitur idemque accurate definitur : ostenditur proprie illud contineri passiva Deiparae conceptione eademque hereditariae labis experte : quae creare difficultatem possent, diluuntur : de propositione qua immaculatus Deiparae conceptus effertur : ea censeri debet vera, infallibilis et divinitus revelata..... 1745

CAPUT I. Primordia festi conceptae Deiparae apud Orientales, apud Occidentales et apud romanam ecclesiam : referuntur quae hisce primordiis illustrandis aptius conducunt : initur quaestio, utrum festum conceptae Deiparae aliquando fuerit cum festo nativitatis celebratum : affirmando expeditur, festumque conceptae Deiparae origine vetustissimum, ambitu universale ac lege indictum ostenditur..... 1746

Articulus I. De festo conceptae Deiparae penes Orientis ecclesias : constitutio Manuelis Comneni : Niconis typicum : ecclesiastici Graecorum libri : typicum Sabae : orationes habitae : monimenta ad reliquas Orientis ecclesias spectantia : colligitur festum conceptionis usu totius Orientis ab antiquissimis usque temporibus fuisse receptum..... 1747

Articulus II. De festo conceptae Deiparae in Occidentis ecclesiis : utrum Hildephonsus toletanus antistes illius in Hispania auctor haberi possit : qui id affirment et quibus de caussis : qui vicissim negent et quibus se commotos argumentis significent : de iis quae probant festi solemnitatem receptam seculis VIII. IX. X. et XI. : cetera monimenta quae auctam in dies eiusdem propagationem ostendunt : eximia illius amplitudo, neque ea angustior qua in Oriente claruit.. 1754

Articulus III. De festo conceptae Deiparae in romana ecclesia : de Leone IX : de Innocentio III : indubia promuntur testimonia quibus huius festi celebratio in romana ecclesia ante Sixtum IV. ostenditur : quae Sixtus IV. decrevit : quae Pontifices reliqui usque ad Pium V : quid Pius V., quidve insequuti Pontifices ad Alexandrum usque VII. constituerint : de Alexandro VII. ceterisque ad Benedictum usque XIV : de Benedicto XIV. eiusque successoribus ad Pium usque IX. qui romanam catholicamque ecclesiam supremus arbiter moderatur atque regit.. 1769

Articulus IV. Maiorum testimonia quibus cum cultu natae Deiparae cultus pariter eiusdem conceptae comprehensus perhibetur : huc inprimis ea faciunt quae de nativitate universim atque infinite dicta ipsam quoque conceptionem complectuntur : ea deinde quae

Digitized by Google

occasione nativitatis proposita, de conceptione tamen intelligi debent: tum ea quibus nativitati tribuuntur quae alibi de conceptione affirmantur: ea tandem quibus ex aequo γέννησις καὶ σύλληψις, nativitas et conceptio, origo ex utero atque in utero recoluntur: ulterior illustratio, sumptumque ex omnibus argumentum, quo duplex usitata ratio honorandae conceptae Deiparae secernitur ac firmatur.....» 1797

Corollarium I. Festum conceptae Deiparae haberi debet seculo XII. vetustius.....» 1818

Corollarium II. Festum conceptae Deiparae haberi debet absolute simpliciterque vetustum.....» ibid.

Corollarium III. Festum conceptae Deiparae haberi debet amplitudine catholicum...» 1819

Corollarium IV. Festum conceptae Deiparae haberi debet lege praescriptum, proindeque necessarium.....» ibid.

Corollarium V. Festum conceptae Deiparae haberi debet solemnissimum.....» ibid.

Corollarium VI. Festum conceptae Deiparae indiciis splendet omnino omnibus cultus eximii et ad summum veluti fastigium evecti.....» ibid.

Corollarium VII. Bernardi oppositio historice considerata quin festo conceptionis officiat, illud contra non minimum iuvat.....» 1820

Corollarium VIII. Ea ipsa quibus Bernardus festo nativitatis patrocinatur, festum pariter conceptae Deiparae muniunt ac tuentur.» 1821

Corollarium IX. Bernardi oppositio theologice considerata eiusmodi est, quae nisi dextere sumatur, vix aut ne vix quidem cum spectata eiusdem doctrina componi posse videtur.....» ibid.

Corollarium X. Neque pauca sunt neque levia quae persuadent, eam conceptae Deiparae cultum fuisse Bernardo improbatum, qui ad activam eiusdem conceptionem refertur.....» 1824

Corollarium XI. Non ea est obiecta a Mabillonio difficultas, quae superiorem Bernardi interpretationem labefactet.....» 1833

Corollarium XII. Ad eam supremam normam exigit Bernardus utramque quaestionem tum practicam festi, tum theoreticam de ratione conceptionis, quae si in praesentia adhibeatur, quamvis e medio difficultatem penitus tollit.....» 1839

Corollarium XIII. Quod de contentione affirmavimus Bernardum inter ac lugdunenses canonicos, idipsum ac paullo etiam evidentius de contentione quae exstitit inter Nicolaum sancti Albani monachum Petrumque cellensem repeti debet.....» ibid.

CAPUT II. De obiecto atque motivo festi cultusque conceptae Deiparae: veluti indubitatum haberi debet passivam Deiparae conceptionem a quavis labe solutam et nitore sanctitatis illustrem obiectum simul ac motivum semper fuisse et porro esse festae celebritatis: ostenditur ex ordine, atque iis principio adductis mutuoque compositis quae ad Orientis ecclesiam referuntur: tum iis adductis mutuoque compositis quae de Occidentis ecclesia novimus, sive ante Sixtum IV., sive a Sixto IV. ad Alexandrum VII., sive ab Alexandro VII. usque ad Pium IX.: institutae probationis epilogus et cum epilogo iuncta conclusio qua infertur, inter ea quae infallibili ecclesiae magisterio declarata existimari debent, numerandum prorsus esse tum obiectum tum motivum festi, quo Deiparae conceptus pie solemniterque honoratur.....» 1844

ARTICULUS I. De obiecto deque motivo cultus conceptae Deiparae in Orientis ecclesia: ut rite utrumque definiatur, principio animadvertitur conceptionem Deiparae universim celebrari tamquam singularem, novam ac sanctam: animadvertitur deinde hasce dotes ad ipsam referri Deiparam primum conceptam: quod diligenter confirmatur: ac postremo deducitur Deiparam in ipsa sui animatione propter sanctitatem qua nituit, fuisse constans obiectum ac motivum festi in Orientis ecclesia celebrati.....» 1845

ARTICULUS II. De obiecto deque motivo festi conceptae Deiparae in latina ecclesia usque ad Sixtum IV: de eodem obiecto ac motivo ex Sixti IV. institutione: idoneis auctoritatum rationumque momentis efficitur, obie-

Digitized by Google

ctum festi cultus fuisse ipsam Deiparam primum animatam, motivum vero sanctitatem qua Virginis primordia splenduerunt. » 1884

ARTICULUS III. De obiecto deque motivo festi conceptae Deiparae a Sixto IV. usque ad concilium tridentinum: ostenditur obiectum semper fuisse naturalem personalemque Deiparae conceptionem, motivum vero sanctitatem cum ea cohaerentem: de Pii V. et Gregorii XV. decretis eodem spectantibus: de constitutione Alexandri VII., qua festi obiectum motivumque tanta perspicuitate definiuntur, ut nullus sit reliquus ambigendi locus: de insequutis temporibus ad Pium usque IX: concluditur neque aliud festum in romana ecclesia fuisse umquam receptum, nisi quo personalis Deiparae conceptio propter consertam cum ea sanctitatem coleretur, neque affirmari quidquam verius posse quam in id romanam ecclesiam incubuisse, ut Virginis conceptionem immaculatae titulo decoraret..... » 1899

Corollarium I. Ferri nullatenus debent qui forte dixerint, nomine conceptionis festum celebrari non ipsius personalis conceptus qui gratiae privilegio purus fuerit et immaculatus, sed unam Deiparae in materno utero sanctificationem..... » 1917

Corollarium II. Ferri non debent qui licet fateantur naturalem perfectamque Deiparae conceptionem honorari, vim tamen rationemque solemnitatis eo revocant, ut celebretur conceptio non quod in se atque actu fuerit sancta, sed prae sanctitate mox futura, vel ut eadem in gratiarum actionem et tamquam nostrae reparationis initium pio cultu frequentetur..... » 1921

Corollarium III. Duplici certitudine humana et humano-divina novimus, obiectum festi ipsam esse naturalem Deiparae conceptionem, motivum vero sanctitatem eximio Dei per Christum privilegio cum conceptione cohaerentem..... » 1923

ARTICULUS IV. De ratione theoreticae propositionis, qua motivum festi conceptae Deiparae effertur: multiplicis eiusdem propositionis notae et characteres explanantur: de illo nominatim agitur quo haberi ipsa debet veluti exceptio ab universali eoque revelato doctrinae capite: colligitur propositionem de qua quaeritur quaeque huc redit, ut conceptio Deiparae immaculata affirmetur, esse certam, infallibilem et ad depositum divinae revelationis pertinentem..... » 1924

Corollarium I. Festum concepti Praecursoris non est eiusmodi quod hucusque praestitutis vel minimum obsit, immo uti decet spectatum eadem non minimum tuetur atque confirmat..... » 1938

Corollarium II. Idem nequit esse de immaculata Deiparae conceptione iudicium ante et post institutum illius festum, rationemque solemniter declaratam..... » 1941

Corollarium III. Affirmari verissime potest, Bernardum eumque consequutos doctores atque theologos multo plenius multoque accuratius fuisse de conceptione dicturos, post institutum eiusdem festum, solemnemque festi declarationem scripsissent.. » 1942

Corollarium IV. Praepostere agunt qui veram de conceptione Deiparae sententiam ex iis derivandam putant, qui obortis controversiis antea scripserunt quam festum institueretur, eiusque vis ac ratio authentice declararetur..... » 1943

SECTIO OCTAVA

INSTITUTAE PROBATIONIS IUDICIUM

Vis ac ratio institutae probationis: eiusdem materies: multiplex illa est ac diversa: singula eius elementa recensentur, illorumque valor rite aestimatur: de forma probationis: duplex est, explicita ac diserta, implicita et virtute aequipollens: agitur de priore et accurate expolitur: posterior examinatur: insigniora eiusdem capita, et diligens de unoquoque iudicium: quae eodem spectent, et accessionis instar merito habeantur: de consensu universi nominis christiani: insignes eiusdem characteres et idonea inprimis ad probandum auctoritas: accedunt rabbinorum, moslemorum, haereticorumque suffragia: quae hisce fidem concilient, quodve

Digitized by Google

pondus tribui non immerito possit: de testificatione apostolicae sedis romanorumque pontificum: quibus veluti notis ea distinguatur ac luminibus splendeat: et quantopere ad manifestandam tuendamque veritatem divinamque eiusdem originem conducat: corollaria atque suscepti operis absolutio.» 1945

CAPUT I. Cuiusque probationis vis ac ratio ex materia maxime pendet: de materia institutae a nobis probationis: ea non uno genere comprehenditur: distributio in partes, et in eas potissimum quibus materia vel princeps vel obnoxia est: de libris liturgicis et ecclesiasticis ac speciatim de hymnis: de scriptoribus sive ecclesiasticis sive sequioris etiam aetatis, quos identidem laudavimus: infertur usurpatam probationis materiam talem esse, quae nequeat ullo ex capite reprehendi.» 1946

Articulus I. De materia universim institutae probationis: eiusdem in materiam principem et materiam obnoxiam distributio, cuius ratio explanatur .....» 1947

Articulus II. De libris liturgicis atque ecclesiasticis: de hymnis, deque pretio quod eiusmodi christianae traditionis praesidiis tribui debet: nonnulla opportune animadvertuntur, sumptaque ex hisce locis materies vindicatur.....» 1952

Articulus III. De discrimine quo scriptores ecclesiastici a patribus secernuntur: de scriptoribus ecclesiasticis nominatim, eorumque usu: de orthodoxis recentioris aetatis auctoribus: deque eo quod repeti solet, illos consuli atque audiri maxime oportere, qui eximia quadam vetustatis canitie commendentur .....» 1972

CAPUT II. De forma probationis: multiplex vocabuli acceptio: ea definitur quae nobis in usu erit: de probatione sive explicita ac diserta, sive implicita ac virtute aequipollente: duplex eiusmodi probatio, altera ex instrumentis atque altera ex testibus deprompta: utraque recolitur, iteratoque examini subiicitur: quae eodem spectent atque accessionis instar merito habeantur: cuiusmodi sit veritas de immaculato Deiparae conceptu: veritas eal certa, infallibilis, ad depositum revelationis pertinens ac plane digna quae materies ac fidei obiectum existimetur.» 1986

Articulus I. De forma probationis explicita ac diserta: multiplex eiusdem ratio commemoratur: cuiusmodi sit probatio immaculati conceptus ex instrumentis deducta: recolitur probatio ex lege: tum probatio ex prophetis: ac probatio tandem ex evangeliis: probationis iudicium, iunctumque cum eo consectarium de praerogativa immaculati conceptus, quae articulis divinitus et immediate revelatis accenseri debeat.....» 1987

Articulus II. De probatione ex testibus repetita: non est illa uniusmodi, sed multis variisque partibus ac prope membris coalescit: singula obiter expenduntur, et probatione in summam collecta, articulus de immaculato Deiparae conceptu firmissime stabilitur.....» 1999

Articulus III. De probatione immaculati Deiparae conceptus quae cum eiusdem cultu devincta est: huiusce cultus internae externaeque proprietates enumerantur: eiusdem character articulatius definitur, et vis probationis ex eo sumptae describitur diligenterque vindicatur.....» 2006

Articulus IV. De probatione quae ex fidelium consensu derivatur: multiplices huiusce consensus proprietates ac dotes quibus eiusdem probandi robur communitur, enumerantur atque expoliuntur: ratio deductae probationis expenditur et theologorum patrumque auctoritate confirmatur: duplex exceptio: utraque refellitur, et probationis fides denuo confirmatur .....» 2014

Corollarium I. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu ad eas pertinet veritates, de quibus intra ipsum ecclesiae sinum neque idem semper consensus exstitit, neque eadem semper penes omnes sententia viguit..» 2036

Corollarium II. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu illarum albo inscribi debet, de quibus quum consensio anteverterit, nonnisi labentibus seculis oborta dissensio est.» ibid.

Digitized by Google

SECTIO SEXTA

TRADITIONIS DE VIRGINE SENTENTIA

De iis doctrinae capitibus maiorum consensione receptis quibus eorumdem fides ac sententia de immaculato Virginis conceptu innexa continetur: referuntur ex ordine, comparantur, excutiuntur, nihilque praetermittitur quo intima illorum colligatio cum praerogativa immaculati conceptus suo in lumine collocetur: ex his autem inferendo deducitur, immaculatum conceptum ad eam veritatum christianarum classem pertinere quae sin minus enucleate ac distincte, acervatim dubio procul et implicite catholica traditione comprehenduntur: accedunt diserta testimonia, quibus efficitur nihil prorsus impedire quominus eadem veritas aperto immediatoque traditionis suffragio comprobata iudicetur.

1150. Quemadmodum accidere vix solet ut unicum dumtaxat suppetat medium quo propositus finis comparetur, et unica dumtaxat praesto sit via qua ad praestitutam itineris metam perveniatur; ita me sane fugit utrum aliquando contingat ut nonnisi unica habeatur ratio, qua de christianae antiquitatis persuasione sententia ac fide non perspicue minus quam indubitanter existimetur. Profecto dum memoria atque cogitatione recolo plerosque omnes christianae professionis articulos, mihi videor probe intelligere non unam et singularem sed plures easque diversas patere rationes, quas si sectemur, priscam fidem priscamque doctrinam citra quodvis errandi periculum teneamus. Fac enim constitutum tibi sit novisse quid patres nostri de amplitudine censuerint potestatis, qua aucta divinitus ecclesia peccata remitteret, caelumque peccatoribus reseraret. Certam ratamque illorum doctrinam non ex iis tantum assequeris quae Cornelius, quae romanus clerus, quae Cyprianus, quae Ambrosius, quae Pacianus litteris diserte consignarunt; verum etiam illam plenissime deprehendes si ecclesiae annales consulas, si ad solemnem in ea clavium usum advertas, et si exercitas cum montanistis novatianisque contentiones animo reputes. Fac item tibi cordi sit compertam exploratamque habere maiorum fidem de Christi Servatoris persona. Hymni fratrum, appellationes Christo factae,

Digitized by Google

tributa eidem munera cultusque delatus totidem tibi indicia offerent atque argumenta praebebunt, quibus innixus tecum ipse decernas, Christum in coetu catholico semper et ab omnibus creditum fuisse verissimum Θεάνθρωπον *Deum hominem*.

1151. Quae quidem si, uti decet, ad caussam de immaculato Virginis conceptu referantur, pluribus opus non erit ut quisquis non suspicando tantum coniiciat, verum etiam constanter affirmet, multiplices desiderari vias nullatenus posse quas ingressi ad mentem sententiamque christianae antiquitatis tuto perveniamus. Et re sane vera vix quidquam hucusque praetermisimus, quo istud ipsum evidenter comprobaremus. De sententia namque ac fide christiani nominis integrum nobis fuit signa petere probationesque mutuari *principio* quidem *ex idea* et specie Virginis quam propriis insculptam animis maiores nostri significarunt: *deinde* vero ex omnigenis appositis innumerisque propemodum epithetis, quibus quidquid est macularum et labis a Virgine alienissimum, et quidquid vicissim est candoris et innocentiae, illius maxime proprium unanimes docuerunt: *ad haec*, ex incredibili symbolorum copia typorumque varietate, qua Virginem ita adumbratam censuerunt ut aperta significatione tradiderint, nullum ipsi naevum labemque nullam aliquando adhaesisse: *praeterea* ex eiusmodi Scripturarum ad Virginem accommodatione, quae ne ingratiis quidem patitur ut ipsa, ex iudicio maiorum, vel tenuissimo culpae halitu afflata videatur: *denique* ex iis Scripturarum commentariis, qui Virginem cuiusvis culpae expertem et funditus a peccatoribus secretam luculentissime ostendunt. Nobis igitur fas est concludere, multiplices easque perspicuas non deesse rationes quibus maiorum fides ac sententia de immaculatis Deiparae primordiis extra omnem disceptationis aleam collocata demonstretur.

1152. Neque existimandum propterea est, vel rationes omnes iis comprehendi quas recensuimus, vel alias desiderari similes aut liquidiori etiam perspicuitate fulgentes quibus ad eumdem scopum rectis lineis contendamus. Etenim *triplex* praeterea suppetit *ratio*, quam paucis indicabo et cuius vim proprietatemque compendio exponam. Suppetunt videlicet doctrinarum capita maioribus nostris solemnia eorumque auctoritate munita et cum quaestione de Virginis conceptu penitissime cohaerentia: suppetunt disertae eorumdem testificationes, quibus mentem fidemque suam de Virginis conceptu

Digitized by Google

promunt evidenterque declarant: et suppetit cultus *conceptioni* [1]) *Deiparae Virginis ideo exhibitus, quod ipsius anima in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia fuerit donata et a peccato originali praeservata.* De cultu immaculati conceptus, deque iis quae cum eiusmodi cultu iuncta sunt ac devincta, insequenti sectione disseremus; ea modo complectemur sive diserta testimonia, sive fixa penes maiores doctrinae capita, e quibus eorumdem sententia de Virginis conceptu neque obscura neque ancipiti consequutione deducitur.

1153. E re tamen fore arbitror, non antea ad haec doctrinarum capita vetustatis suffragatione stabilita et cum quaestione de Virginis primordiis intime conserta propius accedere, quam nonnulla explanarim quibus tam indoles tractationis quam vis et argumenti robur innotescat. Neminem igitur latere puto, notitias nostras omnes in duplici potissimum differentia versari, aut enim *enucleatae* ac *distinctae* menti affulgent, aut *acervatae* et *compressae* animo obiiciuntur. Pro hoc autem duplici notitiarum ordine, duplex quoque manifestationum classis secernitur. Sunt enim quae aperte totidemque verbis efferuntur, et sunt quae nonnisi latenter atque implicite adsignificantur potius quam proprie significentur. Enimvero quum [a]) apud Athanasium haec legimus: « Et cum *(Christus)* ait, Pater si fieri potest, transeat calix iste; verumtamen non mea voluntas fiat sed tua: et spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: duas heic voluntates ostendit, unam videlicet humanam quae est carnis propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem mortem deprecatur, divina vero ipsius est prompta. » Nihil profecto enucleatius cupimus, quo monotheletas profligatos arbitremur. At quum apud Paulum [2]) de

a) Lib. *περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ θεοῦ λόγου, καὶ κατὰ ἀρειάνων, de adventu divini Verbi cum carne, et adversus arianos*, qui constanter in sexta synodo, in edicto Constantini imperatoris et in epistola Agathonis pontificis inscribitur *de Trinitate et Incarnatione*. Καὶ ὅταν λέγῃ, πάτερ εἰ δυνατὸν, τὸ ποτήριον τοῦτο παρελθέτω· πλὴν μὴ τὸ ἐμὸν θέλημα γένηται, ἀλλὰ τὸ σόν· καὶ τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής· δύο θελήματα ἐνταῦθα δείκνυσι, τὸ μὲν ἀνθρώπινον, ὅπερ ἐστὶ τῆς σαρκός· τὸ γὰρ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς παραιτεῖται τὸ πάθος· τὸ δὲ θεῖον αὐτοῦ πρόθυμον.

1) Sunt haec ex iis desumpta quae docet Alexander VII. in constitut. *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, edita die VIII. Decembris an. MDCLXI.

2) Philipp. II. 8.

Christo legimus, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem;* implicite dumtaxat ac virtute eosdem disiectos intelligimus, et probe videmus ea opus esse explanatione qua Maximus [a]) utitur inquiens: « Volens igitur obedivit, an non volens? Sed si non volens, tyrannica merito vis huic obedientiae, non voluntas inscribetur. Sin volens et obediens fuit, non quatenus Deus sed quatenus homo idipsum fuit: siquidem qua Deus nec obediens nec inobediens fuit, ut patres loquuntur. Haec enim eorum propria sunt quae secundi ordinis sunt et subiecti, ut divinus ait Gregorius. Quare voluntate, quatenus homo, fuit praeditus. » Rursum [b]) Epiphanio ita explicante illud symboli vocabulum, *hominem factum*, ut significet *perfectum assumptum hominem, animam et corpus et mentem, et quidquid aliud homo est, excepto peccato;* continuo cernimus Apollinarii haeresim aperte subversam. Sed affirmante [1]) Iohanne, *Verbum factum esse carnem*, nonnisi implicite ac virtute eoque adhibito commentario quo *carnis* vocabulo totam significari hominis naturam vulgo patres [2]) interpretantur, reiectum damnatumque Apollinarium intelligimus. Tandem docente [3]) Augustino, *in omnibus misericordia eius (Dei) praevenit nos, consentire autem vocationi Dei vel dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est;* probe videmus liberam cum gratia voluntatis cooperationem neque articulatius tradi neque efferri accommodatius potuisse. Sed eodem alibi [4]) scribente, *non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit nisi divinitus adiuvetur, nec adiuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur: non enim adiutor est ille, si nihil agatis; non enim cooperator est ille, si nihil operamini: ipsum nomen adiutoris praescribit tibi quia et tu ipse*

a) Disput. cum Pyrrho monotheleta apud Baronium T. VIII. pag. 693. Θέλων οὖν ἆρα ὑπήκουσεν ἢ μὴ θέλων; ἀλλ' εἰ μὲν μὴ θέλων, τυραννὶς ἂν εὐλόγως, καὶ οὐχ ὑπακοὴ λεχθείη· εἰ δὲ θέλων, ὑπήκοος δέ, οὐ καθὸ θεὸς, ἀλλὰ καθὸ ἄνθρωπος γέγονε, καθὸ γὰρ θεὸς, οὔτε ὑπήκοος, κατὰ τοὺς πατέρας, οὔτε ἀνήκοός ἐστι· τῶν γὰρ δευτέρων, καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα ταῦτά, φησιν ὁ θεῖος Γρηγόριος· ἆρα καὶ καθ' ὃ ἄνθρωπος, θελητικὸς ἦν.

b) Ancorat. §. CXXI. Ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα, ψυχὴν καὶ σῶμα καὶ νοῦν καὶ πάντα, εἴ τί ἐστιν ἄνθρωπος, χωρὶς ἁμαρτίας.

1) Ioh. I. 14.

2) Speciminis gratia conferantur quae habet Fulgentius in priore libro ad Trasimundum capp. XVII. seq.

3) De spirit. et lit. cap. XXXIV.

4) De perfect. Iustit. n. 40. coll. de peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. V., enarrat. in Ps. CXLIII. n. 6. et serm. CLVI. nn. 11-13-21.

Digitized by Google

aliquid agis: si tu ipse tua voluntate nihil ageres, non vocaretur adiutor, adiutor enim aliquid agentem adiuvat; implicite tantum ac virtute liberam voluntatis cooperationem expressam significatamque deprehendimus.

1154. Exempla igitur cum humana cogitandi loquendique lege conspirant, simulque iuncta demonstrant adduci in controversiam non posse *modum omnino duplicem articulatum et compressum, distinctum et confusum, explicatum et involutum quemadmodum intelligendi et cognoscendi, ita manifestandi verborumque ope aperiendi quod fuerit mente animoque praeceptum.* Seposito autem priori modo qui nullis subest difficultatibus, inane prorsus non arbitror de altero animadvertisse: I. quae confuse atque implicite intelliguntur ac tenentur, revera intelligi ac teneri: quapropter II. quae implicite innuuntur et adsignificata potius quam significata videntur, reipsa tamen significari atque depromi: hinc III. loquentibus iuxta ac scribentibus non iniuria tribui tum quae ipsi animo distincte percepta disertis verbis aperuerint, tum quae confuse et implicite cognita adumbrarint satius quam expresserint. Quod tamen ne secus accipiatur ac ex aequo bonoque accipiendum sit, paullo debet enarrari diligentius.

1155. Igitur quae acervatim apprehenduntur et implicite manifestantur, non omnia sunt uniusmodi; sed I. alia remotius, alia propinquius cum iis cohaerent quae distincte percepta diserte efferuntur: II. alia vix semel atque iterum mentem subeunt, verbisque indicantur; sed alia animum iugiter occupant, totamque orationem intime pervadunt: postremo III. quum alia sint exquisita, subtilia, suaque arduitate plerisque omnibus inaccessa; alia contra sunt vulgaria, communia ac leviter etiam tinctis mediocriterque excultis prona et aperta. Non sunt haec eiusmodi quae uberiori indigeant explanatione, quum sua se luce prodant oculosque percellant.

1156. Iamvero quum sermo de hominibus sive loquentibus sive scribentibus instituitur, minori quam par sit aequitate uteremur, si priori commemorata loco suis indiscriminatim auctoribus tribuenda esse contenderemus. Heic namque illud prorsus obtinet, *fac a consequutionibus caveas,* neque illis praeter modum insistas. Sed in ipsos vicissim auctores essemus iniurii, illosque vel mediocri ingenii cultura et ipsa prope humanitate exueremus, si ne altero quidem comprehensa ordine ab iisdem perspecta et aliquo tandem modo si-

Digitized by Google

gnificata arbitraremur. Ecquis enim in eum non incalesceret, qui [a]) apud romanum Clementem de Christo legens, *ex eo (Abrahamo) Dominus Iesus, quatenus carnem habebat:* et rursus [b]) de eodem legens, *sceptrum maiestatis Dei Dominus noster Christus Iesus, non venit in iactantia arrogantiae neque superbiae, quum potens sit; sed in humilitate, quemadmodum Spiritus sanctus de ipso loquutus est;* praefracte tamen negaret duplicem Christi naturam eiusque creatricem potentiam a viro sanctissimo eodemque apostolico fuisse mente intellectam, verbisque tacite significatam? Quis eum ferret qui a Cypriano audiens nunc quidem [1]) romanam ecclesiam esse credique oportere *ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, et unde Dominus unitatis originem instituit:* nunc vero [2]) romanae cathedrae insigne esse atque ornamentum ut *catholicae ecclesiae radix matrixque* censeatur; ipsum tamen inter romani primatus assertores connumerare nollet? Aut quis illi parceret, qui [c]) testante Chrysostomo, fas non esse de bonis operibus sic decernere, *ut illorum pars Deo, et pars hominibus tribuatur, quum totum Deo asserendum sit, quando nonnisi post gratiam in nostra situm sit facultate bonum adgredi ac perficere;* ipsum tamen ex eorum albo expungeret, qui arausicanos canones contra massilienses praeformarint? Reliquum est igitur ut inferendo colligamus, ea suis auctoribus merito adscribi quae quum sint prona et expedita, cum iis praeterea non minus intime quam proxime cohaerent quae non semel ac rursum sed crebro ac passim iterantur, disertisque verbis proponuntur.

1157. Haec autem ipsa non una sed duplici omnino classe continentur. Vel enim comparata sic sunt, ut cum singulis quibusque

a) Epist. I. ad Corinth. n. 32. Ἐξ αὐτοῦ ὁ κύριος Ἰησοῦς τὸ κατὰ σάρκα.

b) Ibid. n. 16. Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζωνείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος· ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν, καθὼς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον περὶ αὐτοῦ ἐλάλησεν.

c) Hom. de virginit. pag. 295. opp. T. I. Χάρισμα θεοῦ καλεῖ τὸ αὐτοῦ κατόρθωμα, καὶ ἵνθα πολὺν ἱδρῶσιν ἱδρῶτα, τοῦτο ὅλον ἀνατίθησιν τῷ δεσπότῃ. In epist. ad Philipp. hom. IV. Πάλιν αὐτῶν παιδεύει τὸ φρόνημα μετριάζειν τὸ πᾶν ἀνατιθεὶς τῷ θεῷ. In Genes. hom. XXII. n. 1. Ἐν τῇ προαιρέσει τῇ ἡμετέρᾳ κατέλιπε μετὰ τὴν ἄνωθεν χάριν τὸ πᾶν. Et hom. XXIII. n. 5. Οὐκ εὔδηλον, ὅτι τῇ οἰκείᾳ σπουδῇ μετὰ τὴν ἄνωθεν χάριν ταῦτα κατορθοῦν δυνήσονται;

1) Epist. LV-LXXIII.

2) Epist. XLV.

Digitized by Google

propositionibus iuncta et cum iis seorsum cohaerentia, ex iisdem non secus ac ex integro plenoque fonte dimanent; vel ita potius se habent, ut nonnisi duabus aut pluribus etiam propositionibus mutuo vinctis comprehensa in iis appareant atque ex ipsarum conspiratione efflorescant. Prioris classis insigne praebet exemplum [a]) Pauli propositio, *speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium, maxime fidelium.* Ex hac enim tamquam ex integra plenaque caussa proficiscitur, neminem prorsus hominum esse quem Deus incolumem non velit. Posterioris vero classis specimen non minus eximium hisce habetur quae idem Paulus [b]) de Christo scribit: *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant.* Neque enim aliter ac singulis quibusque propositionibus opportune collatis ac scite expensis inferre licet, Christum uti verum summumque Deum ab Apostolo celebrari credendumque proponi. Iamvero quae ad priorem classem pertinent indicia et argumenta, ea nos *analytica* dicemus, quae contra ad alteram spectant, *synthetica* nuncupabimus.

1158. De quibus haud omnino silentio premam quod licet non magni sit ponderis, negligi tamen citra quodvis detrimentum nequit. Itaque argumenta quae *synthetica* appellavimus, vel propositionibus dumtaxat constant quibus auctor usus est, vel propositionibus coalescunt partim quidem ab auctore usurpatis, sed partim etiam aliunde desumptis. Si priorem referant faciem, anceps esse nullatenus potest utrum tribui auctori debeant quae ex iisdem rite suaque sponte colliguntur. At si alterius sint formae, falli non minimum possumus, nisi necessariam distinctionem prae oculis habeamus. Sane ut derivatae ex syntheticis argumentis consequutiones suis prudenter auctoribus adscribantur, non opus dumtaxat est ut sumptae aliunde propositiones veritate commendentur, sed insuper plane exigitur ne sint longius arcessitae et a communi vulgataque sentiendi cogitandique ratione seiunctae. Vel quod eodem recidit, prorsus exigitur, ut hinc certae sint atque indubitatae, inde autem communi homi-

a) I. Tim. IV. 10. *Ἠλπίκαμεν ἐπὶ θεῷ ζῶντι, ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν.*

b) Coloss. I. 15–18. *Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα· καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε.*

Digitized by Google

num non omnino imperitorum suppellectili contineantur. Profecto si tales sint, aequissime arbitramur, neque ignorari illas ab auctoribus potuisse quorum mentem sententiamque investigamus, neque ab iis separari ac divelli, quas ipsi usurpandas esse censuerunt.

1159. Age iam atque ex his, quae generatim monuimus, ad rem nostram susceptamque caussam animum revocemus. Fixum nobis est maiorum persuasionem ac sententiam de purissimae Virginis conceptu ulterius exquirere, illamque ex iis primum deducere quae ipsi non tam animo *distincte* perceperint verbisque *aperte* declararint, quam *implicite* potius intellexerint ac *mediate* significarint. Ne autem ab eo quo tendimus, devii aberremus, has nobis leges dicimus: I. quoad eius fieri poterit, argumentis potissimum *analyticis* utemur: et II. non alia adhibebimus *synthetica* argumenta nisi quae ad eas conditiones exacta sint quas descripsimus, quasque *necessarias* iuxta et *sufficientes* ostendimus ut de scriptorum mente ac doctrina sincerum verumque iudicium proferatur. Ne vero dum hanc telam sollicite ordimur, aut fastidium repetitione creemus, aut vim roburque deductionis levitate frangamus, hanc mediam tutamque inibimus viam, ut in testimoniis citandis simus diligentes, in iisdem autem describendis parcitati consulamus, neque alia passim memoremus quam quae aut splendore aut etiam novitate reliquos antecellant.

CAPUT I.

Aperitur mutuus habitus quo ex maiorum sententia immaculatus Virginis conceptus cum divina eiusdem maternitate innectitur penitusque cohaeret: quam praeclara et omnino caelestis esset species divinae maternitatis quae illorum mentibus insidebat: quae ex ea deducerent et cum ea conserta arbitrarentur: multiplex ratio propter quam immaculatus quoque conceptus haec inter numerari debeat.

1160. Praeconia quaecumque omnia beatissimae Virginis hac una appellatione absolvuntur, qua contra nestorianam perfidiam non Χριστοτόκος tantum, verum etiam θεοτόκος proprie fideliterque salutatur. Quum Virginem nominasti Θεοτόκον, illamque veram propriamque *Dei genitricem* credidisti, quidquid deinceps aut cogitando adieceris aut loquendo amplificaveris, etsi splendidissimum id sit, eximium omnique ex parte singulare, non modo princeps

Digitized by Google

illud decus non excedit sed ne longissime quidem ad illud accedit. Indubitatum namque est quod relatis [1]) Matthaei verbis, *quum esset desponsata mater eius*, interrogando subdit [2]) Origenes: « Cuius eius? Mater Dei unigeniti, Domini et regis omnium plasmatoris et creatoris cunctorum. Illius qui in excelsis sine matre, et in terra est sine patre. Illius qui in caelis secundum deitatem in sinu est patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris. O magnae admirationis gratia! o inenarrabilis suavitas! o ineffabile magnumque sacramentum! » De quo sacramento nobilissimum syriacae ecclesiae lumen Ephraemus [a]) ait: « Iam si matrem tuam mente intelligentiaque assequi nemo potest, quis te attingere se posse credat? Mater tua Maria sola est si solam cogito, alioquin soror si cum reliquis confundo feminis. Facta tibi mater est, et in communi sanctarum feminarum choro soror quoque et sponsa: vides ut omnibus illam decorasti modis, o matris tuae decus. Sponsa tibi data est antequam venires, quod secundum naturam transactum est, venisti teque concepit, et hoc supra naturam. Prodigium est mater tua. »

1161. Quo prodigio mirifice perculsus [b]) Basilius seleuciensis exclamavit: « Age vero, ecqua sublimior materia esse potest praeter quam haec est? Nihil certe inter divina et humana medium quis

a) Serm. VIII. in Domini nat. pagg. 423. F. et 424. A-B. opp. syr. T. II.
ܐܠܘ ܗܘ ܕܐܡܟ ܠܐ ܡܬܕܪܟܐ ܠܟ ܡܢ ܢܫܐ. ܐܡܟ ܗܝ ܡܪܝܡ ܗܝ ܒܠܚܘܕܝܗ ܘܐܚܬܟ
ܥܡ ܟܠܗ. ܗܘܬ ܠܟ ܐܡܐ ܗܘܬ ܠܟ ܚܬܐ. ܘܡܟܝܪܬܟ ܗܝ ܠܘܬ ܥܡ ܢܟܦܬܐ. ܒܟܠܡܕܡ
ܗܐ ܨܒܬܬܗ ܫܘܦܪܐ ܕܐܡܟ. ܡܟܝܪܬܐ ܗܘܬ ܠܟ ܡܪܝܡ ܗܝ ܕܥܕܠܐ ܐܬܝܬ ܒܟܝܢܗ. ܗܘܬ
ܕܝܢ ܕܠܐ ܒܥܘܢܐ ܠܟܘ ܕܐܬܝܬ ܐܘ ܒܛܢܬ. ܘܒܬܘܠܬܐ ܗܘܬ ܟܕ ܡܘܠܕܐ ܒܩܕܝܫܘܬܗ. ܡܢܟ
ܠܗ ܩܢܝܢ ܙܒܢܐ ܟܠܗܘܢ ܕܒܬܘܠܬܐ ܒܟܝܢܗ ܕܝܠܕܬܗ ܘܠܐ ܙܘܓܐ ܡܟܠܐ ܒܬܘܠܘܬܗ ܘܠܐ
ܚܛܝܐ. ܬܕܡܘܪܬܐ ܗܘܬ ܡܟܝܢܐ ܘܡܟܠܐ ܒܟܝܢܗ ܡܢ ܟܠܗ. ܠܝ ܠܟ ܐܬܚܙܝ ܠܗ ܓܒܪܐ
ܐܟܠܐ ܒܦܘܡܗ. ܠܝ ܠܟ ܐܘܪܚܐ ܩܕܡܝܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܠܝ ܠܟ ܐܡܬܐ ܕܪܚܡܬ ܘܪܘܡܬ ܕܢܫܩܬ
ܢܫܩܬܐ ܒܟܠܗܘܢ. ܐܬܕܡܪܐ ܗܝ ܐܡܟ.

b) Orat. XXXIX. in Deiparae annunciat. pag. 208. A. Ἆρα τίς ἐστι ταύτης ὑψηλοτέρα ὑπόθεσις; οὐμενοῦν εἴποι τις ἂν θείων καὶ ἀνθρωπίνων τὸ μέσον ἐννοῶν, ὡς γὰρ οὐκ ἔστιν εὔκολον νοεῖν τε καὶ φράζειν Θεὸν, μᾶλλον δὲ καθάπαξ ἀδύνατον, οὕτως τὸ μέγα τῆς Θεοτόκου μυστήριον, καὶ διανοίας καὶ γλώττης ἐστὶν ἀνώτερον.

1) Matth. I. 18.
2) Hom I. in divers. pag. 274. col. 1. opp. T. II. edit. Paris. MDCLV.

Digitized by Google

proferet aut cogitabit. Ut enim non in facili est Deum nosse aut eloqui, immo ex eorum numero quae fieri minime possunt; sic magnum Deiparae sacramentum omni ratione celsius est et oratione. » Hinc [a]) subdit: « Quae igitur lingua tam vocalis, quae pro eius dignitate hymnos personet? Quae digna satis in eam munera conferemus, quum infra eius dignitatem sint mundana omnia? » Atque omnia sane infra eius dignitatem esse confirmat [b]) pergens: « Quis non miretur quantopere superemineat quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiae; qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non maiorem multo quam ei subiectis? Cuivis notum id est. Si Petrus *beatus* appellatus est, clavesque regni caelorum concreditas habuit; cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui datum est eum eniti quem ille confessus est? Si Paulus *vas electionis* cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit, illudque ubique terrarum evulgarit; quale vas erit Dei mater? » Eiusmodi scilicet de quo merito [c]) dicatur: « O Virgo sanctissima, de qua ut quis insignia quaeque ac gloriosa usurparit, non ille quidem a veritate aberrabit, sed pro dignitate haud fecerit satis. »

1162. Quae quidem egregie iis roborantur quae ex epistola Germani antistitis byzantini ad Iohannem episcopum synadensem lecta fuerunt in synodo oecumenica septima, et omnium suffragatione recepta. Postquam enim [d]) Germanus ostendit, honestum in-

a) Ibid. pag. 215. A. Ποία τοίνυν μεγαλόφωνος γλῶσσα ταύτην ἀξίως ὑμνήσει; ποία ταύτης ἄξια δῶρα προσενέγκωμεν, ἧς ἔστιν ἀνάξια τὰ τοῦ κόσμου ἅπαντα;

b) Ibid. pag. 218. A-D. Τίς οὖν οὐκ θαυμάσει τὴν μεγάλην τῆς θεοτόκου δύναμιν; καὶ ὅσον ὑπερανέχει τοὺς ὅσους τιμῶμεν ἁγίους; εἰ γὰρ τοῖς δούλοις ὁ Χριστὸς τοιαύτην δέδωκε χάριν, τίνα χρὴ νομίζειν τῇ μητρὶ τὴν ἰσχύν; ἆρα οὐχὶ πολλῷ μείζονα τῶν ὑπηκόων; παντί που δῆλον· εἰ Πέτρος ὀνομάσθη μακάριος, καὶ κλεῖς ἐπιστεύθη βασιλείας οὐρανῶν, πῶς οὐχ' ὑπὲρ πάντας μακαρισθήσεται ἡ τὸν ὑπ' ἐκείνου ὁμολογηθέντα τεκεῖν ἀξιωθεῖσα; εἰ Παῦλος ἐκλογῆς σκεῦος ἐπικέκληται διὰ τὸ βαστάσαι Χριστοῦ τὸ σεβάσμιον ὄνομα, καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κηρύξαι, πλέον ἂν εἴη σκεῦος ἡ Θεοτόκος;

c) Ibid. pag. 219. C. Ὦ παναγία παρθένε, περὶ ἧς ὁ πάντα λέγων σεμνά τε καὶ ἔνδοξα, οὐ διαμαρτάνει μὲν τῆς ἀληθείας, ἁμαρτάνει δὲ τῆς ἀξίας.

d) Concil. nic. II. act. IV. pag. 101. C-D. T. XIII. Ὁμοίως καὶ τῆς κατὰ σάρκα ἀχράντου αὐτοῦ μητρὸς τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον τὴν ὁμοίωσιν ἀνιστοροῦμεν, δεικνῦντες, ὅτι γυνὴ τὴν φύσιν ὑπάρχουσα, καὶ οὐκ ἀλλότρια τοῦ ἡμετέρου φυράματος γενομένη, τὸν Θεὸν τὸν ἀόρατον, καὶ τὰ πάντα τῇ χειρὶ περιέχοντα, ὑπὲρ πᾶσαν ἔννοιαν καὶ ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων ἐν τῇ ἑαυτῆς συνέλαβε γαστρὶ, καὶ ἐξ αὐτῆς σαρκω-

Digitized by Google

primis esse ac pium Christi servatoris imagines fingere et eo quo decet religionis cultu prosequi, continenter subdit: « Similiter autem et intemeratae secundum carnem matris eius sanctae Dei genitricis iuxta eumdem modum depingimus similitudinem, ostendentes quia quum mulier esset natura et extranea massae nostrae minime facta, Deum invisibilem et cuncta moderantem super omnem sensum et hominum et angelorum in suo concepit utero, et ex se incarnatum peperit. Etenim ut proprie ac veraciter matrem Dei veri colimus eam, et magnificamus, et omni visibili ac invisibili creatura [1]) superiorem arbitramur. » Neque superiorem quovis modo, sed eo plane quem Iohannes damascenus [a]) hoc epiphonemate complectitur: « At infinitum Dei servorum ac matris discrimen est. » Quod infinitum prope discrimen ita demiratur Petrus Damiani, ut intimam quoque illius originem luculenter patefaciat. Demiratur ubi [2]) ait: « Quid grandius virgine Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris concludit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. » Originem vero patefacit ubi [3]) quatuor distinctis modis quibus Deus inest creaturis, de quarto eodemque praestantissimo scribit: « Quarto modo inest uni creaturae, videlicet Mariae virgini, *identitate*, quia [4]) idem est quod illa. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat adspicere tantae dignitatis et dignationis immensitatem. » Quare Eadmerus [5]) Anselmo cantua-

θέντα ἀπεκύησε· καὶ γὰρ ὡς κυρίως καὶ ἀληθῶς μητέρα θεοῦ τοῦ ἀληθινοῦ σέβομεν αὐτὴν, καὶ μεγαλύνομεν, καὶ πάσης ὑρατῆς καὶ ἀοράτου κτίσεως ὑπερτέραν λογιζόμεθα.

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 865. A. *Ἀλλά γε τὸ διάφορον ἄπειρον δούλων θεοῦ καὶ μητρός.*

1) His edocti scholae theologi cum Thoma I. p. q. XXV. a. VI. ad 4. affirmarunt: « Quod beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid melius fieri ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo. » Auctore namque Bernardino senensi II. II. q. CIII. a. IV. « Ut femina conciperet et pareret Deum, oportuit, ut sic dicam, feminam elevari ad quamdam aequalitatem divinam per quamdam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum. »

2) Serm. XLIV. isque I. in Deiparae nativit. pagg. 106. col. 2. E. et 107. col. 1. A. opp. T. II.

3) Ibid. pag. 107. col. 1. A-D.

4) Etenim, quae sunt verba non pii minus quam vetusti auctoris libri *de assumptione beatae Mariae virginis* inter opp. Augustini T. VI. in app. pag. 731. F., *caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, et potenti super omnes caelos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit et manet natura, quae suscepta est de Maria.* Quare *caro Iesu caro est Mariae, et multo specialius quam Ioseph Iudae ceterorumque fratrum eius, quibus dicebat* (Gen. XXXVII. 27.), frater enim et caro nostra est.

5) De excellent. virginis Mariae cap. I. p. 135. col. 1. A. inter opp. Anselmi.

Digitized by Google

riensi addictissimus *excellentiam beatae matris Dei* vocat *supereminentem omni quod post hominem Deum creatum est;* tum [1]) pergit, *hoc solum de sancta Virgine praedicari quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem quae post Deum dici vel cogitari potest.*

1163. Nemo itaque miretur si patribus nostris virisque sanctissimis visum sit, ceteris dotibus cum divina maternitate consertis illam quoque numerandam esse quae immaculata Virginis origine continetur. Sed visum ne hoc ipsis revera est? Quae in medium continuo proferemus, liquido ostendent nihil a nobis eisdem tribui quod ipsi non senserint, quodque multiplici ratione frequentissime non declararint. Uno verbo, liquido ostendent certam ratamque sententiam de immaculato Virginis conceptu ad eam spectasse divinae maternitatis speciem, quam christiana antiquitas supernae revelationis luce perfusa fidei oculis contemplabatur.

ARTICULUS I.

Praestantia divinae maternitatis ex unanimi maiorum doctrina hoc sibi necessario vindicavit, ut Virgo prae ceteris creaturis omnigena donorum copia locupletaretur: hoc enim sibi vindicavit perfectio qua ditari illa debuit quae ad tantum munus provehereturr: hoc Filii honor et gloria: atque hoc non minus consignata tabulis quam indita mentibus lex, honora matrem tuam. Quibus omnibus efficitur, ab ea divinae maternitatis idea ac forma quae maiorum animis splendidissima obversabatur, praerogativam immaculati conceptus nullatenus posse seiungi.

1164. Quum creatae naturae omnes eo sint perfectiores nitidiusque refulgeant, quo cum increata, infinita, divinaque natura plenius coniunguntur intimiusque sociantur; quisque facile cernit nullam praecipi animo posse nudam puramque creaturam, quae primas Deiparae ultro non deferat, quaeque ab eximia illius praestantia non longissime distet. Quotquot enim umquam fuerunt aut nunc sunt aut aliquando erunt rationis compotes creatae naturae, sive angelicae sive humanae, sive invisibiles sive conspicuae, nulla cum Deo naturae societate vinciuntur, neque alia cum ipso affinitate cohaerent quam caritatis in earum cordibus diffusae, super-

1) Ibid. cap. II. pag. 185. col. 2. A-B.

Digitized by Google

naeque manifestationis qua ipsum revelata facie contuentur. At vero Deipara naturali coniunctione cum Verbo incarnato copulatur, et habitu verissimae consubstantialitatis ita ad ipsum refertur ut credi dicique debeat, carnem Verbi carnem esse Mariae, neque minus secundum divinitatem ad caelestem Patrem Verbum revocari, ac secundum humanitatem ad terrestrem matrem revocetur. E puris itaque creatisque naturis nulla est quae Deiparae excellentiam perfectionemque assequatur.

1165. Quod maiores nostri tanta sententiarum perspicuitate testantur, ut nihil ab iis dictum evidentius nihilque significatum illustrius reperiri facile possit. Huc namque pertinent *simplices absolutaeque* eorumdem *loquutiones*, sive quibus [1]) Deiparam *omni ex parte sanctissimam atque integerrimam celebrant*, sive quibus [2]) illi *alterum secundum Deum puritatis sanctitatisque gradum adscribunt*. Huc pertinet *loquutiones* [3]) *comparatae*, quibus illam *angelis sanctiorem et Cherubim nitidiorem* profitentur. Huc *loquutiones* [4]) *negantes*, quibus unanimes docent *neque illius innocentiam ullo umquam naevo fuisse corruptam, neque illius sanctitatem ulla umquam labe maculatam*. Atque huc pertinent alia fere innumera quae passim deprompsimus, et e quibus iuverit memoria recolere quae tradunt [5]) vulgatus neocaesariensis Gregorius, Ambrosius mediolanensis [6]), Cyrillus alexandrinus [7]), Sophronius senior [8]), Petrus chrysologus [9]), Hesychius hierosolymitanus [10]), Basilius seleuciensis [11]), Andreas cretensis [12]) Germanus constantinopolitanus [13]), Iohannes damascenus [14]); Georgius nicomediensis [15]), et [16]) Nicetas paphlago. Horum namque omnium consensione efficitur, nihil maioribus nostris fuisse exploratius quam sanctitatem praestantiamque Virginis *utpote Dei-*

1) Sup. nn. 222. seqq.

2) Sup. nn. 324. seqq.

3) Sup. nn. 335. seqq.

4) Sup. nn. 74. seqq.

5) Orat. II. in Deiparae annunciat. pagg. 18. A. et 25. A.

6) Comm. in Lucam lib. II. nn. 14-16. p. 1286-1287. et lib. X. n. 132. pag. 1532.

7) Encom. in Deiparam pag. 380. D. opp. T. V. P. II.

8) Serm. de Virginis assumt. pagg. 95. F. et 96. B. inter opp. Hieronymi T. XI.

9) Serm. CXLIII. de annunciat. pagg. 204. col. 2. B-C. et 205. col. 1. A.

10) Serm. I. in Deiparam. pag. 417. A-B. et serm. II. pagg. 421. B-D. et 428. C-D. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

11) Orat. in Deiparam pagg. 595-596. apud Combefisium Auctar. T. I.

12) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 105. C-E. apud Gallandium T. XIII.

13) Serm. II. in Deiparae dormit. pag. 1466. B-C. apud Combefisium Auctar. T. I. et serm. in s. Mariae Zonam pagg. 238-239. apud Allatium de Symeon. scriptis P. II.

14) Orat. I. in Deiparae nativ. pag. 848. B., et de fide orth. lib. IV. cap. XIV. pag. 277. B.

15) Orat. VI. in Deiparae praesentat. p. 1118. D-E. et pag. 1131. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I.

16) Orat. in Deiparae nativit. pag. 438. A. apud Combefisium Auctar. T. III.

parae habendam esse incredibilem, summam, humanae et angelicae naturae modum praetergressam, et ad ipsos divinitatis splendores pro creaturae captu quam proxime accedentem. Hinc quod in Paraclitice [a]) graeca ecclesia canit: « Te sanctam sanctorum agnoscimus, ut quae sola pepereris incommutabilem Deum, o Virgo inviolata, mater thori nescia. Tu namque tuo divino partu in fideles omnes immortalitatem effudisti. » Et [b]) rursum: « Omnibus sacratior creaturis apparuisti, utpote mater creatoris qui mortem, o Deipara penitus veneranda, dissolvit atque nos incorruptibilitate donavit. » Atque hinc quod ex fide latinae ecclesiae canit [1]) Anselmus:

» Altitudo cogitandi — » Angelorum oculis.
» Tu inaccessibilis, — » Χαῖρε κεχαριτωμένη
» Invisibile profundum — » Θεοτόκος παρθένε.

Et [2]) mox:

» Tu extans initiatrix — » Mirandorum vere Christi
» Arcani consilii, — » Operum primitiae.

Ac [3]) denuo:

» Generans perennem lucem — » Omnium scientiam,
» Et inaccessibilem, — » Animarum tu sanctarum
» Sophorum super ascendens — » Splendor et prudentia.

1166. Neque vero mirum videri debet quod patres scriptoresque christiani adeo magnifice de Deipara sentirent ac porro etiam loquerentur: caussae namque illis aderant rationesque splendidae iuxta ac necessariae quibus in eam mentem eamque fidem vehementissime inducerentur. Et caussa inprimis aderat inde sumpta, quod quae esset *Dei mater*, eadem quoque *omnium Domina ac Regina* credi oporteret. Quo sane titulo unanimes illam exornant tum qui antiquioribus, tum qui mediis extremisque ecclesiae seculis claruerunt. Exornant enim et omnino [4]) saepissime orientis eccle-

a) Paraclit. pag. 67. col. 2. E. Ἁγίων ἁγίαν σε κατανοοῦμεν, ὡς μόνην κυήσασαν Θεὸν τὸν ἀναλλοίωτον, παρθένε ἀμόλυντε μῆτερ ἀνύμφευτε· πᾶσι γὰρ ἐπήγασας πιστοῖς τὴν ἀφθαρσίαν τῷ θείῳ τόκῳ σου.

b) Ibid. pag. 157. col. 1. C-D. Ἱερωτέρα, ὡς μήτηρ τοῦ πλαστουργοῦ, τῆς κτίσεως πέφηνας, τοῦ τὸν θάνατον λύσαντος, θεοτόκε πάνσεμνε, καὶ ἀφθαρσίαν ἡμῖν δεδωρημένου.

1) Hymn. II. in Deiparam pag. 808. col. 2. B.
2) Ibid. col. 2. C.
3) Ibid. col. 3. B-C.
4) Abs re foret singulatim testimonia proferre, quum in monimentis liturgicis ad omnem paginam appellatione *Dominae* et *Reginae* titulo Deipara salutetur.

Digitized by Google

siae, ut ex iis liquet abunde quae liturgiae Iacobo, Marco, Basilio et Chrysostomo adscriptae praeseferunt: exornant non minus frequenter ecclesiae Occidentis, ut vetustissima Sacramentaria gothicum, gallicanum, gelasianum et gregorianum patefaciunt: exornat universum christianum nomen, ut ex ecclesiasticis hymnis officiisque communi usu receptis [1]) apparet: et exornant patres veteresque scriptores, e quorum numero testes inter ceteros [2]) locupletissimi habentur Ephraemus, Pseudo-Epiphanius, vulgatus Athanasius, Petrus chrysologus, Hildephonsus toletanus, venerabilis Beda, Iohannes damascenus, Anselmus cantuariensis, Eadmerus, tuitiensis Rupertus, Bernardus, Arnoldus carnotensis et Petrus cellensis.

1167. Testis adest [a]) Ephraemus qui Virginem sic loquentem inducit: « Quo die Gabriel ad meam humilitatem venit, ex ancilla *Dominam* fecit, et quae eram divinitatis tuae famula, repente mater evasi humanitatis tuae, o Domine et Fili: ancilla extemplo facta sum *filia regis;* tu me fecisti, qui es *filius regis*. Inter omnes Davidis posteros elegisti puellam humilem, terraeque filiam, caeloque invexisti qui es caelestis.» Testis adest [b]) Pseudo-Epiphanius inquiens: « Anna vero gravida effecta, caelum thronumque cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur esse caelum, templum et thronus, quia Mariam interpretari solemus [3]) *Dominam* atque etiam spem. Peperit enim Dominum qui est spes totius mundi, nempe Christum. » Testis adest [c]) vulgatus Athanasius qui regia

a) Ser. IV. in Domini nat. pag. 415. E-F. opp. syr. T. II.

ܡܐܡܐ ܒܠܐ ܟܗ ܗܘ ܕܚܢܐ ܡܢ ܡܫܡܫܢܐ. ܫܐܠ ܥܡ ܐܡܐ ܕܒܬ ܥܡ ܥܒܕ. ܐܡܐ ܕܢ ܐܢܐ ܘܐܠܗܬܐ. ܘܐܡܪ ܐܢܐ ܐܬ ܘܐܬܥܒܕ ܡܢ ܐܢܐ ܚܢܐ. ܥܡ ܥܒܕ ܐܡܐ ܗܘ ܟܕ ܥܒܕܐ ܟܝ ܥܒܕܐ ܐܬ ܘܐܢ ܒܪ. ܗܘ ܡܦܩܕܢܐ ܟܝ ܐܬ ܒܪ ܡܠܟܐ ܐܢܬ ܘܐܢ ܒܪ ܐܢܫ. ܗܘ ܟܢ ܐܡܪ ܐܘܪܗܝ ܡܠܟܐ ܕܐܝܬ ܒܗ ܫܠܡ ܐܢܬ ܘܐܢ ܒܪ ܐܢܫ.

b) Orat. de Virginis laudibus pag. 292. A-B. inter opp. Epiphanii T. II. Κυοφορήσασα δὲ Ἄννα οὐρανὸν καὶ θρόνον χερουβικὸν ἔτικτε, τὴν ἁγίαν κόρην Μαρίαν· αὕτη γὰρ οὐρανὸς καὶ ναὸς καὶ θρόνος εὑρίσκεται· ἡ γὰρ Μαρία ἑρμηνεύεται κυρία, ἀλλὰ καὶ ἐλπίς· κύριον γὰρ ἔτικτε, τὴν ἐλπίδα τοῦ παντὸς κόσμου Χριστόν.

c) Serm. in Deiparae annunt. nn. 13-14. pag. 460. D-F. inter opp. Athanasii T. II. Καὶ ἐπεὶ αὐτὸς βασιλεύς ἐστιν ὁ ἐκ τῆς παρθένου γεννηθείς, καὶ αὐτὸς κύριος ὁ θεός· δι'

1) Quemadmodum Graeci terdecies et amplius in quotidiano Officio Deiparam honestant *Dominae* titulo; ita penes Latinos frequentissimae sunt formulae quibus Deipara nuncupatur *Regina*, *Regina caeli*, *Regina angelorum*, *Regina sanctorum omnium*, *gloriosa mundi Regina*, et *Domina angelorum*.

2) Cf. Theophilum Raynaudum in Diptychis Marianis P. II. puncto X. n. 23. pag. 227. opp. T. VII.

3) Cf. Chrysostomi Trombellii vitam gestaque Mariae P. II. dias. II. cap. II. pagg. 20. seqq. T. V.

Christi dignitate comprobata pergit: « Siquidem is ipse qui ex Virgine natus est, rex est et ipse Dominus Deus. Eiusque gratia quae ipsum genuit, *Regina*, *Domina* et Deipara proprie ac vere praedicatur. Atque hinc decet nos eam atque ex ea genitum carniferum filium respicientes dicere: *nunc adstitit a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, circumdata varietate.* Ut enim femina, *Regina* est atque *Domina* et mater Dei: iamque ut *Regina* adstans a dextris omnium regis filii sui, in vestitu deaurato incorruptionis et immortalitatis, circumamicta, varietate circumdata sacris verbis celebratur.» Testis adest [1]) Petrus chrysologus, qui commemoratis angeli verbis, *ne timeas Maria*, illico subdit: « Ante causam dignitas Virginis annunciatur ex nomine, nam Maria hebraeo sermone, latine *Domina* nuncupatur. Vocat ergo angelus *Dominam*, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam [2]) nasci et vocari *Dominam* ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas.» Testis adest [3]) Hildephonsus toletanus qui librum de virginitate sanctae Mariae contra Iovinianum his verbis orditur: « O Domina mea atque dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te quaeso, habeam Spiritum Domini tui, habeam Spiritum filii tui, habeam Spiritum redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, vera et digna loquar, vera et digna quaecumque dicenda sunt dicam, tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo. » Tum Deiparam sibi secundam [4]) adprecans ait: « Ideo ego servus tuus, quia filius tuus Dominus meus: ideo tu Domina mea, quia tu

αὐτὸν καὶ ἡ τεκοῦσα αὐτὸν, βασίλισσα καὶ κυρία καὶ Θεοτόκος κυρίως καὶ ἀληθῶς δογματίζεται· καὶ ἐφαρμόζεται καὶ ταῦθην λέγειν ὡς πρὸς αὐτὴν ἀφορῶντας ἡμᾶς, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν ἐξ αὐτῆς τεχθέντα σαρκοφόρον υἱὸν αὐτῆς· νῦν παρίστη ἐκ δεξιῶν σου ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ, περιβεβλημένη, πεποικιλμένη· καὶ γὰρ καθὰ γυνὴ ἐχρημάτισεν ἡ βασίλισσα καὶ κυρία καὶ μήτηρ τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ γυναικεῖον αὐτῆς σχῆμα· καὶ νῦν ὡς βασίλισσα παρισταμένη ἐκ δεξιῶν τοῦ παμβασιλέως υἱοῦ αὐτῆς, ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ τῆς ἀφθαρσίας, περιβεβλημένη πεποικιλμένη ἱερολογεῖται.

1) Serm. CXLII. de Virginis annunt. pag. 202. col. 1. D. et col. 2. C.

2) Nemo originalis culpae vinculo obligatur, quin servus sit peccati et miserrimam serviat servitutem. Is quidem *libertinus* esse dicique deinceps poterit, absolute simpliciterque liber atque ingenuus non poterit. Teste autem Petro chrysologo, *auctoritas germinis ex Virgine subolescentis fecit et impetravit, ut ipsa sibi a servitute numquam timeret, et nasci ac vocari Domina mereretur.*

3) De virginit. Mariae cap. I. pag. 550. col. 1. D. in max. pp. biblioth. T. XII.

4) Ibid. cap. XII. pag. 564. col. 1. B-C.

Digitized by Google

ancilla Domini mei: ideo ego servus ancillae Domini mei, quia tu Domina mea facta es mater Domini tui: ideo ego factus servus tuus, quia tu facta es mater factoris mei.» Et paullo post [1]): «Quam prompte servus huius Dominae effici concupisco, quam fideliter servitutis huius iugo delector, quam plene famulari huius imperiis opto, quam ardenter ab illius dominio dissociari non quaero, quam avide ab ipsius famulatu numquam abstrahi cupio; tam vere illi serviendi facultatem inveniam, tam vere illi serviens gratiam illius merear, tam vere in servitutem eius sine interemptione detinear, tam vere nusquam ab aeternitatis ipsius iucunditate disiungar.» Quibus haec [2]) addi debent: «Nam ut ego sim servus filii eius, hanc mihi dominari praeopto: ut dominetur mihi filius ipsius, huic servire decerno: ut comprober servire Deo, dominium matris eius super me in testimonium quaero: ut sim devotus servus filii generati, servitutem fideliter appeto genitricis. Sic namque refertur ad Dominum quod servit ancillae, sic redundat ad filium quod impenditur matri, sic alternat in nutrito quod adhibetur in nutrice, sic transit honor in regem qui defertur in famulatum reginae.»

1168. Testis adest [3]) venerabilis Beda qui Mariae nomen enarrans inquit: «Maria hebraice stella maris, syriace vero *Domina* vocatur, et merito, quia et totius mundi dominum et lucem seculis meruit generare perennem.» Testis adest [4]) Iohannes damascenus qui de Anna eiusque filia Maria scribit: «Itaque gratia, nam hoc sonat Annae vocabulum, *Dominam* [4]) parit; id enim Mariae nomine significatur, quae vere omnis creaturae Domina facta est, quum creatoris mater extitit.» Et [5]) mox: «Profecto vere et proprie Dei genitrix est et *Domina*, omnibusque creatis imperat, quae ancilla materque simul extitit creatoris.» Testis adest [5]) cantuariensis Anselmus qui Virginem titulo *Dominae* passim compellans, inter

a) De fide orth. lib. IV. cap. XIV. pag. 275. C. Τίκτει τοιγαροῦν ἡ χάρις· τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται· τὴν κυρίαν, τοῦτο γὰρ τῆς Μαρίας σημαίνει τὸ ὄνομα· κυρία γὰρ ὄντως γέγονε πάντων τῶν ποιημάτων, τοῦ δημιουργοῦ χρηματίσασα μήτηρ.

b) Ibid. pag. 276. D. Οὕτως κυρίως καὶ ἀληθῶς θεοτόκος καὶ κυρία καὶ πάντων κτισμάτων δεσπόζουσα, δούλη καὶ μήτηρ τοῦ δημιουργοῦ χρηματίσασα.

1) Ibid. pag. 564. col. 1. D.
2) Ibid. pag. 564. col. 2. F-G.
3) In cap. I. Lucae pag. 224. opp. T. V.
4) Si Virgo *gratia* paritur et *Domina* paritur, profecto neque naturae corruptelam contraxit, neque peccati servitutem experta est.
5) Orat. XLV. ad Virginem pagg. 276-277.

Digitized by Google

cetera [1]) sic habet: « Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adiutores. Tu vero, *Domina*, omnibus iis adiutoribus melior et excelsior es; quia istis et aliis sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus *Domina* es. » Et [2]) rursum: « Sancta, et inter sanctos post Deum singulariter sancta Maria, quae filium Altissimi genuisti, quae perdito humano generi [3]) Salvatorem peperisti, *Domina* praefulgens tanta sanctitate, supereminens tanta dignitate, quam utique certum est non minori praeditam esse potentia et pietate. » Testis adest [4]) Eadmerus qui de partis per Christi merita beneficiis verba faciens inquit: « Huius igitur tam magni boni effectum illi profecto censemus imputandum, per cuius virgineum uterum is venit in mundum qui et humanam naturam in tantam dignitatis excellentiam sua sapientia revocavit, et omnem simul creaturam privilegio amissi honoris mira dispensatione redonavit. Quid ergo huic sacratissimae *Dominae* omnis tam rationalis quam etiam irrationalis creatura iure debeat, qui valet, ex his quae paucis perstrinximus, dilatato sensu advertat. Utique cuncta quae Deus bona et utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerunt esse destiterunt, et per hanc beatissimam Virginem [5]) in statum pristinum revocata sunt et restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, pater est et Dominus omnium; ita beata Maria suis meritis cuncta reparando mater est et *Domina* rerum: Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo; et Maria est *Domina* rerum, singula congenitae dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo. Quis igitur ista recto sensu et corde sincero perpendens plene percipere queat excellentiam *Dominae* huius, per quam tam ineffabili gratia a tam aestimabili deiectione erectus est mundus? Quis tam miram gratiam huius mulieris oculo mentis aspiciens non obstupescat? » Testis est [6]) tuitiensis Rupertus qui verba Cantici, *veni*

1) Ibid. pag. 277. col. 1. C-D.

2) Orat. XLIX. ad Virginem pag. 279. col. 1. B.

3) Haec autem legi non possunt quin animum sua sponte subeat cogitatio, Virginem a perdito hominum genere secerni, atque adeo immunem ab universali praevaricatione declarari.

4) De excellent. Virginis cap. XI. pag. 142. col. 1. B-D. inter opp. Anselmi. Porro cap. XII. scribit: « Rogamus ergo te, *Domina*, per ipsam gratiam qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit; quatenus id apud ipsum nobis obtineas ut plenitudo gratiae quam meruisti, in nobis sic operetur quo participium beati praemii eius nobis misericorditer quandoque donetur. »

5) Una igitur Virgo a primo bonitatis statu non descivit; nec ea per quam omnia in pristinum statum restituta credimus, indiguit ut e lapsu erigeretur.

6) In Cant. lib. III. cap. IV. p. 397. opp. T. II. edit. Venet. MDCCXLIX.

Digitized by Google

coronaberis, ad Virginem referens ait: « Ita coronaberis, ut et in caelis *Regina* sanctorum, et in terris *Regina* sis regnorum. Ubicumque enim praedicatum fuerit de dilecto [1]) dictum, *gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum;* praedicabitur et de te quod sis, o dilecta, et mater huius coronati, ac proinde *Regina* caelorum totum iure possidens filii regnum, atque hoc intuitu reges atque imperatores coronis suis te coronabunt.» Testis adest Bernardus, quo auctore [2]), Maria omnium *prima* semper nominari debet, *ut quae supra omnes est tam Filii praerogativa, quam suae privilegio sanctitatis.* Et [3]) *merito facta est novissima prima, quae quum prima esset omnium, sese novissimam faciebat.* «Merito facta est omnium [4]) *Domina*, quae se omnium exhibebat ancillam.» Testis adest [5]) Arnoldus carnotensis qui in rem nostram opportunissime scribit: « Maria lingua syriaca *Domina* dicitur; Christus Dominus, Maria *Domina;* et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, et quicumque Iesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat et acclivis. In supernis et inferis admirationi est Virgo puerpera, stupent daemones, gaudent homines, in caelo gloriam Deo concinunt principatus et potestates. Non cadi in angelos zelus, nec invidiae livore candidatus ille tabescit exercitus, nec de praeposito sibi carnis ordine offenduntur: quia etsi Christus aliquando paullo minus [6]) ab angelis propter passibilitatem sit imminutus, modo gloria et honore coronatus sub pedibus suis continet omnia subiecta. Nec *a dominatione* vel potentia filii mater potest esse seiuncta. Una est Maria et Christi caro, unus spiritus, una caritas, et ex quo dictum est ei, *Dominus tecum*, in separabiliter persevcravit promissum et donum. Unitas divisionem non recipit nec secatur in partes, et si ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, et filii gloriam cum matre non tam communem iudico quam eamdem.» Et testis adest [7]) Petrus cel-

1) Ps. VIII. 6-7.

2) Serm. de duodecim Virginis praerogat. n. 11. pag. 1016. F. opp. T. III.

3) Ibid. pag. 1017. A.

4) De *Dominae* ac *Reginae* titulo Deiparae proprio, quod ipsa creaturis omnibus praelata sit, et altero secundum Deum excellentiae gradu potiatur, uberrime disserit Bernardus in sermonibus de assumptione pagg. 1001. seqq. opp. T. III.

5) Serm. de laudibus Mariae pag. 1262. col. 1. A-C. in max. pp. biblioth. T. XXII.

6) Ps. VIII. coll. Hebr. II.

7) Serm. III. in dominic. annunt. pag. 71.

lensis qui post relata Gabrielis ad Virginem [1]) verba, subdit: « Plenus malitia et vacuus gratia, qua temeritate praesumo attentare aliquid proferre de plena gratia? Sed plena fide everto fundum conscientiae, et effundo usque ad faeces venenum malitiae ad pedes gratiae. Ego quidem, o Domina, fundo mea crimina de mala redundantia, tu in vase vacuo refunde de tua plenissima gratia. » Et [2]) aliquot interiectis: « Et quid dicam de *Domina* nostra? nisi quod gratia plena omni petenti se tribuit, in manu et potestate habens thesauros caelestes. » Hinc [3]) de Mariae nomine exclamat: « Hoc nomen benedictum et exaltatum in omnibus seculis, adorandum et colendum gentibus, tribubus et populis. O nomen nominabile! o nomen venerabile! o nomen semper nominandum in periculis, semper invocandum in angustiis! Sed quid est Maria? Maris stella. Quid est Maria? Illuminatrix. Quid est Maria? *Domina*. O Maria, o maris stella, o illuminatrix, o Domina. Ego servus tuus non semel, sed iterum ego servus tuus; nec secundo tantum, sed tertio filius ancillae tuae: a progenie in progenies ego servus tuus, ego mancipium, ego subsellium tuum, ego scabellum pedum tuorum. »

1169. Maiorum itaque vestigia legit Aquinas quum de Gabriele Deiparam salutante [4]) scripsit: « Merito ergo angelus reveretur beatam Virginem, quia mater Domini et ideo *Domina* est. Unde convenit ei hoc nomen Maria, quod syra lingua interpretatur Domina. » Neque ab iis vel lato ungue deflexit Gersonius in sermone de annuntiatione Virginis [5]) inquiens: « Hodie *Domina* nostra altius nomen accepit et perfectius quod esse potest homini post nomen filii sui. Et est, quod mater Dei dicitur. Melius eam appellare non possumus, quoniam per hoc habet veluti auctoritatem et *naturale dominium* ad totius mundi Dominum, et a fortiori ad omne id quod huic subiectum est Domino, ita quod in nomine suo omnia flectantur in caelo et in terra et in inferno. » Scilicet ex maiorum fide rataque doctrina, quemadmodum Pater aeternus [6]) constituit Filium heredem universorum, omnemque illi in caelo atque in terra contulit potestatem; ita Filius hanc ipsam hereditatem potestatemque,

1) Luc. 1. 28.
2) L. c. pag. 72.
3) Ibid. pag. 73-74.
4) Exposit. in salut. angelic. p. 44. col. 1. A. opp. T. VIII.
5) Consid. III. pag. 1366. opp. T. III. edit. Dupinii.
6) Hebr. I. 2. coll. Matth. XXVIII. 18.

Digitized by Google

quoad eius fieri poterat, communem voluit cum matre, ut [1]) *magister virtutis officium pietatis impleret*, sibique prae omnibus eam carissimam ostenderet, cui dum in terris ageret, subditus esse dignatus est.

1170. Ad hanc vero caussam omnino praestantissimam, quae maioribus nostris persuasit ut excellentiam sanctitatemque Virginis omni cogitatione superiorem profiterentur, altera accessit non minus perspicua ex eoque desumpta quod aliter *habitus* non sineret quo Deipara cum Verbo incarnato arctissime iungitur. Est namque habitus non quivis, sed *vitalis originis naturalisque necessitudinis*, et e quo pendet ut Virgo vera sit Verbi mater, et Verbum verus sit atque unigenitus Virginis filius; est habitus e quo pendet ut Verbum incarnatum sit germen Virginis, et Virgo sit felicissima illa virga e qua benedictum germen efforuit. Iamvero quod insitum animis lumen ex sese aperit, quodque maiores nostri unanimes confirmant, impar fuisset Virgo his explendis partibus atque huic muneri sustinendo, nisi supra omnes evecta creaturas, ipsam Verbi perfectionem, puritatem et sanctitatem quam proxime retulisset. Quo sane pertinent effata plus minusve luculenta, sed omnia omnino opportuna [2]) auctoris epistolae prioris de Virginitate quae romano Clementi tribuitur, Hippolyti [3]), Petri alexandrini [4]), Athanasii [5]), Amphilochii [6]), Sophronii [7]), Pseudo-Basilii [8]), Maximi [9])

1) Sunt Ambrosii verba ex comm. in Lucam lib. II. cap. II. pag. 32.

2) Epist. I. de virginit. cap. VI. pag. 6. apud Gallandium T. I.

3) Demonstrat. De Christo et Antichristo §. VI. pag. 419. apud Gallandium T. II.

4) De tempore paschatis celebr. §. VIII. p. 112. apud Gallandium T. IV.

5) In Lucam p. 187. D. apud Gallandium T. V. Πόσην δὲ τις εἶναι τὸ καύχημα τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, ὅτι μήτηρ τοῦ λόγου κατὰ τὴν γένεσιν τῆς σαρκὸς γίγονέ τε καὶ χρηματίζει; *Quanti aestimanda est gloria sanctae virginis ac divinae Mariae, quae Verbi mater secundum carnis generationem est ac dicitur?*

6) Hom. in Christi nat. n. 2. pag. 464. apud Gallandium T. VI. Παρθένος γὰρ ἄφθαρτος ἀκουσίως σωματικῶς τὸν λύχνον τὸν ἄφθαρτον. *Virgo namque incorrupta nesciam illam corruptionis lucernam corporali ratione concipiet.*

7) Serm. de Virginis assumpt. pag. 98. A-B. inter opp. Hieronymi T. XI. « Beata et gloriosa Virgo Maria quamvis dudum incomparabilis esset universis quae sub caelo sunt virginibus, ut *decenter posset* in se suscipere divinitatis admixtionem, salva utraque natura; tamen quum gratia repletur, quum Spiritu sancto perfunditur, fit pretiosior meritis, pulcrior sanctitate. »

8) Hom. in s. Christi generat. n. 3. pag. 507. D. inter opp. Basilii T. II. Ὅτι διὰ τοῦτο θεὸς ἐν σαρκί, ἵνατοῦ ἴδιου τὸν καταρᾶσθαι σάρκα ταύτην ἁγιασθῆναι, τὸν ἀσθενοῦσαν ἐνδυναμωθῆναι, τὸν ἀλλοτριωθεῖσαν θεοῦ, ταύτην οἰκειωθῆναι αὐτῷ, τὸν ἐκπεσόντα τοῦ παραδείσου, ταύτην εἰς οὐρανοὺς ἀναχθῆναι, καὶ τί τὸ ἐργαστήριον τῆς οἰκονομίας ταύτης; παρθένου ἁγίας σῶμα. « Idcirco Deus in carne est, quia hanc carnem exsecratam oportebat sanctificari, debilem corroborari, a Deo abalienatam cum Deo coniungi, delapsam a paradiso in caelos reduci. Quaenam vero est huiusce dispensationis officina? Virginis sanctae corpus. » Et ideo *sanctae*, quia numquam fuit exsecrata, numquam concupiscentia fracta, numquam a Deo abalienata, numquam e paradiso delapsa, ac propterea par quae esset officina divinae incarnationis, humanaeque reparationis.

9) Homil. hiemal. V. pagg. 17-18., et XXI. de epiphan. Domini V. pag. 61. et in app. serm. XII. pag. 45.

Digitized by Google

et [1]) vulgati Augustini. Cum his autem in unam eamdemque mentem concedunt [2]) Methodius, et post Methodium Pseudo-Gregorius neocaesariensis, Leontius nicopolitanus et Georgius nicomediensis, e quibus Pseudo-Gregorius [3]) commemorata Ezechielis [4]) visione, pergit: « Manifeste igitur propheta natum ex sancta Virgine in figura et umbra cernebat, quem tu sancta Virgo portare non posses nisi omni gloria atque virtute pro tempore illo refulgeres. Quibus igitur encomiorum verbis dignitatem virginalem describamus? Quibus laudum significationibus atque praeconiis immaculatam eius formam celebremus? Quibus spiritualibus canticis atque eloquutionibus gloriosissimam inter angelos glorificemus? » Neque aliter Leontius, qui [b]) ut Virginem a quavis labe integram ostendat, nullaque purgatione indigentem demonstret, exclamat: « Qua ergo ratione quae ex Spiritu sancto et Altissimi virtute concepit, purgatione eget? Quomodo autem quae eo impleta fuit, qui naturam omnem tum oculis subiectam tum non adspectabilem sanctificat, Spiritus sancti expers exsistit? Qui demum quam obumbravit virtus Altissimi, non omni munditia ac sanctitate plena sit? » Et [c]) mox: « Quomodo quae divinae et consubstantialis Trinitatis fuit effecta particeps, ne dum non deficiet sanctimonia ac puritate, quin et creaturis universis sanctimoniae et puritatis conciliatrix exsistet? » Hinc [d]) Georgius celebrata Unigeniti oeconomia subdit: « Quibus

a) Serm. II. in Deiparae annunciat. pagg. 17. D. et 18. A. *Σαφῶς δὲ τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου τεχθέντα ὁ προφήτης τυπικῶς ἐθεάσατο· ὃν σὺ, ἁγία παρθένε, φέρειν οὐκ ἴσχυες, εἰ μὴ πάσης δόξης καὶ ἀρετῆς κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἐξέστραπτες· ποίοις οὖν ἐγκωμίων ῥήμασι τὴν παρθενικὴν διαγράψωμεν ἀξίαν; ποίοις ἐπαινῶν νεύμασι καὶ κηρύγμασι τὸν ἄσπιλον ἀνυμνήσωμεν χαρακτῆρα; ποίαις πνευματικαῖς ὑμνῳδίαις καὶ λέξεσι δοξάσωμεν τὴν ὑπερένδοξον ἐν ἀγγέλοις;*

b) Orat. in Symeonem pag. 686. A-D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Πῶς οὖν ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ δυνάμεως ὑψίστου κυήσασα, καθαρισμοῦ δέεται; πῶς δὲ ἡ πληρωθεῖσα τοῦ πᾶσαν κτίσιν ὁρωμένην καὶ οὐχ ὁρωμένην ἁγιάζοντος, πνεύματος ἁγίου ὑπάρχει ἀμέτοχος; πῶς δὲ ἡ ἐπισκιασθεῖσα τῇ τοῦ ὑψίστου δυνάμει, οὐ πάσης καθαρότητος ἁγιασμοῦ ὑπάρχει ἀνάπλεως;*

c) Ibidem. *Πῶς ἡ τῆς θείας ὁμοουσίου Τριάδος γεγενημένη μέτοχος, οὐ μόνον οὐ λείπεται ἁγιασμοῦ καὶ καθάρσεως· ἀλλ' οὐχὶ καὶ πάσῃ τῇ κτίσει ἁγιασμοῦ καὶ καθάρσεως γενήσεται πρόξενος;*

d) Serm. V. in Deiparae praesent. pag. 1111. A-C. apud Combefisium Auctar. T. I. *Τίσιν*

1) Serm. CXCIV. de Virginis assumt. n. 2. pag. 452. apud Mai in nova pp. biblioth. T. I.

2) De Symeone et Anna n. 2. pag. 806. apud Gallandium T. III.

3) Ezech. I.

Digitized by Google

Virginem, per quam ea gesta sunt, prosequar? Virginem, inquam, per quam figmentum reparatum fuit? Quis tantus honor illius aequans puritatem demonstretur, ex qua ipse auctor eius amator factus suum tabernaculum aedificavit, in qua habitare non renuit, in qua impletum fuit paternum consilium, in qua requievit sanctissimus Spiritus? Quaenam ei gloria pro meritis respondeat, quam ipse creator rebus omnibus, uno se excepto, sublimiorem ostendit?» Atque hinc [a]) Psellus ait: « Inter tot animas omnium hominum qui salvantur, superior omnibus ut electa columba est una illa sola quae Christum genuit Virgo mater puella Maria, quae puritate Cherubim atque Seraphim profecto antecessit. »

1171. Iamvero, quae *tertia est caussa* suffragio maiorum usurpata, *decus atque filii honos* efflagitabant, ne aliam ipse sibi matrem adsciscceret e qua in plenitudine temporum secundum carnem gigneretur, et cum qua penitissimo unius eiusdemque naturae vinculo copularetur, quam quae creaturarum foret praestantissima eaque insignis puritate, cui nullus umquam culpae halitus obfuisset. Si enim puritas et sanctitas necessariis conditionibus accensentur, ut Deus cum angelis et hominibus morali societate iungatur atque in illis non secus ac in dicatis sibi templis inhabitet; quaenam esse debuit puritas, quaenam Virginis sanctitas ut incolumi Verbi dignitate non tam in ipsa degeret quam ex ipsa gigneretur, carnemque sumeret in ara crucis uti victimam naevi expertem immolandam, et adoptivis fratribus impertiendam ut qui ex ea manducarent, viverent in aeternum? Esse omnino debuit [1]) prope divina, et non modo

ἐπαίνοις τὴν παρθένον, δι' ἧς ταῦτα ἐπραγματεύθη, ἐπευφημήσω; δι' ἧς ἡ τοῦ σώματος (al. πτώματος) ἀνάκλησις ἐγίνετο; τίς τιμὴ ἰσοστάσιος τῇ ταύτης καθαρότητι ἀναδήιχθη, ἧς ὁ δημιουργὸς ἐρασθεὶς, τὴν οἰκείαν σκηνὴν ἐκ ταύτης ἐδείματο, ἧς τὴν ἐνοίκησιν οὐ παρῃτήσατο, ἐν ᾗ τὸ πατρικὸν ἐκπεπλήρωται βούλημα, ἐν ᾗ τὸ πανάγιον ἀναπέπαυται πνεῦμα; τίς δόξα κατ' ἀξίαν ταύτης ὀφθήσεται, ἧς ὑπερτέραν τὴν δόξαν πλὴν ἑαυτοῦ ὁ κτίστης ἀνέδειξεν;

a) Comm. in Cant. pag. 696. C-D. apud Gallandium T. VI.

Τῶν σεσωσμένων οὖν τοσούτων πληθύτων,
Ἁπάντων ὑπερέχουσα τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων,
Ὡς ἐκλεκτὴ περιστερὰ τυγχάνει μία μόνη,
Ἡ τὸν Χριστὸν γεννήσασα παρθενομήτωρ,
Ἡ Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ὄντως καθαρωτέρα.

1) Nescio an non hoc ipsum obscure significetur in testamento Iosephi (*Testam. XII. patriarch. cap. XI. n.* 19. *pag.* 236. *apud Gallandium T. I.*) his verbis: καὶ εἶδον, ὅτι ἐκ τοῦ Ἰούδα ἐγεννήθη παρθένος ἔχουσα στολὴν βυσσίνην, καὶ ἐξ αὐτῆς προῆλθεν ἀμνὸς ἄμωμος. « Et vidi quod ex Iuda genita est *Virgo* ha-

cuiusvis nescia labis, sed purioribus innocentiae radiis fulgens atque decora. Cuius exploratissimae veritatis testes inprimis sunt germanus et ementitus Origenes, quorum alter [1]) scribit: « Huius itaque unigeniti Dei dicitur haec mater virgo Maria, *digna Dei, immaculata sancti immaculati,* una unius, unica unici. » Et [2]) paullo post occasione verborum, *inventa est in utero habens,* subdit: « Inventa est ab angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam vel eius beatissimam animam *ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat.* » At vero sincerus Origenes ubi [3]) *prosopopoeam* subvertit Celsi blasphemantis, *Iesu matrem quum a fabro qui sibi illam desponderat, temeratae pudicitiae rea gravidaque e milite, cui Panthera nomen erat, deprehensa esset, expulsam fuisse;* iis pugnat rationum momentis quae sunt in rem nostram opportunissima. Principio namque ita [a]) disserit: «Quomodo probabile est, eum qui tanta susceperit pro humano genere, dederitque quantum in se erat operam ut omnes graeci pariter ac barbari metu iudicii divini absisterent a vitiis, et in omnibus rerum omnium conditori placere studerent, non mirandam habuisse nativitatem, sed omnium nequissimam ac turpissimam?» Hoc autem argumentum [b]) confirmans subdit: «Interrogo graecos et inprimis Celsum qui aut cum Platone sentit aut saltem platonica adducit, qui animas hominum immittit in corpora, is turpissimo omnium ortu ac ne per legitimas quidem nuptias in vitam hominum induxerit eum, qui tanta

a) L. c. n. 32. pag. 350. B-C. Ἆρα γὰρ εὔλογον, τὸν τοσαῦτα ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων τολμήσαντα, ἵνα, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῷ, πάντες Ἕλληνες καὶ βάρβαροι κρίσιν θείαν προσδοκήσαντες, ἀποστῶσι μὲν τῆς κακίας, πάντα δὲ πράττωσιν ἀρεσκόντως τῷ τῶν ὅλων δημιουργῷ, παράδοξον μὲν μὴ ἰσχυκέναι γένεσιν, πασῶν δὲ γενέσεων παρανομωτάτην καὶ αἰσχίστην;

b) Ibid. n. 32. pag. 350. C-D. Ἐρῶ δὲ ὡς πρὸς Ἕλληνας, καὶ μάλιστα Κέλσον, εἴτε φρονοῦντα, εἴτε μή, πλὴν παρατιθέμενον τὰ Πλάτωνος· ἆρα ὁ καταπέμπων ψυχὰς εἰς ἀνθρώπων σώματα, τὸν τοσαῦτα τολμήσοντα, καὶ τοσούτους διδάξοντα, καὶ ἀπὸ τῆς χύσεως τῆς κατὰ τὴν κακίαν μεταστήσοντα πολλοὺς ἀνθρώπων, ἐπὶ τὴν πασῶν αἰσχροτέραν γένεσιν ἀφεῖ, μηδὲ διὰ γάμων γνησίων αὐτὸν εἰσαγαγὼν εἰς τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον;

bens stolam byssinam, et ex ipsa prodit agnus immaculatus. » Scilicet quod ex Virgine proditurus esset *agnus immaculatus,* genita ipsa fuit non sordida sed splendens, non serva sed regina.

1) Hom. I. ex decem in diversos Matthaei et Iohannis locos pag. 274. col. 1. E. inter opp. Orig. edit. Paris. MDCIV.

2) Ibid. pag. 274. col. 2. A.

3) Con. Celsum lib. I. n. 32. pag. 349. F. *Horret animus,* scribit Ludovicus Roger in diss. polemica adversus Iudaeos, *referre execrandam Iudaeorum de adulterino Iesu conceptu blasphemiam.* Quam deinde refert, iisque profligat argumentis, quibus illius auctores, si fieri posset, rubore suffunderentur.

Digitized by Google

aggressurus, tot eruditurus, tam multos homines a vitiorum proluvie revocaturus erat?» Hypothesi deinde usus [a]) animarum praeexistentium pergit: « An non multo probabilius est animam occultis quibusdam rationibus (loquor nunc iuxta Pythagoram, Platonem, Empedoclem, quos saepe Celsus nominavit) addictam corpori, corpori addici pro meritis praeteritisque moribus? Verisimile ergo est eam animam, quae multis hominibus (non dico omnibus, ne nimium praeiudicare videar) utilior futura erat humano generi, opus habuisse corpore quod non solum esset humanis corporibus perfectius sed etiam prae omnibus excelleret.» Et [b]) mox: « Quid vetat esse aliquam animam, cui novum insolitumque corpus detur, quod quidpiam cum aliis humanis corporibus commune habeat quidem quo cum aliis versari possit; sed quod tamen aliis antecellat ut anima queat immunis ab vitio permanere?» Tum [1]) aliis eiusdem generis intersertis, et [2]) Isaiae oraculo explanato ac defenso, tandem [c]) concludit: « Et utri mulieri magis convenit genuisse Emmanuel aut nobiscum Deum, ei quae virum experta solito feminarum more conceperit, an illi quae pura et intacta virgo concepit? Certe hanc magis decet generare prolem, de qua nata dicatur *nobiscum Deus*.» Quae quidem omnia huic propositioni veluti fundamento incumbunt: *honorem dignitatemque Verbi incarnati postulasse, ut ex ea secundum carnem conciperetur, cuius puritas et innocentia puritati et innocentiae filii certa quadam proportione responderet.*

a) Ibid. n. 32. pag. 357. A. Ἡ εὐλογώτερον, ἑκάστην ψυχὴν κατά τινας ἀπορρήτους λόγους (λέγω δὲ ταῦτα τῶν κατὰ Πυθαγόραν, καὶ Πλάτωνα, καὶ Ἐμπεδοκλέα, οὓς πολλάκις ὠνόμασεν ὁ Κέλσος) εἰσκρινομένην σώματι, κατ' ἀξίαν εἰσκρίνεσθαι καὶ κατὰ τὰ πρότερα ἤθη; εἰκὸς οὖν, καὶ ταύτην τὴν ψυχήν, πολλῶν (ἵνα μὴ συναρπάζειν δοκῶ, λέγων πάντων) ἀνθρώπων ὠφελιμωτέραν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ἐπιδημοῦσαν δεῖσθαι σώματος, οὐ μόνον ὡς ἀνθρωπίνοις σώμασι διαφέροντος, ἀλλὰ καὶ τῶν πάντων κρείττονος.

b) Ibid. n. 33. pag. 357. C-D. Διὰ τί οὐχὶ καὶ ψυχή τίς ἐστιν πάντῃ παράδοξον ἀναλαμβάνουσα σῶμα, ἴχνος μέν τι κοινὸν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, ἵνα καὶ συνδιατρίψαι αὐτοῖς δυνηθῇ, ἴχνος δέ τι καὶ ἐξαίρετον, ἵνα τῆς κακίας ἄγευστος ἡ ψυχὴ διαμεῖναι δυνηθῇ;

c) Ibid. n. 35. pag. 353. C-D. Καὶ τίνι μᾶλλον ἁρμόζει γεννῆσαι Ἐμμανουὴλ, τουτέστι, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός, ἆρα γυναικὶ συνουσιασθείσῃ, καὶ διὰ πάθους γυναικείου συλλαβούσῃ, ἢ ἔτι καθαρᾷ καὶ ἁγνῇ παρθένῳ; ταύτῃ γὰρ πρέπει γεννᾶν γέννημα, ἐφ' ᾧ τιχθέντι λέγεται τὸ, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός.

1) Ibid. n. 38. pag. 357. C-D.

2) Is. VII. 10.

Digitized by Google

1172. Cuius propositionis assertor accedit Cyrillus hierosolymitanus [a]) inquiens: « Decebat enim eum qui purissimus est et puritatis magister, ex puris prodire thalamis. » Accedit [b]) Theodorus rhaithuensis de Nestorio scribens: « Idcirco bellum implacabile in Virginem venerabilem suscepit, nulla usus reverentia matri Dei et *purissimae Mariae, utpote matri Domini.* » Accedit [c]) Gregorius nyssenus qui sic habet: « Decebat enim ut qui in vitam humanam introibat ut homines integros incorruptosque [1]) servaret, ab incorrupta sibi deserviente integritate initium duceret. » Accedunt Maximus taurinensis et Pseudo-Basilius, quorum ille [2]) ait: « Natus igitur puer ponitur in praesepio, et haec sunt Dei prima cunabula; nec regnator caeli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. *Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia* [3]) *originali.* » Alter vero [4]) scribit: « Caro igitur ex sanctitate compacta *digna* erat, quae Unigeniti coniungeretur divinitati. »

1173. Cum his autem consona sunt quae tradunt Hieronymus, Theodotus ancyranus, Andreas cretensis et Iohannes damascenus. Consona sunt quae Hieronymus alloquens [4]) Eustochium tradit his

a) Catech. XII. §. XXV. pag. 176. A-B. Ἔπρεπε γὰρ τῷ ἁγνοτάτῳ, καὶ διδασκάλῳ τῆς ἁγνείας, ἐξ ἁγνῶν ἐξελήλυθέναι παστάδων.

b) Praeparat. et exercitat. de modo div. incarnat. pag. 23. D. apud Gallandium T. XIII. Διὰ τοῦτο πρὸς τὴν σεμνὴν παρθένον ἀσπονδον ἤρατο πόλεμον, μὴ δυσωπηθεὶς τὴν θεομητέρα καὶ ἁγνὴν Μαρίαν, ὡς δεσπότου μητέρα.

c) Orat. in Christi nativ. pag. 776. B-C. opp. T. II. Ἔπρεπε γὰρ τὸν ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ τοῦ παντὸς ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ βίῳ γινόμενον, ἀφ' ὧν τῆς ὑπηρετούσης αὐτοῦ τῇ γεννήσει τῆς ἀφθαρσίας ἄρξασθαι.

d) Hom. in s. Christi generat. n. 4. pag. 598. E. inter opp. Basilii T. II. Ἐξ ἁγιωσύνης οὖν ἡ σὰρξ συμπαγεῖσα ἀξία ἦν τῇ θεότητι τοῦ μονογενοῦς ἑνωθῆναι.

1) Venit Christus ut *moralem incorruptionem* hominibus conciliaret, conciliatamque suo nomine custodiret. Quum itaque Virgini incorruptio asseritur, ea intelligi incorruptio debet, quam nulla unquam corruptela violaverit.

2) Homil. hiemal. V. pag. 18. C.

3) Ex hoc testimonio sane praeclarissimo non minimum lucis in haec dimanat quae habentur in sermone de adventu Domini pag. 223. apud Muratorium anecdot. T. III. « Unde ad incrementum et plenitudinem gratiae Virgini nostrae accessit, ut ingressurus eam Dei filius *et purgatam inveniret a reatu alieno, et immunem a proprio.* In malivolam enim animam non poterat intrare sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis. » Collatis namque testimoniis liquet, non aliter Deiparam intelligi posse *purgatam a reatu alieno, nisi per gratiam originalem*, atque adeo per eam purgationis modum qui *non sordes deterserit*, sed *maculam praepedierit.* Quam interpretationem plane confirmat sequens incisum, quo Virgo inventa perhibetur *immunis a reatu proprio.* Eiusmodi namque inventa fuit, non quod antea fuerit ab illo soluta, sed quod illo numquam fuerit obligata.

4) Epist. XXII. ad Eustochium n. 38. pag. 120. C-D. opp. T. I.

Digitized by Google

verbis: « Propone tibi beatam Mariam, quae *tantae* extitit *puritatis*, ut mater Domini esse *mereretur*. » Atque ea item quae Israelitarum mansiones mystice interpretatus [1]) ad Fabiolam scribit: « Nec mirum si in illo *(mansionum)* numeri sacramento perveniamus ad regnum caelorum, sub quo Dominus atque Salvator a primo patriarcha pervenit *ad Virginem, quasi ad Iordanem, quae pleno gurgite fluens, Spiritus sancti gratiis redundabat.* » Consona sunt quae Theodotus ancyranus tradit quum Virginem *Deo et creatore dignam* appellat. Sic vero appellat [2]) inquiens: « Hanc nobis *conditore dignam* donavit divina providentia, bonorum conciliatricem, neptem Adamo dissimilem. » Et [3]) rursum: « Ave gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu pulcherrima ac formosissima mulierum. Dominus tecum quae tota venerabilis, tota gloriosa, tota bona es. Dominus tecum, veneranda tu, incomparabilis, omnem claritatem superans, tota lucis fulgoribus concreta, *Deo digna*, beatificanda. » Consentanea sunt quae tradit cretensis Andreas, qui [a]) postquam de Virginis corpore affirmavit, illud esse *supra nos, humanamque sortem*, continuo [b]) pergit: « Est ergo Deiparae corpus vitale et ceu vitae initiativum, quod ipsam totam deitatis vitalem vitaeque initiativam plenitudinem in se suscepit. Corpus inquam pretiosum virginitatis monile, praecellens caelum, exculta divinitus terra, delibatio adamiticae massae in Christo deificatae, simillima primae venustatis repraesentatio, *congruentissima divinae humanationis materia*, divinitus perfectum eius qui omnia efficit optimique artificis lutum. » Consona denique sunt quae tradit Iohannes damascenus qui de Virgine [c]) exclamat:

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 155. B. apud Gallandium T. XIII. Ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ ἡμέτερον.

b) Ibid. pag. 155. C-D. Ζωαρχικὸν ἄρα τῆς Θεοτόκου τὸ σῶμα, ὅλον αὐτὸ τῆς Θεότητος τὸ ζωαρχικὸν εἰσδεξάμενον πλήρωμα, τὸ πολυτίμητον τῆς παρθενίας κειμήλιον, ὁ ὑπερφερὴς οὐρανὸς, ἡ θεουργόργητος γῆ, ἡ ἀπαρχὴ τοῦ ἐν Χριστῷ Θεωθέντος ἀδαμιαίου φυράματος, τὸ πανόμοιον τῆς ἀρχικῆς ὡραιότητος ἴνδαλμα, ἡ παναρμόνιος τῆς θείκης ἐνσωματώσεως ὕλη, ὁ θεοτελὴς τοῦ παντουργοῦ καὶ ἀριστοτέχνου πηλός.

c) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 846. A-B. Ὦ θυγάτριον ἀξιόθεον, τὸ κάλλος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, τῆς προμήτορος Εὔας ἡ ἐπανόρθωσις· διὰ γὰρ τῆς σῆς τεκνογονίας ἡ πεσοῦσα ἀνόρθωται.

1) Epist. LXXVIII. al. CXXVII. ad Fabiolam n. 2. pag. 466. B-C.
2) Orat. in Christi nativit. §. XII. pag. 475. E.
3) Ibid. §. XII. pag. 476. A. apud Gallandium T. IX.

« *O digna Deo filia,* humanae venustas naturae, primigeniae parentis Evae emendatio! tuo namque partu quae ceciderat, erecta est. » Et [a]) alibi: « Quam mundus iste magnificus est! quam stupenda creatio quae virtutum arboribus [1]) nitet, cunctisque bonis aliis nulla penuria laborat, *digna* plane in qua Deus ad homines veniens inhabitet. »

1174. Omitto similia quae [2]) penes Iacobum monachum occurrunt, et ad ea venio quae Anselmus, Petrusque cellensis confirmant. Anselmus [3]) enim ut ratione persuadeat quod sibi evincendum esse proposuerat, *de Virgine iusta Deum conceptum esse non necessitate, quasi de peccatrice non posset, sed quia sic decebat,* scribit: « Quamvis ergo de mundissima Virgine filius Dei verissime conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem [4]) nequiret: sed quia decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Namque decens erat ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret cui Deus Pater unicum Filium suum quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat ut *naturaliter* esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis filius: et quam ipse filius *substantialiter* facere sibi matrem eligebat: et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedebat. » Et [5]) infra de Christo loquens subdit: « Quamobrem quoniam *de iusto patre* secundum divinam, et *de iusta matre* [6]) secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine, ut ita dictum sit, natus est; non incongrua pro originali iniustitia quam omnes alii filii Adae habent, a sua origine iustitiam originalem habere dicendus est. » Neque abludit [7]) Petrus cellensis inquiens: « Una est in toto genere humano non habens similem columba, et in an-

a) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 857. C-D. Ὡς μεγαλοπρεπὴς ὅδε ὁ κόσμος· ὡς ἀξιάγαστος ἡ δημιουργία, φυτοῖς ἀρετῶν ὡραΐζουσα, πᾶσιν ἄλλοις ἀμφιλαφίσιν ἀγαθοῖς ἀνενδεῶς ἔχουσα· ἀξία, τὸ δὴ λεγόμενον, τοῦ θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐνοικήσεως.

1) Fieri autem non potuit ut quae in ipsa creatione virtutum arboribus nituit, eadem originali praevaricatione obscuraretur.

2) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1266-1267. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) De concept. Virg. et orig. pec. cap. XVIII. pag. 103. col. 1. B-C.

4) Quae nimirum non humano semine sed Spiritu-sancto obumbrante perfecta fuerit.

5) Ibid. cap. XX. pag. 103. col. 1. E. et col. 2. A.

6) Insignissima est haec copulatio *matris iustae* cum *patre iusto* ac *filio iusto*, et omnino eiusmodi quae matrem nulli unquam iniustitiae obnoxiam demonstret.

7) Serm. VI. in Deiparae assumpt. p. 217. A-B.

Digitized by Google

gelica puritate et dignitate propter divinam generationem non habens aequalem; mea, si Filius loquitur, mater, si Pater, Filii mei mater futura.» Quare [1]) nullus umquam fuit « Angelicus spiritus purior in caelis quam uterus Virginis in obumbratione Spiritus sancti et conceptione Filii sui. Adhaeret quidem Deo angelus obsequendo, adstando et ministrando, sed non se in una eademque persona cum illo uniendo: quid autem caro Virginis? Nonne fuit praeiacens materia, de qua opifex Trinitas naturam humanam fabricavit, quam inseparabiliter univit Verbo Dei una simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione? »

1175. De qua singulari prorsus eximiaque Virginis puritate et excellentia, ne incarnati ex ipsa Unigeniti honos periclitari videretur, insignia pariter sunt neque silentio premenda quae Copti, Syri, Graeci atque Latini in ecclesiasticis hymnis officiisque frequentant. Et Copti quidem [a]) canunt: « Salve thalame undequaque fulgens veri sponsi, qui se cum humana natura conseruit. Magnus est honor Mariae prae sanctis omnibus, quia suscipere meruit Deum Verbum. » Et [b]) rursum: « Celsior est *(Maria)* Cherubim, et Seraphim venerabilior, quia templum facta est unius ex Trinitate.» Concinunt Syri qui Deum his verbis [c]) exorant: « Quae puritate, qualis decuit matrem quae Deum genuit, ornata erat [2]) et refulsit, per eam et cum ea orationes nostras tibi offerimus in hac die commemorationis eius. » Cuiusmodi autem esse oportuerit innocentia et puritas Virginis, ut ex ipsa Unigenitus prouti decebat, carnem assumeret,

a) Theotoch. tetrast. I-VI. pag. 103.

Χερε πιμαπψελετ ετσελσωλ ⲉⲃⲉⲛ οτⲃⲟϩρⲏϯ ⲏⲧⲉ πιπτιφιος ⲓⲙⲙⲏ, ετⲁⲭⲣⲱⲧⲡ ⲉ ϯⲙⲉⲧρωⲙⲓ Ⳮ. Οτπιψϯ πεπταιὸ ⲙⲡⲁⲣⲓⲁ παρⲁ πηⲉⲃⲟⲧⲁⲃ τηροτ, ⲭⲉ ⲁⲥⲉⲙπψⲁ ⲏψοπ ⲉρος ⲙⲫϯ πιλογος Ⳮ.

b) Ibid. tetrast. III. pag. 104.

Сбосι ⲉ πιχερογⲃιμ στⲁⲓπογϯ ⲉ πιсερⲁφιμ, ⲭⲉ ⲁⲥψωπι ⲛογ-ερφει ⲙⲡιογⲁι ⲉⲃⲟλⲃⲉⲛ ϯτριⲁⲥ Ⳮ.

c) Offic. maronit. pag. 103.

ﻭﺣﺪﻫﺎ ﻭﻗﺎﺋﻤﺎ ﻟﻼﻫﻮﺗﻬﺎ ﻭﻟﻸﻗﺎﻧﻴﻤﻬﺎ ﺍﻟﺘﻲ ﺍﺗﺤﺪﺕ ﺑﻬﺎ ﻣﻦ ﺍﻟﺒﺘﻮﻝ . ﻛﺎﻧﺖ ﻣﺰﻳﻨﺔ ﻭﻣﻜﻠﻠﺔ ﺑﻤﺎ ﻳﻠﻴﻖ ﺑﺎﻟﺬﻱ ﻭﻟﺪﺕ ﺍﻟﻠﻪ ﻭﺃﺷﺮﻗﺖ ﻓﻴﻬﺎ ﻭﺑﻬﺎ ﻧﻘﺪﻡ ﺻﻠﻮﺍﺗﻨﺎ ﻭﺗﻘﺎﺭﻳﺒﻨﺎ ﻟﺪﻳﻚ ﻓﻲ ﻫﺬﺍ ﺍﻟﻴﻮﻡ ﺍﻟﺬﻱ ﺗﺬﻛﺮ ﻓﻴﻪ ﻭﻻﺩﺗﻬﺎ ﻟﻠﻪ ﻛﻤﺎ ﻳﻠﻴﻖ ﺑﻚ ﺃﻥ ﺗﻔﻌﻞ ﻳﺎ ﺭﺏ ﺍﻟﻜﻞ ﺁﻣﻴﻦ ﻭﺁﻣﻴﻦ ﻭﺁﻣﻴﻦ ﴿

1) Serm. VII. in Deiparae assumpt. pag. 217. C-D.

2) Splendor ergo puritatis qua Virgo enituit, splendori respondit dignitatis ad quam evecta fuit. Prae hac autem dignitate nulla potest cogitari maior, qua pura creatura honestetur. Neque ergo cogitari potest puritas ea maior qua Virgo excelluit, dignaque fuit quae unigenitum Patris Filium conciperet.

splendide enarrat sanctus Iacobus episcopus sarugensis in primo ex tribus sermonibus *de sancta Virgine Dei genitrice Maria* [a]) inquiens: « Si qua macula aut defectus animae eius inesset, aliam utique sibi matrem [1]) quaesivisset quae omnis labis expers foret. » Sequuntur Graeci qui Virginis laudes hisce verbis [b]) auspicantur: « Honoremus *Deo dignam* venerandamque puellam prae Cherubim gloriosam; omnium namque creator quum vellet homo fieri, in ipsa ineffabiliter habitavit. » Neque secus Latini penes quos [2]) legimus:

» Gaude flore virginali	» Gaude splendens vas virtutum
» Quae honore speciali	» Nam ut lux clara diei
» Transcendis splendiferum	» Solis datur lumine;
» Angelorum principatum	» Sic tu facis orbem vere
» Et sanctorum decoratum	» Tuae pacis resplendere
» Dignitate munerum.	» Lucis plenitudine.
» Gaude sponsa cara Dei,	» Gaude nexu voluntatis
» Cuius pendens et ad nutum	» Et amplexu caritatis
» Tota caeli curia,	» Iuncta sic Altissimo,
» Te benignam et felicem	» Ut ad votum consequaris
» Iesu *dignam* genitricem	» Quidquid Virgo postularis
» Venerans in gloria.	» A Iesu dulcissimo.
» Gaude Virgo mater Christi	» Esse tantae dignitatis
» Quia sola *meruisti*,	» Quod sis sanctae Trinitatis
» O Virgo piissima	» Sessione proxima.

Itemque [3]) legimus:

a) Apud Assemanum T. I. biblioth. orient. pag. 310. n. 21.
ܐܠܘ ܐܝܬ ܗܘܐ ܡܘܡܐ ܒܢܦܫܗ ܐܘ ܒܘܨܪܐ. ܐܚܪܬܐ ܗܘܬ ܠܗ ܐܡܐ ܐܚܪܬܐ ܕܠܝܬ ܒܗ ܡܘܡܐ܀

b) Paraclit. pag. 216. col. 1. D-E. *Τὴν Θεοπρεπῆ καὶ σεβάσμιον κόρην τιμήσωμεν, τὴν ὑπέρτιμον τῶν Χερουβίμ· ὁ γὰρ δημιουργὸς τῶν ὅλων ἐνανθρωπῆσαι βουληθεὶς ἐν αὐτῇ ᾤκησεν ἀφράστως.*

1) Sed quam matrem Iacobus significat *omnis omnino labis expertem?* Matrem ne quam ex Adami posteritate Unigenitus sibi deligeret? At probe Iacobus noverat, et cum universa Syrorum ecclesia profitebatur, quotquot ex Adamo communi lege nascuntur, omnes originali praevaricatione maculari. Quemadmodum ergo matrem significat eximio singularique privilegio a communi massa secretam et ab universali corruptione solutam; ita hoc ipsum Deus privumque ornamentum Virgini adscribit.

2) Thesaur. hymnolog. T. I. pagg. 346-347.

3) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 206.

Digitized by Google

» O felicem genitricem,
» Cuius casta viscera
» *Meruere* continere
» Continentem omnia.

» Felix venter quo clementer
» Deus formam induit,
» Felix pectus in quo tectus
» Rex virtutum latuit.

» Felix alvus quo sit salvus
» Homo fraude perditus,
» Felix sinus quo divinus
» Requievit Spiritus.

» Hac in domo Deus homo
» Fieri disposuit,
» Hic absconsus pius sponsus
» Novam formam induit.

Et quod mireris, hymno angelico [1]) haec ante seculum decimum adiecta [2]) reperimus: « Benedicimus te, o rex gloriose, qui cuncta elementa creasti. Adoramus te. O mater *dignissima* Maria quae Deum protulisti, glorificamus te. »

1176. Ad hanc autem *tertiam* caussam ea merito revocatur quam ecclesiastici scriptores tum innuunt, quum decus praestantiamque filiorum quadam veluti naturae lege in decus refundi praestantiamque parentum testantur. En quae de Ioachimo et Anna Deiparae parentibus habet [a]) Georgius metropolita nicomediensis: « Quum hanc *(prolis pollicitationem)* ergo iusti illi prehendissent, haudquaquam spe petitionibus exciderunt; quamobrem etiam immaculatam [3]) illam gignunt regenerationis nostrae auctricem, nostrae

a) Orat. in Deiparae praesentat. pagg. 1086. C-E. et 1087. A. *Ταύτης τοίνυν οἱ δίκαιοι δραξάμενοι, τῶν αἰτηθέντων καὶ ἐλπισθέντων οὐ διήμαρτον· διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τῆς ἀναγεννήσεως πρόξενον ἡμῶν, τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν· δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ ἀχρειωθέν, πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθεν εὐπρέπειαν· ἀπὸ τῆς τῶν τεκόντων εὐτεκνίας· ἀπὸ τοῦ τόκου τὰ ὑπὲρ νοῦν ἀγαθὰ προξενήσαντος τοῖς ἐνήγκασιν· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν καθ' ἡμᾶς ὅσοι πατέρες ἔτυχον γενέσθαι, ἤτοι κοσμικαῖς περιφανείαις τοὺς ἐξ αὐτῶν προελθόντας ἀναπυρχθῆναι, ἢ τῷ τῶν ἀρετῶν φωτὶ καταλαμφθῆναι· ἢ γενναῖόν τι καὶ μέγα δοκούντων τῆς ἀνδρείας κατορθωμάτων ἐνδείξασθαι, οὐ τὸ τυχὸν αὐτοῖς ἐκ τούτων κλέος προσγίνεται, τῇ κοινωνίᾳ τῆς φύσεως συμμετεχόντων τῆς εὐδοξίας· ἐπὶ δὲ τούτων τίς ἂν ὑπερβολὴ δόξης ἐπινοηθείη, ἧς τῶν πρεσβειῶν οὐκ ἐπέτυχον; καὶ τί δεῖ μακρολογοῦντα τοῖς ἀκροαταῖς παρενοχλεῖν; ὥσπερ γὰρ ἡ τιχθεῖσα τῶν ἁπάντων, πλὴν τοῦ δημιουργοῦ, τῆς δόξης ἀπέλιπεν, οὕτω καὶ αὐτοὶ τὸ τοῦ κλέους ἀσύγκριτον παρὰ τοὺς τεκόντας ἀπεκληρώσαντο.*

1) De *hymno angelico* praeter notissimos scriptores, Rambachium, Augustinum, Binterimium et Rheinwaldium, conferri possunt Iacobus Usserius in app. ad dissert. de Symbolis, Wilh. Ernestus Tentzelius in exercitt. selectt. exercit. X., Thomas Smith in miscell. londinens. cap. IV., Du-Cangius ad v. *Hymnus Angelicus*; Cardinalis Bona rerum liturg. lib. XI. cap. IV. et Mabillonius de liturg. gallic. cap. IV.

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 275.

3) Nemo gignitur culpa originali infectus, qui non item gignatur *maculatus*. De parentibus autem

Digitized by Google

reformationis caussam, per quam vitiata in nobis Dei imago ad suum rediit decorem. O felicem illam parentum prolem! O partum quo bona vim omnem intellectus superantia genitoribus comparata sunt. In humanis quidem ut cui contingat fieri patrem, siquidem natae proles vel seculari splendore spectabiles fuerint, aut virtutum luce claruerint, vel strenuum quid magnaeque fortitudinis gessisse videantur, *haud mediocris inde illi honor accedit qui communione etiam gloriae consortium ineat.* In his autem *(Ioachimo et Anna)* quaenam adeo excellens gloria excogitari possit, cuius ii praerogativas non sint consequuti? Verum quid opus prolixiori sermone molestum fieri auditoribus? Quemadmodum enim quam genuerunt, supremum gloriae apicem, creatore uno excepto, accepit; sic et isti incomparabilem prae parentibus omnibus gloriam obtinuerunt. » Eadem atque iisdem concepta verbis repetit et inculcat [1]) Iacobus monachus, dum natae Virginis ornamenta celebrat; neque aliam praefert mentem Emanuel paleologus, dum [2]) inter Virginis laudatores ipsum quoque recensens Iohannem Baptistam ait: « Ipse inter natos mulierum maior qui saltibus conditorem celebravit adhuc positus in matris utero, quum uti officio linguae non posset, et summatim quisquis Filio tuo quidpiam obtulit, *dum illi gloriam tribueret, te quoque gloriae participem declarabat, quandoquidem ad parentes etiam referenda sunt quae nati habent.* » Sed quid innocentiae ex Virgine natus non habuit? Quid non habuit puritatis et sanctimoniae qui creditur agnus immaculatus, impollutus et fratribus per omnia similis factus, excepto peccato quod « mundo erat ablaturus? Scite ergo Paleologus de Virgine continenter [3]) adiecit: « Adeo

Deiparae scribit Georgius: *διό καὶ γινῶσι τὸν ἄχραντον, quamobrem etiam immaculatam illam gignunt.* Hoc unum igitur est reliquum, ut ipsa, auctore Georgio, ab originali labe immunis genita censeatur. Quare digna fuit ut ab eodem mox diceretur, *τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον, illud salutis nostrae caput*, proindeque damnationi numquam obnoxium.

1) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1254. D-E. et 1255. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ubi Iacobus reliquis Deiparae ornamentis hoc etiam accenset: *δι' ἧς ἀνεκαινίσθη τὸ παλαιὸν ἡμῶν φύραμα, per quam vetus nostra conspersio renovata est.* Ipsa ergo ad hanc veterem nostram conspersionem numquam spectavit, eiusque dos fuit ut semper in novitate versaretur.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 57. apud Maraccium in op. inscripto, *Caesares Mariani.* Huc autem non minus pertinent quae habet Petrus Damiani serm. XLVI. idemque III. in Deiparae nativitatem pag. 117. col. 1. C-E. ubi illius praeconiis finem facit his verbis: « In humano denique genere ille nobilis dicitur qui claris malorum titulis insignitur; beata vero Maria licet de generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimae nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, *et per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem.* Clara prosavorum titulis, *sed incomparabiliter clarior generositate prolis.* Filia siquidem regum, sed mater regis regum: *gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Sed quidquid de te a mortali homine dicitur, celsitudinis tuae meritis non aequatur. »

3) Ibid. pagg. 57-58. Quibus haec pagg. 55-56. adamussim respondent: « Quantum inter gloriam tuam

Digitized by Google

nihil invenire est tuis laudibus offerendum quod possit prope accedere ad id quod te condecet. Namque animae tuae fulgor supra solares radios et fere nullum habens finem, atque ut uno verbo dicam, quidquid ad cohonestandam adhibemus plenam gratiis animam, longo superat intervallo et laborem omnem ostendit inanem. Vitam enim prima inter homines innocentissimam egisti, mentemque habuisti omni prorsus culpa vacuam, et corpus illi consentaneum, tantaque Spiritus radiatione, gloria et splendore ornata fuisti, ut vel ipsas superaveris Deo pretiosissimas creaturas, idque longissimo intervallo. »

1177. Cuius longissimi intervalli, si maioribus fidimus, norma aliqua ex eo honore peti potest et debet quo Unigenitus sanctissimam matrem prosequutus est, ut legem *honorandi parentes* quam humanis animis impresserat ac solemnius deinde sanciverat, ipse omnium piissimus omnium praestantissime exequeretur. Agit de hac norma Methodius, quidve ex ea colligendum sit [a]) explanans ait: « Euge, euge Dei mater et ancilla. Euge, euge cui ille omnium creditor, *debitor* sit. Deo debemus omnes, tibi ipse [1]) obstrictus est.

a) De Symeone et Anna §. X. pagg. 815. D. et 816. A. apud Gallandium T. III. Εὖγε εὖγε μήτηρ θεοῦ καὶ δούλη· εὖγε εὖγε, ἡ ὑπόχρεων ἔχουσα τῶν πάντων δανειστήν· πάντες μὲν θεῷ ὀφείλομεν, σοὶ δὲ ὀφείλεται· ὁ γὰρ εἰπών, τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα, πολλῷ μᾶλλον αὐτὸς ἐν τούτοις ἐξετάζεσθαι ἐλόμενος, φυλάξειε τὴν χάριν καὶ τὸ ἴδιον δόγμα, τῇ διακονησαμένῃ τὴν αὐθαίρετον γέννησιν, καὶ δοξάσειε θεοπρεπῶς, ἣν ἐπεγράψατο ἀπάτωρ ὡς ἄνανδρον μητέρα· ἔσται τοίνυν ταῦτα οὕτως, ἔσται· οὐ γὰρ κομψοπιτίας ἀκάρπου οἱ προσαχθέντες σοι παρ' ἡμῶν ὕμνοι, πανάγιόστατον καὶ ἀξιάγαστον τοῦ θεοῦ ἐνδιαίτημα· οὐδ' αὖ κοσμικῆς λογολεσχίας καὶ ψευδαρεσκείας λαρυγγίσματα, ὁ πνευματικός σου ὕμνος, θεουπαίνετε, καὶ θεὸν ἔχουσα ὑπομάζιον, τὸν τοῖς βροτοῖς ἀρχὴν τοῦ εἶναι διὰ γεννήσεως παρέχοντα, ἀλλ' ἐναργοὺς ἀληθείας· ἐπιλείψει γὰρ ἡμῖν ὁ χρόνος, καὶ ταῖς μετέπειτα γενεαῖς, τὸν κατ' ἀξίαν σοι ἀποδοῦναι μακαρισμὸν τῇ μητρὶ τοῦ βασιλέως τῶν αἰώνων, ὃς ποὺ φησιν ὁ ἀοίδιμος προφήτης, τὰ τῆς σῆς ἀκαταληψίας ἡμᾶς ἐκπαιδεύων· ὡς μέγας ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, καὶ εὐμήκης ὁ τόπος τῆς κτήσεως αὐτοῦ· μέγας καὶ οὐκ ἔχει τελευτήν· ὑψηλὸς καὶ ἀμέτρητος· ὄντως γὰρ, ὄντως προφητικὸς χρησμὸς καὶ ἀψευδὴς λόγος οὗτος τῆς περὶ σὲ μεγαλειότητος· διότι καὶ μόνη συμμερίσασθαι θεῷ τὰ τοῦ θεοῦ κατηξιώθης, θεὸν γεννήσασα σαρκὶ μόνη, τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς μονογενῆ καὶ συναϊδίως γεννηθέντα· φιλαλήθως οἶδε λόγοι πίστεως ἀκραιφνοῦς ἀντεχόμενον.

summumque angelorum ordinem intersit, solus noverit Deus, captum vero humanum fugit omnino; adeo superior es universa natura spirituum. Taceo enim genus nostrum mortale, quum Deo sis proxima nihilque intermedium sinas inter te tuumque Filium, quod demonstratione alia indigere non arbitror. Nam si tu una cum Filio (qui enim aliter?), ille vero cum Patre et Paraclyto; liquet esse tibi locum apud illos, quo nullus sit dignior. Quare et ineffabili illorum gloriae tantam habes vicinitatem, quantam nec maximus caelestium mentium ordo. »

1) Cf. Iohannis De Cardenas disput. I. *de in-*

Digitized by Google

Nam qui [1]) dixit, *honora patrem tuum et matrem;* longe potius talibus ipse adcenseri volens, gratiam propriamque ipse legem in eam servaverit, quae ultro assumptam ipsi nativitatem ministravit, quamque sine patre, velut sine viro, matrem inscripsit confirmavitque; divino quodam decore et supra hominem glorificaverit. Ita vero haec habebunt, habebunt ita. Neque enim quae offerimus cantica, inutilem tantum verborum ornatum, o sacratissimum et admirabilissimum Dei habitaculum, habent: neque rursus secularem quamdam nugacitatem falsaque assentationis veluti crocitamenta spiritualis tua habet laudatio, o Deo laudata quaeque Deum ipsum lactentem habeas; sed veritatem omnino perspicuam. Deficiet enim nos tempus futurasque postmodum generationes, si te matrem [2]) *regis seculorum* dignis elogiis voluerimus beatam praedicare, ut quodam loco erudiens quam sis incomprehensibilis, inclytus propheta [3]) ait: *quam magna domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus et non habet finem, sublimis atque immensus.* Plane enim plane propheticum oraculum verissimusque hic sermo de magnificentia illa tua et maiestate procedit: nam et sola eorum quae sunt Dei, partem cum Deo habere meruisti, quae sola Deum ex Deo Patre unigene et sempiterne genitum carne genueris. Ita veraciter sentiunt, qui sinceram fidem amplectuntur. » Atque ita neque aliter sensit hierosolymitanus praesul Modestus, qui de beatissima Virginis dormitione verba faciens, post alia [a]) scribit: « O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae, propter quam ex caelorum altitudine descendunt angeli et archangeli, et ex finibus terrae divini veniunt apostoli, ut solus novit Deus qui eos arcano modo deduxit et convocavit ad sacratissimam festivitatem dormitionis Deiparae matris suae, ita implens quod antiquitus ab ipso per Moisen [4]) praeceptum fuerat, *honora parentes;* natura enim honoris est amans et optimus Dominus noster. » Con-

a) Encom. in Deiparam pag. 30. Ὦ παμμακαρία κοίμησις τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου, περὶ ἧς ἐξ ὕψους κάτεισιν ἄγγελοι, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ ἐκ περάτων γῆς φοιτῶσι θεσπέσιοι ἀπόστολοι, ὡς μόνος ἐπίσταται θεὸς, ὁ μυσταγωγήσας καὶ συναθροίσας αὐτοὺς εἰς πανίερον τελετὴν θεομητρικῆς αὐτοῦ κοιμήσεως, πληρῶν ἐν τούτῳ τὸ πάλαι ὑπ' αὐτοῦ μωσαϊκὸν πρόσταγμα, τιμᾷν τοὺς τεκόντας, προστεθὲν, ὡς φύσει ὢν φιλότιμος, καὶ ὑπεράγαθος ἡμῶν δεσπότης.

finita dignitate matris Dei, cap. VII., et Nicolai Pallavicini opus inscriptum, *Le grandezze della madre di Dio*, lib. II. cap. III.

1) Ex. XX. 12.
2) I. Tim. I. 17.
3) Bar. III. 24-25.
4) Ex. XX. 12.

Digitized by Google

sentit Iohannes damascenus, qui eamdem extollens dormitionem, auditorum oculis [a]) subiicit: « Quomodo Dei Verbum, quod pro sua miseratione illius effici filius dignatum est, dominicis manibus suis sanctissimaeque, utpote matri, ministrans, sacrosanctam suscepit animam? O bonum legislatorem! Qui legi subiectus non est, legem implet quam ipse tulit. Siquidem ipse legem tulit, ut filii debitum officium parentibus tribuant. *Honora*, inquit, *patrem tuum et matrem tuam*. » Itemque consentiunt Epiphanius, Ambrosius et Arnoldus carnotensis, qui non pauca habent ex hoc ipso fonte deducta, quaeque revocari ad aliam originem nequeunt.

1178. Sane ut de Arnoldo primum dicam, ubi ipse verba expendit [1]) Christi e cruce pendentis, *mulier, ecce filius tuus*, inter cetera scribit: « Iesus ergo ut per omnia pietatis foedera commendaret, antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictaverat, observavit, et matrem adhuc volens sic esse ad consolationem apostolorum reservavit superstitem, ut ex his quae ipsa ab initio audierat et viderat et contulerat in corde suo, senatus apostolicus doceretur et evangelica firmaretur doctrina. Honoratur etiam affatu familiarissimo, et licet brevis fuerit sermo, intimatus tamen est debitus affectus et expressa singularis dilectio. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*. Praesens erat Iohannes, cui et dicitur: *ecce mater tua*. Non est passus Christus, ut iudaica rabies in sanctuarium suum profanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritus sancti. » Ad quam pietatem filio plane dignam ipse quoque Ambrosius [2]) respicit, quum memorato Virginis ad Gabrielem [3]) responso, *quomodo fiet istud, quoniam virum non* [4]) *cognovi*, pergit: « Videtur heic non credidisse Maria, nisi diligenter advertas;

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. IV. pag. 860. E. Πῶς ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὁ ταύτης υἱὸς δι' ὑποπλαγχνίαν γενέσθαι καταδεξάμενος, δεσποτικαῖς παλάμαις τῇ παναγίᾳ ταύτῃ καὶ θειοτάτῃ οἷα μητρὶ λειτουργῶν, τὴν ἱερὰν ψυχὴν ὑποδέχεται; ὦ ἀγαθοῦ νομοθέτου· μὴ ὑποκείμενος νόμῳ, τὸν νόμον πληροῖ, ὃν αὐτὸς ἐνετείλατο· αὐτὸς γὰρ τοῖς γονεῦσι τὴν ὀφειλὴν τοὺς παῖδας νέμειν ἐθεσμοθέτησε· τίμα, φησὶ, τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα σου.

1) De VII. verbis Domini pag. 1268. E. in biblioth. max. pp. T. XXII.

2) Exposit. in Lucam lib. II. n. 14. pagg. 1286. F. et 1287. A.

3) Luc. I. 34.

4) Interpretatio vulgata, *quoniam virum non cognosco*, respondet adamussim graecae veritati, ὅτι ἄνδρα οὐ γινώσκω. Cui item respondent versio itala, et ex latinis scriptoribus praeter alios Augustinus q. XIX. in Num., in Ioh. tract. XVI., Vigilius tapsensis de Trinit. lib. XII. et Auctor quaestt. N. T. p. I. q. LI. Ceterum lectionem *non cognovi*, repetit Ambrosius de Abraham lib. II. cap. VIII., sequitur Hieronymus in Is. LIII. et in libro contra Helvidium, illamque praefert codex s. Germ. I.

neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset, *(licet salva praerogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum: sed praerogativa maior, maior etiam fides ei debuit reservari)* quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias quia non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? » Ubi autem [1]) in caussas inquirit, propter quas Unigenitus de matre *iam desponsata* carnem susceperit, sic habet: «Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu *(virgineus esset nec ne)* quam de matris pudore dubitare. » Repetit haec ipsa [2]) alibi, et solicitam Filii curam de matris honore et praerogativis confirmans [3]) ait: «An vero Dominus Iesus eam sibi matrem eligeret, quae virili semine aulam posset incestare caelestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam?» Tum [4]) subdit: « Et quae esset, cui [5]) maius quam matri Dominus meritum reponeret, prae-

1) Exposit. in Lucam lib. II. n. 1. pag. 1281. E.
2) De institut. virginis cap. VI. n. 42. p. 259. F.
3) Ibid. n. 44. pag. 260. A-B.
4) Ibid. n. 45. pag. 260. B-C.
5) Quibus verbis hanc maurini editores adnotationem subiiciunt: « Ambrosianum hoc principium qui intemeratam Mariae conceptionem defendunt, quam latissime solent extendere; contra vero illud intra certos limites restringendum autumant oppositae sententiae propugnatores. Et certe negari non potest, quin ei quandoque termini sui tribuendi sint: qua de re adisis Theophilum Raynaudum in *diptyc. Marianis* non uno loco. » Dubio procul ambrosiano principio sui sunt termini tribuendi. Sed quinam? Illos ne quos arbitrium fixerit, aut quos praeceptae animo opiniones determinarint? Minime sane, sed quos rei natura postulat, quosque patres scriptoresque ecclesiastici vel aperte assignarunt, vel tacitis saltem sententiis innuerunt. Ad Theophilum vero Raynaudum quod attinet, is in Diptychis Marianis tres praemittit cautiones quas ex ordine referam. « *Cautio I.* Deiparam omnibus nostris encomiis longe superiorem esse, de sanctorum patrum sententia et subiuncto ei sensu nostro. *Cautio II.* Non si omnes laudes nostrae Deiparae dignitati impares, oneranda est falsis elogiis, et gravanda vanis absque titulo titulis. *Cautio III.* Mensura perfectionum beatae Virginis, maternitas Dei. Inde perfectionum eius plenitudo ac praecellentia intensiva et extensiva. » Quo autem pacto haec intelligi debeant, continuo explanat pagg. 29-30. subdens: « Apud omnes ratum esse, beatae Virginis perfectiones esse perfectionum plenitudinem, idest, esse et in se ac absolute longe maximas, et comparative maiores perfectionibus aliorum sanctorum, ac nulla ex parte deficientes. In dubium revocari non posse, quin agendo de perfectionibus ad sanctitatem animae pertinentibus, hae perfectiones Deiparae ita dicendae sint longe maximae, ut infra Christum sint maiores quam uspiam alibi, quod ex terminis notum esse pronunciat Albertus in Mariali cap. LXIX. Denique indubitatam esse perfectam extensive decorum Virginis ubertatem, alioqui decederet aliquid de illa gratiae plenitudine quam in beata Virgine celebrant patres. » Ecquo igitur redeunt sive falsa elogia quae Raynaudus insectatur, sive titulos Virgini sine titulo tributos quos idem condemnat? His ne, Raynaudo auctore, immaculatus quoque Virginis conceptus accenseri debet? Nihil minus, quum ex ipso Diptychorum opere P. II. punct. II. pagg. 237. seqq. liqueat, eum inter vindices nobilissimi decoris suo merito eminere. Ecquo igitur redeunt? Declarat ipse luculenter ubi sit pagg. 26-27: «Videntur qui huiusmodi prurigine novandi in hoc genere occupantur, non satis perspicere quam latum sit discrimen inter res subiectas humanis disciplinis quas ingenii humani labor vestigat, et res caelestes ac divinas iisque adiunctas. Circa priores namque dummodo novatio circa eas in res sacras ne indirecte quidem incurrat, indulgeri aliquid potest ac etiam debet ingeniorum libertati, ita ut quum idonea ratio facit pro sententia quapiam nondum trita anteriorum vestigiis, fas esse possit novum illud iter absque alieno suffragio inire: quod prolatis et eruditorum iudiciis et rationibus evinco in opere de iusta confixione librorum partit. I. erotem. 20. Qui autem contrarium contendunt, compedes ingeniis iniiciunt et turpi servitute mulctant liberas mentes, vertuntque in serva pecora. At rerum sacrarum omnino alia est ratio. Nam lux quam circa eas nanciscimur possumus, non manat ex principiis vestigatione nostra penetratis, nec aliunde quam a Deo ipso affulget.

Digitized by Google

mium reservaret? » Epiphanius vero ubi enarrat Christi ad Iohannem verba, *ecce mater tua*, proposita [a]) quaestione: « Verum cur non Petro potius vel Andreae vel Matthaeo vel Bartholomaeo *(matrem)* commendat? » illico [b]) subdit: « Nimirum Iohanni propter virginitatem hoc tribuit: *ecce*, inquit, *mater tua*. Quamquam si corpus consideres, Iohannis mater non erat, *sed eam ipsam virginitatis esse principem* significare voluit, *quoniam* ab illa vita processit. » Tum [c]) pergit: « Ad haec Iohannem, licet alienus ac minime propinquus esset, verbis illis affatus est, *ut matrem honorandam esse monstraret*. Siquidem ex illa Dominus quod ad corpus attinet revera natus est, nequis fortasse totum incarnationis negotium putet externa specie non veritate constare. » Ac [d]) mox: « Nam nisi *vere mater* eius exstitisset a qua carnem acceperat, quaeque ipsum pepererat, *non*

a) Haeres. LXXVIII. §. X. pag. 1042. C. Τίνι δὲ τῷ λόγῳ Πέτρῳ μᾶλλον οὐ παραδίδωσι; τίνι δὲ τῷ λόγῳ Ἀνδρέᾳ, Ματθαίῳ τε καὶ Βαρθολομαίῳ;

b) Ibid. §. X. pag. 1042. C-D. Ἀλλὰ δῆλον ὅτι Ἰωάννῃ διὰ τὴν παρθενίαν· ἰδοὺ γὰρ ἡ μήτηρ σου· καί τοι γε οὐκ ἦν μήτηρ αὐτοῦ τοῦ Ἰωάννου κατὰ σάρκα, ἀλλ' ἵνα δείξῃ αὐτὴν μητέρα ἀρχηγὸν τῆς παρθενίας, ἐπειδὴ ἐξ αὐτῆς ἡ ζωὴ ἦν.

c) Ibid. §. X. pag. 1042. D-E. Καὶ τῷ Ἰωάννῃ, καί τοι γε ὄντι κατὰ σάρκα ἀλλοτρίῳ, ἔλεγεν, ἵνα διδάξῃ τιμᾶν τὴν ἰδίαν αὐτοῦ μητέρα, ὅτι τῷ μὲν ὄντι κατὰ σάρκα ἐξ αὐτῆς αὐτὸς ὁ κύριος γεγέννηται, ἵνα μή τις νομίσῃ δόκησιν εἶναι τὴν πραγματείαν, καὶ οὐκ ἀλήθειαν.

d) Ibid. §. X. pag. 1043. A. Εἰ μὴ γὰρ ἦν αὐτοῦ ἀληθῶς μήτηρ κατὰ σάρκα κυήσασα αὐτόν, οὐκ ἂν περὶ αὐτῆς τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο τὸ παραδοῦναι τὴν ἀειπάρθενον, μητέρα μὲν γεγονυῖαν διὰ τὴν οἰκονομίαν, ἄχραντον δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸν αὐτὸν τιμήν, καὶ τὸ σκεῦος τὸ θαυμαστόν.

Deus autem non dividit unicuique pro nativitate sua ac ingenii exercitatione mensuram fidei, sed volens nos omnes supra fundamentum apostolorum et prophetarum aedificari, quae iidem religionis secundum Christum fundatores tradiderunt, vel convelli, vel adiunctis novitatibus ne virtute quidem inibi praelacentibus immutari aegre fert. Itaque omnis novitas de obiectis fidei nostrae et iis, quae cum illis sunt connexa, est procul ablegauda, nisi quatenus per diligentem verbi Dei scripti ac traditi vestigationem, et eorum quae inde erui possunt non inanem sed firmam illationem aliquid educitur quod prius non appareret, tametsi praeiacebat. Quod si novationes circa Deiparam eiusmodi essent, hoc est si verbo scripto aut tradito nova scrutatione diligentius quam antehac expenso, vel deductis inde per firmam ratiocinationem consequutionibus niterentur; nae is improvide faceret qui illas non exoscularetur? Et ita sapientissime pronunciatum est de sententia quae nitorem omnimodum conceptionis Deiparae adstruit, cum sagaci nare Iohannis Dunsii scoti et aliorum qui pro ea primi in scholastica acie certarunt, notari visa est novitatis. Et hanc ob causam prudenter notavit Pelbartus lib. VII. Stellarii p. I. a. I., Deum velificantem studiis priorum erga Deiparam, pauciora de iis quae ad eam attinebant, ut de conceptu, ortu ac similibus consignari scriptis authenticis voluisse quam de Baptista, ut esset unde suum erga Deiparam affectum proderent ac exercerent, nonnulla nova circa eam rationabiliter excogitando aut admittendo. At novationes circa Deiparam quas ablegandas contendimus, longe alterius sunt farinae, quum neque verbo tradito aut scripto, neque erutis inde conclusionibus, aut sapientum antiquorum iudiciis vel idoneo rationis firmamento nitantur; sed sola maioris honoris in Deiparam conferendi specie et vere praetextu. » Haec ille, quibus ego utraque manu subscribo.

tantam ei curam adhiberet, ut perpetuam Virginem commendaret, quae et mater ob susceptum ex ipsa corpus fuisset, *et ob illius honorem atque admirabile corporis sui vas nullam labem contraxisset.*»

1179. Species itaque ac forma divinae maternitatis quae maiorum mentibus animisque insedit, eam praeferebat excellentiam quae et *magnitudine* et *fecunditate* unice emineret. Emineret *magnitudine,* utpote quae ad sublimitatem Dei propriam quam proxime accederet, et Deiparam in altero post Deum honoris maiestatisque gradu collocaret. Emineret autem fecunditate eximiaeque sanctitatis fructibus, utpote quae innocentiam puritatemque exigeret, quae *negative* nullius labis esset patiens, *comparate* potior foret innocentia et puritate qua non sanctissimi modo inter homines nituerint, verum etiam celsissimi inter angelos refulgeant, *absolute* tandem ac *simpliciter* ipsam Dei puritatem sanctitatemque referre videretur. Et sane ex maiorum iudicio rataque sententia de Deipara tenendum est, I. quod ipsa propter divinam maternitatem omnium sit Domina ac Regina: II. quod naturali et substantivo originis vinculo cum incarnato Patris Unigenito copuletur: III. quod ea insignis fuerit innocentia, ut ex ipsa splendor lucis aeternae citra quodvis ignominiae dedecus sumere carnem potuerit: IV. quod dimanantem ex Filio innocentiae sanctitatisque gloriam in seipsa repraesentarit: quodque V. omnium animis talis apparuerit, ut ab Unigenito eximie honorata videretur. Iamvero haec quae recensuimus omnia, quaeque ad efficiendam absolvendamque *divinae maternitatis ideam* ex maiorum suffragio concurrunt, ita se habent ut tam *ex sese* quam *ex illorum commentariis* praerogativam immaculati conceptus *immediate* ac *necessario* complectantur.

1180. Et illam quidem I. necessario atque immediate complectitur puritas cum divina maternitate conserta, quae *negative* nullam ferat labem, *comparate* ipsum vincat angelorum nitorem, et *absolute* ἄκτυπος sit divinae sanctitatis omnium praestantissimus. Neque enim tanta puritatis excellentia deferri posset Virgini quae non antea exstitisset quam peccati labe medullitus corrumperetur. Illam II. necessario atque immediate complectitur maiestas Reginae et Dominae, qua super omnes omnino creaturas evectam Deiparam profitemur. Si enim maioribus adquiescimus, non modo credi Deipara debet caeli terraeque Domina ac Regina, verum etiam firmissime tenendum est, *ipsam in lucem prodiisse Dominam ac Reginam,*

Digitized by Google

numquam non fuisse alienam a trepidatione servitutis, Dominam et Reginam salutari quod ad universalem reparationem restitutionemque insigniter contulerit, et quod ex plenissimo suae gratiae fonte ditissimos in omnes rivos profundat. At vero quid horum est quod non omnem excludat captivitatem peccati, quodque vicissim eximiam originalemque sanctitatem non omnino deposcat? Quam III. necessario atque immediate ex aequo deposcit quod de naturali et substantivo vinculo Deiparam inter atque ex ea conceptum Christum Deum maiores testantur. Ecquis enim in animum inducat suum, Christum Deum naturali et substantivo originis vinculo cum ea fuisse coniunctum, quae satanae mancipium exstiterit, quae divinam iram promeruerit, quae poenam maledictionis subierit, quaeque lethifera peccati macula insorduerit? Audiantur patres qui unanimes confirmant, ex hoc vinculo manifestissime pendere *ut Virgo omni gloria omnique virtute refulgeat, nullum patiatur sanctitatis defectum, universis hominibus sanctitatem conciliet, puritate splendeat digna Verbo et secundum Deum maxima, atque adeo sit forma immaculata et incorrupta incorrupti origo.* Vinculum igitur naturalis habitus inter Deiparam et genitum ex ea Filium, omnem ab ipsa contractae labis suspicionem longissime amandat. Quam pariter IV. longissime amandat honor decusque Filii qui carnem ex Deipara accepit. Ad honorem namque decusque Filii pertinebat, *ut mater esset ipso digna, ut caro ex ea sumpta puritatem referret quae animae Verbi assumentis apte responderet, ut caro esset ex sanctitate compacta, ut eius corpus supra humanam sortem excelleret, ut ipsa foret Adamo dissimilis, Evae emendatio, tota bona, tota lucis fulgoribus concreta, simillima primae venustatis repraesentatio, pulcritudo humanae naturae, in ipsa creatione virtutibus nitens, congruentissima divinae humanationis materia, idoneum Unigeniti habitaculum pro gratia originali, et omnino eiusmodi ut ex ipsa pura, incorrupta, immaculata, purus, incorruptus et immaculatus filius gigneretur.* Huc enim faciunt [1]) Ambrosii verba: « Mitem humilemque paritura, humilitatem *debuit* etiam ipsa praeferre. » Atque huc item faciunt verba [a]) Severiani gabalorum antistitis: «Quia

a) De mundi creat. Orat. VI. num. 10. pag. 509. A. inter opp. Chrysostomi T. VI. Ἐπειδὴ οὐκ ἔπρεπε τὴν κατάδικον γυναῖκα γεννῆσαι τὸν ἀναίδυτον.

1) Exposit. in Lucam lib. II. n. 16. pag. 1287.

Digitized by Google

non decebat culpae obnoxiam feminam innoxium gignere. » Quorum omnium summa haec est, ab honore Filii summopere abhorruisse ut Deipara quovis culpae naevo inficeretur. Et infici V. sane non potuit, quin excellentia ac splendor e filio in Deiparam refluens obscuraretur. Hac enim excellentiae splendorisque communicatione factum est, *ut quidquid animo praecipitur ac verbis effertur non minimum ab ea perfectione distet quae Deiparam decet, cuius puritas supra solares radios refulsit, et corporis mentisque sanctitas angelicas virtutes superavit.* Denique VI. maiorum auctoritate monemur, unigenitum Patris filium *eo honore prosequutum esse genitricem, qua cum duplici officio pietatis et debiti obstringebatur, ut hinc quidem ipsi amplius quam ceteris omnibus detulerit, nulli maius meritum reposuerit, et pius ac fidelis impedierit quominus vel infestatione aliqua suum templum violaretur, vel labe aliqua pollueretur, vel in suspicionem imminuti pudoris veniret, inde vero ipsam divino decore et supra homines glorificarit, ac sublimem immensamque reddiderit.* Sed eiusmodi honos in matrem non minus pie quam fideliter inpensus constare sibi nullatenus posset, si Virgo universali corruptione polluta in communem humani generis ruinam offendisset. Ab hac igitur ruina pietas filii matrem servavit, atque hanc matris piam tutelam fidelemque praeservationem maiores nostri toties memorant atque confirmant, quoties excellentiam divinae maternitatis et nexas cum ea dotes luculentissimis sententiis enarrant. Quare praerogativa immaculati conceptus ad elementa pertinet quibus *idea divinae maternitatis traditione maiorum expressa veluti conflatur, neque ab illius specie divelli potest quin ipsa ratio divinae maternitatis quae omnium animos occupabat, in apertum discrimen adducatur.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Expolitur doctrina superioris articuli, et praeeunte inprimis auctore tractatus de conceptione beatae Mariae virginis ex ordine confirmatur, praerogativam immaculati conceptus dirimi nullatenus posse neque ab excellentia Deiparae propria, neque ab iis dotibus quae cum eadem penitissime cohaerent, cuiusmodi nominatim habentur quod Deipara credatur et sit universorum Domina ac Regina, quod substantivo originis habitu cum Filio copuletur, quod ea debuerit puritate nitere quae Filium deceret, quod Filii honos puritatem cuiusvis expertem maculae exigeret, quodque eiusdem pietas tantum decus optimae matri certissime detulerit. Epilogus et ducta ex ecclesiasticis monimentis epilogi illustratio.

1181. Quum nobis cordi vchementer sit, ut omnes luculentissime intelligant sibique intime persuadeant, praerogativam immaculati conceptus ea divinae maternitatis idea eaque specie contineri, quae maiorum animis iugiter obiecta in ipsorum libris expressa et passim inculcata reperitur; in eam propterea mentem descendimus ut doctrinam superioris articuli repetito tentatam examine pro facultate expoliremus validiusque confirmaremus. Quae sane expolitio et confirmatio eo quem cupimus fructu minime carebit, si utraque ex huiusmodi hauriatur fonte, cui neque copia neque nitor desit. Censemus vero hanc uberis illimisque fontis proprietatem in eum tractatum plenissime convenire qui inscribitur *de conceptione beatae Mariae virginis*, quemque plurimi Anselmo cantuariensi, et omnes antiquo eruditoque scriptori asserendum esse profitentur. Ex hoc igitur maxime fonte eorum omnium expolitionem confirmationemque mutuabimur, quae cum maiorum doctrinis nexa penitusque conserta praecedenti articulo demonstravimus.

1182. Itaque ubi [1]) praestantiam divinae maternitatis auctor contemplatur, et secum animo reputat summum puritatis gradum qui ab ea divelli non potest, his omnino verbis disserit: « Haec igitur

1) Tract. de concept. beatae Mariae pag. 500. col. C-D. Ad quam peritur efferendam haec pertinent ex Iohanne damasceno in hymno s. Blasii Ode ς'. p. 757. apud Mai spicileg. rom. T. IX. Τηϊε ὕψους οὐρανοῦ σε σκήνωμα ὁ δημιουργὸς οὐρανοῦ δεδημιούργηται εὑρὼν ἐν γῇ, ὡς νυμφίος προῆλθε ἐκ φωτοφόρου παστοῦ της νυδίου σου, τὸν σῶμα νυμφεύσας ἑαυτῷ ὁ θεὸς τῶν οὐρανῶν καὶ πάσης σαρκός. *Caelis conditor te, o Dei mater, caelis excelsiorem in terra inveniens, tamquam sponsus processit ex lucifero tui sinus thalamo, atque sibimetipsi carnem desponsavit qui caelorum et universae carnis Deus est.* Tum haec ex Petro siculo serm. II. adver. manichaeos n. 9. pag. 73. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. IV. P. II. χαίρεις τοίνυν τὰ τῆς τοῦ θεοῦ μητρὸς ὑπερ πάντα εἶναι τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, πλὴν μόνου θεοῦ, ἐνδοξότερά τε καὶ ἐξαισιώτερα. *Decus alioquin Deiparae visibilia omnia et invisibilia excedit, Deo solo excepto, quantumvis gloriosa et eximia.*

Digitized by Google

Virgo tanti Filii [1]) dignissima parens quum in alvo suae parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio caelum, terram et omnia quae in eis sunt perfudisse, ac ineffabili iubilatione pro sui reintegratione, quam per illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? Sed quum ipsa hinc conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primae praevaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? » Scilicet id a dignitate et puritate Deiparae propria funditus abhorrere. Etenim [2]) pergit: « Utique voce divina [3]) dicitur ad Ieremiam, *priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te*. De Iohanne quoque [4]) angelus qui eum nasciturum praenunciabat, asseruit quod Spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris suae. Si igitur Ieremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus; et Iohannes Dominum [5]) in spiritu et virtute Heliae

1) Eodem titulo *dignissimae parentis* ornatur ab Innocentio III. in PP. marianis apud Maraccium pag. 89, atque de eodem titulo haec accipi debent ex veteri hymno in Domini nativit. p. 66. apud Mone T. I.

» Continet hunc genitrix in gremio,
» Omnia qui condidit ex nihilo,
» Terram, mare, sidera cum infero.
» Ave mater inclito
» *Digna* puerperio . .

Hinc quae Virginem compellans scribit Hincmarus in carmine dogmat. vv. 85-86. pag. 455. apud Mai classic. auctor. T. V.

» Sanctior his cunctis Verbum quae gignere vitae
Facta es *digna* tuo corpore virgineo.

Atque hinc praeclara sententia vetusti auctoris libri de assumpt. b. Virginis, p. 730, col. 1. D-E. inter opp. August. T. VI: « Quae sola *meruit* Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis aeterni. » Sed unde tantae Virginis dignitas, vel unde singulare eiusdem meritum? Ex eo primum quod Virginem alloquens vulgatus Hildephonsus memorat inquiens serm. de laudibus Virginis pag. 374. in collect. pp. tolet. T. I. « Lacta eum qui talem *fecit* te, ut ipse fieret in te: qui prinsquam nasceretur, te matrem *creavit* ex qua nasceretur. » Tum ex eo quod ipsemet scribit pag. 373: « Tantum se ad caeli fastigium sublevavit, ut Verbum in principio apud Deum, idest, Dei filium de summa arce susciperet. » Ex eo deinde quod Petrus siculus testatur Deiparam vocans serm. II. adver. manichaeos n. 9. pag. 74. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. IV. P. II. τὴν πηγὴν τῶν χαρισμάτων καὶ θείων δωρεῶν, *charismatum, divinorumque donorum fontem*. Atque ex eo tandem quod Iohannes damascenus canit in hymno s. Blasii Ode ϛ'. pag. 738. apud Mai spicileg. rom. T. IX: Ὡς καθαρὸν κατοικήσας τὸν μήτραν σου ὁ δημιουργὸς τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἐξήνεγκε, δέσποινα, τὸν ἐν ἡμῖν οἰκήσαντα προπατορικὴν παρθενίαν, τοὺς πάλαι ἀκοινωνήτους τοῦ νεφτνοῦ παραδείσου, ἐνώσιν ἐν τούτῳ δοξολογοῦντας. *Humanae conditor naturae, o Domina, in tuo sinu habitans utpote puro,* originalem *incoluit* virginitatem *quae in nobis fuit, et pridem ab iucunditate paradisi extorres revocavit; qui ipsum propterea glorificant*. Primus itaque veluti gradus, quo *ad dignitatem meritumque divinae maternitatis* Virgo conscendit, ipsa fuit προπατορικὴ παρθενία *primordialis originalisque virginitas*, qua refulsit. Haec autem προπατορικὴ παρθενία *primordialis originalisque virginitas* omnibus fuit expleta partibus, nulloque penitus sive animi sive corporis infecta naevo. Hac igitur *perfectissima integritate tam originali quam actuali* factum inprimis est, ut Virgo *digna* foret quae in Dei genitricem seligeretur. Quare nil mirum si auctor coronae b. Mariae cap. XIII. pag. 414. in collect. pp. tolet. T. I. scripserit: « Tu, Domina, non es rosa mundi, quae statim post ortum arescit, et deficit; sed tu es *rosa paradisi*, quae gestaris in manu regis caeli. »

2) Ibid. pag. 500. col. 1. C-E.
3) Ierem. I. 5.
4) Luc. I. 15.
5) Luc. I. 17.

Digitized by Google

praecéssurus, Spiritu sancto est ex utero matris repletus; quis dicere audeat [1]) singulare totius seculi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione destitutum? » Nemo id affirmare audeat, quum de Virgine iure quam qui optimo [2]) dicatur: « Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est: quod infra te, omne quod non est Deus. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet, quis attinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, idest, in utero matris tuae purissima oriebaris. Quod si tali modo concepta et ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses.» Quum [3]) igitur « Tanti apud Deum prae omni creatura sis, ut mater eius dignissima fieri merueris; sicut ipse non tantum supercastus et mundus, sed ipsa castitas ipsaque munditia est, ita carne verum hominem paritura, munda [4]) prae omnibus iure esse debuisti.

1) Quae deducendi ratio eo videri firmior debet, quo evidentius constat, unanimi veterum suffragio eam puritatem sanctitatemque Deiparae adscribi, cum qua nullius creaturae puritas atque innocentia componi queat. Praeclare Fulbertus carnotensis qui (orat. in Virginis nativit. pag. 38. col. 2. F-G. in max. pp. biblioth. T. XVIII.) Mariae nomen *maris stellam* interpretatus, pergit: « Oportet universos christicolas inter fluctus huius seculi remigantes attendere maris stellam hanc, idest Mariam, *quae supremo rerum cardini Deo proxima est*, et respectu exempli eius cursum vitae dirigere.» Tum (ibid. p. 38. col. 2. G-H.) subdit: « Haec si quis interroget dicens, quid ergo putas qualis olim in anima fuerit vel nunc sit haec persona, quae sic *omnibus sanctis spectanda* atque imitanda proponitur? Veraciter respondemus, quia longe perfectior quam nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur ubi maior affluit copia dicendi, hoc inprimis adstruere fas est, quod anima ipsius et caro quam elegit, habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia et immunditia purissima fuerunt, affirmante Scriptura: *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Item e contra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiae Dei nuntius asserebat inesse.».

2) Ibid. pag. 501. col. 1. B-C.

3) Ibid. pag. 501. col. 2. E.

4) Eadem prorsus mente, neque uno in loco Aquinas hoc ipsum docet. Etenim docet in I. dist. XVII. q. II. a. IV. ad 3. « Ad illud quod obiicitur de beata Virgine, dicendum est, quod differt puritatis augmentum et caritatis. Augmentum enim est secundum recessum a contrario, et quia in beata Virgine fuit *depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summam puritatis*, sub Deo tamen in quo non est aliqua *potentia* deficiendi, quae est in qualibet creatura quantum in se est. Caritatis autem augmentum est per accessum ad divinam bonitatem, et ideo non habuit beata Virgo summam caritatem, qua maior non possit intelligi, quia etiam profecit in caritate et gratia.» Docet I. II. q. LXXXI. a. V. ad 3. « Oportebat ut mater Dei *maxima puritate* niteret. Non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Ps. XCIII. *domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*» Docet ad Annibaldum scribens in I. dist. XLIV. q. un. a. II., ubi quaerens *an Deus possit facere aliquid melius qualibet re*, sibi continuo obiicit: « Quanto aliquid est purius, tanto est melius. Sed Anselmus dicit in lib. de conc. Virginis, quod decuit ut beata Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Ergo Deus non potest facere ea aliquid melius.» Tum reponit: « Dicendum, quod purius dicitur aliquid per recessum a termino, melius per accessum ad terminum. Illud ergo quod *omnino* recedit ab impuritate culpae, est ita purum quod nihil potest esse eo purius; non tamen sequitur, quod non possit eo aliquid esse melius.» Et docet in III. dist. IV. q. un. a. IV. ad 3. inquiens: « Beata Virgo non meruit incarnationem, nisi supposita incarnatione faciendа, et sic meruit ut per eam fieret non quidem merito condigni sed congrui, in quantum decebat quod Dei mater *ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.*» Quae omnia in I. dist. XLIV. q. I. a. III. ad 3.

Primordia itaque creationis tuae merito filii sanctae ecclesiae debent venerari, si sancta, si casta, si a corruptionis vel peccati ruga illa credunt esse discreta.»

1183. Et est profecto cur ita credant, quando [1]) aliter non sinunt ornamenta *Reginae* ac *Dominae* quae fastigium divinae maternitatis penitissime comitantur. » Etenim quidquid dignum umquam de aliquo extra suam personam *(Unigenitus)* voluit, perperam est eum de te, o beatissima feminarum, noluisse. Voluit enim te fieri matrem suam, et quia voluit, fecit esse: quasi diceretur matrem suam te fecit ille rerum Dominus, creator et gubernator, rerum inquam omnium non solum intelligibilium sed omnem intellectum trascendentium Dominus et factor *te Dominam et Imperatricem* constituit caelorum atque terrarum, et sic marium et omnium elementorum cum omnibus quae in ipsis sunt *Domina et Imperatrix* exstitisti et exsistis, et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis quando Spiritu sancto creabaris. Ita est, bona Domina, et gaudemus ita esse. Numquid ergo, dulcissima Domina, numquid tu tanta futura, Summi videlicet mater unica, et omnium quae fuerunt, sunt vel erunt prudens ac nobilis *post filium tuum Imperatrix;* numquid in exordio tuo talis esse debuisti, ut omnium quorum te [2]) dominum gerere certissime novimus, aut impuritati aut subiectioni potuisset addici? » Minime sane, quod plenius confirmans [3]) pergit: « Inscia ne fuit et impotens sapientia Dei [4]) et virtus mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanae? Angelis aliis peccantibus, bonos a peccatis servavit; et feminam matrem suam mox futuram ab aliorum peccatis exsortem servare non valuit? In aeternitate consilii fixum statuit *eam Dominatricem et Reginam fore angelorum;* et nunc inferiorem angelis natam in consortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? Existimet hoc et argumentis suis probet qui vult; ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius *excellentia Dominae nostrae* posse dici, quae dixi dico, quae scripsi non muto.»

multo enarrat uberius scribens: « Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si *nulla contagione* peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas beatae Virginis, quae *a peccato originali et actuali immunis fuit;* fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea *potentia* ad peccandum. Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, quod in infinitum distat; unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri. »

1) L. c. pag. 500. col. 2. B-D.
2) Al. *dominium*.
3) L. c. pag. 501. col. 1. A-C.
4) 1. Cor. I. 24.

Digitized by Google

Sed quo tandem pacto conciliari haec possunt cum explorata [1]) Apostoli doctrina de diffusa in omnes homines originali corruptela? Explanat insigniter [2]) auctor subdens: « Ille assertor purae veritatis, et a Filio tuo iam in caelo praesidente vas electionis [3]) cognominatus, *omnes homines peccasse in Adam fatetur*, vera utique sententia et cui contradici nefas esse pronuntio. Sed quum eminentiam gratiae Dei in te considero, sicut te non *intra omnia* sed *super omnia* quae facta sunt inaestimabili modo contueor; ita te non lege naturae ut alios in tua conceptione devinctam fuisse opinor, sed singulari et humano intellectui impenetrabili divinitatis virtute et operatione ab omni peccati adiunctione liberrimam. »

1184. Cuius plenissimae libertatis ex eo quoque habitu argumentum sumit, quo Deipara cum incarnato Patris Filio substantive copulatur. En ipsissima [4]) auctoris verba: « Beata vero Maria mater Dei futura, sicut eum qui super omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia Virgo paritura, ac per hoc in divinitatis illius unitatem transitura; non absurde credi potest primordia conceptionis eius tanta deitatis sublimitate praesignata, ut humanarum conceptio mentium ea plene penetrare non valeret. » Et re sane vera Filii honos non ferebat, ut is [5]) ex matre gigneretur quae aliquando fuisset peccati sordibus maculata. « Solum etenim peccatum fuerat quod homines a parte Dei dirimebat, et ut illud Filius Dei evacuaret, sicque ad placere Dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit, et talis ut nec in eo aliquatenus concordaret ei, unde homo a Deo discordabat.

1) Rom. V. 12. seqq.

2) L. c. p. 500. col. 2. C-E. Quibuscum egregie consentiunt quae in sermone de nativitate Christi (ad calcem opp. Cypriani pag. 80. C-D.) habet Arnoldus abbas Bonae-Vallis, sive quum scribit: « Unde et matri plenitudo gratiae debebatur et Virgini abundantior gloria, quae carnis et mentis integritate insignis spiritali et corporali intus et extra Christi praesentia fruebatur. » Sive quum ait: « Non sustinuisse iustitiam, ut illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis. »

3) Actt. IX. 15.

4) L. c. pag. 500. col. 1. A-B. Huc autem merito referuntur verba Nicolai monachi sancti Albani in litteris ad Petrum cellensem datis (inter huius epistolas lib. IX. epist. IX. pag. 183): «Sicut enim in caelo qualis Pater, talis Filius; sic et in terra qualis Filius, talis Mater, non dico de Spiritu concepta ut Filius, sed de Spiritu repleta et sanctificata ex utero Matris ut Filius. »

5) Ibid. pag. 500. col. 2. D-E. Hinc Anastasius sinaita (anagogic. contemplatt. in hexaemer. lib. VI. pag. 885. col. 2. E-F. in max. pp. biblioth. T. IX.) quaestionem versans de ratione illius imaginis et similitudinis ad quam primus homo expressus perhibetur, scribit: « Et quis, mihi dic quaeso, aut ex hominibus aut ex daemonibus audebit dicere, quod ea quae est eiusdem simul cum Deo essentiae quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem et similitudinem eius qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim mater huiusmodi Filii non ferens in se integram et illaesam foetus sui imaginem? » Atqui contracta originis culpa, ferre quidem in se Deipara potuisset Filii imaginem reformatam et detersam, sed integram atque illaesam non potuisset. Immunitas ergo ab originis culpa iis accenseri ornamentis debet, quae summam divinae maternitatis excellentiam comitantur.

Digitized by Google

Quia ergo ita fieri oportebat, matrem de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat. Aliter enim quo pacto illi summae puritati caro tanta coniunctione uniretur, ut homo assumptus ita esset in unum, ut quae Dei sunt, indifferenter hominis essent, et quae hominis, Dei? » Quo item pertinent quae declarata incarnationis necessitate, his verbis [1]) exponit: « Tota humana natura in radice sui vitiata fuerat atque corrupta, nec Deus corruptioni et vitio peccati potest consociari. Necesse igitur fuit ut natura de qua se hominem facere volebat, et humana et munda ab omnis peccati contagio esset: quod non inveniret, quum ut dixi, nihil incorruptum vitiata cunctorum radice exsisteret. Sed qui humanae perditioni subvenire disponebat, Dei Virtus et Dei Sapientia nuncupatur. Itaque ad omnia quae vult, posse suppetit illi nec sapientiae illius ullus est numerus, quae pertingit a fine usque ad finem cuncta disponens. Poterat ergo de massa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam personam sui susciperet ut homo integer esset et divinitati suae nihil minueret. Praedestinata fuit et praeordinata in hoc opus mirabile et omnibus operibus Dei praestans et inenarrabile, Maria, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hoc est totius seculi illustratio et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab aeternae mortis interitu paventium ac sub eius praesidium confugientium tutum iuvamen atque redemptio. Te igitur, Domina, quam in tantum culmen praedestinavit et extulit divina potentia, quam tot praerogativis ditavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia, crediderim ne quaeso, te morte peccati quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse gravari? Me namque iterum atque iterum ipsas quas superius commemoravi rationes considerante, animus hoc credere vitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. »

1185. Eoque minus audere debet quo liquidius innotescit, corrupta Virginis primordia cum pia Filii in matrem voluntate cohaerere [2]) non posse. « Si enim Deus castaneae confert ut inter spinas

1) Ibid. pag. 501. col. 2. B-E.
2) Ibid. pag. 500. col. 2. A-C. His autem similima sunt quae Thomas tradit in S. III. p. q. XXVII. a. IV., et q. XXVIII. a. II.

Digitized by Google

remota punctione concipiatur, alatur, formetur; non potuit hoc dare humano quod ipse sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret et de quo in unitate suae personae perfectus homo fieret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimode exsors redderetur? Potuit plane et voluit; si igitur voluit, fecit. » Hucusque auctor tractatus de beatissimae Virginis conceptione, cuius dum verba considero sententiasque perpendo, non possum quin *quatuor* potissimum animadvertam. Ac principio animadvertam, instituta comparatione liquere, nihil ab auctore tractatus in medium proferri quod patres scriptoresque vetustiores non attigerint, non docuerint ac vero etiam splendidissime confirmarint. Animadvertam deinde, id tantum discriminis inter auctorem tractatus antiquioresque magistros interesse, quod quum *doctrinarum capita atque principia* sint utrisque communia, immo non pauca penes antiquiores magistros reperiantur dicta praeclarius et magnificentius celebrata; *consequutio* nihilominus de praerogativa immaculati conceptus cum principiis intime nexa atque in iisdem necessario et immediate comprehensa; penes unum tractatus auctorem *aperte deducta propriisque expressa verbis* occurrat. Tum vero animadvertam, eo tantum nomine doctrinam de immaculato Virginis conceptu in tractatu expositam suisque roboratam momentis ab ea differre quam christiana antiquitas professa est, quod haec fuerit *instar seminis*, illa *faciem* referat *explicationis et fructus:* et quod haec fuerit *pressa et contracta*, illa sit *enucleata et articulatim distenta*. Animadvertam postremo, ex duobus alterutrum necessarium esse, vel ideam formamque divinae maternitatis auctoritate maiorum et christiana traditione propositam seponere et aspernari, vel candide simpliciterque fateri, illam neque sinceram neque suis expletam numeris permanere, nisi inter eiusdem notas ac ferme dixerim elementa decus immaculati conceptus numeretur.

1186. Et numeravit sane constanter maiorum fides, qua idem penitus imbuti non pie minus quam solemniter [a]) cum Theophane canebant: « Ut quae creaturarum omnium creatorem, o Dei mater, genueris, creaturam omnem divina gloria et sanctitate et gra-

a) Men. die XIX. Ianuarii Ode θ'. pag. 150. col. 1. E. Ὡς πάντων κτισμάτων ποιητὴν γεννήσασα, Θεομῆτορ, ὑπερβέβηκας πᾶσαν τὴν κτίσιν θείᾳ δόξῃ, καὶ τῇ ἁγιωσύνῃ καὶ χάριτι καὶ πᾶσι τῆς ἀρετῆς προτερήμασιν· ὅθεν σε πάντες μεγαλύνομεν.

Digitized by Google

tia et omnigenis virtutis praerogativis supergressa es. Quare te omnes magnificamus. » Et rursum [a]) canebant: « O Maria undequaque innocens, quae purissimum habitaculum facta es complectens divinam inhabitationem, animae meae labes et maculas dele. » Itemque [b]) canebant: « Quum vellet creator et Dominus corruptam hominum naturam ex corruptione liberare, uterum sibi effinxit sancto Spiritu [1]) purificatum in quo ineffabiliter inhabitavit. » Canebant [c]) cum Iohanne damasceno: « Verbum Patris te solam, te Iacobi pulcritudinem elegit, et in medio tui inhabitavit; atque ut illi placuit qui prae omnibus hominibus pulcher est, o purissima, processit ut naturam nostram deformatam [2]) purgaret. » Et cum Cosma hymnographo [d]) canebant nunc quidem: « O penitus immaculata, Dei sapientia sibimetipsi domum aedificavit in tuo habitans utero gratiis cumulato. » Nunc [e]) vero: « Quum qui est super omnia Deus, o Virgo omni ex parte immaculata, misericordia excitus vellet ex morte et corruptione mortalium naturam revocare, purum [3]) sinum tuum incoluit. »

a) Men. die XXIII. Ianuarii Ode δ'. pag. 176. col. 1. E. Μαρία πάναγνε, ἡ καθαρώτατον γενομένη χωρίον χωρητικὸν θείας ἐνοικήσεως, τὸν ψυχικόν μου μολυσμὸν καὶ τὸν ῥύπον ἐξαφάνισον.

b) Ibid. Ode ε'. pag. 176. col. 2. C-D. Σῶσαι βουλόμενος ἐκ φθορᾶς τὴν καταφθαρεῖσαν φύσιν τῶν ἀνθρώπων ὁ κτίστης καὶ κύριος, μήτραν ἁγνισθεῖσαν ἁγίῳ πνεύματι οἰκήσας ἀπορρήτως ἐνεμορφώσατο.

c) Men. die XXIV. Ianuarii Ode π'. pag. 183. col. 2. E. Μόνην σὲ ἐξελέξατο, τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ τοῦ πατρὸς ὁ λόγος, καὶ σοῦ ἐν μέσῳ κατεσκήνωσε· καὶ ὡς ηὐδόκησεν ὑπὲρ πάντας ὡραῖος τοὺς ἀνθρώπους, πάναγνε, προῆλθε τὴν ἀμαυρωθεῖσαν ἡμῶν καθαίρει φύσιν.

d) Men. die XXV. Ianuarii Ode α'. pag. 189. col. 1. B. Θεοῦ σοφία, πανάμωμε, τὸν οἶκον ἑαυτῆς ᾠκοδόμησεν ἐν τῇ σῇ γαστρὶ σκηνώσασα τῇ κεχαριτωμένῃ.

e) Ibid. pag. 189. col. 1. D. Θέλων δι' ὑπερπλαγχνίαν ἐκ θανάτου καὶ φθορᾶς ἀνακαλέσασθαι φύσιν τῶν βροτῶν ὁ ὑπέρθεος, παρθένε πανάμωμε, τὴν καθαρὰν νηδύν σου κατῴκησεν.

1) Quibus supernaturalis Deiparae separatio a corrupta hominum natura et declaratur perspicue, et cum ornamento divinae maternitatis penitissime nexa significatur.

2) Dividitur ergo Deipara a deformata hominum natura, et utpote purissima cum Filio hominum pulcherrimo arctissime copulatur.

3) Purum a reatu mortis, purum a corruptione peccati, atque idcirco integrum ab originali praevaricatione, quae ex fide maiorum cum praerogativa divinae maternitatis cohaerere non poterat.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De ordine providentiae Virginis proprio, deque illo primum quem intentionis nuncupant, et quo ad divinam maternitatem electa ipsa fuit ac caelitus praedestinata: ratio huius praedestinationis exponitur, et insigni maiorum testificatione comprobatur dividi illam seiungique non posse ab aeterna eius beneficii praeparatione, quo Deipara originalis exsors labis conciperetur.

1187. Enarrat Ambrosius verba [1]) Geneseos, *et vidit Deus quia bonum*, ac post alia sane dignissima ad quae animus advertatur [2]) subdit: « Solent artifices singula prius facere et postea habili commissione connectere: ut qui vultus hominum vel corpora excudunt de marmore vel aere fingunt vel ceris exprimunt, non tamen sciunt quemadmodum sibi possint membra singula convenire, et quid gratiae adferat futura connexio; et ideo aut laudare non audent aut pro parte laudant. Deus vero tamquam aestimator universitatis praevidens quae futura sunt, quasi perfecta iam laudat quae adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione praeveniens. *Nec mirum si apud quem rerum perfectio non in consummatione operis sed in suae praedestinatione est voluntatis*, laudat singula quasi convenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum venustate compositam. » Quidquid enim supremum Numen adgreditur, quidquid molitur, non modo semper praenovit, verum etiam in sua aeternitate disposuit, suaeque nutu voluntatis decrevit ac sapientissime praeparavit. Opportune [3]) Augustinus, qui relatis [4]) Apostoli verbis, *sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei*, pergit: « Namque in sua quae falli mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est praedestinare. » Cuius praedestinationis vim rationemque rursus expoliens [5]) ait: «Inter gratiam porro et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero iam ipsa donatio. » Et [6]) mox: «Praedestinatio est quae sine praescientia non potest esse, potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione

1) Gen. I. 8.
2) Hexaemer. lib. II. cap. V., n. 21. p. 32. C-F.
3) De dono perser. cap. XVII. n. 41.
4) Rom. XI. 29.
5) De praedest. sanct. cap. X. n. 19.
6) Ibid. n. 19.

Digitized by Google

quippe Deus ea praescivit quae fuerat ipse facturus: unde dictum [1]), *fecit quae futura sunt*. Praescire autem potens est etiam quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata.» Quare accuratissimam de praedestinatione sanctorum disputationem [2]) absolvit his verbis: «An quisquam dicere audebit, Deum non praescisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis [3]) non perderet quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est praedestinatio sanctorum, nihil aliud: *praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*»

1188. Neminem porro latet missum [4]) ad beatissimam Virginem Gabrielem ut illi nuncium de Unigeniti incarnatione deferret: neminem latet Virginem nuncianti angelo [5]) respondisse, *ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum:* et neminem latet in eius [6]) sinu atque ex eius visceribus, incarnatum Emmanuelem, deque ea verissime iterari [7]) Elisabethae exclamationem, *et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Sed fieri nullatenus potuit, ut Virgo in plenitudine temporis Unigenitum ex semetipsa gigneret atque Deipara esset et omnium ore salutaretur, quin ad tantum decus et infinitam propemodum dignitatem foret ante omnia secula electa et divinitus praedestinata. Iure ergo Bernardus [8]) scribit, angelum missum ad Virginem «Nec noviter nec fortuito inventam, *sed a seculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam*, ab angelis servatam, a patribus praesignatam, a prophetis promissam.» Hac autem sempiterna [9]) electionis praedestinatione is continetur providentiae ordo Deiparae proprius, quem expendendum enarrandumque suscipimus. Et ne cui dubium sit quo spectemus, vestigiis maiorum inhaerentes affirmamus, *ad hunc providentiae ordinem Virginis proprium, quo ipsam ad decus divinae maternitatis praedestinatam credimus, referri omnino oportere eius praeparationem beneficii, quo Deipara a labe originalis praevaricationis eximeretur*. Quod quidem doctrinae caput non uno et eodem sed vario ac multiplici formularum sententiarumque genere maiorum aucto-

1) Is. XLV. κατὰ τοὺς ο'.
2) De dono perser. cap. XIV. n. 35.
3) Ioh. XVIII. 9.
4) Luc. I. 26.
5) Luc. I. 38.
6) Luc. I. 35.
7) Luc. I. 43.
8) Super *missus est* hom. II. n. 4. p. 744. C-D.
9) De Virginis praedestinatione et electione aeterna ad divinam maternitatem subtiliter disserit Theophilus Raynaudus in Diptychis marian. P. II. puncto I. nn. 1. seqq.

Digitized by Google

ritas tuetur ac propugnat. Ii namque tuentur inprimis atque propugnant, qui ex electione ad divinam maternitatem deducunt, eum innocentiae sanctitatisque gradum fuisse Virgini praeparatum, quo ipsa creaturas prorsus omnes longissime superaret. Agit *de monte Ephraim* commemorato [1]) in priore Regum libro Gregorius deque eo inter cetera [2]) scribit: « Potest autem huius montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit quae omnem electae creaturae altitudinem *electionis suae dignitate transcendit.* An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem [3]) Isaias vaticinans ait: *erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit. Nam mons in vertice montium non fieret, si supra angelorum altitudinem, hanc divina fecunditas non levaret. » Sed nemo nescit, angelos iuxta ac protoparentes *originali innocentia* claruisse: et nemo nescit quod ex Basilio in octavo capite orationis dogmaticae Bessarion refert, protoparentes una cum anima ipso Dei Spiritu fuisse donatos. Decus igitur originalis innocentiae detrahi nequit Deiparae, quin propria eius electionis subvertatur ratio quae ad ipsam pertinet, et propter quam ipsa creaturas universas dignitate et sanctitate transcendit.

1189. Succedunt qui Virginem *simpliciter electam, praeelectam, eximie electam, prae omnibus electam, electam uti solem, praeparatam et custoditam atque ex sua electione gratia plenam et omnino dignam quae Deo placeret,* disertis geminatisque suffragiis inculcant. Quos inter menti primus succurrit Didymus alexandrinus, qui de Unigenito [4]) verba faciens ait: « Tale est etiam quod [4]) in

a) De Trinit. lib. III. cap. VI. pag. 359. B-C. Τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ ἐν τοῖς ᾄσμασι κείμενον· ἐκλελογισμένος ἀπὸ μυριάδων, τοῦτ' ἔστιν ἐκλελεγμένος· οὐχ ὡς ἐκ πολλῶν υἱῶν μόνος· ἀλλ' ἐπειδὴ Δαυὶδ ἤτοι ἡ Θεοτόκος, ἐξ ἧς τὸ κατὰ σάρκα Χριστὸς, ἐκ πάντων εἰς τὴν οἰκονομίαν ἐπελέγη· καὶ εἰκότως καὶ ἐν αὐτῷ εὐδόκησεν καὶ λέγει· τίς ὁμοιωθήσεται τῷ κυρίῳ ἐν υἱοῖς Θεοῦ; ἢ καὶ ἐπίλεκτος ὡς μονογενὴς ἐκ πάντων ἐν τῇ ἐνανθρωπήσει ἀναμάρτητος.

1) I. Reg. I. 1.
2) Comm. in I. Reg. cap. I. n. 5. pag. 9. B-D.
3) Is. II. 2.
4) Cant. V. 11. ubi in vulgatis editionibus habetur ἐκλελογισμένος.

Digitized by Google

Canticis legimus, ἐκλελοχισμένος *ex myriadibus*, idest *selectus*, non quod sit ex multis filiis unus; sed quia David aut Deipara ex qua est quoad carnem Christus, *prae omnibus electa fuit* [1]) *in incarnatione (ad incarnationem)* meritoque et in ipso sibi complacuit et [2]) dixit: *quis assimilabitur Domino in filiis Dei?* Aut etiam dicitur *electus* [3]) ut Unigenitus ex omnibus in incarnatione peccati expers.» Succurrit deinde [4]) Gregorius antiochenus qui Virginem his loquentem verbis inducit: « Superbia quidem quae omnium matrem fefellit primumque parentem, qui mortalium genus seminavit et optimam messem collegit, fecit me parere te miro modo, o Fili, te gloriosum, *ut tuo placuit genitori, priusquam et ego fuerim et universa creatura.*» Succedunt Sophronius et vulgatus Hildephonsus, e quibus ille [4]) descripto incarnationis sacramento subdit: « Ob quod Dei genitrix *electa et praeelecta* iure ab angelo salutatur et praedicatur *gratia plena.* Vere plene, *per quam* largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura.» Hildephonsus vero [5]) ubi

a) Tragoed. Christ. pat. vv. 1340-1346. pag. 1284. B-C.

Ὕβρις μὲν, ἥτ' ἔσφηλε πάντων μητέρα,
Καὶ πατέρα πρώτιστον, ὃς βροτῶν γένος
Ἔσπειρε, κἀξήμησε κάλλιστον θέρος,
Τεκεῖν μ' ἔθηκε παραδόξως σ', ὦ τέκνον
Εὔδοξον, ὡς ἔδοξε σῷ γεννήτορι,
Πρὶν ἢ γενέσθαι κἀμὲ καὶ πᾶσαν κτίσιν.

1) Pressius, *in incarnationem*, idest, *ad incarnationem*, et ut ipsa Unigenito suam carnem praeberet.

2) Ps. LXXXVIII. 7.

3) Heic μονογενής *Unigenitus* aut significat singulari plane modo ex Maria genitum, aut idem valet ac μόνος γεννηθείς *solus genitus* ἀναμάρτητος *impeccabilis*, quatenus nullus plane ex omnibus hominibus eo modo est vel esse potest *impeccabilis*, quo Christus.

4) Ad Paulam et Eustoch. de Virginis assumpt. cap. V. pag. 96. D-E. inter opp. Hieronymi T. XI.

5) Serm. III. in Deiparae assumpt. pag. 675. col. 1. C-E. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII. Accedunt simillima testimonia, quibus ab Innocentio III. et Bonifacio IX. (in PP. marianis p. 88-136. apud Maraccium) *electio* et *praeelectio* Deiparae celebrantur, et quibus in Missali mozarabico modo dicitur pag. 415. col. 1. A., *hanc Christus elegit a qua natus est*, et modo subditur pag. 467. col. 2. E., *tendamus ad omnipotentis Dei misericordiam supplices palmas, qui virginis Mariae pudici decoris thalamum praeelegit, quae unigenitum Filium suum mundi salutem pareret.* Itemque accedunt quae anonymus auctor de corona b. Mariae scribit cap. X. pag. 410. in collect. pp. tolet. T. I: « Gloria in excelsis Deo, qui de tam utili et necessaria nobis procuratrice *providit*, cuius cura et officium est evacuare tartarum, illuminare mundum, irradiare caelum, replere paradisum, diabolum conterere, praedam ex ipsius ore rapere, peccatores per poenitentiam patrimonio, ut mater piissima aggregare.» Et rursum cap. XIV. pag. 415. « Virgo regia gemmis virtutum ornata, monilibus gratiarum composita, institiae vestimento induta, specie tua et pulcritudine tua in caelestibus cognita, benignitas tua sic regis animum in sui concupiscentiam inclinavit, quod suum de caelis ei transtulit nuntium, et ipsemet in eius protinus festinavit amplexum. Si igitur, reverendissima Domina, creator visibilium et invisibilium sic concupivit amorem tuum, sic desideravit amplexum; nos miseri qui per te sumus reparati et a perpetua morte liberati, cum quanto amore tenemur te diligere?» Ac denuo cap. XXI. pag. 426. « Sicut sol oriens mun-

Digitized by Google

fontem reserat ornamentorum quibus Deipara prae omnibus nitet et emicat, sic habet: « Verum quia de propagine carnis nulla nobilior Dei matre refulsit, nulla splendidior ea processit quam splendor paternae gloriae ineffabiliter divinitus illustravit, quam Virtus Altissimi obumbravit ut Virgo pareret, quam divina gratia replevit ut Virgo conciperet, quam *Sapientia Dei Patris prae omnibus elegit ut placeret*, quae corpus Christi sine contagione sui corporis generavit, quae omnes virgultos in odorem suavitatis ardore caritatis Domino concremavit, ut tota holocaustum Deo fieret. Cuius caro et sanguis origo fuit benignissimi Salvatoris, cuius anima templum exstitit in quo factum commercium nostrae redemptionis est. »

1190. Neque ab his vel tantillum abludunt, immo haec non minimum illustrant quae concordes docent Tarasius constantinopolitanus, Agobardus lugdunensis, Eckbertus schonaugiensis et Bernardus toletanus. Tarasius enim commemoratis [a]) Ioachimi et Annae precibus, continuo pergit: « Utrisque igitur sic precantibus adstitit angelus Domini, qui *sanctissimae* conceptum nuntiavit inquiens: Altissimus exaudivit vestras preces, ac brevi filiam gignetis *ex omnibus generationibus beatam electam in Dei habitaculum.* » Ut vero Deiparam cultu dignissimam [b]) ostendat, ait: « Propter ipsum autem qui carnem adsumpsit, etiam genitricis ut omnino immaculatae effi-

a) Orat. in Deiparae praesent. Οὕτω τοίνυν ἀμφοτέροις ἐπικαλουμένοις, ὤφθη αὐτοῖς ἄγγελος κυρίου τῆς παναγίας τὴν σύλληψιν εὐαγγελιζόμενος, λέγων· εἰσήκουσεν ὑμῶν ὁ ὕψιστος τῆς δεήσεως, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τέξεσθε θυγατέρα· τὴν ἐκ πασῶν γενεῶν μακαρίαν ἐκλελεγμένην εἰς θεοῦ κατοικητήριον.

b) Ibid. Δι' αὐτὸν δὲ τὸν προσηλθόντα, καὶ τῆς τεκούσης, ὡς πανάγνου, τὴν εἰκόνα κατὰ τὸ πρόσηκον σεβόμεθα· ἁγία γὰρ ὄντως αὕτη, ὡς τὸν μόνον ἅγιον ἀῤῥήτως ἀποκύησασα· εἰ γὰρ ἡ θεὸς τῷ Ἀβραὰμ ἐντυχεῖν προσέταξε δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν πρὸς καθαρισμὸν τῶν ψυχῶν, πῶς ἡ παρθένος ἡ προορισθεῖσα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, καὶ ἐκ πασῶν γενεῶν προεκλεχθεῖσα εἰς κατοικητήριον ἀμόλυντον, καὶ προσευχηθεῖσα εἰς ναὸν ἅγιον τῷ παντοκράτορι, οὐχὶ τιμία καὶ καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος καθίστηκε, καὶ προσφορὰ ἄμωμος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως;

do in altissimis Dei, sic species tua, virgo Maria, in ornamento totius aulae paradisi: quam speciem concupivit rex regum, faciens admirabile commercium, suam nobis deitatem tribuens, nostram capiens mortalitatem. Ideo ab omnibus sanctissima praedicaris, quia omnium bonorum causa nobis effecta es, non solum salutis perpetuae, verum etiam totius virtutis et sanctitatis vitae. » Tandem cap. XXII. pag. 429: « Tu enim tamquam aurum ante Deum rutilasti, et sanctorum operum virore ei complacuisti. Nam ille qui in caelis habet habitationem, specie tua et pulcritudine tua illectus, in tua sancta anima constituit thronum suum, et in tuo alvo virgineo domicilium suum: ubi compegit nostrae substantiae pallium, quo vicit humani generis inimicum: ex quo traxit sanguinem purpureum delentem nostrae perditionis chirographum, placantemque nobis Deum patrem omnipotentem. »

Digitized by Google

giem eo quo decet cultu veneramur. Ipsa enim *vere sancta* quae eum qui *unice sanctus* est arcana ratione concepit. Si enim Deus Abrahamum iussit afferre vitulam trimam et capellam trimam in animarum purgationem; *quomodo Virgo a creatione mundi praedestinata et ex omnibus generationibus praeelecta in impollutum domicilium*, et omnipotenti oblata in templo sancto, *non honore digna et pura et impolluta exstet, et oblatio immaculata humanae naturae?*» Quibus perspicue nexus detegitur, quo eximia Virginis electio et sempiterna ad divinam maternitatem praedestinatio cum ea beneficiorum praeparatione vincitur, quibus Deipara hinc quidem creata omnia dignitate superaret, inde vero a reliquis secreta hominibus eo innocentiae candore splendesceret qui candorem aeternae lucis deceret. Eumdem porro nexum simili evidentia patefacit [1]) Agobardus lugdunensis qui de oeconomia reparati hominum generis scribit: «Dominus autem summe bonus et pius, ut tam magnam ruinam repararet, misit Filium suum Deum Verbum ut caro fieret, idest homo verus, et habitaret in nobis, idest in humanitate perfecta, quam sumpsit pro nobis ex nobis, *idest ex sancta Virgine ad hoc praeparata et custodita;* habitaret autem corporaliter non spiritualiter ut in sanctis ceteris, idest dono gratiae sicut [2]) scriptum est, *qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* Qui licet Domino adhaereant et Deus in illis habitet, non tamen exinde efficiuntur ut dii sint naturaliter; sicut [3]) in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Deus sit substantialiter.» Propria igitur Virginis electio hoc sibi vindicat, ut ipsa eximie *praeparata* et prae omnibus *custodita* intelligatur. Ad illam namque pertinent quae habet [4]) Eckbertus: «Tu *electa es ut sol,* ille inquam sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum, *tu electa ex millibus feminarum.* Ille electus ex omnibus quae sunt, *tu electa ex omnibus quae per illum sunt.*» Quibus electio Virginis ita cum Christi electione sociatur, ut non tam similis quam una prope eademque videri possit. Christi autem electio fuit electio solis qui tenebras numquam subiit, quique ad infectam depravatamque hominum massam numquam spectavit. Similis ergo ac pene eadem electio Virginis existimanda est. Quod multo quidem concedetur facilius si ad alia quae Eckbertus tradit,

1) De fidei veritate §. VI. pag. 307. col. 2. II. in max. pp. biblioth. T. XIV.
2) I. Cor. VI.
3) Coloss. II.
4) Serm. panegyr. ad beatam Virginem n. 5. pag. 702. E. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

animus advertatur. Ipso itaque [1]) auctore: » Maria a natura reverenter conservata et a lege diligenter venerata, *a gratia clementer est praeelecta;* quia sic praefatis sua iura sigillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet et insuper momenti quiddam superadderet. » Huic autem gratiae praeelectioni tribui in acceptis [2]) debet « Quod arca Noe significavit arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam [3]) peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit; istam Christus ut humanum genus redimeret, *sibi* [4]) *praeparavit.* Per illam octo animae tantum salvantur, per istam omnes ad aeternam vitam vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio, per istam humani generis [5]) salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio, in ista omnium virtutum [6]) fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis, ista de virtutibus aedificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii, ista non sensit naufragia [7]) ullius vitii. » Immo eidem gratiae praeelectioni adscribendum [8]) est « Quod arca quoque testamenti typum tenuerit sanctae Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel, Oliab in opere socium habuit, et Virgo quoque virginum condita, *praeelecta, praeservata, praeparata* et ornata per Spiritum sanctum et eius omnipotentem Filium fuit. Bezeleel ergo cum socio arcam testamenti fabricavit, sancta quoque Trinitas Virginem sibi [9]) sanctificavit ac templum sanctissimum consecravit, *hospitiumque mundissimum sibi praeparavit,* thalamum quoque de quo sponsus prae filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter praeornavit. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem [10]) contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus caritatem erga Deum et proximum. » Et [11]) aliquot interiectis: « De lignis vero [12]) Sethim condita est arca, in qua thuribulum, manna et virga sunt recondita: quia

1) Serm. in verba Luc. I. 28. n. 2. pag. 704. C-D.

2) Ibid. n. 6. pag. 705. F.

3) Quod ipsam propterea numquam obruit.

4) Qua praeparatione factum est ut numquam ipsa in captivitatem offenderit, e qua redimeretur.

5) A quo perdito et salvando propter gratiae praeelectionem Virgo secernitur.

6) Atque adeo etiam innocentiae, quam nullus unquam peccati halitus vitiarit.

7) Sensisset vero naufragium alicuius vitii, si et ipsa in universalem praevaricationem incidisset.

8) L. c. n. 9. pag. 707. A-D.

9) Idest seposuit, et praeelectione a reliquo hominum genere corrupto et profano separavit.

10) Praeelectione igitur id Virgo consequuta est, ut omnipotentia Patris contra peccatum armaretur, eique subesse non posset.

11) L. c. n. 11. pag. 708. B-C.

12) Ex. XXV. 10. coll. Hebr. IX. 4.

Digitized by Google

licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, *praeelecta tamen per Spiritum sanctum et praeservata ad purum*, Deum nobis obtulit et hominem. » En quo divina Virginis electio et praelectio pertinuerit. Eo videlicet pertinuit ut eiusmodi beneficia in ipsius gratiam praepararentur, quibus ditata et a corruptione humani generis secreta, humanam quidem praeseferret naturam sed humanae naturae culpam funditus nesciret.

1191. Quare non ab Eckberto solum, ut vidimus, sed a Bernardo quoque toletano *praeelecta ut sol* his verbis [1]) perhibetur: « Domina rerum, sancta sanctorum, virtus nostra et refugium, decus mundi, gloria caeli, *praeelecta* [2]) *ut sol*, pulcra lunaris ut fulgor, agnosce omnes te diligentes. Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat. » Eadem formula usus antea fuerat [3]) Hermannus contractus, cum qua haec iuverit [4]) contulisse:

» Salve mater Salvatoris,
» Vas electum, vas honoris,
» Vas caelestis gratiae;
» Ab aeterno vas provisum,
» Vas insigne, vas excisum
» Manu Sapientiae.
» Salve Verbi sacra parens,
» Flos de spinis, spina carens,
» Flos, spineti gloria;
» Nos spinetum, nos peccati
» Spina sumus cruentati,
» Sed tu spinae nescia.

Atque haec iuverit pariter contulisse [a]) ex ecclesiasticis Graecorum officiis: « O electe Domini thalame, caelestis thalami eum fac heredem qui tua sustentatus tutela te affectu veneratur. O praeelecta, voces nostras exaudi et animabus nostris imperti quae postulamus. Libera nos a passionibus et doloribus per apostolos, tu quae utpote Dei mater omnia potes. » Quibus haec [b]) Basilii hymnographi ingressum Deiparae in templum celebrantis aptissime respondent: «Re-

a) Paraclit. pag. 296. col. 2. E. Παστὰς κυρίου ἐκλεκτὴ, οὐρανίου παστάδος ποίησον κληρονόμον τὸν τῇ θείᾳ σου σκέπῃ πόθῳ σε γεραίροντα.

Ibid. pag. 254. col. 2. A. Ἡ προκεκλεγμένη, εἰσάκουσον τῆς φωνῆς ἡμῶν, καὶ δώρησαι τὰ αἰτήματα ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν· λύτρωσαι ἡμᾶς παθῶν καὶ τῶν δεινῶν διὰ τῶν ἀποστόλων, πάντα δυναμένη ὡς μήτηρ Θεοῦ.

b) Men. die XXI. Novembris Echus α'. pag. 161. col. 1. D. Ἐξανοίγεσθω ἡ πύλη τοῦ θεοδόχου ναοῦ· τὸν γὰρ ναὸν τοῦ πάντων βασιλέως καὶ θρόνον σήμερον ἐν δόξῃ ἔνδον λαβών, Ἰσαακὶμ ἀνατίθεται ἀφιερώσας κυρίῳ τὴν ἐξ αὐτοῦ ἐκλεχθεῖσαν εἰς μητέρα αὐτοῦ.

1) In antiph. *Salve Regina* serm. III. n. 7. pag. 746. F. inter opp. Bernardi T. V.

2) Haec autem eo pluris aestimanda sunt quo evidentius constat desumpta esse ex sequentia de beata Virgine secundum colonience et alia quaedam prisca Missalia.

3) Thesaur. hymnolog. p. 32. T. II.

4) Ibid. pag. 62.

Digitized by Google

seretur porta templi in quo Deus inhabitat; hodie namque in gloria intus recipit templum ac thronum regis universorum, et Ioachim eam dicat consecratque Domino quam in suam ipse matrem delegit. »

1192. Sed aliud praeterea suppetit tertiumque formularum genus, quod sin minus splendidius, profecto aeque praeclarum ac insigne existimandum est. Ad hoc autem genus eae revocari formulae debent maiorum conspiratione frequentatae, quibus Virgo electa et ad divinam maternitatem destinata perhibetur *ut omnibus sanctior mulieribus, ut ea cui nemo umquam similis extiterit, ut omnibus purior, ut purior Seraphim ut omnium purissima, ut divino probata iudicio, ut praefinita humani generis reparatio, et ut ad salutarem mundi restitutionem caelitus praeparata ac disposita.* Ex huiusmodi namque formulis hic neque alius plane sensus sua sponte efflorescit: *propriam Virginis electionem cum eorum praeparatione beneficiorum fuisse consertam, quibus ipsa suo tandem tempore aucta atque ditata mulieres omnes sanctimonia vinceret, neminem sibi similem haberet, purior omnibus foret, purior Seraphim, omnium purissima, sola prae omnibus divino probata iudicio, praefinita humani generis reparatio et ad salutarem mundi restitutionem caelitus destinata.* Atqui rei natura, maiorumque auctoritas non ferunt, ut cum his beneficiis labes originalis praevaricationis coniuncta videatur. Non id patitur natura rerum, quum secumipsis manifeste pugnent atque sese mutuo excludant et adversa fronte repellant hinc quidem corruptela peccati, captivitas satanae et servitus omnium miserrima, inde vero eius praeparatio puritatis quae esset quavis comparatione superior, quae illam vinceret qua Seraphim praefulgent, quae Virginem prae omnibus unam divino probatam iudicio ostenderet, quaeque ipsam parem efficeret ut ad salutarem humani generis restitutionem disposita et adornata censeretur. Neque id patitur maiorum auctoritas, quorum concors testificatio eo pertinet ut ab electione propria Virginis labes originalis alienissima demonstretur.

1193. Agit [a]) Pseudo-Iustinus de Christi verbis, quibus mulieri [1])

a) Quaestt. et respons. ad orthodoxos q. CXXXVI. pag. 219. opp. Iustini T. III. P. II. edit. Ienae MDCCCXLIX. Οὐχ ὡς ἀποστερῶν τὴν μητέρα τῆς πρεπούσης τιμῆς, ἀλλὰ δείκνυσι κατὰ ποίαν μητρότητα μακαριστή ἐστιν ἡ παρθένος· εἰ γὰρ ἦ ἀκούων τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ φυλάττων αὐτὸς ἀδελφός ἐστι τοῦ Θεοῦ καὶ ἀδελφὴ καὶ μήτηρ, πρόσῃν δὲ τῇ μητρὶ αὐτοῦ ἀμφότερα, δῆλον ὅτι κατὰ ταύτην τὴν μητρότητα ἔχρῃν μακαρίζισθαι τὴν

1) Luc. XI. 27-28.

Digitized by Google

exclamanti, *beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti,* respondit, *quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* atque ut germanam illorum significationem aperiat, scribit: « Non matrem debito honore privat, sed ostendit ob qualem matris titulum beata sit Virgo praedicanda. Nam si qui audit verbum Dei et servat, frater est Dei et soror et mater, et utrumque inerat matri eius, manifestum est ob hanc matris [1]) notionem ipsius matrem beatam fuisse praedicandam; audire enim verbum Dei et servare virtutis est puraeque animae, quae tota in Deum intenta est. Et quandoquidem non quamlibet mulierem *elegerat Deus ut Christi mater fieret, sed eam quae mulieres omnes virtutibus superabat;* idcirco Christus voluit ut mater sua etiam ab hac virtute beata praedicaretur, per quam consequuta est ut virgo mater fieret. » Qua de re omnino simillima, nisi forte etiam praeclariora tradit [2]) Anselmus, quum excellentia divinae maternitatis summis laudibus celebrata, pergit: « Et quidem ad hanc dignitatem nec beatissima virginum umquam ascendisset, si Filius Dei ad destructionem peccati Adae de sinu Patris hominem ex ipsa Virgine assumpturus non descendisset. Igitur propter peccatores Maria est facta mater Dei, *quae idcirco quod ea castior, ea sanctior, ea humilior in genere humano nulla potuit reperiri, merito* [3]) *debuit in tantam excellentiam ab eo, quo nihil castius, nihil sanctius, sublimius est nihil adscisci.* Et in quid excellentius adscisci valeret, quam ut in perpetua virginitate permanens Deum de sua carne carnem factum generaret? Hanc excellentiam contulit Deus virgini Mariae, *eo quod illam pudicitia cordis et corporis sibi prae omni creatura intellexit adhaerere.* »

1194. Quid vero Photius, quem nisi schisma perdidisset, dignus plane erat qui illustribus ecclesiae magistris accenseretur? Is [4]) comprobata incarnationis necessitate, declaratoque nexu quo incar-

μητέρα αὐτοῦ· τὸ γὰρ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ φυλάττειν ἀρετῆς ἐστι καὶ καθαρᾶς ψυχῆς, ὅλης πρὸς τὸν Θεὸν βλεπούσης· καὶ ἐπειδὴ οὐ τὴν τυχοῦσαν γυναῖκα ἐπελέξατο ὁ Θεὸς γενέσθαι μητέρα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ τὴν πασῶν γυναικῶν ταῖς ἀρεταῖς ὑπερκειμένην, διὰ τοῦτο καὶ ὁ Χριστὸς ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρετῆς ἐβούλετο μακαρίζεσθαι τὴν μητέρα αὐτοῦ, δι' ἧς ἠξιώθη παρθένος μήτηρ γενέσθαι.

1) Omnia quidem Virginis ornamenta dignitate divinae maternitatis continentur, sed ea non secus continentur, ac flores et fructus in semine delitescant, et aquarum ubertas e fonte dimanet.

2) Tract. de concep. Virginis p. 502. col. 1. A-B.

3) Quod sane meritum consequi Virgo non potuisset, nisi illi sempiterna electione fuisset praeparatum.

4) Orat. in Virginis nativit. pag. 1600. apud Combefisium Auctar. T. I.

Digitized by Google

natio cum generatione Unigeniti ex muliere devinciebatur, de eadem generatione [a]) subdit: « Quum autem haec complectatur matrem, eius merito *praeparatio* veluti fundamentum praeire debuit. Erat itaque conditoris *praeparanda* mater, quo sic refingeretur quod confractum erat; illamque esse virginem oportebat, ut sicut primus homo e terra virgine fictus fuerat, sic ex virginis utero nova iterum fictio ederetur. » Tum [b]) quaerit: « Enimvero quaenam digna sit mysterio inservire? Quaenam digna ut Dei mater efficiatur, eique carnem commodet, in cuius divitiis universa censentur? Quaenam ergo digna? » Cui iteratae interrogationi [c]) respondet: « Oportebat enim, oportebat ut ea quae ab ipsis cunabulis purum corpus [1]), puram animam, puras denique cogitationes, supra quam exprimi dicendo queat, custodisset, *conditoris mater praedestinaretur*. Oportebat ut quae a prima aetatula in templo oblata esset, locaque inaccessa penetrasset, animatum illius templum conspiceretur qui animam indiderat. Oportebat ut quae nova ac insolita ratione ex infecundis nata lumbis prodiisset, parentumque probrum abstulisset, *avorum quoque ruinam* [2]) instauraret. Neptis enim reparare debuit maiorum [3]) casum, partu viri nescio edens generis Salvatorem eumque corpore induens. Oportebat ut quae animi decore se pulcre perornasset, sponsa eximia caelestem decens sponsum appareret. »

a) Ibid. pag. 1601. A-B. Ἡ δὲ μητέρα συμπεριγράφουσα, τὴν ἑτοιμασίαν ταύτης εἰκότως ἀπαιτεῖ προκαταβάλλεσθαι· μητέρα ἴδοι κἂν ὁ διυτρητισθῆναι τοῦ πλάστου εἰς τὸ, τὸ συντρίβειν ἀναπλάσασθαι· καὶ ταύτην παρθένον, ἵν' ὥσπερ ἐκ παρθένου γῆς ὁ πρῶτος ἄνθρωπος διπλάστο, οὕτω διὰ παρθένου μήτρας πραγματευθῇ ἡ ἀνάπλασις.

b) Ibid. pag. 1601. B-C. Ἀλλὰ τίς ἀξία χρηματίσαι τοῦ μυστηρίου διάκονος; τίς ἀξία μήτηρ γενίσθαι θεοῦ, καὶ σάρκα δανεῖσαι τῷ πλουτοῦντι τὰ σύμπαντα; τίς οὖν ἀξία;

c) Ibid. pag. 1601. C-E. Ἔδει γὰρ, ἔδει τὴν ἐξ αὐτῶν σπαργάνων ἁγνὸν μὲν τὸ σῶμα, ἁγνὴν δὲ τὴν ψυχὴν, ἁγνοὺς δὲ τοὺς λογισμοὺς, κρεῖττον ἢ λόγῳ συντηρήσασαν, μητέρα ταύτην προορισθῆναι τοῦ πλάσαντος· ἔδει τὴν ἐκ βρέφους ναῷ προσαχθεῖσαν, καὶ τοῖς ἀβάτοις τόποις ἐμβατεύσασαν, ἔμψυχον ναὸν ὀφθῆναι τοῦ ταύτην ψυχώσαντος· ἔδει τὴν ἐξ ἀγόνων λαγόνων παραδόξῳ λόγῳ τεχθεῖσαν, καὶ τὸ τῶν τεκόντων περιλομένην ὄνειδος, καὶ τῶν προπατόρων ἀναπαλίσασθαι τὸ ἐλάττωμα· ἀνασώσασθαι γὰρ ἴσχυε τὸ προγονικὸν ἡ ἀπόγονος ἔπτημα, τὸν σωτῆρα τοῦ γένους ἀνάνδρῳ τόκῳ γεννησαμένη, καὶ τοῦτον σωματουργήσασα· ἔδει τὴν τῷ κάλλει τῆς ψυχῆς ἑαυτὴν ὡραίως ἐμμορφώσασαν, λογάδα νύμφην ἐμφανισθῆναι τῷ οὐρανίῳ νυμφίῳ ἐμπρέπουσαν.

1) Quae profecto quum ad primam spectent aetatulam, non de alia quam de puritate originali intelligi possunt.

2) Eam ne ruinam, quam ipsa pariter experta esset?

3) Ipsa ergo, maioribus cadentibus, non corruit, sed divinitus praeservata firmiter stetit.

1195. Crederes autem neque iniuria crederes haec a Photio fuisse ex iis deprompta, quae Andreas praesul cretensis iampridem docuerat. Postquam enim de opportunitate [1]) ac vero etiam de necessitate disseruit divinae incarnationis, illico [a]) pergit: « Qui vero ea res ad finem deduceretur, nisi prius pura intactaque virgo ministraret mysterio, tumque lege naturae leges superante, eum qui substantia potior est in utero gestaret? » De qua virgine [b]) continenter subdit: « Quaenam autem alia virgo haec possit intelligi, *nisi quam solam ante omnes generationes naturae totius creator elegit?* Haec porro Maria Dei genitrix est, illud a Deo vocatum nomen, ex cuius processit utero divinissimus ille indutus carnem, quam sibi ipse in templum novum admirabili plane modo compegit. Siquidem statim mulicbris sexus maledictionem primam corrigit, salutis factus initium quemadmodum initium fuerat peccati. » Hinc in ecclesiasticis Coptorum monimentis [c]) legimus: « Ave gratia plena, Virgo immaculata, *electum totius mundi vas.* » Et [d]) rursum: « Electum virginitatis [2]) tuae incensum ad supernum usque Patris thronum ascendit prae incenso Cherubim atque Seraphim, o Virgo Maria. » Atque hinc penes eumdem Andream cretensem [e])

a) Ibid. pag. 95. E. Τίνα δὲ τρόπον τοῦτο εἰς πέρας ἄγοιτο ἄν, ἢ παρθένου καθαρᾶς καὶ ἀνεπάφου διακονουμένης τῷ μυστηρίῳ πρότερον, εἶτα κυοφορούσης τὸν ὑπερούσιον, νόμῳ τοὺς νόμους ὑπερνικῶντι τῆς φύσεως;

b) Ibid. pag. 96. A-C. Αὕτη δὲ τίς ἂν νοοῖτο, πλὴν μόνης ἐκείνης τῆς πρὸ πασῶν γενεῶν ἐκλελεγμένης τῷ παγγενέτῃ τῆς φύσεως; αὕτη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ θεόκλητον ὄνομα, ἧς ἐκ νηδύος μετὰ σαρκὸς ὁ ὑπέρθεος προελήλυθεν, ἣν αὐτὸς ἑαυτῷ ναοποιήσας ὑπερουσίως ἐπήξατο· τῆς γέ τοι πρώτης ἐκείνης ἀρᾶς εὐθὺς ἡ γυναικεία φύσις τὴν διόρθωσιν δέχεται, ὥσπερ ἐνήρξατο τῆς ἁμαρτίας, ἀπαρξαμένη τῆς σωτηρίας.

c) Theotoc. tetr. II. pag. 135.

Χερε πεθοτιεϩ ἠϩμοτ †παρθενος ἡατθωλεϧ, πικαιλλιον ετσωπ ἠτε †οικουμενη τηρς.

d) Theotoc. tetr. III-IV. pag. 146.

Δπι σθοιποτϥι ετσωπ ἠτε †παρθενια ⲁϥψεπⲁϥ ἐπψωι ϣⲁ πιθρονος ⲁϥϣⲱⲧ: Θϩοτε πισθοιποτϥι ἠτε πιχερουβιμ μεν πισεραφιμ, Ⲙⲁρια †παρθενος.

e) Orat. in Deiparae nativit. pag. 94. D-E. Οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω τὰ σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω· ὅτι ἤλέησε κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ, ἐγείρας κέρας σωτηρίας

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 95. apud Gallandium T. XIII.

2) Comparatio cum Cherubim atque Seraphim ostendit, *virginitatis* appellatione non tam corporis integritatem, quam omnimodam puritatem candoremque ab omni corruptela integrum significari.

Digitized by Google

legimus: « Omnia igitur exsultent [1]) hodie, gestiatque natura, quoniam misertus est Dominus populi sui, *erecto nobis cornu salutis in domo David pueri sui,* hac immaculatissima et viri nescia Virgine, ex qua gentium salus et expectatio. Plaudant mulieres, mulier enim quae olim ansam peccati inconsultius praebuit, salutis nunc primitias intulit, quaeque aliquando rea fuit, *nunc ostensa est* [2]) *divino probata iudicio:* mater viri expers, *creatori electa et generis restauratio.* » Quibus haec ex Coptorum monimentis [a]) egregie respondent: « Tu *(o Christe)* inchoasti et *praeparasti* eam *(Mariam)* et *disposuisti* pro mundi salute. » Tum [b]) haec: « Arca adumbrat sanctam Mariam, nostrae salutis et redemptionis originem. Numquam abominationum tinea se illius immiscuit virtutibus *ab initio ad salutem nostram praeparatis.* » Quare eidem solemniter [c]) acclamatur: « Ave gloria angelorum, *ave prae caelestibus ac terrestribus ipsisque Cherubim electa.* »

1196. Cuius electionis praestantia atque ex ea dimanans plenissima a quovis naevo immunitas tum etiam luculenter exprimitur, *quum Virgo ipsa praedestinatione Deo unice consecrata perhibetur, quum electa dicitur ut mater esset et agna immaculata, Iacobi pulcritudo et paradisus Dei manu plantatus, quumque illi propter electionem splendor defertur ab eo non dissimilis quo Unigenitus refulget.* Neque enim talia sunt haec quae tradere maiores potue-

ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, τὴν ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον καὶ ἄνανδρον, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς ἡ σωτηρία τῶν ἐθνῶν καὶ ἡ προσδοκία· γυναῖκες κροτεῖτασαν· γυνὴ γὰρ ἡ πάλαι τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀφορμὴν σχεδιάσασα, τῆς σωτηρίας ἄρτι τὴν ἀπαρχὴν εἰσκεκόμικε, καὶ ἡ πάλαι κατάκριτος, ἐδείχθη θεόκριτος· μήτης ἄνανδρος, ἐκλελεγμένη τῷ πλάσαντι, καὶ τοῦ γένους ἀνόρθωσις.

a) Theotoc. pag. 260.

Χε ηθοκ φη ετακèρεητς ακοβϯ ⲁⲓⲱⲟⲥ οτος ακσωπητς, εθβè φποεια ⲁⲓⲙⲓκοσⲙος ⳨

b) Theotoc. pag. 308.

Ϯκιβωτος σβωρεⲙ è θηεθοτακ Ⲙαρια, ⲉⲡⲟⲧⲙⲓ ⲁⲓⲡⲉⲙⲡⲟⲣⲉⲙ ⲛⲉⲙ τεπσωτηρια ⳨ Θⲁⲓ ετε ⲁⲓⲡεϥⲙοτⲁϯ ⲛⲁⲉ ⲡⲣⲟⲗⲓ ⲛⲓⲃⲓⲃοϯ è πεσⲁρετη ετσοβϯ ⲓⲥⲭⲉⲡⲣⲏ è πεπσωϯ ⳨

c) Ibid. pag. 261.

Χερε ⲡⲓⲟⲧⲱⲟⲩ ⲛⲧⲉⲡⲓⲁⲅⲅⲉⲗος: Χερε ⲟⲛⲉⲧⲥⲱⲧⲡ ⲉⲣⲟⲧⲉ ⲡⲁⲧ-φⲉ ⲛⲉⲙ ⲡⲁⲡⲕⲁⲣⲓ ⲛⲉⲙ ⲡⲓχεροτⲃⲓⲁ ετσοⲡ ⳨

1) Ad natalem respicit Virginis diem.

2) Fuisset autem et Virgo κατάκριτος *rea et damnata*, neque simpliciter uti Θεόκριτος *divinitus probata* distingui ab Eva posset, si et ipsa in universalem praevaricationem atque adeo condemnationem incidisset. Ab hac igitur illam divina electio praeservavit.

Digitized by Google

rint, quin ipsorum mentibus iis praeparata beneficiis Virgo obiiceretur, quae illam ab omni labe integram custodirent. Horum vero nihil est quod iidem non docuerint, quodque summo verborum pondere non saepissime confirmarint. Huc enim initio facit nobilissima Theodoti ancyrani oratio, qua modum enarrans humanae reparationis [1]) ait: « Pro mali enim auctore dracone qui mundo tristia invexisset, laetum gaudii nuntium ferens archangelus dominico e caelis praeit descensui: eiusque loco qui [2]) rapinam arbitratus esset esse aequalem Deo, qui natura Deus atque Dominus, praeses auctorque regenerationis eius naturae quam condiderat, exsistit: pro ea quae ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, *Deo gratissima ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium* [3]) *eligitur:* Virgo muliebri comprehensa sexu, at muliebris [4]) exsors nequitiae: Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta animo [5]) et corpore, sicut lilium [6]) inter spinas germinans, non docta Evae mala, non muliebri vanitate [7]) foedata, quae non erroris simulacra cordi insculpserit: longe haec facessant et similia, neque [8]) enim tenebris ad lucem ulla communio est; *sed quae necdum nata* [9]) *auctori Deo consecrata sit,* nata vero sacra alumna ut in sacrario ac templo moraretur oblata fuerit, legis discipula, Spiritu sancto delibuta, divina gratia ut palliolo amicta, animo divina sapiens, Deo corde nupta, sanctitatis splendores oculis spirans, bona in hominum oculis, Dei obtutibus melior, quae Deum ventre susceperit, vereque Deum partu ediderit. Atque ut verbo dicam, tota [10]) pulcra ut propensa voluntas, totaque suavis ut cella unguentaria. »

1197. Huc deinde faciunt quae Syri, Armenii et Graeci uno ore testantur. Syri quidem [a]) ubi canunt: « Sit benedictus qui eam

a) Offic. Maronit. pag. 408.

حَنَّصْهُ وَحُكْهُ وَبِلَاهُا كَهُ أَهُا هُبِ هُهُ وَهُ حَبِّهُ هُنُهُا . لَهُكَحَـــ

1) Orat. in Deiparam. §. XI. pag. 475. B-E. apud Gallandium T IX.

2) Philipp. II. 6.

3) Cui electioni debetur ut Virgo neque mortis poenam subierit, neque huius poenae causam, quae est originale peccatum, contraxerit.

4) Fuit igitur Mariae communis cum Eva natura, sed communis non fuit nequitia neque commune peccatum.

5) I. Cor. VII. 34.

6) Cant. II. 2.

7) Quae ex sese et cum superioribus vera immunitatem Virginis ab originali praevaricatione ad vivum depingunt.

8) II. Cor. VI. 14. Qua Scripturae accommodatione Virgo exhibetur ut quae in luce semper versata numquam peccati tenebras agnoverit.

9) Consecrata autem sit *ea electione qua in vitae obsequium Deo gratissima et Dei plena gratia* praeparata fuit.

10) Cant. IV. 7. coll. VI. 8.

Digitized by Google

elegit voluitque ut sibi mater esset, dum ipse eam in utero finxit. Beata es Maria quae digna fuisti ut [1]) nova esses mater Filio Altissimi, quoniam Virgo es et peperisti antiquum qui Adamum et Evam creaverat.» Armenii qui [2]) cum Vartdane presbytero eo in hymno quo Ioachimum et Annam celebrant, sic habent: « Ante luciferum sine matre ex Patre in caelis genitus, hodie [3]) sapienter immaculatam elegisti matrem, e qua in terra sine patre nascereris. Huius flexus precibus miserere nostri.» Graeci vero quorum haec est [4]) solemnis oratio: « O electa Dei Verbi [5]) agna, deprecare incarnatum ex te Deum ut in hora maxime tremenda me electis ovibus connumeret.» Quae mihi in mentem revocant insigne Iacobi monachi testimonium, quo [b]) iustos in Abrahae sinu conquiescentes his ad Deum verbis conversos sistit: « Accipe quam tibi *in mediatricem praedestinasti ad reconciliationem* [5]) *nostram*. Produc [6]) *immaculatam agnam* ex qua naturae lanam induens, speciosissimus nobis qui in tenebris versamur, appareas. Hanc nos a te informati varie praedicavimus. Eius spem libertatis [7]) pignus retinemus. Hanc vaticiniis praeconcinnavimus. Hanc variis praeconiis exornavimus, *decorem generis, naturae* [8]) *gloriationem*.» Atque in mentem pariter revocant quae scribunt Iosephus hymnographus, vulgatusque Athanasius et Augustinus.

ܕܢܡܪ ܒܥܩܡܐ ܘܒܝܘܡܐ ܐܦ ܫܒܐ ܚܟܝܡ ܒܟܠܐ . ܒܚܕܐ ܟܠܐ ܐܢܫ ܡܢܒܠ ܗܘ
ܕܐ ܒܟܠ ܐܝܡ ܠܐ ܟܫܠ ✣

a) Paraclit. pag. 392. col. 1. B. Ἡ ἐκλεκτὴ ἀμνὰς τοῦ θεοῦ λόγου, τοῖς ἐκλεκτοῖς προβάτοις μὲ ἐν ὥρᾳ φοβερωτάτῃ καταριθμῆσαι ἐκείνους τὸν ἐκ σοῦ σαρκωθέντα θεόν.

b) Orat. in Deiparae nat. pagg. 1260. E. et 1261. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Λάβε τὴν εἰς καταλλαγὴν ἡμῶν προορισθεῖσάν σοι μεσίτιν· παράγαγε τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα, ἐξ ἧς τὸ τῆς φύσεως περιβαλλόμενος ἴδιον, ὡραιότατος ἡμῖν ὀφθήσῃ τοῖς ἐν τῷ σκότει· ταύτην ὑπὸ σοῦ ἐντυπωθέντες ποικίλως ἀνεκηρύξαμεν· ταύτης ἐνίσχυον ἐλευθερίας τὴν ἐλπίδα κατέχομεν· ταύτης προφητείαις προκατηρτίσαμεν· ταύτην ἐγκωμίοις κατεποικίλαμεν· τὴν κοσμιότητα τοῦ γένους· τὸ ἐγκαλλώπισμα τῆς φύσεως.

1) *Nova* dicitur prae Eva, cuius vetustatem non contraxit.

2) Breviar. armen. pag. 747. T. III.

3) Ad diem conceptae Virginis respicitur, atque adeo conceptus eius immaculatus declaratur.

4) Videri opportunissima debet societas matris *agnae* cum Filio *agno immaculato*.

5) Non eguit ergo reconciliatione Deipara, neque peccatum propterea contraxit quo a Deo seiungeretur.

6) Non antea Virgo extitit quam esset *immaculata*, nullusque culpae aditus patuit, ut eam inficeret.

7) Qui haberi potuisset *libertatis pignus*, si et ipsa *in peccati servitutem incidisset?*

8) Infelix naturae gloriatio, si primum *filia irae* et peccato deturpata apparuisset.

Digitized by Google

1198. Prior namque [a]) sic habet: « Te Deus *elegit Iacobi pulcritudinem*, et in te habitavit, et te, o Virgo Deipara, post partum virginem custodivit quemadmodum ante partum virgo eras. » Sequitur [b]) ementitus Athanasius qui explanans [1]) Symeonis verba, *et tuam ipsius animam gladius pertransibit*, ait: « Tuam ipsius animam o undequaque incorrupta et immaculata, quam David [2]) arcam vocat sanctificationis, Salomon autem [3]) lectum aureum ac thronum convallemque liliorum *et paradisum a Deo plantatum*. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, *tuam ipsius ante nativitatem electae, praedestinatae a seculis et generationibus*. Tuam ipsius *quam Pater elegit*, Filius inhabitavit, Spiritus sanctus ut Deum decet obumbravit. » Utrumque excipit vulgatus Augustinus [4]) inquiens: « Quid igitur, fratres, nobilius Dei matre? *Quid splendidius ea quam splendor Patris elegit?* Quid castius ea quae corpus sine contagione corporis, Deum et hominem generavit? Virgo quippe supra omnes virgines fuit, non solum corpore sed et mente. Haec exstitit tota fiducia peccatorum et gloria. » Et [5]) mox: « Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus caelorum maior reperit, *talem Spiritus sanctus, Pater et Filius elegit et praeelegit ante mundi constitutionem, ut mater Dei aeterni plena omni gratia* [6]) *et veritate esset, ut nemo sit* [7]) *qui se abscondat a calore sanctitatis et misericordiae eius.* »

1199. Quae omnia si in quamdam veluti summam colligantur, hanc exhibent penes maiores nostros certam fidem ratamque sententiam: providentiae ordinem Virginis proprium [8]) ea constitisse

a) Men. die XXII. Aprilis Ode ζ'. pag. 90. col. 2. C. Τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ σὲ θεὸς ἐξελίξατο, καὶ ἐν σοὶ κατασκήνωσε, καὶ σὲ διετήρησε καὶ μετὰ τόκον παρθένον, ὥσπερ ἦς πρὸ τοῦ τόκου, παρθένε θεοτόκε.

b) Orat. in occursum Domini n. 16. pag. 423. F. inter opp. Athanasii T. II. Σοῦ αὐτῆς, ὦ παράφθορε καὶ παντάμωμε, ἦν Δαβὶδ μὲν κιβωτὸν καλεῖ ἁγιάσματος· Σολομὼν δὲ κλίνην χρυσῆν, καὶ θρόνον, καὶ κοιλάδα κρίνων, καὶ παράδεισον θεοφύτευτον, καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία· σοῦ τῆς ἐκλελεγμένης καὶ πρὸ γεννήσεως, τῆς προωρισμένης ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν· σοῦ αὐτῆς, ἦν ὁ πατὴρ ἐξελίξατο, καὶ ὁ υἱὸς ἐνεσκήνωσε, καὶ πνεῦμα τὸ ἅγιον θεοπρεπῶς ἐπεσκίασε.

1) Luc. II. 35.
2) Ps. CXXXI. 8.
3) Cant. II. 1. coll. III. 9.
4) Serm. CXCIV. de Virginis assumpt. n. 3. pag. 453. apud Mai in nova pp. biblioth. T. I.
5) Ibid. pag. 453. B.
6) Quae de Verbo incarnato dicuntur Ioh. I. 14.
7) Ac si de ipsa non immerito usurparetur, quod de Christo Ioh. I. 16. profitemur: *et de plenitudine eius nos omnes accepimus.*
8) Praeclare Thomas in S. III. p. q. XXVII. a. IV. « Dicendum, quod illos quos Deus ad aliquid

Digitized by Google

beneficiorum sempiterna praeparatione, *quibus ipsa crederetur simpliciter electa, sola electa, ex omnibus generationibus electa ac praeelecta, sive ut nullius vitii naufragium sentiret, sive ut nullam abominationis tineam in se reciperet, sive ut esset impollutum domicilium, mundissimum hospitium et ad purum praeservata, sive ut exsors muliebris nequitiae ac veluti lilium inter spinas tota esset pulcra, Deo prius consecrata quam nata, ab ipsis incunabulis pura animo, pura corpore prae omnibus creaturis Deo adhaereret, omnem electae creaturae altitudinem transcenderet, meritorum verticem supra omnes angelorum choros erigeret, Seraphim puritate superaret, divino probaretur iudicio atque una Deo prae omnibus placeret, sive ut in vitae obsequium destinata, tamquam nova mater et agna immaculata inservire non indigne posset incarnationis sacramento, suoque merito haberi decus generis, naturae gloriatio, Iacobi pulcritudo, paradisus a Deo plantatus, pignus libertatis, cornu salutis, generis restitutio, omnium mediatrix, eaque gratiae et veritatis plenitudine referta, per quam omnis creatura superfunderetur.* Iamvero excellit quidem haec inter suoque splendore emicat ea beneficiorum praeparatio, quibus Virgo ab universali corruptela eximeretur; sed alia non desunt multo insigniora, quaeque quum Virginem multo gloriosius extollant, principem sibi locum meritissime vindicant. Erimus ergo parcissimi, si ex maiorum doctrina de propria Virginis electione hoc unum deducamus, seiungi ab illa nullatenus posse eiusmodi beneficiorum praeparationem, quibus Deipara cuiusvis exsors labis custodiretur. Quare fuit cur Iohannes da-

elegit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II. Cor. III. *idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei, et ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit, *invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies* . . . Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando. » Quod continuo demonstrat quatuor rationum momentis, e quibus primum est: « Quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. XVII. *gloria filiorum, patres eorum*, unde et per se oppositum, ignominia matris ad filium redundasset. » Alterum est: « Quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem II. Cor. VI. *quae conventio Christi ad Belial?* » Succedit tertium: « Quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia in ipsa habitavit, non solum in anima sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. I. *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* » Postremum denique sic habet: « Ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. IV. *tota pulcra es amica mea, et macula non est in te.* » Quibus permotus Catharinus de concept. lib. III. subdit: « Doctor angelicus ideo verba illa in Virgine compleri affirmat, quia caruit omni labe actualis peccati, tam venialis quam mortalis. Si ergo aliqua vel levis peccati venialis macula ipsi adhaesisset, non utique in ipsam secundum vim suam quadrarent verba illa. Ita plane fateri opus est ex mente d. Thomae. Si igitur ad pulcritudinem istam complendam unius etiam peccati venialis maculam a Virgine removere opus est, quis asserat terrimam illam peccati originalis labem cum tanta pulcritudine componi et copulari potuisse, ita ut nihilominus *tota pulcra et sine macula* praedicari debeat?»

Digitized by Google

mascenus [a]) scriberet: « Ave quae praedestinata es Dei mater. Ave quae consilio Dei ante secula praeelecta es, *ut divinissimum* [1]) *terrae germen*, habitaculum divini ignis, Spiritus sancti sacratissimum [2]) oblectamentum, aquae vivae fons, ligni vitae paradisus, divini racemi palmes ex quo nectar animatum et ambrosia profluxerunt, fluvius aromatibus Spiritus plenus, terra divinae spicae, rosa virginitate clarissima et gratiae fragrantiam spirans, regii indumenti lilium, agna pariens agnum Dei tollentem peccatum mundi, salutis nostrae officina, angelicis potestatibus sublimior, ancilla et mater. » Fuit cur [3]) Anselmus suam his verbis mentem promeret: « Propone tibi palatium quod specialiter suis usibus aptum existat, construere volentem, in quo et ipse frequentiori et festiviori cursu conversetur, et omnibus ope eius atque auxilio indigentibus mitiori et lactiori vultu respondeat et auxilietur. Paterctur ne, quaeso, in principio palatii fundamentum invalidum, et structurae quae foret aedificanda incongruum et non cohaerens? Non puto si saperet, et propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo sapientiam ante omnia secula proposuisse sibi habitaculum quod specialiter inhabitaret, construere similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum illud fuerit, iamdudum innotuit: hoc enim habitaculum illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo et per quod eadem Sapientia humanae naturae coniungi voluit et incorporari, et omnibus se pura mente confitentibus parcere et misereri: quod sacrarium, aula videlicet universalis propitiationis, quum operante Spiritu sancto construeretur si fundamenti illius, scilicet initium sive primordium formationis beatae Mariae corruptum fuit, ipsi

a) Orat. III. in Deiparae dormit. §. V. pagg. 885. D-E. Χαίροις ἡ προωρισμένη μήτηρ θεοῦ· χαίροις ἡ προεκλελεγμένη τῇ πρὸ αἰώνων βουλῇ τοῦ θεοῦ, γῆς θειότατον βλάστημα, πυρὸς θείου κατοικητήριον, πνεύματος ἁγίου ἱερώτατον ἄγαλμα, ὕδατος ζῶντος πηγή, παράδεισος τοῦ τῆς ζωῆς ξύλου, θείου βότρυος κλῆμα ἔμψυχον, νέκταρ καὶ ἀμβροσίαν πηγάζοντος, ποταμὸς πλήρης τῶν ἀρωμάτων τοῦ πνεύματος, ἄρουρα τοῦ θείου ἀστάχους, ῥόδον τῇ παρθενίᾳ φανώτατον, καὶ πνέον τῇ εὐωδίᾳ τῆς χάριτος, κρίνον τοῦ βασιλικοῦ ἀμφιάσματος, ἀμνὰς ἡ τεκοῦσα τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἐργαστήριον, ἀγγελικῶν ὑπερτέρα δυνάμεων, δούλη καὶ μήτηρ.

1) Reddit haec ita Lequienius: *ut divinum germen esses divini ignis habitaculum*. Videlicet non citra omissionem et paullo ac expediret obscurius.

2) Lequienii versio sic habet: *Spiritus-sancti sacra statua*. Non admodum, ut quisque sentit, concinne.

3) Tract. de Virginis concept. pagg. 500. col. 2. E. et 501. col. 1. A.

Digitized by Google

certe constructurae non congruebat nec cohaerebat. » Et fuit cur Richardus victorinus [1]) in sermone quem de conceptu Virginis habuit, praeclarissimis verbis testaretur: « Non decuit ut caro illa beatae Mariae peccato aliquando obnoxiam se cognoverit, *sed electa est ab initio*. Nam Dei sapientia indignum esse credimus ut quam ad lumen gentium *praedestinavit*, tenebris pravitatis sineret involvi. »

ARTICULUS IV.

De eo providentiae ordine Virginis proprio quem exsequutionis dicunt: is aeterno praedestinationis atque electionis ordini adamussim respondit, et aeque ac iste mirabilis omnino fuit ac plane singularis: potiores illius veluti gradus ex maiorum doctrina recensentur atque expoliuntur, et ille inprimis quo Virginis creatio tamquam eximium Dei opus, purissimum et nulla umquam labe taminatum praeclarissime exhibetur.

1200. Quisque facile intelligit utrumque ordinem *sempiternum praedestinationis et temporalem exsequutionis* se haud aliter excipere sibique mutuo penitissime cohaerere, ac sese excipiant sibique mutuo penitissime cohaereant hinc quidem *idea et opus ad illius amussim exactum*, inde vero *caussa et effectus in ipsa praefinitus suaque sponte ex ipsa dimanans*. Quae autem eiusmodi habitu nexa sunt atque devincta, ea nequeunt non esse simillima, et iisdem distincta notis insigniaque characteribus. Quare si prior sempiternae praedestinationis ordo mirabilis fuerit ac plane singularis, mirabilis quoque ac plane singularis erit posterior ordo temporalis exsequutionis: et si ille praeparatione constiterit beneficiorum quae sua se praestantia singularique excellentia commendarint, hic eorumdem collationem donationemque necessario complectetur. Iamvero superiori articulo demonstravimus, ordinem electionis ac praedestinationis Virginis proprium nonnisi mirificum et prorsus singularem haberi posse, eorumque beneficiorum praeparatione coalescentem quibus ditata Virgo creaturis omnibus praecelleret, eaque puritate niteret quae ad divinam sanctimoniam proxime accedens nullum umquam culpae naevum contraxerit. Necessaria igitur tum rerum tum idearum copulatione exigitur, ut eadem admirabilitate ac sin-

1) Penes Iohannem Bacbonem in IV. dist. II. q. IV. a. I.

Digitized by Google

gularitate insignis ordo exsequutionis putetur, iisque aucta beneficiis Virgo censeatur quibus fuerit cuiusvis culpae exsors divinitus custodita. Hoc autem quod deducendo inferendoque perspicue assequimur, ea maiorum testificatione assertum communitumque reperimus, qua nulla luculentior nullaque firmior expeti iure posse videatur.

1201. Et re sane vera in temporario exsequutionis ordine *quatuor ferme gradus* considerari initio possunt, quorum prior *multiplici adumbratione atque fatidica praenunciatione*, alter *genitorum praeparatione*, tertius *annuntiatione conceptus*, et postremus *effectione ipsa* contineatur. Ex his autem gradibus *quamquam non omnes, aliquot tamen* in ordine exsequutionis Baptistae proprio refulgent: nam et vaticinia [1]) illum praemonstrarunt, et angelicus nuntius [2]) illius conceptum praesignavit; *sed omnes* in eo splendent exsequutionis ordine quem Christi proprium profitemur. Is enim [3]) incredibili quadam typorum vaticiniorumque copia adumbratus fuit ac praedictus, eiusdem mater [4]) divinitus praeparata, conceptus [5]) Gabrielis voce ostensus, et effectio [6]) Virtute Altissimi atque obumbrante Spiritu inchoata et absoluta. Ad hunc porro exsequutionis ordinem Christi proprium ille ex maiorum suffragio vulgataque doctrina quam proxime accedit, qui ad Virginem spectat, quique ipsam a reliqua Adami posteritate toto prope caelo secrevit.

1202. Ut enim ab eo ordiamur gradu quem *primum* vocavimus, neque necessariam neque vero etiam utilem operam susciperemus, si Virginem praesignatam typis praenunciatamque vaticiniis maiorum auctoritate fulti confirmaremus. Hanc siquidem operis partem suo [7]) loco atque affatim explevimus, et neminem esse arbitramur quem fugiat, communem universalemque maiorum fidem tum fuisse [8]) a Methodio expressam quum innumera esse docuit in lege atque in prophetis ad Virginem spectantia, quumque iis obiter defloratis, Virginem [a]) alloquens subiecit: «Nam cesserunt omnia, tuaeque illi

a) De Symeone et Anna §. IX. pag. 815. A. *Πάντα γὰρ εἶκόν τι καὶ ἰσχύοντος τῇ σῇ θείᾳ εἰκόνι ἰσχυόμενα.*

1) Is. XL. 3., Mal. III. 1. coll. Matth. III. 3., Marc. I. 2-3., Luc. III. 4. et Ioh. I. 23.
2) Luc. I. 11. seqq.
3) Luc. XXIV. 27.
4) Is. VII. 14. coll. Matth. I. 22-23.
5) Matth. I. 18. coll. Luc. I. 26. seqq.
6) Luc. I. 35.
7) Sect. III. nn. 451. seqq.
8) De Symeone et Anna §§. V-IX. pagg. 809-818. apud Gallandium T. III.

Digitized by Google

divinae imagini repraesentandae imparia succubuerunt.» Primus igitur exsequutionis gradus est omnino simillimus sive *ad Matrem* sive *ad Filium*, sive ad θεοτόκον sive ad genitum ex ea θεάνθρωπον referatur: et quemadmodum una cum secundo Adamo et serpentis victore [1]) tamquam secunda Eva et serpenti infensissima fuit primum a Deo promissa, ita insequente typica et prophetica oeconomia numquam luna pulcherrima a suo sole seiuncta fuit ac divisa.

1203. Ad alterum quod pertinet exsequutionis gradum iis ultro libenterque sepositis quae de Virginis parentibus Ioachimo et Anna leguntur [2]) in protevangelio Iacobi, in [3]) evangelio de nativitate Mariae, in [4]) historia de eiusdem nativitate et infantia Salvatoris, quaeque de iisdem illorumque pietate ac iustitia praeclarissime disseruerunt [5]) Gregorius nyssenus, Epiphanius [6]), Eustathius antiochenus [7]), aliique bene multi quos laudant et quorum verba referunt [8]) Leo Allatius, Bollandiani [9]), Benedictus XIV. [10]) et [11]) Matthaeus Basile; sat mihi erit pauca quaedam in medium adduxisse quibus maiorum mens atque doctrina de spectatissima illorum sanctimonia, ne indigni essent Deiparae genitores, perspicue innotescat. Itaque [a])

a) Orat. III. in Deiparae concept. et nativ. pag. 1050. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ἀναλογίζου μοι τὴν τῶν δικαίων ἁπάντων καὶ προφητῶν ἐκλογήν, τήν τε πρὸς τὸν ἐκλεξάμενον θεὸν οἰκειότητα, καὶ ὄψει τὴν Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης ἀσύγκριτον ὑπεροχήν· ὄψει τὸ ὑπὲρ ἔννοιαν αὐτῶν καὶ προτετιμημένον καὶ δεδοξασμένον ἀξίωμα· τούτους γὰρ ὁ δημιουργὸς εἰς τὴν τοῦ παλαιωθέντος κόσμου καινοποίησιν ἐκλέλεγεν· ἐκ τούτων τὴν δι' ἧς τὴν νίαν ἠβουλήθη προνοήσασθαι διάπλασιν, παραλαμβάνει μητέρα· ἐκ τῶν ἐκείνων αἱμάτων, ὡς βασιλικωτέρων ἀρεταῖς, τὴν βασίλειον τοῦ γένους ἀμφίενυται πορφύραν· τοῦτο, τὸ ὑπεραντιστηκέναι πάντων αὐτοὺς παρίστησι δικαίων· τοῦτο, τὸ ὑπεράξιον αὐτοῖς δικαίωμα, τὸ μόνους ἐκλεγῆναι τῶν ἁπάντων, καὶ ἐν τῷ δέοντι παραχθῆναι χρόνῳ, καὶ πρὸς τὸ πέρας τοῦ μυστηρίου παραληφθῆναι· σκόπει γοῦν, ὅπως ἅπασαν συγκριτικὴν αἰτιοπαράθεσιν τὰ κατ' ἐκείνους διαδιδράσκει.*

1) Gen. III. 15.

2) Protevang. cap. I. pagg. 163. seqq. edit. Lipsiae MDCCCXXXII.

3) Evang. de nativ. Mariae capp. I-II. p. 319-321.

4) Hist. de nativ. Mariae et infant. Salvat. cap. I. pagg. 340-341.

5) Opp. T. II. pag. 778.

6) Haeres. LIX. al. LXXIX. n. 5.

7) Comm. in hexaem. pagg. 78. seqq. edit. Lugduni pag. MDCXXIX.

8) In notis ad Eustathium ant. pagg. 285. seqq.

9) Ad diem XXVI. Iulii pagg. 233. seqq. et ad diem XX. Martii pagg. 77. seqq. ubi ex orationibus Leonis cognomento sapientis et Andreae cretensis nonnulla decerpunt ad laudes Ioachimi et Annae opportunissima.

10) De festis lib. II., cap. IX. nn. 12. seqq.

11) Con. Exercitatt. Hiacynti Serry, diss. II. pagg. 72. seqq. His adde Simonem Wangnereckium in Pietate mariana Graecorum cent. V. n. 435., penes quem s. Sabas ita Deiparae parentes exorat: «O Ioachime afflatu divino decore! Tu quoque Anna divinitus clara! Vos gemini estis lychni, e quibus orta est lampas, circa quam nullum umbrae vestigium cernimus. Vos quoque abundanter implevit ipsamet Dei gratia, idest genitrix Dei, cum qua enixe ambo orate ut animabus nostris perfruendam Deus concedat magnitudinem misericordiae suae.»

Digitized by Google

Georgius nicomediensis sic habet: « Omnium mihi iustorum ac prophetarum electionem, eorumque in Deum eligentem necessitudinem mihi cogita, videbisque Ioachimi et Annae incomparabilem excellentiam: videbis eorum maiorem cogitatu dignitatem, maiori pretio habitam ampliorique gloria auctam. Hos quippe creator Deus ad veterati mundi instaurationem eligit, ex iis matrem accipit per quam novam fictionem providere decrevit, ex eorum sanguinibus tamquam virtute regalissimis regalem humani generis purpuram induit. Ea res illos iustis omnibus superiores facit, hoc eorum ius vincit meritum omne ut prae universis delecti sint et congruo tempore in rerum naturam producti, assumptique in mysterii finem. Vide ergo ut eorum res omnem plane comparationem fugiant. » Neque vero esse secus [a]) poterat, *ut qui re pariter nominisque* [1]) *appellatione praecursores ac praecones gratiae fuerint.* Quorum egregiis virtutibus commemoratis [b]) pergit: « Quippe decebat ut donum *(Mariam significat)* omni inter res creatas comparatione maius ex praestanti electione prodiret: decebat ut ex affluenti virtutum penu supersanctae illae scaturirent divitiae: decebat ut labores eiusmodi talem referrent fructum: ut ex ingenua radice summe ingenuum [2]) pullularet germen, ex bonis lumbis optimus palmes surgeret, illa semper virens generis gloriatio, pulcherrimumque illud naturae germen. » Prae quibus etsi luculentis haec tamen splendidiora sunt, quibus [c]) Ioachimum et Annam patriarchis omnibus et prophetis

a) Ibid. pag. 1062. B. Ὡς ἄρα πρόδρομοι καὶ κήρυκες, τῷ τε πράγματι καὶ προσηγορίᾳ, τῆς χάριτος ὄντες.

b) Ibid. pag. 1063. C-D. Ἔδει γὰρ ἐξ ὑπερεχούσης ἐκλογῆς τὴν ἀσύγκριτον ἐν γενητοῖς παραχθῆναι δωρεάν· ἔδει ἐξ ἀφθόνων ἀρετῶν τὸν ὑπερέχοντα ἐπιβρῦσαι πλοῦτον· ἔδει τοιούτων πόνων τοιοῦτον συγκομισθῆναι τὸν καρπόν· ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστόν· ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κλῆμα, τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα· τὸ τῆς φύσεως ἀριστότατον βλάστημα.

c) Orat. IV. in Virginis Praesentat. pag. 1075. A-C. Εὖγε δὴ τοὺς οἰκείους ἐκ τῶν αὐτῶν ὁρμωμένους, καὶ πρὸς τοῦτο τῷ κτίστῃ εὐτρεπισμένους· Ἰωακεὶμ φημι καὶ Ἄνναν τοὺς τὴν αἰτίαν τοῦ τέλους τῶν μυηθέντων ἀποτεκόντας· οὗτοι τὰ τῶν προῤῥήσεων εἰς ἔργον

1) Respicit ad utriusque nominis potestatem, quam ibidem sic enarrat: Ἰωακεὶμ μὲν γάρ, ἑτοιμασμός· Ἄννα δὲ, χάρις ἑρμηνευομένη κεκύρωται. *Ioachim enim*, repositum, *Annam vero*, gratiam *exponi liquet.* Hinc ab eruditio Epiphanio in oratione de Virginis laudibus *Ioachim* redditur Ἑτοιμασία κυρίου, *praeparatio Domini*, quod ex eo, inquit, praeparatum sit Domini templum, idest Virgo.

2) Hac phrasi conceptus Virginis exprimitur, eaque pullulasse uti germen εὐγενέστατον *maxime ingenuum* perhibetur. Pullulasset autem uti germen servituti obnoxium et satanae captivum, si illius primordia peccati virus afflasset.

Digitized by Google

longe anteferens scribit: « Porro invenit sibi *(Deus)* congruos iisdem prognatos maioribus atque in eum finem *(ut Mariam ederent)* a rerum auctore paratos, Ioachimum nimirum et Annam, parentes eius quae promissionum finis conciliatrix foret. Hi prima ad opus praestruxerunt praedictionum initia: hi expectatorum radicem germinarunt: hi promissorum fundamentum iecerunt: ex his nobis emersit sanitatis [1]) myrotheca: ex his orta prodiit laetitiae conciliatrix: ex his praeiverunt gaudii pignora. Hi itaque ob excellentem virtutem supra omnes noti fiunt Deo creatori, ut qui praesciti ac praedestinati in mysteriorum divinorum ministerium erant. Quamobrem viam omnem mandatorum incedentes ad summum evaserunt perfectionis apicem, solique ea sunt consequuti quae plurimi a seculo cupierunt. »

1204. Atque his a Georgio propositis solemniterque declaratis egregie patrocinantur quae Petrus argorum antistes litteris consignata voluit. Is namque est qui [2]) de Ioachimo et Anna ait: « Ioachim enim ex praestantioribus Hebraeis unus, magnique inter illos nominis et ex davidico stipite originem ducens, uxorem habuit divinae gratiae cognominem Annam ex eadem cognatione. Hi sane virtutem aequo concordique animo utrique exercentes, aeque unus ac altera omnes illius aetatis homines, quantum vix dici potest, facile excesserunt. Cuius rei evidens argumentum dabunt quae post

κατιβάλλοντο προοίμια· οὗτοι τῶν προσδοκηθέντων τὴν ῥίζαν ἐβλάστησαν· οὗτοι τῶν ἐπηγγελθέντων τὸν θεμέλιον κατέπηξαν· ἐκ τούτων ἡμῖν ἡ τῆς ἰατρείας μυροθήκη κατεσκευάσθη· ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προσδοκήσιμα ἐνέχυρα· οὗτοι τοίνυν δι' ὑπερβάλλουσαν ἀρετὴν, παρὰ πάντας γνώριμοι τῷ κτίστῃ καθίστανται, καί τοι προγνωσθέντες καὶ ὁρισθέντες εἰς θείων μυστηρίων λειτουργίαν· διὰ πᾶσαν ὁδὸν ἐντολῆς βαδίσαντες, πρὸς ἀκρότητα τῆς τελειότητος κατήντησαν, καὶ μόνοι τῶν πλείστοις ἐξ αἰῶνος ἐπιθυμουμένων ἐπέτυχον.

a) Orat. in concept. s. Annae n. III. Ἰωακεὶμ γάρ τις τῶν ἐξόχων καὶ μέγα παρ' ἑβραίοις ἔχων τὸ ὄνομα, ἐκ δαβιδικοῦ φύλου κατάγων τὸ γένος, τὴν τῆς θείας χάριτος ἐπώνυμον Ἄνναν τῆς αὐτῆς συγγενείας οὖσαν ἐκτήσατο σύνοικον· καὶ δὴ τῆς ἀρετῆς ὁμοτίμως καὶ ὁμοψύχως ἀμφότεροι ἐξασκήσαντες οὐχ ἧττον θατέρος θατέρου πάντας τοὺς κατ' ἐκείνου καιροῦ ἐν ταύτῃ, ὅσῳσον οὐκ ἦν εἰπεῖν ῥᾳδίως ὑπερηκόντισαν· καὶ τούτου σαφὴς τὰ μετὰ τὸν τόκον ἀπόδειξις· μόνοι γὰρ τῶν ἄλλων ἁπάντων τοιούτῳ μυστηρίῳ διακονῆσαι κατηξιώθησαν, ὡς θεοῦ μητρὸς χρηματίσαι γεννήτορες, καὶ τούτου πρόγονοι τῆς κάτω γεννήσεως.

1) Quis iamvero putet τὴν τῆς ἰατρείας μυροθήκην, *sanitatis myrothecam* morbo fuisse aliquando tentatam? Sed non tentata solum, verum etiam morbo infecta eoque lethifero fuisset Deipara, si in originalem praevaricationem prolapsa mortem animae subisset.

Digitized by Google

partum sequuta sunt. Soli namque prae aliis omnibus digni habiti sunt ministri huiusce mysterii, adeo ut Dei matris genitores exstiterint, Deique ex terrena generatione avi.» Is est a quo [a]) iidem appellantur: «Divum illud par, Ioachim inquam et Anna, legalis cultus firmamentum et evangelicae philosophiae gloriatio, tribusque Iuda nobilissimum insigne et Christi omnium Domini secundum generationem in carne praeclarissimum decus, ut principium et caussa: sacratissimum Davidis ornamentum et omnium nostrum salutis elegantissimum specimen.» Is est qui nobilissimum reserat fontem singularis praestantiae, qua Ioachimus et Anna [b]) claruerunt, inquiens: «Quandoquidem enim nos qui ob peccatum morti corruptionique damnati eramus, Dei incarnatione indigebamus, atque oportebat [1]) ut quae horum magnalium administra futura erat, puritate homines omnes antecelleret, ut ea quae fieret (o mirum!) mater Dei; necesse profecto erat ut huius Dei genitricis parentes longe aliis essent meliores, ut Dei qui ex illa nasceretur progenitores. Neque enim decebat aut huius alios esse genitores, aut hanc aliorum filiam nominari.» Is est qui [c]) Ioachimum et Annam his

a) Ibid. n. V. Τὸ θεῖον ζεῦγος, Ἰωακεὶμ φημι καὶ Ἄννα, τῆς νομικῆς λατρείας τὸ στήριγμα καὶ τῆς εὐαγγελικῆς φιλοσοφίας τὸ καύχημα· τὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς εὐγενέστατον γνώρισμα, καὶ τοῦ πάντων δεσπότου Χριστοῦ τῆς κατὰ σάρκα γενέσεως περιφανέστατον, ὡς ἀρχὴ καὶ αἴτιον, συμβολόγημα· τὸ τοῦ Δαβὶδ ἱερώτατον ἐγκαλλώπισμα, καὶ τῆς ἁπάντων ἡμῶν σωτηρίας ἀστειότατον γνώρισμα.

b) Ibid. n. IX. Ἐπεὶ γὰρ ἐδεήθημεν θεοῦ σαρκουμένου διὰ τὴν ἁμαρτίαν θανάτῳ καταχρισθέντες καὶ τῇ φθορᾷ, ἔδει δὲ τὴν τὸ τοιοῦτον διακονήσασαν κρείττονα πάντων ἀνθρώπων ὑπάρχειν εἰς καθαρότητα, ὡς γενησομένην, ὦ τοῦ θαύματος, μητέρα θεοῦ· ἔδει πάντως καὶ τοὺς ταύτης γεννήτορας θεοτόκου, ὡς τῶν ἄλλων εἶναι κρείττονας, θεοῦ τοῦ ἐξ αὐτῆς τεχθησομένου προπάτορας· οὐ γὰρ ἄλλου ἐξῆν ἢ ταύτης εἶναι πατέρας ἐκείνους, οὐδὲ ταύτην ἄλλων θυγατέρα ἢ ἐκείνων ὀνομασθῆναι.

c) Ibid. n. XII. Χαίρετε καὶ αὐτὴ ἡ συζυγία ἡ πανθαύμαστος, ἡ πᾶσι σήμερον τὴν χαρὰν προξενήσασα· χαίροις Ἄννα, χάρις ἡ ἔνθεος· χαίροις ἡ στεῖρα ἡ πάντως τὸ γόνος τῇ εὐπαιδίᾳ νικήσασα· χαίροις ἡ ἄπαις διὰ τὴν στείρωσιν, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ μητέρα βλαστήσασα· χαίροις ἡ συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ τὴν συλλήψεσθαι μέλλουσαν τὸν κατέχοντα τὸ πᾶν τῇ δεξιᾷ· χαῖρε τὴν τοῦ οὐρανοῦ καὶ γῆς πλατυτέραν ἐν γαστρί σου χωρήσασα· χαῖρε πασῶν ὑπεραντεστηκυῖα μητέρων ἄτερ τῆς σῆς θυγατρός· παρὰ ταύτης γὰρ μόνης τὰ πρῶτα, παρὰ πᾶσιν τὰ πρῶτα φέρειν κεκώλυσαι· χαῖρε τὴν ὄντως χαρὰν τῷ ἡμετέρῳ γεννήσασα, καὶ τὴν χάριν ὡς χάρις ἀντιπαρεισάξασα· χαίροις ἡ ἐν νόμῳ καλῶς τῷ θεῷ λειτουργήσασα· χαίροις μήτηρ τῆς τοῦ δεσπότου μητρός, καὶ προμήτωρ Χριστοῦ, καὶ τῶν μη-

1) Quibus doctrinae caput repetitur cum immaculato Virginis conceptu intime nexum, maioribus nostris familiare et superius a nobis expolitum.

Digitized by Google

verbis compellat: « Gaudete et vos par prorsus admirabile, qui omnibus hodie gaudium procurastis. Gaude tu Anna, divina gratia. Gaude o sterilis, quae universum genus fecunditate vicisti. Gaudeas arida tellus, quae ipsum Dei paradisum irrigasti. Gaudeas quae propter sterilitatem filiorum expers, Dei matrem germinasti. Gaudeas quae omnia pugillo continentem concepturam, in utero concepisti. Gaude tu quae terris caelisque ampliorem tuo ventre continuisti. Gaude quae supra omnes matres, praeter filiam tuam, caput extulisti. Haec enim una prohibet, ne inter omnes principem locum consequaris. Gaude quae verum gaudium nobis genuisti. Salve quae in lege Deo recte obsequuta, gratiam ut gratia insinuasti. Salve mater matris Domini et avia Christi, matrumque omnium decus et magnificentia. Ave quae tuo partu, senectutis et sterilitatis angore abiecto, nova a Deo contexta stola propter tuum partum induta es. Ave et tu o Ioachim, iustorum omnium ornamentum et patrum eximia gloriatio. Ave pater matris Dei, huiusque avus augustissimus. Ave dignus illam manibus complecti, quae nusquam comprehensum, ut Deum, complexa est. Salve qui ob tuam filiam ad aequalem cum angelis honorem ascendisti. Salve qui omnes terrestres patres antecellis. Salve qui diuturnis ad Deum emissis precibus filiam ab illo sortitus es, quae ob suum filium omnes supergressa est, praeter unum ipsum Filium et Deum. Salve tu in lege iustissimus et gratia, ut qui tuae filiae caussa, huius initia praebueris, sanctissimus. » Atque is est qui eosdem [a]) deprecatur inquiens: « At vos, o Dei genitricis parentes, Deique progenitores sanctissimi, vos dulcissimum naturae nostrae solamen, » legis et

τέρων ἁπάντων τὸ συμνολόγημα· χαίροις ἡ τὸ γῆρας καὶ τῆς στειρώσεως ἄχθος ἀποθεμένη τῷ τόκῳ σου, καὶ νέαν ἐνδυσαμένη διὰ τοῦ τόκου σου στολὴν θεοὔφαντον· χαίροις καὶ αὐτὸς Ἰωακεὶμ ἁπάντων δικαίων ἐγκαλλώπισμα, καὶ πατέρων ἐξαίρετον συμνολόγημα· χαίροις ὁ πατὴρ τῆς μητρὸς τοῦ θεοῦ, καὶ προπάτωρ τούτου σεβασμιώτατε· χαίροις ὁ καταξιωθεὶς κρατῆσαι χειρὶ τὴν κρατήσασαν τὸν ὡς θεὸν μηδαμοῦ χωρητόν· χαίροις ὁ πρὸς τὴν τῶν ἀγγέλων ὁμοτιμίαν ἀναβιβασθεὶς διὰ τῆς σῆς θυγατρός· χαίροις ὁ πάντας ὑπεραντίσας πατέρας τοὺς ἐπὶ γῆς· χαίροις ὁ διὰ τῆς ἐμμόνου προσευχῆς πρὸς θεὸν θυγατέρα πασῶν ἐξ αὐτοῦ καὶ υἱῷ ὑπεραίρουσαν κληρωσάμενος, πλὴν καὶ μόνου τοῦ ταύτης υἱοῦ καὶ θεοῦ· χαίροις ὁ ἐν νόμῳ δικαιότατος, καὶ ἐν τῇ χάριτι, ὡς καὶ τὰς ταύτης ἀρχὰς διὰ τῆς σῆς θυγατρὸς παρισχόμενος ἁγιώτατος.

a) Ibid. n. XIII. Ἀλλ' ὦ πατέρες τῆς θεοτόκου καὶ θεοῦ προπάτορες ἁγιώτατοι, ὦ ἡμετέρας φύσεως τὸ γλυκύτατον παρηγόρημα, ὦ νόμου καὶ χάριτος ἱερώτατα καὶ σεβάσμια ἀκροθίνια, νίμοιτε πᾶσιν ἡμῖν εἰρηναίαν κατάστασιν.

Digitized by Google

gratiae sacerrimae ac venerabiles summitates et initia, nobis omnibus quaeso, pacificum rerum statum largiamini. »

1205. Ea igitur Dei sapientia quae ad exquisitissimas convenientiae leges omnia moderatur ac temperat, providentissime effecit ut ii forent Virginis parentes e quibus ipsa decentissime gigneretur: et unigenitus Patris Filius qui, ut auctor est [1]) Alexander III. in instructione fidei catholicae ad Soldanum Iconii missa, *antiquum quod primum docuit mandatum honorandi parentes fideliter adimplevit*, sic omnia disposuit ut quemadmodum ipse ex ea conceptus est matre quae foret *plena gratia*, ita propria sui mater non ex alia nasceretur quam quae ipso nomine *gratiam* praeferret. Quae quidem in ecclesiasticis Graecorum Latinorumque libris perspicue confirmantur. Confirmantur in Graecorum libris, in quibus [a]) omnia virtutum decora Ioachimo et Annae tribuuntur, quod selecti divinitus fuerint ut ex semetipsis gignerent *eam quae omnem superat creaturam, quae lacte illum aluit qui pascit omnem spiritum, divinum germen, umbraeque nesciam lampadem.* Et confirmantur in libris Latinorum in quibus [2]) hanc legimus sequentiam:

» Ave Mariae mater serena
» Anna beata, gratia plena:
» Benedicta tu in mulieribus,
» Quae peperisti pacem hominibus
» Et angelis gloriam.
» Et benedictus fructus ventris tui
» Maria Virgo, mater alma Dei
» Electa per gratiam.
» Quam felix es Anna
» Per quam vitae manna
» Clausit arca gloriae
» In te fabricata,
» Christo praeparata
» Manu Sapientiae.
» Tu decus es matrum,
» Tu honor es patrum,
» Tu radix es almae stirpis,
» Per quam palmae spes nobis est facta.
» Tu desiderasti

a) Men. die XXV. Iulii pag. 123. et die IX. Septembris pag. 78. Τὴν τῆς κτίσεως πάσης ὑπερίχουσαν· τὴν γαλακτοτροφήσασαν τὸν τρέφοντα πᾶσαν πνοήν· τὴν θεόβλαστον καὶ λαμπάδα τὴν ἄσπιλον.

1) Inter opusc. Petri blesensis pag. 517. edit. Moguntiae MDC. Integrum testimonium est huiusmodi: «Magna igitur et omni laude dignissima fuit mater et virgo Maria beatissima, quae tantum Dei et hominis mundo edidit mediatorem et nostrum parere meruit Salvatorem: quae inter omnes quas mundus habuit mulieres nec primam nec similem meruit nec sequentem habere. Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore et hinc migravit sine corruptione iuxta verbum angeli immo Dei per angelum, ut plena non semiplena gratia esse probaretur: et Deus filius eius antiquum quod primum docuit mandatum, fideliter adimpleret, videlicet patrem et matrem honore praevenire.»

2) Thesaur. hymnolog. pagg. 240-241. T. II.

Digitized by Google

» Tori fructum casti:
» Ex te quae processit
» Proles Christum gessit
» Sed Virgo intacta.
» Tu forma es omnis iustitiae,
» Tu digna es prole munditiae:
» De lacu faecis et miseriae
» Nos prolapsos reforma gratiae.
» Ergo mater pia
» Gaude cum Maria
» Quae solis [1]) aurora
» Lucem dedit mundo,
» Nos in hoc profundo
» Supplicamus, ora.

1206. Ab hoc altero exsequutionis gradu tertius non discrepat, de quo [a]) in Iacobi protevangelio haec litteris consignata occurrunt: « Et ecce angelus Domini advolavit dicens ei: Anna, Deus exaudivit orationem tuam: concipies et [2]) paries, et celebrabitur semen tuum in toto mundo. » Gemina habentur in evangelio de nativitate Mariae, in quo angeli ad Ioachimum nuntius [3]) his conceptus verbis refertur: « Noli timere, Ioachim, neque in visione mea turberis: ego enim sum angelus Domini missus ab ipso ad te, ut annunciem tibi preces tuas esse exauditas et [4]) eleemosynas tuas adscendisse in conspectum eius. Proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam, et vocabis nomen eius Mariam: haec erit, ut [5]) vovistis, ab infantia sua Domino consecrata, et Spiritu sancto replebitur adhuc [6]) ex utero matris. » Nuntius vero [7]) ad Annam delatus sic habet: « Ne timeas, Anna, neque phantasma [8]) esse putes quod vides. Ego enim sum angelus ille qui [9]) preces et eleemosynas vestras obtuli in conspectu Dei, et nunc missus sum ad vos ut annunciem vobis nascituram filiam,

a) Protevang. cap. IV. pag. 185. Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου ἐπίστη λέγων αὐτῇ· Ἄννα, ἐπήκουσε κύριος ὁ Θεὸς τῆς δεήσεώς σου, συλλήψῃ καὶ γεννήσῃ, καὶ λαληθήσεται τὸ σπέρμα σου ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.

1) In subiecta adnotatione pag. 241. sic habet Daniel: « Saepissime insignitur Maria nomine *aurorae:* ansam dedit et locus Cantici canticorum VI. 9. *quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens*, et perpulcra de Christo atque Maria allegoria. Optime in hac typica interpretatione versatur Collecta quam habet Missale metense in nativitate Virginis: *sacrificium hodiernae sollemnitatis verus ille iustitiae sol illustret, qui oriturus ex alto matrem suam hodie quasi auroram consurgentem praemisit et venientem in mundum purissima luce illuminavit.* »

2) Non desunt codices in quibus ut Luc. I. 31. additur *ἐν γαστρί*, *in utero*.

3) Evang. nativit. Mariae pagg. 321-323.

4) Actt. X. 4.

5) Huius voti mentio quoque fit cap. I. pag. 319. itemque a Gregorio nysseno hom. in nativ. Domini pag. 346. opp. T. III.

6) Quae deprompta sunt ex Luc. I. 15.

7) L. c. cap. IV. pagg. 324-325.

8) Matth. XIV. 26. coll. Luc. XXIV. 37.

9) De precibus piorum per angelos ad Deum delatis conferri possunt Iob. XII. 12-15, Apoc. VIII. 3-4., Enochi fragment. in Syncelli Chronographia pag. 24., Testam. XII. Patriarch. III. 8., Origenes de orat. cap. XI., con. Celsum lib. V. cap. IV. lib. VIII. cap. XXXVI. de principiis lib. I. cap. VIII., Tertullianus de orat. cap. XII., Ephraemus in serm. apud Zaccagnium pagg. 114. seqq., et Augustinus epist. CXXI.

quae Maria vocata super omnes mulieres [1]) erit benedicta. Haec a nativitate sua [2]) statim Domini [3]) gratia plena, tribus ablactationis suae annis in domo paterna permanebit: postea servitio Domini mancipata a templo [4]) usque ad intelligibiles annos non discedet, ibi denique ieiuniis et orationibus nocte ac die [5]) Deo serviens ab omni immundo se abstinebit, virum numquam cognoscet; sed sola sine exemplo, sine macula, sine corruptione, sine virili commixtione virgo filium, ancilla Dominum et gratia et nomine et opere Salvatorem mundi generabit. » Et gemina habentur in historia de infantia Mariae, ubi [6]) relata hac Annae prece, *tu, Domine, nosti cor meum, quia ab initio coniugii mei hoc vovisse* [7]) *me confiteor, ut si tu Domine, dedisses mihi filium aut filiam, obtulissem tibi in templo sancto tuo;* continuo [8]) subditur: « Dum haec diceret, subito ante faciem eius apparuit angelus Domini dicens ei: noli timere, Anna, quoniam in consilio Dei est germen tuum, et quod ex te natum fuerit in admirationem omnibus seculis usque ad finem. » Tum de nuntio ad Ioachimum [9]) additur: « Angelus Dei ego sum, qui apparui uxori tuae flenti et oranti, et consolatus sum eam, quam scias ex semine tuo concipere filiam. Haec in templo Dei erit, et Spiritus sanctus requiescet in ea, et erit beatitudo eius super omnes sanctas feminas, ita ut nullus possit dicere quia fuit talis antea aliqua, sed et postea numquam erit ei similis ventura in hoc seculo: et semen eius erit benedictum, et ipsa erit benedicta, et mater benedictionis aeternae constituetur. »

1207. Quae quidem de conceptu Virginis angelica voce praenunciato scriptores ecclesiastici neque pauci neque obscuri penes [10]) Leonem Allatium et [11]) Franciscum Combefisium sua auctoritate con-

1) Luc. I. 42.

2) *Nativitatis* vocabulum heic nonnisi *conceptum* significat, atque adeo Virgo *a conceptu suo statim* plena gratia celebratur.

3) Luc. I. 28. κεχαριτωμένη. Ubi haec notat Thilo: « Syrus quoque interpres reddidit: מלית מיבותא Graeca voce usus ante Lucam Sirachides IX. 8. et XVIII. 17. ut ante Colomesium observatt. sacr. pag. 72. notatum Drusio XIII. 6. obs. Ceterum quod Ambrosio et aliis quibusdam veteribus *gratia plena* exponitur *Christo plena*, parum congruenter fit ad angeli mentem. » Sed parum quoque congruenter fit ad orationis *subiectum* atque *seriem*, si appositum κεχαριτωμένη Luc. I. 28. cum eodem apposito conferatur Sirach. IX. 9. ubi *speciosam pulcramque* significat. Quare collatio omnis ad ea circumscribi debet quae habentur Sirach. XVIII. 17. et Ps. XVIII. 26. κατὰ τοὺς ο', quaeque Luc. I. 30. subiiciuntur, εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ, *invenisti enim gratiam apud Deum*.

4) De Virginis in templo commoratione dicemus articulo insequente.

5) Luc. II. 37.

6) Hist. de infant. Mariae cap. II. pag. 343.

7) De hoc voto recole superiora, quaeque Nicephorus scribit H. E. lib. I. cap. VII.

8) L. c. pag. 343.

9) Ibid. cap. III. pagg. 344-345.

10) In notis ad Eustathii hexaem. pag. 288.

11) In notis ad oratt. Georgii nicomediensis pag. 1223. Auctar. T. I.

Digitized by Google

firmant. Speciminis loco conferri possunt quae huc spectantia tradunt [1]) Eustathius antiochenus, Georgius nicomediensis non modo in oratione cui [a]) titulus est, *in oraculum conceptionis sanctae Deiparae*, verum etiam tum in altera [b]) inscripta, *laudatio in conceptionem sanctae Annae matris sanctissimae Deiparae*, tum in tertia hoc insigni [c]) lemmate, *oratio in conceptionem ac nativitatem sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae*, itemque Iacobus et Epiphanius monachi, ille [d]) dum celebrat *nativitatem sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis Mariae*, hic autem [e]) in historia *de vita sanctissimae Deiparae, deque ipsius vitae* [2]) *annis*. Sed quid iamvero? Haec ne nobis certa sunt, aut his fidimus ut Virginis praerogativas adprobemus? Videlicet nihil principio antiquius nobis est quam Eadmeri verba [3]) repetere atque inculcare: « Quamvis igitur hoc solum de sancta Virgine praedicari quod Dei mater est, excedat omnem altitudinem quae post Deum dici vel cogitari potest; et altissimum quid habeat in hoc ad contemplandum et ruminandum mens humana quae ad eam anhelat; tamen quoniam mihi venit in cor ut de ea aliquid dicam, primo de eius origine, ac deinceps siquid tenuitas sensus mei de ipsa quod dignitati illius existimem non adversari, capere potuerit, in medium proferre libet. Tacitis itaque illis quae ab initio omnis creaturae usque ad sanctum Filii sui adventum de hac Virgine prophetata sunt tam per eos qui ante legem, quam et per eos qui sub lege

a) Apud Combefisium Auctar. T. I. pag. 996. Εἰς τὸν χρηματισμὸν τῆς συλλήψεως τῆς ἁγίας Θεοτόκου.

b) Ibid. pag. 1016. Ἐγκώμιον εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.

c) Ibid. pag. 1044. Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν καὶ ἀπότιξιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

d) Ibid. pag. 1248. Λόγος εἰς τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.

e) Inter opp. Epiphanii monachi et presbyteri pag. 13. edit. Alberti Dressel. Ἐπιφανίου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου περὶ τοῦ βίου τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου καὶ τῶν τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνων. Apud Mingarellium T. III. anecdott. pag. 39. inscriptio sic habet: Ἐπιφανίου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου λόγος περὶ τοῦ βίου τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ τῶν τῆς αὐτῆς χρόνων.

1) Comm. in hexaem. pag. 71.

2) Leo Allatius de Symeonum scriptis pag. 106. inscriptionem exhibet huius opusculi Dresselianae simillimam, cuius postremum incisum Fabricius in cod. apocrypho novi testamenti latine sic reddit, *et de eius vitae temporibus*. Atqui graecis mediae aetatis scriptoribus χρόνοι non tam sunt *tempora* quam *anni*.

3) De excellent. Virginis cap. II. pagg. 135-136. inter opp. Anselmi.

Digitized by Google

iusti fuerunt: illud coniicio apud me, nativitatem eius (quam quidem ex linea generationis humanae non nescio descendisse) magna quaedam atque miranda divinorum signorum indicia praecurrisse. Quae tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit qui eam sibi antequam nasceretur, in matrem elegit: quod ea re ut autumo et non incongrue actum credi potest, quatenus eo maior veneratio fidelium circa eius ortum exsisteret, quo sublimitatem tantae rei altiori secreto celari quisque perpenderet. Nec enim ecclesia Dei inconcussae auctoritatis ducit ipsam scripturam, *quae ortum illius ab angelo praenuntiatum refert*. Nam licet [1]) beatus Hieronymus iuxta alterius cuiusdam scripturae materiam, quam in adolescentia sua legisse, et cuius auctorem se fatetur ignorare, eam fecerit; dicit tamen non eo pacto se scripsisse quod scripsit, ut aliquam descriptae rei certitudinem ecclesiis vellet inferre, sed hoc solo ut rogantibus amicis simpliciter morem gereret. Unde quemadmodum dixi, scriptum illud in auctoritatem [2]) ecclesia suscipere noluit, videlicet indecens esse reputans de beata matre Dei quid dubitabile in laudem eius recitari, quum ea quae incunctanter de illa vera exsistunt, tanta laudis materia sint referta ut quicumque in laudando eam morari desiderat, necesse sit ut facultas eius magnitudini et veritati succumbat. Sicut enim sola prae cunctis meriti singularis enituit, ita quidquid eam attinet, speciali quadam veritatis firmitate dignum est enitere. » Tum nihil nobis antiquius est quam legentium oculis subiicere quae de portentis conceptum Virginis praeeuntibus et comitantibus Montacutius [3]) anglicanus eruditusque theologus monet his verbis: « Quod de iis narratur non esse improbabile, idemque se libenter credere, non quod illi auctores *(plus minusve an-*

1) De litteris Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, ac vicissim de litteris Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum, deque evangelio nativitatis Mariae consulendi sunt Melchior Canus loc. theolog. lib. XI. cap. VI, Baronius in app. n. 44., Petavius de incarnat. lib. XIV. cap. VII. n. 3., Natalis Alexander H. E. Sec. I. cap. I. art. III., Fabricius in cod. apocryph. novi testamenti T. I. pagg. 2-10., Thilo in cod. apocryph. novi testamenti pagg. CI. seqq. et Vallarsius qui T. XI. opp. Hieronymi P. II. pag. 380. sic habet. « Nemo non sentit istam et quae subsequitur epistolam, ipsamque adeo *de nativitate sanctae Mariae* subnexam narrationem unius eiusdemque esse fabularum architecti. Adito, ne te diutius argumentis rectundis moremur, qui eas falsi arguunt refelluntque, Baronium ad annum CCCLXXXVIII. n. 101., Iohannem Molanum lib. de picturis cap. XXI., e recentioribus Fabricium in cod. apocr. T. I., cuius etiam recensione et notis utemur, ne actum agere videamur. » Sed neque Fabricii notis usus diligenter est Vallarsius, neque ad idoneum Baronii locum lectorem suum ablegavit.

2) Eadem iudicii temperantia usos novimus Alcuinum vel alium quemvis auctorem homiliae *de nativitate Mariae*, quam e cod. parisiensi Frobenius edidit inter illius opera T. II. pag. 540., Fulbertum carnotensem in sermonibus *de nativitate Mariae*, qui habentur in max. pp biblioth. T. XVIII. p. 38-40. et Petrum Damiani in serm. III. de nativit. Virginis.

3) Appar. VII. n. 32.

Digitized by Google

tiqui) hoc perdiderint, sed quod e re christiana sit et dignitate beatae Virginis illustranda et usitata in magnalibus suis divina dispensatione, miraculis quibusdam et potentia singulari, non tantum indulgentia quadam et miseratione singulari, vel gratiis quibusdam gratis datis sed eximiis Virginis nativitatem inprimis illustrare. David Deo templum exstruere volebat ut Deus in illo ritibus praescriptis coleretur, et foederis arca quam honorificentissime ibidem collocaretur. Quod quum ipse ex animi sententia non posset consummare, impensis tamen maximis et sumptu stupendo materiam construendo templo praeparavit: *opus*, inquiens, *grande est, neque homini habitatio sed Deo praeparatur*. Non video cur non liceat ista de corpore virgineo, templo Dei omnipotentis παρθενῖν, in quo arca foederis, semen mulieris repromissum, sanctum illud ut appellat Gabriel, consecrandum et locandum fuit. Magno procul dubio opere templum illud θεοφόρον apparabatur, nec ut una de multis mater Domini in hunc mundum processit e materno utero. » Denique nihil nobis antiquius est quam sedulo animadvertere, quaestiones esse omnino diversas quibus petitur quid revera factum sit, quidve maiorum pietas existimarit: prior namque quaestio [1]) historica est et phy-

1) De qua tamen ne penitus siluisse videamur, paucis animadvertemus: I. comparatis monimentis perspicuum esse, tam *euangelium de nativitate sanctae Mariae*, quam *historiam de nativitate Mariae et de infantia Salvatoris* ex uno eodemque fonte *protevangelii Iacobo adscripti* dimanasse, et vix quidquam in illis occurrere quod in hoc aut diserte expressum aut obscurius indicatum non reperiatur. II. Usum protevangelii neque recentem neque angustis contentum finibus non uno ex capite insigniter comprobari. Et *principio* comprobari codicibus numero pluribus iisdemque vetustis, quos in prolegomenis ad codicem apocryphum novi testamenti pagg. LIII-LVIII. Thilo diligenter enumerat, ostenditque ex iis non deesse qui ad seculum X. pertineant. Comprobari *deinde* suffragio graecorum scriptorum, Gregorii nysseni *orat. in diem nat. Christi* pagg. 342. seqq. opp. T. III., Epiphanii haeres. LXXVIII. n. 7. seqq. et haeres. LXXIX., n. 6, Pseudo-Epiphanii in *vitis prophetarum* c. XXIII. et *encom. in Deiparam* pag. 292., Andreae cretensis *orat. in diem Virginis natalem* apud Combefisium Auctar. T. I. pagg. 1299-1319. et apud Gallandium T. XIII. pagg. 175. seqq., Germani constantinopolitani apud Combefisium Auctar. T. I. pagg. 1411. seqq., Iohannis damasceni *oratt. I. et II. in Deiparae natiu.* pagg. 841. seqq. et *de fide orthod.* lib. IV. cap. XIV., Georgii nicomediensis *oratt. in concept. et nativit. Deiparae, in praesent. eiusdem et ingress. in templum* apud Combefisium Auctar. T. I. pagg. 995-1000-1033-1036-1052-1120-1135., Photii orat. *in nativit. Mariae ibid.* pagg. 1583. seqq., Leonis imperatoris *oratt. in nativit. et praesent. ibid.* pagg. 1605. seqq., Iacobi monachi *orat. in Deip. nat. ibid.* pagg. 1247. seqq., Michaelis Glycae in *annal.* pag. 207., Cedreni *compend. hist.* pagg. 185. seqq. et Nicephori H. E. lib. I. cap. VII. et lib. II. cap. III. Comprobari *tertio* ecclesiasticis Graecorum libris, in quibus ad festa Ioachimi et Annae die IX. Septembris et XXV. Iulii, item conceptionis, nativitatis et praesentationis Mariae VIII. Decembris, VIII. Septembris et XXI. Novembris plura ex protevangelii narratione proferuntur. Comprobari *quarto* versionibus protevangelii, iisque syriacis, arabicis, copticis, de quibus consuli utiliter possunt Assemanus biblioth. orient. T. III. P. I. pagg. 286-287-315., Zoega in Catalog. codd. copt. pag. 223. et Thilo in proleg. pagg. LXVIII-LXX. *Tandem* ad latinam ecclesiam quod pertinet, testificatione comprobari auctoris *op. imp. in Matthaeum* inter opp. Chrysostomi T. VI. pag. XXIV., Roswitae monialis gandesheimensis pagg. 72. seqq., lombardicae historiae quae *aurea legenda sanctorum* appellari consuevit, et Vincentii bellovacensis in *specul. histor.* lib. VI. capp. LIV-LVI. Iamvero cum hoc non minus amplo quam solemni eorum usu, quae de Virgine in protevangelio narrantur, duo maxime cohaerent: atque inprimis nihil iis contineri quod a christiana pie-

Digitized by Google

sicae veritatis, sed altera quaestio est hermeneutica eoque spectans ut insidens maiorum animis persuasio explicetur. Nobis autem in praesentia constitutum est novisse atque in medium adducere quid christiana antiquitas senserit, quidve de ordine exsequutionis Virginis proprio eademque digno iudicarit.

1208. Sed ea iam persequimur quae explorata quum sint atque omnino certissima, *quartum* praeferunt *exsequutionis gradum*, et cum caussa de immaculato Virginis conceptu haud paullo intimius devinciuntur. Itaque nemo est posterorum Adae, de cuius originibus atque primordiis iterari non debeant Iobi [1]) verba, *manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu. Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.* Ac iterari item verba non debeant quibus fortissima Machabaeorum mater carissima pignora confirmavit [2]) inquiens: « Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius. » Quemadmodum scilicet Deus est *princeps* exstructi corporis caussa, ita *unicum* est atque consortii expers principium tum animae quae conditur, tum penitissimae eiusdem cum corpore copulationis, e qua homo tandem exsistit ac prodit. Quare si maioribus nostris visum sit, inter Virginis praerogativas numerandum esse quod ipsa fuerit Dei opus ac divinitus procreata, quisque facile cernit, quod omnibus *commune* est, illius *singulare ac proprium* haberi non potuisse quin eiusdem origines a reliquorum initiis secernerentur. At vero concors est eorumdem doctrina, ad Virginis praerogativas singularesque illius dotes pertinere, quod ipsa fuerit Dei opus, quodque ipsius origines iis adumbratae fuerint [3]) solemnibus effatis

tate dissideat, illud deinde quod Combefisius in notis ad Georgium nicomediensem pag. 1224. his effert verbis: « Liber Iacobi ἀδελφοθέου nomine, quo graeci inprimis patres etiam antiquissimi passim utuntur, licet apocryphus sit, pleraque tamen probata habet, ut non videatur scriptus ab haereticis sed a pio quodam Hebraeo cui forte nomen Iacobus esset, ut erant apud Iudaeos atque adeo in ipsis Domini discipulis multi Iacobi, teste Hegesippo. »

1) Iob. X. 8-13.

2) II. Mach. VII. 22. 24.

3) Ps. LXXXVI. 6. coll. Prov. IX. 1.

Digitized by Google

quibus dicitur: *et ipse fundavit eam Altissimus, et Sapientia aedificavit sibi domum.*

1209. Sane praeclarissima sunt quae huc faciunt testimonia, neque illa modo quae alibi [1]) usurpavimus, verum etiam alia neque minus insignia quae iam subiicimus. Eiusmodi namque est [a]) Gregorii nysseni testimonium, qui relatis Dei [b]) ad Isaiam verbis, *sume tibi tomum novae chartae magnae*, pergit: « Tomum igitur novum de Virgine intelligimus; quemadmodum enim nova charta pura est quum nihil in ea scriptum est, ita et sancta Virgo viri consuetudinis expers est. » Tum [c]) de sancta Virgine haec accipit: « Mater Sion dicet, homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. » Eiusmodi est [2]) testimonium Venantii Fortunati qui canit:

» Psalmographi plectro cantata est ista Virago,
Cum daret arte melos vox, lyra, chorda, chorus.
» Mater Sion, dicit, homo, et homo factus in illa est,
Ipse hanc fundavit, factus in ipsa et homo est.
» Sic quoque qui fundavit eam, est Altissimus ipse,
Haec Sion mater, virgo Maria fuit.

Eiusmodi est Petri Damiani testimonium qui [3]) ait: « Sicut enim omnipotens Deus ineffabili providentiae suae intuitu antequam homo fieret, hominem periturum diabolica machinatione praevidit; sic etiam redemptionis humanae consilium ante secula in immensae pietatis suae visceribus habuit. Et non solum qualiter redimeret, modum et ordinem in profundissima sapientiae suae ratione constituit; verum etiam quando redimeret, certum temporis articulum praefinivit. Sicut ergo impossibile erat ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nasceretur; ita etiam necessarium fuerat ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur.

a) Testim. adv. Iudaeos §. III. pag. 584. C-D. apud Gallandium T. VI. Τόμον οὖν καινὸν νοοῦμεν τὴν παρθένον· ὥσπερ γὰρ ὁ χάρτης καινός ἐστι καθαρὸς, ἄγραφος ὤν, οὕτως καὶ ἡ παρθένος ἁγία ἀμίαντος ἀνδρός.

b) Is. VIII. 1. Λάβε τόμον καινοῦ χάρτου μεγάλου. Quae lectio quamvis ab usitata τῶν ο′ diversa, codicum tamen auctoritate munitur.

c) Ps. LXXXVI. 5. Μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ, ἄνθρωπος, καὶ ἄνθρωπος ἐγεννήθη ἐν αὐτῇ, καὶ αὐτὸς ἐθεμελίωσεν αὐτὴν ὁ Ὕψιστος.

1) Sect. IV. nn. 720. seqq.
2) Opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. pag. 279. A-C
3) Serm. XLV. idemque II. in nativ. Virginis pag. 108. col. 1. D-E. opp. T. II.

Digitized by Google

Oportebat quippe prius [1]) aedificari domum, in quam descendens caelestis rex habere dignaretur hospitium. Illam videlicet, de qua per Salomonem [2]) dicitur: *Sapientia aedificavit sibi domum.* » Eiusmodi est testimonium quod in missa pro vigilia natalis Domini [3]) in Sacramentario gallicano occurrit: « Emmanuel, nobiscum Deus, Christe filius Dei, qui cum ex Virgine te nasciturum pronuncias, *quia Mariam matrem creasti ut Dominus, de qua* natus es filius; da nobis ut qui cum illa a te vel per te creati sumus ex nihilo, simili ut ea credulitatis remuneremur ex praemio. » Eiùsmodi testimonium [4]) quo in Missali mozarabico de Verbo dicitur: « Accepit namque quod fecerat, in quo antea mirabili modo seseque factum praedixerat. De quo mater Sion dicet, homo, et homo divinitus admirabiliterque est factus. Talem multoque vere creditur *mirabilem matrem creasse*, qualis divinitus per eam transiens decus virgineum non amisisset. » Eiusmodi testimonium magni Leonis [5]) his verbis conceptum: « Ad peccati et mortis vinculum resolvendum, omnipotens Filius Dei omnia implens, omnia continens, aequalis per omnia Patri, et in una ex ipso et cum ipso consempiternus essentia, naturam in se suscepit humanam, et creator ac dominus omnium rerum dignatus est unus esse mortalium; *electa sibi matre quam fecerat*, quae salva integritate virginea corporeae esset tantum ministra substantiae, ut humani seminis cessante contagio, novo homini et puritas inesset et veritas. » Et [6]) rursum: « Habentes itaque, dilectissimi, inter pericula erroris praesidia veritatis, et non humanae sapientiae verbis sed doctrina Spiritus sancti eruditi, quod didicimus credimus, quod credimus praedicamus, Dei Filium ante secula a Patre genitum et Patri sempiterna et consubstantiali aequalitate coaeternum venisse in hunc mundum *per uterum Virginis in hoc sacramentum pietatis electae*, in qua et ex qua [7]) *aedificavit sibi Sapientia domum*, et [8]) formam sibi servi in similitudinem carnis peccati, incommutabilis Verbi deitas coaptavit. » Eiusmodi [9]) Augu-

1) Haec cum superioribus coniuncta ostendunt, verbum *nasci* ita sumi ut eo non minus *nativitas in utero* quam *ex utero* significetur.

2) Prov. IX. 1.

3) Apud Muratorium Liturg. rom. vet. T. II. pag. 793. A.

4) In festo assumpt. pag. 364. col. 1. D.

5) Serm. XXIV. al. XXIII. in nativit. Domini IV. cap. III. n. 15. pagg. 79-80.

6) Serm. XXV. al. XXIV. in nativit. Domini V. cap. II. pag. 83.

7) Prov. IX. 1. Ubi animadversione dignum est, iisdem verbis a Leone efferri conditam Unigeniti humanitatem, quibus Virginis creationem ab aliis significatam novimus.

8) Rom. VIII. 3.

9) Serm. CLXXXVI. al. de tempore XIX. in nat. Domini III. cap. I. n. 1. pag. 615. opp. T. V.

Digitized by Google

stini testimonium, quo virgineum extollens Christi conceptum subdit: «Quid miraris haec, o homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. *Talem fecit illam,* qui est factus ex illa. Antequam enim fieret, erat, et quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. *Fecit sibi matrem* quum esset apud Patrem; et quum fieret ex matre, mansit in Patre.» Insequentem vero sermonem [1]) his verbis auspicatur: «Laudem Domini loquetur os meum, eius Domini per quem facta sunt omnia, et qui factus est inter omnia: qui est Patris revelator, *matris creator.*» Eiusmodi testimonium Pseudo-Augustini, qui [2]) Deiparam compellans ait: «Lacta eum *qui talem fecit te,* ut et ipse fieret in te: qui sibi antequam nasceretur, et uterum de quo nasceretur, et civitatem in qua nasceretur, et diem in quo nasceretur, elegit, et *ipse condidit quod elegit.* Sic namque olim [3]) praedictum est: *mater Sion dicet, homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*» Eiusmodi testimonium [4]) Leonis Augusti, qui propter susceptam ab Unigenito nostram naturam ait: «Qui prius terram hominis matrem verbo ediderat, *sibi ipse matrem condens,* naturae immutavit leges.» De hac vero matre [5]) subdit: «Te purissimam magnifice efferimus, per quam magnificus opifex maximum suorum operum summeque tremendum perfecit: quae continentem omnia sinu continueris, ex cuius uberibus altus sit qui universis e terra quo alantur producit, *quae sola benedicta sis inter mulieres,* universoque generi benedictionem hereditate comparaveris, tristemque maiorum sortem a nobis abstuleris. *Sola tu vere benedicta inter mulieres,* et quae nos gloriae tuae felicitatisque participes effeceris.» Eiusmodi testimonium Cyrilli alexandrini, qui de Unigenito ex interpretatione Arnobii iunioris [6]) scribit: «Ergo si extra carnem intelligatur deitas ipsa per se, erit sine matre; et recte quidem. Sed si proferamus in medium mysterium secundum Christum, alia erit de eo ratio tenuis sane atque subtilis: arbitrabimur enim, si recte sapere voluerimus et semitam sine errore calcare, non deitatem nudam sed incarnatam et carne permixtum Dei

1) Serm. CLXXXVII. al. de tempore XXVII. in nat. Domini IV. cap. I. n. 1. pag. 616.
2) In app. serm. CXXVIII. al. de tempore XIII. in nat. Domini XII. cap. II. n. 2. pag. 163.
3) Ps. LXXXVI. 5.
4) Orat. in Deiparae purificat. p. 231. col. 1. B-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI.
5) Ibid. pag. 234. col. 1. C-E.
6) Epist. pasch. ad totius Aegypti regionem n. 8. pag. 109. apud Mai spicileg. rom. T. V.

Digitized by Google

patris Verbum *sanctam virginem creavisse;* quae electa est ad puerperium venerandum, et carnaliter eum pareret qui carnem dignatus est induere. » Neque ab his dissident quae vetus auctor libri *de assumptione beatae Mariae virginis* confirmat [1]) inquiens: « Venerabile est mihi, Domine, et praecordiis meis reverendissimum de matre Filii tui loqui, et de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, quae sola meruit Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis aeterni secundum quod tu nos docuisti per sanctos patriarchas tuos, prophetas et apostolos figuris et sermonibus. Non enim nisi talis conceptus talisque partus Deum decuerat, qui venit redimere quos voluit creare; creare praesertim maiestate, redimere humilitate, humilitatis naturam de sanctificato corpore sumens sanctam, et immaculatam de [2]) immaculato. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam qui concipiendus praebuit, conceptus et natus non abstulit. Quae quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est *qui de eius natura naturam suscepit quam condidit.* » De qua Iohannes Geometra propterea [a]) scribit: « Salve, o regina, ex innocentissima oborta radice; tu ex trino orta es triplum gratiarum germen. Salve, o regina, Trias tui radix est ac principium, ideoque, o ter benedicta, unum de Trinitate peperisti. »

1210. Quod igitur omnibus omnino hominibus *commune* est, ut Deus ipsorum opifex credatur; idcirco non secus ac *proprium et singulare Virginis decus* perhibetur, quod talis ipsa creata fuerit [3]) cuiusmodi eam condi oportebat *e qua Patris sapientia carnem*

a) Hymn. II. in Deiparam vv. 2-7. in biblioth. pp. graeco-lat. T. III. pag. 438. C-D.

Χαῖρί μοι, ὦ βασίλεια, παναγνοτάτης ἀπὸ ῥίζης·
Ἔρνος· ἔφυς χαρίτων τρίπλοον ἐκ τριπλόου.
Χαῖρί μοι, ὦ βασίλεια, τριὰς σέο ῥίζα καὶ ἀρχή·
Οὕνεκα καὶ, τριμάκαιρ', εἶνα τέκες τριάδος.

1) Inter opp. Augustini in app. ad T. VI. pag. 729. D. F.

2) Humilitas naturae ab Unigenito assumpta non ideo fuit diciturque *immaculata*, quod contractam semel labem penitus exuerit, sed quod nullum umquam naevum contraxerit. Patet igitur qua significandi potestate natura Virginis *immaculata* praedicetur.

3) Huc spectant verba Aquinatis in opusculo LXI. de decem gradibus caritatis, ubi gradu decimo Deiparam angelis praeferens ait: « Gradus ergo decimus in quo amor facit assimilari totaliter ultra Seraphim, est qui tam similatur excellenter, utpote quibus in summo convenit angeli definitio quam ponit Dionysius: *angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum, clarissimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum, totam, si conveniens est dicere, suscipiens in se pulcritudinem omniformis deiformitatis, munde resplendere faciens in se bonitatem silentii.* Fecit er-

Digitized by Google

susciperet, in qua habitaret, et de qua veluti de prima terra, sola benedicta et universalis benedictionis conciliatrice, novum divinumque germen efflorescceret. Hoc autem eximio *creationis modo Virginis proprio* ipsius origines a reliquorum omnium primordiis longissime secernuntur, et quantum satis est a quavis labe immunes solutaeque declarantur. Quod ne cui anceps esse queat, efficiunt quae in christianae antiquitatis monimentis non minus perspicua quam crebro inculcata reperiuntur. Atque inprimis efficiunt quae [a]) Modestus hierosolymitanus tum docet, quum ad Virginem transferens verba [1]) Psalmi, *surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae,* post alia scribit: « Neque est *(Deipara arca)* manufacta et auro obducta, *sed a Deo rationalis condita et undique micans fulgoribus sancti et vivificantis* [2]) *Spiritus,* qui in eam supervenit. » Efficiunt deinde quae [b]) Andreas cretensis Annam compellans ait: « Quam felix domus Davidis, ex qua provenisti! Quam felix venter tuus, *in quo sanctificationis arcam fabricatus est Deus!* Illam videlicet quae sine semine ipsum conciperet. Vere quidem beata es ac ter beata, *quae divinis muneribus cumulatam puellam* [3]) *genuisti,* Mariam inquam, magnum illud nomen omni laude omnique honore prosequendum; ex qua Christus vitae flos erupit, cuius et incrementum gloriosum et praeclarissimum puerperium.

a) Encom. in Deiparam §. IV. pag. 18. Οὐ χειροποίητον (τὴν κιβωτὸν), περικαλυμμένην χρυσίῳ, ἀλλὰ θεόκτιστον οὖσαν λογικὴν, καὶ πάντοθεν ὑπεραστράπτουσαν ταῖς μαρμαρυγαῖς τοῦ ἐπιφοιτήσαντος ἐπ' αὐτὴν παναγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 184. C-D. apud Gallandium T. XIII. Ὡς μακάριος ὁ οἶκος Δαυὶδ, ἐξ οὗ προελήλυθας· καὶ ἡ γηδὺς, ἐν ᾗ κιβωτὸν ἁγιάσματος θεὸς ἐπεκτόνησε, τὴν αὐτὸν ἀσπόρως κυήσασαν· οὕτως σὺ μακαρία καὶ τρισμακαρία, ἡ θεομακάριστον βρέφος ἐγκυμονήσασα, Μαρίαν τὸ πολυτίμητον ὄνομα, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς τὸ τῆς ζωῆς ἐχρημάτισεν ἄνθος, ἧς καὶ ἡ πρόοδος ἔνδοξος, καὶ ἡ ὠδὶν ὑπερκόσμιος· συγχαίρομέν σοι καὶ ἡμεῖς, ὦ πανολβία· τὴν γὰρ πάντων ἡμῶν ἐλπίδα θεοδώρητον ἐπαγγελίας ἀπεκύησας γέννημα· μακαρία τῇ ἀληθῶς, καὶ μακάριος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου.

go summus artifex in ostentationem pleniorem artis suae speculum unum clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantae puritatis ut purius intelligi non posset nisi Deus esset, personam scilicet gloriosissimae Virginis. De quo Anselmus: *decebat ut illius conceptio hominis de matre purissima fieret, ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi.* De huius speculi formatione Bernardus: *hanc, Domine, fecisti imaginem bonitatis tuae, in ea valde artifex ostendens magisterium pietatis tuae.* » Sed potuit ne in suis primordiis infecta esse peccato, quae formata primum fuit clarior, tersior atque ipsis Seraphim purior?

1) Ps. CXXXI. 8.

2) Qui quum *vita* in ipsa creatione Virginem donavit, impediit quominus ipsa *in peccati mortem* laberetur.

3) Sed fieri non potuit ut Virgo Θεομακάριστον βρέφος *foetus divinis auctus muneribus* gigneretur, si originali labe fuisset infecta.

Gratulamur tibi et nos, o beatissima. Nostram siquidem omnium spem divinitus datam, promissamque prolem edidisti. Beata [1]) profecto es, ventrisque tui beatus fructus. » De quo fructu haec alibi [a]) tradit: « Est ergo Deiparae corpus zoarchicum vitaeque principium praebens, quod ipsam totam deitatis largitricem vitae plenitudinem in se suscepit. Corpus inquam pretiosissimum virginitatis monile, praecellens caelum, Deo culta terra, delibatio massae humani ex Adamo generis in Christo deitate donatae, *omni ex parte simillima* [2]) *originalis venustatis repraesentatio*, arcanorum Dei iudiciorum divinitus custoditus thesaurus, domicilium [3]) virtutum, spiritalis mirabilium divinae in nos dispensationis sermonum liber, inexsplicabilis profunditas inevacuatae plenitudinis eius qui omnia implet in omnibus, turris firmissima absconditae spei, thesaurus incorruptionis [4]) mentem superantis, regia stola Verbi initium omne supergressi, celeberrima divini cum hominibus commercii officina, materia divinae incarnationis [5]) omni ex parte congruens, *divinitus effectum eius qui omnia efficit optimique artificis lutum*, ex quo

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 155. B-E. Ζωαρχικὸν ἄρα τῆς Θεοτόκου τὸ σῶμα, ὅλον αὐτὸ τῆς Θεότητος τὸ ζωαρχικὸν εἰσδεξάμενον πλήρωμα, τὸ πολυτίμητον τῆς παρθενίας κειμήλιον, ὁ ὑπερφερὴς οὐρανός, ἡ θεογεώργητος γῆ, ἡ ἀπαρχὴ τοῦ ἐν Χριστῷ θεωθέντος ἀδαμιαίου φυράματος, τὸ πανέμοιον τῆς ἀρχικῆς ὡραιότητος ἴνδαλμα, ἡ θεοσφράγιστος τῶν ἀπορρήτων τοῦ Θεοῦ κριμάτων θησαυροφύλαξ, τὸ τῶν ἀρετῶν ἐνδιαίτημα, ἡ νοητὴ τῶν Θείων τῆς περὶ ἡμᾶς οἰκονομίας λόγων πύκτη, ὁ ἀνερμήνευτος τῆς ἀκενώτου πληρώσεως τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου βυθὸς, ὁ ἀρραγὴς πύργος τῶν ἀποκρύφων ἐλπίδων, τῆς ὑπὲρ νοῦν ἀφθορίας ὁ θησαυρὸς, ἡ βασίλειος τοῦ ἀνθρωθέντος ὑπερανάρχου λόγου στολὴ, τὸ ἐπίγειον τοῦ οὐρανιοῦ βασιλίως παλάτιον, τὸ περιώνυμον τῶν θείων πρὸς ἡμᾶς συναλλαγμάτων ἐργαστήριον, ἡ παναρμόνιος τῆς θείκης ἐνσωματώσεως ὕλη, ὁ θεοτελὴς τοῦ παντουργοῦ καὶ ἀριστοτέχνου πηλὸς, ἐξ οὗ καθ' ἡμᾶς δι' ἡμᾶς ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς εἰς οὐσίαν ἐλθὼν ὁ ὑπερούσιος οὐσιώθη.

1) Luc. I. 42. *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Quae Elisabethae ad Deiparam verba si cum verbis Andreae cretensis de Anna componantur, perspicuum erit origines matris et filii, Mariae et Christi non dissimili puritate nituisse.

2) Originalis venustatis id maxime proprium fuit, ut nullo naevo turparetur. Qui fieri ergo potuit ut Virgo communi labe vitiata, non secus ac τὸ πανόμοιον τῆς ἀρχικῆς ὡραιότητος ἴνδαλμα *simulacrum omni ex parte referens originalem pulcritudinem*, celebraretur?

3) Doctrina est apostolica, corpus originis labe semel infectum non esse nisi *corpus mortis, corpus peccati, et in quo bonum nullum inhabitat.* Atqui corpus Virginis est diciturque τὸ τῶν ἀρετῶν ἐνδιαίτημα, *virtutum domicilium.*

4) Originis peccatum est verissima labes, qua totus homo quod ad animam corpusque pertinet, intime maculatur atque corrumpitur. Corpori autem Virginis tamquam singulare decus asseritur, quod sit τῆς ὑπὲρ νοῦν ἀφθορίας ὁ θησαυρός, *incredibilis cuiusdam incorruptionis thesaurus.*

5) Utique corpus Virginis fuit ἡ παναρμόνιος τῆς θείκης ἐνσωματώσεως ὕλη, *materia divinae inhumanationis undequaque congruens*, quod nullam in se maculam labemque nullam receperit.

Digitized by Google

more nostro propter nos ex toto vereque ad substantiam accedens qui substantiam superat, substantiam nostram suscepit. »

1211. Conspirat in eamdem mentem Iohannes damascenus, quo auctore creata fuit Virgo dilectione singulari, eoque plane modo qui eiusdem praedestinationi et dignitati divinae maternitatis perfectissime responderet. Illius verba nequeunt esse [a]) splendidiora: « Certabant inter se secula, quodnam ortu tuo [1]) gloriaretur. Sed eorum contentionem superavit praefinitum Dei consilium, a quo secula facta sunt, et postrema prima evaserunt, quibus tua fauste nativitas obtigit. Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti. Nam ex te sola summus ille opifex partem assumpsit, massae nostrae primitias. Caro eius ex tuis sanguinibus concreta fuit. Quin Deus ex tuis mammillis lac suxit, tuaque labia Dei labiis cohaeserunt. O miracula mentis captum et sermonem excedentia! *Dignitatem tuam praecognoscens* universorum Deus, *te proinde dilexit, dilectamque praedestinavit atque extremis temporibus ad esse perduxit*, ac Deiparam matrem suique Filii et Verbi nutritiam effecit. » Declarat enucleatius creationem Virginis propriam Damascenus, atque exclamans [b]) ait: « O praeclarum Annae sinum, in quo tacitis incrementis auctus ex ipso atque formatus fuit foetus [2]) san-

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 846. B-E. Ἠμιλλῶντο οἱ αἰῶνες, ποῖός τις ἐγκαυχήσηται τῇ σῇ γεννήσει, ἀλλ' ἑνίκα τῶν αἰώνων τὴν ἅμιλλαν ἡ προωρισμένη βουλὴ τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς αἰῶνας ποιήσαντος, καὶ γεγόνασιν οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, τὴν σὴν εὐμοιρήσαντες γέννησιν, ὄντως τιμιωτέρα πάσης κτίσεως γέγονας· ἐκ σοῦ γὰρ μόνης ὁ δημιουργὸς μοῖραν προσείληφε, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος· σὰρξ αὐτοῦ ἐκ τῶν σαρκῶν σου, καὶ τὸ αἷμα ἐκ τῶν αἱμάτων σου, καὶ γάλα μαστῶν σου ἐθήλασεν ὁ Θεὸς, καὶ ἡνώθη τὰ χείλη σου τοῖς τοῦ Θεοῦ χείλεσιν· ὦ ἀκαταλήπτων καὶ ἀπορρήτων θαυμάτων· σὲ προγονοὺς ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἀξίαν ἠγάπησε, καὶ ἀγαπήσας προώρισε, καὶ ἐπ' ἰσχάτων τῶν χρόνων εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε, καὶ Θεοτόκον μητέρα καὶ τιθηνὸν τοῦ οἰκείου υἱοῦ καὶ λόγου ἀνέδειξε.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842. C-E. Ὦ μήτρα τῆς Ἄννης ἀοίδιμε, ἐν ᾗ τὸ κατὰ μικρὸν ἐξ αὐτῆς προσθήκαις αὐξήθη καὶ διαμορφωθὲν ἐτέχθη βρέφος παναγιον· ὦ γαστὴρ οὐρανὸν ἐν αὐτῇ κυοφορήσασα ἔμψυχον, τῆς οὐρανῶν εὐρυχωρίας πλατύτερον· ὦ θαυμάτων θαύματα, καὶ παραδόξων παράδοξα· ἴδιον γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ ἄφραστον καὶ συγκαταβατικὴν σάρκωσιν προσδοκηθῆναι τοῖς θαύμασιν.

1) Non minimum fallerentur, qui *ortum* dumtaxat *ex utero* significatum heic censerent. Quemadmodum enim γέννησις proprie est *generatio*, ita heic non magis complectitur *nativitatem ex utero* quam *in utero*, *adductionemque εἰς τὸ εἶναι ad esse*. Immo ausim repetere, quod alibi plus semel affirmavi, maioribus nostris plerisque omnibus *nativitatem* Deiparae celebrantibus ob oculos fuisse *plenam* illius nativitatem, atque adeo *tam priorem in utero quam posteriorem ex utero*.

2) Mortalium nemo aut fuit aut dici aliquando potuit βρέφος παναγιον, *foetus sanctissimus*. Ideo autem neque fuit neque dici aliquando potuit, quod omnes, una Virgine exceptа, *in peccato concipiantur*.

Digitized by Google

ctissimus! O uterum in quo animatum [1]) caelum caelorum latitudine latius conceptum fuit! O miraculorum miracula, et rerum mirabilium res maxime mirabiles! Scilicet oportebat, ut ad ineffabilem Dei incarnationem qua se ille ad nos inclinavit, iter per miracula [2]) muniretur. » Et miraculum sane fuit quod de Virgine [a]) Damascenus subdit: « Hodie in terra ex terrena natura *caelum ille condidit*, qui olim ex aquis firmamentum compegerat et in altum extulerat. Ac sane *caelum istud illo longe divinius est ac stupendum magis.* » Miraculum fuit quod idem [b]) tradit inquiens: « Hodie ille fabri filius, rerum omnium artifex Verbum obtusam naturae [3]) asciam Spiritu sancto ceu digito suo exacuens, animatam sibi ipse scalam fabricavit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad caelum usque porrigitur, cui Deus innitatur. » Miraculum fuit quod ipsemet celebrat [c]) his verbis: « Sileat [4]) sapientissimus Salomon, nihilque iam sub caelo novum esse inficietur. O Virgo divinis gratiis affluens, *templum Dei sanctum* quod spiritalis Salomon, ille princeps pacis, *abs se constructum inhabitavit: templum non auro decoratum, sed auri loco spiritu* fulgens. » Eodemque censu comprehendi debent quae memorata universi molitione, hominis creatione atque ruina, sic [d]) effert: « Cunctis itaque, ut verbo expediam,

a) Ibid. §. III. pagg. 842. E. 843. A. Σήμερον ἐκ τῆς γαΐνης φύσεως οὐρανὸν κατεσκεύασεν ἐπὶ γῆς, ὁ πάλαι ποτὲ ἐξ ὑδάτων πήξας, καὶ πρὸς ὕψος μετεωρίσας τὸ στερέωμα· καὶ ὄντως οὗτος ἐκείνου πολὺ θειότερος καὶ παραδοξότερος.

b) Ibid. §. III. pag. 843. B-C. Σήμερον ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, ὁ παντεχνήμων λόγος, ὡς ἑαυτοῦ δακτύλῳ τῷ πνεύματι, ἀμβλυνθὲν τὸ σκέπαρνον ἀκονήσας τῆς φύσεως, κατεσκεύασεν ἑαυτῷ ἔμψυχον κλίμακα, ἧς ἡ βάσις ἐπὶ γῆς ἐστήρικται, ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, ἐφ' ἧς θεὸς ἀναπαύεται.

c) Ibid. §. X. pag. 848. B-C. Σιγάτω Σολομὼν ὁ σοφώτατος, καὶ μὴ λεγέτω, μηδὲν καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον· ὦ παρθένε θεοχαρίτωτε, ναὸς θεοῦ ἅγιος, ὃν ὁ πνευματικὸς Σολομὼν, ὁ εἰρηνάρχης κατασκευάσας κατῴκησεν, οὐ χρυσῷ καλλωπιζόμενος, ἀλλ' ἀντὶ χρυσοῦ λάμπων τῷ πνεύματι.

d) Orat. II. in Deiparae nativit. §. IV. pag. 857. A-C. Διότι ταῦτα, ὡς ἐν κεφαλαίῳ φᾶναι, τῇ φθορᾷ κατεσχημένων ἁπάντων, καὶ θεοῦ κατοικτιζομένου μὴ εἰς παντελῆ ἀνυπαρξίαν χωρῆσαι τὸ τῶν οἰκείων χειρῶν πλάσμα, ἄλλου καινοῦ οὐρανοῦ, γῆς τε καὶ θα-

1) Sed *caelum* numquam perculit *maledictio*. Ergo si Deipara concepta fuit ut *animatum caelum*, numquam ipsa *maledicto* neque *peccato maledicti* causae subiacuit.

2) *Per miracula*, τοῖς θαύμασιν. Miracula autem ea sunt et vocantur quae fiunt *praeter ac supra communes statasque leges*. Aberrant igitur quam qui maxime a maiorum fide ac sententia ii quibus *immaculatus Virginis conceptus* anceps propterea est, quod cum communi stataque lege a Paulo proclamata minus belle cohaerere videatur.

3) Steriles devexaeque aetatis Virginis genitores significat.

4) Eccl. I. 10.

Digitized by Google

interitioni deditis; miserante Deo ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet penitusque aboleretur, *caelum aliud novum, terramque ac mare fabricat*, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus [1]) ipse caperetur, qui capi nusquam potest. Haec porro est beata multipliciterque celebranda Virgo. » Et [a]) mox: « Nunc itaque *nova* eius qui capi nequit, *creatura eluxit*, universorum regis *regalis aula parata est*, eius qui incomprehensibilis est, *ratione utens diversorium instructum*. » Quibus haec [b]) affinia sunt et plane cognata: « Quam mundus iste *(nimirum Virgo)* magnificus est! Quam *stupenda* [2]) *creatio*, quae virtutum plantis venusta est, cunctisque bonis aliis nulla penuria laborat; digna denique [3]) prorsus est in qua Deus ad homines veniens, inhabitet. » Tum [c]) haec quae depraedicata excellentia mundi sensibus obnoxii, quemque priorem vocat, illico subiicit: « Nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo. Quod ita esse ex patientissimo Iob [4]) noveris. Nam caelum quidem minime mundum esse ait, nec stellas in conspectu eius reprehensione vacare. Hac vero quid purius sit? Quid irreprehensibilius? Quippe quam Deus supremum ac purissimum lumen sic amaverit, ut illapsu Spiritus sancti substantialiter cum ea

λάσσης ποίημα, ἐν οἷς χωρηθῆναι ηὐδόκει δι' ἀνάπλασιν τοῦ γένους ὁ ἀχώρητος, καὶ ταῦτά ἐστιν ἡ μακαρία καὶ πολυύμνητος παρθένος.

a) Ibid. *Ἤδη τοιγαροῦν παρῆχθη ἡ νεοφανὴς κτίσις τοῦ ἀχωρήτου· νύτρεπίσθη ἡ βασίλειος αὐλὴ τοῦ παμβασιλέως· ἑτοιμάσθη τὸ λογικὸν καταγώγιον τοῦ ἀπαταλήπτου.*

b) Ibid. pag. 857. C. *Ὡς μεγαλοπρεπὴς ὄδε ὁ κόσμος· ὡς ἀξιάγαστος ἡ δημιουργία, φυτοῖς ἀρετῶν ὡραΐζουσα, πᾶσαν ἄλλοις ἀμφιλαφίσιν ἀγαθοῖς ἀνενδεῶς ἔχουσα· ἀξία, τὸ δὴ λεγόμενον, τοῦ θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐνοικήσεως.*

c) Ibid. pag. 857. C-E. *Ἀλλ' οὐ τί πω οὕτω θεοπρεπὴς, ὡς ἡ μακαρία αὕτη καὶ πανθαύμαστος παρθένος· καὶ ὅτι ἀληθὴς, ἄκουσον τοῦ πολύθλα Ἰὼβ λέγοντος· οὐρανὸς μὲν οὐ καθαρὸς, ἄστρα δὲ οὐκ ἄμεμπτα ἐναντίον αὐτοῦ· τῆς δὲ τί καθαρώτερον; τί δὲ ἀμεμπτότερον; ἧς τοσοῦτον ἠράσθη θεὸς, τὸ ἀκρότατον φῶς καὶ καθαρώτατον, ὡς δι' ἐπιλεύσεως ἁγίου πνεύματος οὐσιωδῶς αὐτῇ συγκραθῆναι, καὶ ἐξ αὐτῆς προελθεῖν τέλειος ἄνθρωπος· ὦ τοῦ θαύματος· τὴν ἰδίαν δοῦλην, μητέρα κτήσασθαι οὐκ ἐπισχύνθη ὁ φιλανθρωπότατος· ὦ τῆς συγκαταβάσεως· τοῦ ἰδίου πλάσματος γέννημα χρηματίσαι οὐκ ἀπηνήνατο ὁ ὑπεράγαθος, ἐκείνης ἐρασθεὶς δηλαδὴ τῆς ὡραιοτέρας πάσης κτίσεως, ἐκείνης ἐπιλαβόμενος τῆς ἀξιοτέρας τῶν οὐρανίων δυνάμεων.*

1) Una igitur Virgo ex universis hominibus *reformatione* non eguit, sed creata sic fuit ut universali reparationi famularetur.

2) Quaerenti ergo cuiusmodi fuerit Virginis *origo*, respondendum est, eam fuisse non communem vulgaremque sed *stupendam et virtutum plantis insignem creationem*. Nullus itaque culpae aditus patuit, nullamque invenire licet rimam per quam peccati corruptela Virginis primordia depravarit.

3) His *vinculum* innuitur, quo *cum immaculato conceptu dignitas Deiparae* cohaeret.

4) Iob. XXV. 5.

commixtus sit, ex ipsa perfectus homo prodiens. O mirum! Qui humanissimus est, ancillam suam in parentem sibi adsciscere non erubuit. O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, *proprii figmenti* proles audire non renuit, amore captus illius quae creatis omnibus speciosior [1]) est, illam amplexus quae caelestibus virtutibus dignitate praeit. »

1212. Quae Iohannes damascenus apud Graecos, eadem penes Latinos docuit Petrus Damiani, qui [2]) propterea Virgini tribuit ut *singularem in cordibus nostris sibi vindicet principatum*, quod sit « Spiritus eius super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit. Cum enim *fecerit* Deus omnia opera sua valde bona, *hoc melius fecit*, consecrans sibi [3]) in ea reclinatorium aureum, in qua *sola* se post tumultus angelorum et [4]) hominum reclinaret et requiem inveniret. Hoc est quod natura [5]) miratur, reveretur angelus, veretur homo, stupescit caelum, extremit terra, infernus exhorret. » Ut vero Deus *meliorem* creaturis omnibus Virginem faceret, illam, auctore Petro Damiani, *ex ebore* condidit. Hoc enim est quod docet, quum [6]) ad Virginem referens Scripturae [7]) verba, *rex Salomon fecit thronum de ebore grandem*, sic habet: « *De ebore*, inquit. Quid est quod aurum et argentum et lapides pretiosi et omnis denique pretiosioris materiae [8]) praemittitur gloria? *Sola eboris substantia capax est tantae compositionis*, et fabricatur in ea quod omnibus operibus praeferatur. Ebur enim et mirabili candore relucet, et multa praeeminet fortitudine, frigidiorisque naturae sortitur auspicium. Et quid candidius illa virginitate, quae singularis adspectus sui gratia supercaelestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam [9]) Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius [10]) ilia substantia,

1) Quibus intestinus aperitur nexus quo sese mutuo excipiunt hinc pulcritudo et puritas omnium maxima, inde divina maternitas et dignitas quavis creata potior.

2) Serm. XI. de Virginis annuntiat. pag. 24. col. 2. B-D. opp. T. II.

3) Sua sponte in oculos incurrit arctissima cognatio, qua cum origine Virginis nullius conscia labis praerogativa iungitur divinae maternitatis.

4) *Sola* igitur Virgo, utpote Θεοτόκος, aliena fuit ab humana rebellione, et *sola* quae universalem praevaricationem devitarit.

5) Et est sane cur *natura* miretur Deum ex muliere incarnatum, et mulierem Dei genitricem, eamdemque *praeter et supra naturam* humanae contagionis exsortem.

6) Serm. XLIV. idemque I. de Virginis nativ. pag. 106. col. 2. D-E.

7) III. Reg. X.

8) Forte *praetermittitur*.

9) Numquam igitur superata Virgo fuit, numquam satanae cessit, quin potius *Domini fortitudo* egregium de satana triumphum per ipsam retulit.

10) Hac metaphorica loquendi ratione perspicue ostenditur, eam fuisse *ab ipsa creatione* Virginis naturam quae *peccati aestum non ferret*, illumque a se longissime amandaret.

Digitized by Google

quam obumbravit virtus Altissimi, et ab aestu peccati defendit supervenientis Spiritus plenitudo? » Hinc [1]) traductis ad Virginem quae memorato [2]) Scripturarum testimonio subiiciuntur, *non est factum simile opus in universis regnis*, ait: « Nihil verius, nihil sublimius, nihil dulcius miserae mortalitati et mortali miseriae. Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, *nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei.* » Neque sane mirum, Virginem [3]) namque « Aeterna Sapientia, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, *talem construxit quae digna fieret illum suscipere et de intemeratae carnis suae visceribus* [4]) *procreare.* »

1213. Quam sententiam verissimamque doctrinam repetens [5]) Haimo halberstatensis episcopus scribit: « Potest pars quaedam huius [6]) capituli, *ab initio et ante secula creata sum*, non incongrue Dei genitrici aptari, *quae ab ipsa Dei Sapientia taliter creata est, ut per illam ad redimendam humanam naturam Dei Filius sine humana concupiscentia* [7]) crearetur. » Et [8]) alibi: « Nulli homini ex mare et femina procreato tanta gratia collata est, quanta illi *quae creatorem suum meruit generare, a quo creata est.* » Unde [9]) Bernardus: « Factor hominum ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, *immo condere matrem qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram.* » Et illam sane eximia prope cura, singularique dilectione sibi condidit. « De ipsa namque, *uti* [10]) *Hermannus monachus scribit*, a Domino dictum [11]) convenienter potest intelligi, *faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sicut enim ceteris corporalibus creaturis a Domino *solo iussu* crea-

1) Serm. XLIV. idemque I. in Virginis nativ. pag. 107. col. 2. C-E.

2) III. Reg. X.

3) Serm. XLV. idemque II. in Virginis nativit. pag. 108. col. 1. E.

4) Quibus *propria originis ratio et praerogativa maternitatis* ita conserta ostenditur, ut illa praevertere debuerit *tamquam dispositio*, haec autem illius *causa* fuerit ac *motivum*. Ad quem mutuum habitum significandum tum alia multa pertinent quae retulimus, tum haec ex Gregorio hom. in Ev. II. 25. 6. « Quia *(Filius Dei)* ipse creavit matrem, in cuius virgineo utero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum, si aequalis est Patri, qui prior est matre? » De quo propterea in hymno ecclesiastico ex codice seculi XII. a Mone edito T. I. pag. 58. operis inscripti *Lateinische Hymnen des Mittelalters*, legimus:

» Pater matris hodie
» Filius fit filiae,
» Gratia fit gratiae
» Per gratiam.

5) Hom. in Deiparam.

6) Significat caput XXIV. Ecclesiastici.

7) Quae eo spectant ut Virginem in ipsa creatione a Filio auctam *munere integritatis* demonstrent. Cum munere autem integritatis immunitas ab originali labe penitissime cohaeret.

8) Hom. in Virginis annuntiat.

9) Hom. II. super *missus est*, n. 1. p. 743. C-D. opp. T. III.

10) Tract. de incarnat. Domini cap. XI. p. 892. D-E. apud Gallandium T. XIV.

11) Gen. II. 18.

tis, hominem quem ad imaginem suam formavit, per quem Christum significari intelligere possumus, *quasi non sine consilio creare voluit* [1]) dicens, *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* ita et mulierem *quasi per consilium creavit* dicens, *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quod de Eva quidem *ad litteram* nemo dubitat dictum, *de sponsa vero simul et matre Dei sancta* [2]) *Maria*, et per eam de sancta ecclesia non minus praedictum, convenienter potest intelligi. » Hinc illud quod [3]) Copti de Virgine solemniter canunt: « Pater *eximia cura* [3]) *te fecit*, et super te Spiritus sanctus descendit. »

1214. Ex hac autem maiorum persuasione, quasi nativo ex fonte repetendum est quod alexandrinus Dionysius [b]) ait: « Neque manu hominis sacerdos noster *(Christus)* electus est, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum est, et virtute Altissimi protegitur illud *semper* [4]) *laudatissimum* Dei tabernaculum Maria Deipara et virgo. » Ex eodem fonte repetendum est quod idem [c]) docet: « Non *in servo* [5]) inhabitavit, sed in sancto suo tabernaculo *non manufacto* [6]), quod est Deipara Maria. » Atque ad eumdem fontem revocari debent quae in antiquis christianisque monimentis toties inculcata legimus, *Deiparam fuisse creatam ceu novam matrem, mundum specialissimum, angelis sublimiorem, cherubim sanctiorem, thronum divinae gloriae, et omnino pulcram venustamque natura.*

a) Theotoc. pag. 100. E.

Ⲁⲫⲓⲱⲧ ⲉⲣⲧⲉⲭⲛⲏ ⲏⲣⲟ, ⲁⲡⲓⲙⲉⲧⲣⲁ ⲉⲟⲟⲩⲁⲗ ⲏⲉ ⲭⲱ ⲏ

b) Respons. ad q. V. Pauli samosateni, pag. 240. B-C. Οὔτε χειρὶ ἀνθρώπου ὁ ἡμῶν ἀρχιερεὺς κεχειροτόνητο, οὔτε ἡ σκηνὴ αὐτοῦ ὑπ' ἀνθρώπων κατεσκευάσθη· ἀλλὰ πνεύματι ἁγίῳ ἤδρασται, καὶ σκέπεται τῇ δυνάμει τοῦ ὑψίστου ἡ ἀείμνηστος σκηνὴ τοῦ Θεοῦ, Μαρία ἡ Θεοτόκος καὶ παρθένος.

c) Respons. ad q. VII. Pauli samosateni, pag. 261. C. Οὐκ εἰς δοῦλον ἐνῴκησεν, ἀλλ' ἐν τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ σκηνῇ τῇ ἀχειροποιήτῳ, ἥτις ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία.

1) Gen. I. 26.

2) Singulari ergo consilio condita fuit Virgo, et illius origo expressa non ad communem perditae naturae legem, sed ad propriam privamque protoparentum et Christi ipsius normam.

3) Hanc enim curae propensionisque significationem praeferunt verba.

4) Haberi autem non posset Virgo tamquam ἡ ἀειμνήστος σκηνὴ τοῦ Θεοῦ, *semper laudatissimum Dei tabernaculum*, si primum exstitisset tabernaculum satanae et maledicto obnoxia.

5) His refellitur unionis modus a Paulo confictus.

6) Appositum ἀχειροποίητος non *manufactus*, quod ter legitur in N. T. Marc. XIV. 58, II. Cor. V. 1. et Col. II. 11., ex sese unique loquendi potestatem praefert *rei singularis ac divinae*. Quum igitur Virgo audit σκηνὴ ἡ ἀχειροποίητος *tabernaculum non manufactum*, eidem origo asseritur singularis ac plane eximia.

Digitized by Google

1215. Egregie Syrorum ecclesia quae [a]) *in Ordine initiandi catechumenum* ita Deum exorat: « Deus qui ornavit secula quae et condidit, Christus qui purissimam virginem Mariam filiam Davidis elegit, *fecitque sibi novam matrem*, in qua et habitavit iuxta beneplacitum voluntatis suae, et ex ea ortus ut voluit, omnes creaturas liberavit a servitute peccati et a rebelli seductore: ipse, inquam, Dominus dexteram suam plenam clementia et gratia porrigat tibi, tuamque pueritiam benedictionibus repleat, teque quasi vitem gloriosam efficiat. » In officio autem Maronitarum [b]) sic habet: « In die commemorationis *Benedictae (quo nomine κατ' ἐξοχὴν Maria designatur)* gaudeat et laetetur Adam generis nostri caput; ipsa enim Filium genuit qui illius filios a servitute mortis et diaboli liberavit. Sit benedictus qui eam elegit, voluitque ut sibi mater esset, *dum ipse eam in utero formavit*. Beata es, Maria, quae digna fuisti ut *nova* esses *mater* filii Altissimi, quoniam virgo es et Aeternum, qui Adamum et Evam creaverat, peperisti. Ex te fructus dulcis vitaque plenus effloruit, per quem exsules in paradisum remearunt. » Et [c]) rursum: « In carneum palatium angelorum Dominus descendit, et diversatus est in habitaculo corporis, quod *suae ipsius manus formaverant*. » Egregie Eckbertus abbas schonaugiensis, qui singulares Deiparae gratias [1]) enumerans scribit: « In hoc enim habi-

a) Apud Assemanum in cod. liturg. T. I. pagg. 211-212.

ܐܠܗܐ ܕܨܒܬ ܥܠܡܐ ܘܐܬܩܢ ܐܢܘܢ: ܡܫܝܚܐ ܕܓܒܝܗ ܠܒܬܘܠܬܐ ܕܟܝܬܐ ܡܪܝܡ ܒܪܬ ܕܘܝܕ: ܘܥܒܕܗ ܠܗ ܐܡܐ ܚܕܬܐ ܘܫܪܐ ܒܗ ܐܝܟ ܕܨܒܐ ܠܗ. ܘܕܢܚ ܡܢܗ ܐܝܟ ܕܪܓܐ ܘܦܪܩ ܟܠܗܘܢ ܒܪܝܬܐ: ܡܢ ܥܒܕܘܬܐ ܕܚܛܝܬܐ ܘܡܢ ܡܪܘܕܐ ܕܐܛܥܝ ܗܘܐ: ܗܘ ܢܦܫܘܛ ܠܟ ܝܡܝܢܗ ܕܡܠܝܐ ܪܚܡܐ ܘܛܝܒܘܬܐ: ܘܢܒܪܟ ܠܛܠܝܘܬܟ ܘܢܥܒܕܟ ܐܝܟ ܓܦܬܐ ܡܫܒܚܬܐ ܀

b) Ad primam Feriae VI. pag. 406.

ܒܝܘܡ ܕܘܟܪܢܗ ܕܡܒܪܟܬܐ ܢܚܕܐ ܘܢܪܘܙ ܐܕܡ ܪܝܫ ܓܢܣܢ. ܕܝܠܕܬ ܒܪܐ ܕܦܪܩ ܠܒܢܘܗܝ ܡܢ ܥܒܕܘܬܐ ܕܡܘܬܐ ܘܣܛܢܐ. ܒܪܝܟ ܕܓܒܝܗ ܘܪܓܐ ܕܬܗܘܐ ܠܗ ܐܡܐ ܟܕ ܗܘ ܓܒܠܗ ܒܟܪܣܐ ܀ ܛܘܒܝܟܝ ܡܪܝܡ ܕܫܘܝܬܝ ܕܬܗܘܝܢ ܐܡܐ ܚܕܬܐ ܠܒܪܗ ܕܡܪܝܡܐ. ܕܒܬܘܠܬܐ ܐܢܬܝ ܘܝܠܕܬܝ ܠܥܠܡܝܐ ܗܘ ܕܒܪܐ ܗܘܐ ܠܐܕܡ ܘܠܚܘܐ. ܘܡܢܟܝ ܦܪܚ ܦܐܪܐ ܚܠܝܐ ܡܠܐ ܚܝܐ ܕܒܗ ܥܠܘ ܓܠܘܝܐ ܠܦܪܕܝܣܐ ܀

c) Ibid. pag. 8.

ܒܗܝܟܠܐ ܕܒܣܪܐ ܢܚܬ ܡܪܐ ܡܠܐܟܐ ܘܫܪܐ ܒܡܫܟܢܐ ܦܓܪܢܝܐ ܕܐܝܕܘܗܝ ܐܢܝܢ ܓܒܠܝ ܀

1) Serm. de beata Virgine n. 2. pag. 704. E-F. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

tavit Pater et Filius et creator *in mundo*, imperator *in regno*, paterfamilias *in domo*, pontifex *in templo*, sponsus *in thalamo*. Prius enim Altissimus *sibi eam quasi mundum specialissimum creavit*, quam in iustitia et sanctitate coram ipso fundaret et fluentis sapientiae irrigaret et caelestibus desideriis, instar scilicet aeris, sublimaret, et igne dilectione accendendo illustraret. Hinc in eius mente tamquam in quodam firmamento solem posuit rationis, et lunam scientiae, et virtutes tamquam stellas speciei omnimodae; solem qui lucem divinae cognitionis faceret, lunam quae cum stellis noctem actionis splendidam redderet. » Neque egregie minus Theodorus hierosolymitanus antistes, qui in epistola synodica lecta in concilio nicaeno II. et patrum suffragatione probata, repellit et damnat [a]) impietatem Nestorii « Qui ex propriis exsecrabilibus cogitationibus deceptus alium esse Deum Verbum qui ante secula est, et alium eum qui ex Virgine propter salutem nostram incarnatus est, garrula voce profatus est, quartam sceleratus etiam nólens personam in sanctam et consubstantialem Trinitatem inducens, non solum separans unitas duas Christi naturas in duas subsistentias, verum etiam vocem qua Dei genitrix appellatur maledictus abiurans, hanc Christotocon vocari nequissime sanxit, quae vere Dei mater est, et ante partum et post partum virgo, *atque* [1]) *omnis intelligibilis ac sensibilis naturae gloria et claritate* [2]) *creata sublimior.* »

1216. Accedunt Iosephus hymnographus et Methodius, e quibus [b]) ille exclamat: « *Te*, o puella, *sanctiorem Cherubim condidit Deus Verbum* splendide sanctificans qui aiunt, tu o penitus

a) Concil. nic. II. act. III. pag. 1139. C-E. apud Mansium T. XII. Ὃς ἐκ τῶν οἰκείων ἐβδελυγμένων ἐνθυμιῶν πλανώμενος, ἄλλον τὸν προαιώνιον θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ παρθένου διὰ σωτηρίαν ἡμῶν σαρκωθέντα πεφλυάρηκε, τέταρτον, καὶ μὴ βουλόμενος, ὁ ἀνόσιος πρόσωπον τῇ ἁγίᾳ καὶ ὁμοουσίῳ συνεπισάγων τριάδι· οὐ μόνον διαιρῶν τὰς ἡνωμένας δύο τοῦ Χριστοῦ φύσεις εἰς δύο ὑποστάσεις, ἀλλὰ καὶ τὴν θεοτόκος φωνὴν ὁ κατάρατος ἐξομνύμενος, καὶ χριστοτόκον κολεῖσθαι νομοθετῶν ὁ παράνομος τὴν ὄντως θεομήτορα, καὶ πρὸ τοῦ τόκου καὶ μετὰ τόκον παρθένον, καὶ πάσης νοητῆς τε καὶ αἰσθητῆς ὑπερτέραν δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι δεδημιουργημένην φύσεως.

b) Men. die XIX. Iulii Ode ζ'. pag. 95. col. 2. B. Ἁγιωτέραν τῶν Χερουβὶμ σὲ ἀπεργάσατο, κόρη, ὁ θεὸς ὁ λόγος ἐμφανῶς ἁγιάζων τοὺς κραυγάζοντας· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, παναμωμε.

1) Hac serie orationis monemur, cum prerogativa divinae maternitatis ex aequo cohaerere tum perpetuam virginitatem, tum conceptum a tenebris et ab ignominia solutum.

2) Sed quotquot labe originis concipiuntur infecti, tot *in tenebris atque in ignominia creantur.*

Digitized by Google

immaculata, benedicta es inter mulieres. » Alter vero commemorato Isaiae [1]) vaticinio, illudque [a]) explanans ait: « Ecce enim *ceu thronus sublimis et elevatus ob eius gloriam qui illum creavit*, Virgo mater regi Domino Sabaoth spectatissima illic statuitur. » Quare fuit cur [b]) Graecorum ecclesia caneret: « Intellectuales ordines utpote mater superasti et Deo proxima fuisti; benedicimus, o Virgo benedicta, partum tuum et in omnia secula superextollimus. *Nativam* [2]) *pulcritudinem* ostendisti venustiorem, quum effecisti ut divinitatis caro splendesceret. Benedicimus, o Virgo benedicta, partum tuum et in omnia secula superextollimus. » Quibus coniunctim omnibus *duo* maxime comprehenduntur, *quorum prius immaculatum Virginis conceptum diserte exhibet luculenterque repraesentat, posterius vero caussam rationemque patefacit, quae non alias tulit Virginis origines nisi integras omnique ex parte illibatas.*

1217. Et principio sane eiusmodi continetur doctrinae caput maiorum suffragatione firmatum, quod his veluti elementis coalescit: I. *inter Virginis eximias dotes singularesque praerogativas numerari oportere, quod ipsa fuerit proprium Dei opus et ab ipsomet Deo elaboratum atque perfectum:* neque II. *elaboratum utcumque atque perfectum, sed ea cura eoque studio quod singularem opificis benevolentiam demonstrarit:* III. *ex hac cura singularique* [3]) *benevolentia derivandum esse, quod Virgo in suis primordiis exstiterit stupenda creatio, opus optimum et cui nullum simile, nova creatura, caelum novum et sensibili caelo purius ac divinius,*

a) De Symeone et Anna §. II. pag. 806. C-D. apud Gallandium T. III. Ἰδοὺ γὰρ αὐτόθι ὡς θρόνος ὑψηλὸς καὶ ἐπηρμένος τῇ δόξῃ τοῦ κτίσαντος ἡ παρθενομήτωρ εὐτρεπίζεται φανερώτατα τῷ βασιλεῖ κυρίῳ Σαβαώθ.

b) Octoech. pag. 19. col. 1. D. Ἡ τάξεις τὰς νοερὰς οἷα μήτηρ ὑπεράσασα, καὶ πλησίον Θεοῦ χρηματίσασα· εὐλογοῦμεν, εὐλογημένη παρθένε, τὸν τόκον σου, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας· τὸ κάλλος τὸ φυσικὸν ὡραιότερον ἀνέδειξας ἐξαστράπτουσα σάρκα θεότητος· εὐλογοῦμεν, εὐλογημένη παρθένε, τὸν τόκον σου, καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

1) Is. VI. 1-9.

2) *Nativa pulcritudo*, τὸ κάλλος τὸ φυσικόν, ea sola est et dicitur quae originem comitatur. Qui peccato originis vitiati concipiuntur, hi quidem pulcri esse possunt *regeneratione*, sed sibi τὸ κάλλος τὸ φυσικόν, *nativam pulcritudinem* vindicare non possunt. Atqui graeca ecclesia Virgini solemniter defert τὸ κάλλος τὸ φυσικόν, *nativam pulcritudinem*. Immaculatum ergo illius conceptum pari solemnitate depraedicat.

3) Quae dicitur *nunc benevolentia patris in filiam, nunc benevolentia filii in matrem, et nunc benevolentia sponsi in sponsam.*

Digitized by Google

templum Spiritu fulgens, sanctior Cherubim ac plane digna Deo et quacum Deus substantialiter coniungeretur: hinc IV. *creationem Virginis non ad eam fuisse exactam normam quae norma est corruptae vitiataeque humanitatis, sed ad illam satius quae creationi protoparentum praeluxit, quaeque creationi humanitatis a Filio ex ea assumendae praelucere debebat:* quapropter V. *Virginem nativa pulcritudine et conserto cum originibus splendore enituisse.* Quisque porro videt et nullo praemonente intelligit, hoc doctrinae caput tale esse iisque elementis componi, ut ex ipso immaculatus Virginis conceptus non tam inferendo concludendoque educatur, quam ex sese suaque sponte efflorescat atque dimanet.

1218. Quare ad alterum progredior, illudque considero quod superioribus maiorum effatis pari evidentia traditum parique constantia ingeminatum audivimus, *praerogativam divinae maternitatis flagitasse, ut Virginis creatio a communi lege secreta ac divisa ipsam referret primaevam humanitatis creationem, et ad illam quam proxime accederet qua Unigeniti caro effecta ex ipsa fuit atque producta.* At vero sunt ne qui continuo non intelligant haec ita se habere, *ut potius quam factum immaculati conceptus, eiusdem caussam aperiant, intimumque ostendant nexum quo decora immaculati conceptus divinaeque maternitatis sese mutuo excipiunt atque secumipsis devincta copulantur?* Nimirum haec fuit rata maiorum doctrina, haec unanimis illorum fides, *non magis ab effectu caussam, neque magis dispositionem ab actu posse seiungi, quam a praerogativa divinae maternitatis illaesa origo purusque conceptus separari possint ac divelli.*

1219. Cuius penitissimae coniunctionis a maioribus nostris semper creditae luculenterque celebratae aliud illudque decretorium plane argumentum inde ducitur, *quod nobilissimi divinae maternitatis assertores immaculatum quoque Virginis conceptum uno eodemque opere vindicarint.* Sane constare sibi nequit sive nomen sive praerogativa τῆς θεοτόκου, qua Damasceno [1]) auctore universum incarnationis mysterium absolvitur, nisi certa immotaque fide teneatur, *Deum Verbum* [2]) *secundum carnem humanamque naturam novam temporalemque ex Virgine generationem subiisse.* Hanc porro temporalem Verbi ex Virgine generationem manichaei

1) De fide orth. lib. III. cap. XII.

2) Cf. Petavium de incar. lib. V. capp. XIV. seqq.

Digitized by Google

primum ac nestoriani deinde maiori qua possent contentione impugnandam sibi expugnandamque susceperunt. Qua prava mente insanoque consilio quum alia adhibuerint omnino plurima, hoc in ore saepius habebant audentiusque obiectabant: admitti probarique non posse temporalem Verbi ex Virgine generationem, quin Verbum ipsum dedecore affici atque humana pollui ignominia videretur. Quid igitur orthodoxae fidei propugnatores reponebant, quove clypeo intortum telum retundebant? Reponebant nimirum in Verbi dedecus cedere nullatenus posse temporalem *ex huiusmodi Virgine* generationem, quae quum semper integra fuerit ac illibata, ipsum propterea originale ac primaevum divinae potentiae opus praeseferret. Quare hinc quidem fatebantur ac ultro dabant, sine Verbi dedecore probari non posse eiusdem generationem ex Virgine quae maculata aliquando fuerit ac polluta; inde vero tamquam certum exploratumque sumebant, Virginem nullo umquam fuisse infectam naevo, quo forma originalis innocentiae turparetur. Sed ipsi iam testes audiri debent, eorumque in medium verba proferri.

1220. Itaque vetustus auctor tractatus *contra quinque* [1]) *haereses*, quem Beda [2]) Augustinum esse putavit, comprobata Filii ex Patre origine [3]) subdit: « Non parum de Filio Dei secundum divinitatem loquuti sumus, et resistentibus in quantum potuimus adversariis non pepercimus; nunc volo ad eius incarnationem accedere, et *manichaeus* obsistit impurus. Quare? Quia Dei Filium non vult dici etiam hominis filium. » Quibus relatis, oraculorum veteris foederis auctoritate demonstrat, unum eumdemque Dei et hominis filium credi oportere; tum [4]) pergit: « Sed ego, inquit manichaeus, nec Moysen accipio nec prophetas. » Cui illico occurrens [5]) petit, *quid ais de Paulo apostolo?* Et adductis continenter eiusdem testimoniis, post alia [6]) pergit: « Ecce Apostolus [7]) dicit *de Filio suo qui factus est ei de semine David secundum carnem.* Quod prophetae praeviderunt et praedixerunt, hoc apostoli viderunt et praedicaverunt. Qui erat, factus est. Quid erat? Quid factus est? Verbum erat, caro factus est. Suscepit humanitatem, non amisit divinitatem: fa-

1) Idest contra paganos, iudaeos, manichaeos, sabellianos et arianos.

2) Videsis maurinorum admonit. inter opera Augustini in app. ad T. VIII. pag. 2.

3) Con. quinque haereses cap. IV. pag. 5. E.

4) Ibid. cap. V. pag. 5. F.

5) Ibid.

6) Ibid. pag. 6. A-B.

7) Rom. 1. 3.

Digitized by Google

ctus humilis, mansit sublimis: natus est homo, non destitit esse Deus: natus est parvulus, latens magnus: qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat Virginis partum.» Et [1]) mox Christum inducit his verbis manichaeum alloquentem: «Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. *Ego matrem e qua nascerer, feci:* ego viam meo itineri praeparavi atque mundavi. Hanc quam despicis, manichaee, mater est mea, *sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari quum eam facerem, potui inquinari quum ex ea nascerer.*» Sed nullius omnino ponderis haec foret consequutio, nisi Virgo originali innocentia splenduisset. Originalis ergo innocentia et immunitas ab universali divini operis corruptela ea fuit dispositio, qua si Virgo caruisset, numquam ex ipsa Unigenitus Patris carnem accepisset.

1221. Quam veritatem simili prorsus evidentia confirmat Atticus episcopus byzantinus, cuius haec quae subiungimus verba, tamquam nobilissimum orthodoxae fidei testimonium in ephesina synodo [a]) laudata novimus: «Si quem secernit a nobis Unigeniti inhumanatio, et Virginis partus, et passionum communicatio, et crux et mors et resurrectio, discens agnoscat haec mundo salutem parere; ac non indigna benignitate praestantioris [2]) existimari debent. *Si enim turpe est Deo in Virgine habitare, turpe fuerit* [3]) *et eam condere. Quod si eam condens nullam incurrit ignominiam; nec habitare in creatura dignum opprobrium iudicavit.*» Sed quorsum haec nisi fixum ratumque habeatur, divinum opus in Virgine mansisse illaesum nec umquam fuisse universali praevaricatione pollutum? Credebant ergo patres, disertisque testimoniis profitebantur Unigeniti generationem ex Virgine, divinaeque maternitatis insigne cum originali matris innocentia arctissimo societatis vinculo cohaerere.

1222. De quo vinculo aurea prorsus sunt quae tradit alter byzantinus antistes et Attici successor Proclus, idemque nestorianae

a) Concil. ephes. act. I. pag. 1195. B-C. apud Mansium T. IV. Εἴ τινα διαιρίνει ἡ τοῦ μονογενοῦς ἐνανθρώπησις, καὶ παρθένου κύησις, καὶ παθῶν κοινωνία, καὶ σταυρὸς, καὶ θάνατος, καὶ ἀνάστασις· μανθάνων γινωσκέτω, πρόξενα ταῦτα εἶναι τῆς οἰκουμενικῆς σωτηρίας· καὶ μὴ ἀναξία τῆς φιλανθρωπίας τοῦ κρείττονος λογιζέσθω· εἰ γὰρ αἰσχρὸν θεῷ τὸ παρθένον οἰκῆσαι, αἰσχρότερον πρὸ πάντων καὶ τὸ ποιῆσαι· εἰ δὲ δημιουργῶν οὐχ ὑβρίσθη, οὐδὲ οἰκῆσαι τὸ δημιούργημα αἰσχύνης ἄξιον ἔκρινε.

1) Ibid. pag. 6. B-C.
2) Videlicet *Numinis*.
3) Al. *turpius utique omnino est ei facere.*

Digitized by Google

perfidiae acerrimus expugnator. Is namque est qui [a]) scribit: « Natus porro ex muliere est Deus non nudus, sed nec homo purus; natusque eam quae olim peccati porta fuerat, salutis [1]) ianuam effecit. Nam ubi serpens [2]) per inobedientiam virus effuderat, ibi Verbum per obedientiam ingressum [3]) vivum sibi exaedificavit templum. Unde peccati ille principatum tenens [4]) Cain emerserat, inde redemptor generis Christus sine semine prodiit. Non erubuit clemens Deus nasci ex muliere. Nam vita erat quod ita moliebatur: *nullam contraxit labem vulvae hospitio, quam nullo ipse condiderat suo dedecore.*» Is est qui [b]) subdit: « O homo, ne partum hunc erubescendum putes, quippe qui salutis nobis caussa effectus sit. Nam si ex muliere natus non esset, non utique mortem oppetivisset; quod si carne mortem non oppetiisset, neque illum quoque per mortem [5]) destruxisset *qui habebat mortis imperium, idest diabolum. Haudquaquam architecto dedecori est, ut eam incolat domum quam ipse extruxerit: neque lutum figulum inficit, quum ille vasculum quod finxerat refingit: ita nec quidquam Deum purissimum polluit, quod ex virginali utero prodierit. Quam enim citra omnem sui labem formaverat, ex ea nulla contracta macula processit.*» Is est qui [c]) praestantissimis qui-

a) Orat. I. in Deiparae annunt. §. II. pag. 615. A-C. apud Gallandium T. IX. Ἀλλ' ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς θεὸς οὐ γυμνὸς, καὶ ἄνθρωπος οὐ ψιλός· καὶ πύλην σωτηρίας ὁ τεχθεὶς, τὴν πάλαι τῆς ἁμαρτίας ἔδειξε θύραν· ὅπου γὰρ ὁ ὄφις διὰ τῆς παρακοῆς τὸν ἰὸν ἐξέχεεν, ἐκεῖθεν ὁ λόγος διὰ τῆς ὑπακοῆς εἰσελθὼν, τὸν ναὸν ἐζωοπλάστησεν· ὅθεν ὁ πρῶτος τῆς ἁμαρτίας Κάϊν προέκυψεν, ἐκεῖθεν ὁ τοῦ γένους λυτρωτὴς Χριστὸς ἀσπόρως ἐβλάστησεν· οὐκ ἐπεσχύνθη ὁ φιλάνθρωπος τὴν ἐκ γυναικὸς ὠδῖνα· ζωὴ γὰρ ἦν τὸ πραγματευόμενον· οὐκ ἐμολύνθη οἰκήσας μήτραν, ἥτις αὐτὸς ἀνυβρίστως ἐδημιούργησεν.

b) Ibid. §. III. pag. 615. C-D. Μὴ ἀπαισχυνθῇς τὴν ὠδῖνα, ὦ ἄνθρωπε· αὕτη γὰρ ἡμῖν γέγονε σωτηρίας ἀφορμή· εἰ μὴ γὰρ ἐκ γυναικὸς ἐγεννήθη, οὐκ ἂν ἀπέθανεν· εἰ μὴ ἀπέθανεν, οὐκ ἂν διὰ τοῦ θανάτου αὐτοῦ κατήργησε τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον· οὐχ ὕβρις ἀρχιτέκτονι μεῖναι ἐν οἷς αὐτὸς ᾠκοδόμησεν· οὐ μιαίνει πηλὸς τὸν κεραμέα, ἀναπλάττοντα ὅπερ ἔπλασε σκεῦος· οὕτως οὐδὲ μιαίνει τὸν ἄχραντον θεὸν τὸ ἐκ παρθενικῆς γαστρὸς προελθεῖν· ἦν γὰρ πλάττων οὐκ ἐμολύνθη, διὰ ταύτης προελθών, οὐκ ἐμιάνθη.

c) Orat. V. in Virginis laud. §. II. pag. 630. B-C. Ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον, οἷον ἡ Θεοτόκος Μαρία· ὃν γὰρ ἐκεῖνοι πάντες ἐν αἰνίγμασιν εἶδον, αὕτη ἐν γαστρὶ σαρκωθέντα ἐβάστασε· καὶ οὐδὲν ἐνεπόδησε τῇ ἀῤῥήτῳ οἰκονομίᾳ τοῦ θεοῦ λόγου· ὄγκος; ἀλλ' ὑλικὸν

1) En insigne testimonium quo solemnis confirmatur acclamatio qua Virgo dicitur *ianua caeli*.
2) Gen. III. 6.
3) Hac oppositione Virgo immunis ostenditur a viru serpentis.
4) Gen. IV. 1.
5) Hebr. II. 14.

Digitized by Google

busque omnibus ex ordine memoratis, de Virgine ait: « Verum nihil eiusmodi est, quod cum Dei genitrice Maria comparari possit. Ipsa enim quem illi in aenigmate viderunt, incarnatum in utero portavit, nihilque huic Dei Verbi dispensationi obstitit. Quid enim? Moles ne? Ast haec materialis affectio est, Verbum autem tum molis tum affectionis expers est. Tantae minorationis magnitudo? At divinitas non circumscribitur. *Sordes ne? At qui eam formans nullas contraxit sordes, neque ex ea natus contraxerit;* quin potius humanitas illa et clementia in regis gloriam vergit. » Et is est qui [a]) Unigenito Deiparam alloquenti haec verba tribuit: « Non itaque, ut putaveris, regium polluam calceum ut in terrenis creaturis ambulem. *Nulla iniuria increatam maiestatem sum affecturus, ut in habitaculo quod a me creatum fuerit habitaverim.* »

1223. Eadem igitur semel atque iterum sententia repetitur, idemque constanter affirmatur: *propterea citra quodvis sui dedecus ex Virgine gigni ex eaque nasci Unigenitum potuisse, quod illam ipse citra quodvis sui dedecus creaverit ac finxerit.* Verum quid his continetur, quidve non obscure significatur? Dubio procul significatur, divinum opus in Virgine illibatum permansisse, nec quidquam detrimenti ex humana praevaricatione in illud redundasse. Quod Proclus longe testatur enucleatius, quum in caussas [b]) exquirens Iosephi propter conceptum Virginis vehementer turbati, sic habet: « Non noverat [1]) prophetam illum Moysi similem ex puella thori nescia processurum. Non meminerat *potuisse eam effici Dei templum quae ex mundo* [2]) *erat formata luto.* Latebat eum *ex vir-*

πάθος· ἀλλ' ὄγκου καὶ πάθους ὁ λόγος ἀλλότριος· ἐλαττώματος τοιούτου μίγιθος; ἀλλ' ἡ θεότης οὐ παρεγραφεται· μύσος; ἀλλ' ἦν ἀναπλάττων οὐκ ἐμολύνθη, ἐν αὐτῇ σαρκωθεὶς καὶ ἐξ αὐτῆς γεννηθεὶς οὐκ ἐμιάνθη· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον δόξαν φέρει τῷ βασιλεῖ τὸ φιλάνθρωπον.

a) Orat. VI. in Virginis laud. §. XIV. pag. 642. D-E. Οὐ μολυνῶ οὖν ὡς νομίζεις τὸ βασιλικὸν ὑπόδημα, ἐὰν πατήσω εἰς τὸ χοϊκὸν ποίημα· οὐ καθυβρίσω τὸ ἄκτιστον ἀξίωμα, εἰ ἐνοικήσω εἰς τὸ κτισθὲν ὑπ' ἐμοῦ οἴκημα.

b) Ibid. §. VIII. pag. 637. A-B. Οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ κατὰ Μοϋσέα προφήτης ἐκ τῆς ἀπειρογάμου προήρχετο κόρης· οὐκ ἐμνήσκετο ὅτι ναὸς ἠδύνατο γενέσθαι θεοῦ ἡ ἐκ τοῦ καθαροῦ πεπλασμένη πηλοῦ· οὐκ ἐγίνωσκεν ὅτι ταῖς ἀχράντοις τοῦ δεσπότου χερσὶ ἐκ τοῦ παρθενικοῦ πάλιν πλάττεται παραδείσου ὁ δεύτερος Ἀδάμ.

1) Deut. XVIII. 15-18. coll. Actt. III. 22.

2) Al. ἀγαθοῦ, *bono*, cuiusmodi erat lutum antequam divino maledicto feriretur.

Digitized by Google

ginali rursus [1]) *paradiso intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam.* » Quare ad hanc tandem formulam Procli et maiorum [2]) oratio ac fides revocatur: *eatenus sempiternus Patris Filius citra quamvis dedecoris umbram gigni secundum carnem ex Virgine potuit, ac Virgo ipsa vere et proprie esse credique* Θεοτόκος, *quatenus opus ea fuit ipsissimis Dei manibus procreatum. Sed eatenus opus ea fuit ipsissimis Dei manibus procreatum, quatenus ex humana praevaricatione ne hilum quidem detrimenti cepit, originalemque servans pulcritudinem non aliter apparuit ac ex puro bonoque ficta limo, novusque paradisus. Eatenus ergo sempiternus Patris Filius citra quamvis dedecoris umbram gigni secundum carnem ex Virgine potuit, ac Virgo ipsa vere et proprie esse credique* Θεοτόκος, *quatenus ex humana praevaricatione ne hilum quidem detrimenti ipsa cepit, originalemque servans pulcritudinem non aliter apparuit ac ex puro bonoque ficta limo, novusque paradisus.* E quibus haec manifestissime pendent: I. generationem Verbi ex Virgine, atque

1) Virgo igitur spectari debet *ut alter paradisus* a Deo conditus ut ipsi solum pervius esset, ac satanae omnino impervius.

2) Operae pretium fuerit addidisse quae Hildephonsus toletanus de cognitione baptismi cap. XLIV. pag.196.in collect. pp.tolet.T.I. scribit, ut evincat *quod Virginis partus nihil iniuriae fecerit Christi divinitati.* Sic igitur habet: « Nec nobis fidem istam minuat cogitatio muliebrium viscerum, et propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quod eam sordidi sordidam putant. Quia et (I. Cor. I. 25.) *stultum Dei sapientius esse hominibus*, et (Tit. I. 15.) *omnia munda mundis*, verissime Apostolus dicit. Debent igitur intueri qui *(manichaei)* hoc putant, solis huius radios, quem certe non tamquam creaturam Dei laudant sed tamquam Deum adorant, per cloacarum fastores et quaeque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, quum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura coniunctior; quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei non corporeum neque visibile de femineo corpore *casto utique et mundissimo atque singulariter glorioso*, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat maiestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est, nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculatur. » Quibus haec adamussim respondent ex oratione Gregorii praesulis antiocheni, qua illustravit evangelii verba, *Hic est filius meus dilectus*, et in qua de Unigeniti oeconomia post alia legimus pagg. 563-564. apud Mai classic. auct. T. X. Οὗτός ἐστιν ὁ τῶν ἁγίων κολπῶν μὴ χωρισθείς, καὶ τῆς Μαρίας, τοὺς κόλπους καταλαβών· ὁ καὶ ἐν ἐμοὶ μένων ἀχωρίστως, καὶ ἐν ἐκείνῃ γενόμενος ἀπεριγράπτως· ὁ καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχων ἀδιαιρέτως, καὶ ἐν τῇ παρθενικῇ μήτρᾳ διαιτώμενος ἀμολύντως· ἢν γὰρ κτίσας οὐκ ἐμολύνθη, ταύτην οὐδὲ καινισθεὶς ἔχει ἐν ἑαυτῷ. «Hic est qui a meo sinu non divisus, etiam Mariae sinum subiit: qui in me inseparabiliter manens, in illa etiam factus est incircumscripte: qui in caelis existens, in virgineo quoque utero habitavit citra labem; *quam enim creans pollutus non est, neque in eam habitans sordes contraxit.* » Quare repositis praeclaris sententiis, quibus non modo Deipara dicitur *mundissima et singulariter gloriosa*, verum etiam *cum caelis ipsoque aeterno genitore* confertur; manifestum est, susceptam a patribus catholici dogmatis defensionem huc tandem redire. Propterea negabant manichaei incarnari Verbum filiumque principii boni potuisse, quod caro opus esset ac molitio principii mali: et propterea negabant nestoriani temporalem Verbi in Virgine atque ex Virgine generationem, quod haec ob insitam humanae naturae corruptelam in Verbi ignominiam necessario cederet. Quid vero patres? Sicuti contra manichaeos statuunt, carnem neque ac animam ob uno Deo bono, omniumque principio profectam esse; ita contra utrosque et manichaeos et nestorianos propugnant, vitiatam utique esse humanam naturam, sed non naturam Virginis, utpote singulare Dei opus, quaeque originalem integritatem referret. Hoc autem tantundem valet ac conceptum Virginis Immaculatum tueri. *Doctrina ergo de immaculato Virginis conceptu cum ea tradita fuit atque expolita, qua temporalis Verbi in Virgine atque ex Virgine generatio defendebatur.*

huius praerogativam qua est celebraturque θεοτόκος, seiungi ab ea dote non posse quae originali pulcritudine et immunitate ab universali praevaricatione continetur: II. eadem fide qua maiores nostri generationem Verbi ex Virgine, dignitatemque τῆς θεοτόκου propriam Virginis crediderunt, originalem quoque eiusdem pulcritudinem et ab universali corruptela immunitatem credidisse: atque hinc III. una cum articulo de generatione Verbi ex Virgine, deque praerogativa divinae maternitatis, ipsam quoque Virginis originalem pulcritudinem innocentiamque communis expertem labis traditam fuisse solemniterque constitutam.

1224. Quod me quidem fugit dici nec ne potuerit luculentius ac Theodotus ancyranus episcopus ea homilia praestiterit quae pro veritate catholica contra Nestorii impietatem in ephesina synodo lecta fuit plausuque recepta. Ceteris namque explosis quibus Dei Verbi ex Virgine generatio in suspicionem adducebatur, sic [a]) pergit: « Cur autem vocas vilia, quae Deus propter hominum salutem amplexus est? Nam etsi passiones naturaliter dicuntur et sunt; sed tamen nostrarum medicina fuerunt passionum. Nequaquam ergo de cetero haec [1]) passiones appelles, sed passionum nostrarum potius medelam. *Et noli mihi membra virginea ad opprobrium proferre divinitatis.* Non enim horum indigna *natura* [2]) est, licet advenientes passiones ignominiae *nobilitatem corporis* corruperint. Non enim turpia *per naturam* sunt membra, sed per concupiscentias

a) Orat. in Domini nativit. §. XI. pag. 447. C-E. apud Gallandium T. IX. Διὰ τί δὲ καὶ λαλεῖς εὐτελῆ, ἃ ὁ θεὸς διὰ σωτηρίαν ἀνθρώπων ἠσπάσατο; εἰ γὰρ παθήματα τῇ φύσει ἐστί τε καὶ λέγεται, ἀλλ' ἰατρεῖα γέγονε τῶν ἡμετέρων παθῶν· μηκέτι γοῦν αὐτὸ προσαγόρευε πάθος, ἀλλὰ παθῶν τῶν ἡμετέρων ἴαμα· καὶ μή μοι τὰ μέλη τῆς παρθενίας εἰς ὄνειδος θεότητος φέρε· οὐδὲ γὰρ τούτων ἡ φύσις ἐστὶν ἀναξία· κἂν ἐπισιλθόντα τὰ τῆς ἀτιμίας πάθη, τὴν εὐγένειαν τοῦ σώματος ἐλυμήναντο· οὐ γὰρ αἰσχρὰ τῇ φύσει τὰ μέλη, ἀλλὰ δι' ἐπιθυμίας ἀτόπου ὑβρίζεται· εἰ γὰρ ἦν αἰσχρὰ τῇ φύσει, οὐκ ἂν ταῦτα θεὸς ταῖς ἰδίαις παλάμαις διέπλασεν· ἐπειδήπερ οὐκ αἰσχρῶν ὁ θεὸς, ἀλλὰ τῶν καλλίστων ἐστὶ ποιητής· εἶδε γὰρ πάντα ἃ ἐποίησεν ὁ θεὸς, καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν· οὐδὲν γὰρ τῶν ὑπὸ θεοῦ γενομένων τῇ ἰδίᾳ φύσει κακὸν, οὐδὲ αἰσχρόν τι κατεσκεύασεν ὁ θεός· ἀλλ' ἡμεῖς τῆς πρώτης ἐκπεσόντες κατασκευῆς, ἐπιθυμίαις ἀτόποις τὴν φύσιν ἡμῶν καθυβρίσαμεν· εἰ οὖν πλάσας ὁ θεὸς τὰ μέλη τῆς γυναικὸς οὐ διαβάλλεται, οὐδὲ ἐνοικήσας ἐν αὐτοῖς ἐνυβρίζεται· ἐν ἰδίᾳ γὰρ κτίσει θεὸς οὐκ ἀναξίως οἰκεῖ.

1) Designat *claros*, *crucem*, cetera.

2) Usurpat Theodotus τῆς φύσεως *naturae* nomen significatione apud patres solemni, et qua notat *originalem rei conditionem et quidquid cum hac consertum est.*

Digitized by Google

illicitas probro afficiuntur. Nam si essent turpia *per naturam*, non haec Deus propriis manibus formasset; quia Deus non turpium sed decentissimorum conditor est. *Vidit enim*, inquit [1]), *omnia quae fecit* Deus, *et ecce pulcra* [2]) *valde*. Nihil enim horum quae a Deo facta sunt, *per naturam propriam* est malum, neque turpe aliquid Deus fecit; sed nos a prima illa constitutione [3]) lapsi concupiscentiis illicitis naturae nostrae contumelias irrogavimus. *Si ergo cum formavit Deus membra mulieris non accusatur, neque cum inhabitat in eis* [4]) *iniuriam patitur. In sua quippe creatura Deus non indigne* [5]) *inhabitat.* » Et alibi extorta ab adversario confessione, quod Deus *intaminatis manibus* primam mulierem Evam condiderit, illico [6]) pergit: « Quod si affirmaveris [6]), quid stulte a veritate dissentis, Deique placitum in sanctissima Virgine ad communem salutem provide dispositum detrectas atque renuis? *Qui enim antiquam illam virginem* [7]) *sine probro condidit, ipse et secundam* [8]) *sine nota et crimine fabricatus est; quique quod est deforis pulcre fecit, etiam quod intus est ad domicilium animae sancte perornavit.* Quod itaque suavissimum et maxime delectabile visum Deo est, quid tu iudaicae vanitatis sermonibus ceu turpissimum, ipse omnium praeturpissime, subvertere praesumis? Sane vero, o attonite atque insipientissime, *tu* [9]) *quis es qui respondeas Deo?* Nam si etiam decori Deo est ut finxerit, quemadmodum ut et in proprio fig-

a) Orat. in Deiparam et Symeonem §. V. pag. 461. C-E. Ἡ δὲ τὸ ναὶ, συμφὶς· τί ἀνοήτως διαφέρῃ πρὸς τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀφνιάζεις καὶ ἀπαναινῇ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θεοῦ, τὴν ἐν παναγίᾳ παρθένῳ ἐπὶ κοινὴν σωτηρίαν οἰκονομηθεῖσαν; ὁ γὰρ δημιουργήσας τὴν πάλαι παρθένον ἀνυβρίστως, αὐτὸς καὶ τὴν εἰς δεύτερον ἐπεκτήνατο ἀναμώμως· καὶ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν ὡραίως, αὐτὸς καὶ τὸ ἔσωθεν κατεκόσμησεν εἰς κατοικητήριον ψυχῆς εὐαγῶς· τὸ τοίνυν προσηνέστατον καὶ περιχαρέστατον ὀφθὲν τῷ θεῷ, πῶς ἂν αἴσχιστον, αἰσχιστότατε πάντων, συναπατρέπειν τολμᾷς ἰουδαϊκαῖς εἰκαιολογίαις; μενοῦν γε γὰρ ὦ φρενοβλάβε καὶ ἀφρονέστατε· σὺ τίς εἶ ὁ ἀποκρινόμενος τῷ θεῷ; εἰ γὰρ καὶ τὸ πλάσαι ἀνύβριστον θεῷ, καθὼς καὶ τὸ ἐνοικῆσαι ἐν τῷ ἰδίῳ πλάσματι, ὥσπερ σὺ φῂς, καὶ τὸ κατασκηνῶσαι δόξαν.

1) Gen. I. 31.

2) Ex sua videlicet origine, et antequam humano scelere vitiarentur.

3) Ab hoc numero Virgo eximitur, eique tribuitur quod τὴν πρώτην κατασκευὴν *primam* originalemque *constitutionem* illaesam custodierit.

4) Quatenus referunt *opus originale*, neque insequenti humana transgressione violatum.

5) Inhabitaret vero *indigne* ἀναξίως, si creatura *primam constitutionem* amisisset.

6) Primam mulierem a Deo citra dedecus procreatam.

7) Utique *innoxiam* nulloque naevo maculatam.

8) Item *innoxiam*, omnisque expertem corruptelae.

9) Rom. IX. 20.

Digitized by Google

mento inhabitavit, sicut tu dicis; etiam fuerit quod manere visus sit. » Quemadmodum igitur inter articulos christianae professionis censetur tum generatio Verbi Dei ex Virgine, tum inde dimanans Virginis praerogativa qua θεοτόκος salutatur; ita inter exploratas christianae traditionis doctrinas numerari debet, futurum numquam ut Deus Verbum ex Virgine gigneretur, et ut Virgo ad dignitatem τῆς θεοτόκου evecta creaturis omnibus [1]) praecelleret; *nisi ipsamet Virgo purum fuisset Dei opus, nulla praevaricatione laesum, et originali pulcritudine nitens atque decorum.* Hoc autem tantumdem valet ac Virgini asserere conceptum immaculatum, illamque ab universali contagione integram solutamque profiteri.

ARTICULUS V.

Maiorum doctrina de reliquo exsequutionis ordine ad genitum usque ex Virgine Patris Filium: Virginis in templo praesentatio, divinumque huius dispositionis consilium: eximia Spiritus cura, angelorumque in Virginem tutela plane singularis: innocentia et sanctitas ad eiusmodi progressa fastigium, ut una ex omnibus Virgo divinam maternitatem promeruerit, dignaque exstiterit e qua Verbum Patris gigneretur: superiorum epilogus et splendidissima immaculati conceptus confirmatio.

1225. Visum mihi e re est praesentem articulum iis auspicari, quibus Nicetas paphlago orationem [a]) *in diem natalem sanctissimae Dei genitricis* orditur [b]) inquiens: « Quum enim multa et

a) Apud Combefisium in Auctar. noviss. P. I. pag. 437. Εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.

b) Ibid. pag. 438. A-C. Πολλῶν γὰρ καὶ ἀπείρων οὐμενοῦν ὅσον εἰπεῖν δυνατὸν ἀποκαλυπτομένων ἐν αὐτῇ, τοῦτο πρῶτον καὶ θαυμασιώτατον, τὸν ὑπερφυοῦς τῆς γεννήσεως τρόπον ὑπερφυῶς προκατιβάλλετο· ἄνωθεν γὰρ ἡ σοφία πρὸ αἰώνων τὰς τῶν γενομένων

1) Cui doctrinae videtur Thomas non obscure suffragari, quum in S. III. p. q. XXVII. a. V. interrogationi, *utrum beata Virgo per sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum*, ita respondet: « Dicendum, quod quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Christus autem est principium gratiae secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Beata virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere. » Et mox: « Beata virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae, ita quod eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet, ut eam pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret. » Sed plenitudini gratiae *negative* respondet remotio a peccato. Ergo *maiori prae ceteris gratiae plenitudini* respondeat oportet maior prae ceteris remotio a peccato. Angeli autem et protoparentes in suis exordiis ita fuerunt a peccato remoti, ut nullo eiusdem habitu affligerentur. Ergo multo id de primordiis Virginis affirmandum est vehementius.

Digitized by Google

infinita, quanta denique nemo verbis assequi possit, in ea detecta sint magnifica opera; primum hoc et summe mirandum supernaturalis [1]) generationis supernaturali ratione modum praestruebat. Iam enim ante secula rerum exitus praevidens Sapientia, pro finium ratione congrue primordia subiicit. Quandoquidem igitur futurum erat ut non solum Dei mater exsisteret, sed et filia secundum spiritum adoptionis, sed et regina atque domina universorum celebraretur propter eam qua cum Filio cohaeret incomprehensibilem sublimitatem ac necessitudinem; idcirco etiam statim [2]) *nova conceptio*, eiusque in vitam ingressus mira extra usum ratione, quo nimirum per ea quae minora sunt ad maiorum fidem via illi complanaretur. Oportebat enim ut quum in sese atque domestica divinae potentiae haberet exempla, seque a sterili matre natam cerneret, nec virginitatis postmodum nuntio fidem abnueret. » Quemadmodum vero conceptus et nativitas futuram *τῆς Θεοτόκου* dignitatem [3]) praemonstrarunt, illique uti par erat novitate ac praestantia responderunt; ita ne tantillum quidem ab eximio conceptus et nativitatis modo ea discreparunt, quae ad genitum usque Patris Filium consequuta sunt. Ut enim tacitus omittam quae [4]) in antiquissimo protevangelio de studio curisque Annae memorantur, quaeque [5]) Nicetas et [6]) Theophylactus repetunt pleniusque explanant; illud profecto neque debet neque potest silentio praeteriri quod de Virgine adhuc tenella in [7]) templo oblata, deque illius in eodem commoratione traditum et luculentissimo maiorum suffragio confirmatum accepimus.

ἐμβάσεις προορῶσα, ἀναλόγως τοῖς τέλεσιν ὑποβάλλει καὶ τὰς ἀρχάς· ἐπειδὴ οὖν ἔμελλεν οὐ μόνης μόνον χρηματίσαι Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ θυγάτηρ κατὰ πνεῦμα υἱοθεσίας, ἀλλὰ καὶ βασιλὶς καὶ κυρία τῶν ὅλων ἀναρρηθήσεσθαι, διὰ τῆς ὑπεραγνόστου πρὸς τὸν υἱὸν ὑψώσεως καὶ ἀναγωγῆς, διὰ τοῦτο καὶ ἡ σύλληψις εὐθὺς ξένη, καὶ ἡ πρὸς τὸν βίον αὐτῆς εἴσοδος καινοπρεπὴς, διὰ τῶν ἡττόνων πρὸς τὴν τῶν μειζόνων αὐτὴν ὁδοποιοῦσα πίστιν· ἤδει γὰρ οἰκοθεν ἔχουσα τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως τὰ ὑποδείγματα, καὶ πρὸς τὴν στειρωτικὴν τῆς μητρὸς γέννησιν ὁρῶσα, μηδὲ τὴν εὐαγγελιζομένην ὕστερον αὐτῇ παρθενίαν ἀπιστεῖν.

1) Aberrant igitur a maiorum doctrina qui de genita Virgine disserentes nonnisi ratas fixasque humanae propagationis leges ob oculos habent.

2) Sed quo sensu *conceptio* Virginis dicitur *ξένη nova* et *inaudita?* Legantur praecedentia et spectentur insequentia: illico apparebit neque *solum* neque *primum ξένην novam* et *inauditam* dici, quod Anna dudum sterilitate laboraverit.

3) Sup. nn. 1160. seqq.

4) Protevang. cap. VI. pag. 193.

5) Orat. in Deiparae nativit. pag. 938. col. 1. A. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VIII.

6) Orat. in Virginis present. pag. 939. col. 1. D. ibidem.

7) Quae *de facto historico* praesentatae atque commorantis in templo Virginis narrantur, ea sedulo diligenterque expendunt non Canisius modo de Deipara virgine lib. I. cap. XII., Baronius in notis ad Martyrologium die XXI. Novembris et in apparat. ad annal. nn. 47-48., Spinelius in tract. de Deipara

Digitized by Google

1226. De qua quidem sive oblatione sive Virginis in templo commoratione non perspicua modo sunt quae habentur [1]) in protevangelio et [2]) in evangelio atque [3]) in historia Deiparae infantis, verum etiam testes inprimis sunt locupletes [4]) Epiphanius, Gregorius nyssenus [5]), Eusthatius antiochenus [6]), Pseudo-Evodius [7]) apud Nicephorum, Andreas cretensis [8]), Germanus [9]) et Tarasius [10]) praesules byzantini, Iohannes damascenus [11]), Leo Augustus [12]), Georgius [13]) nicomediensis, Iacobus monachus [14]), Nicetus paphlago [15]), Theophylactus Bulgariae episcopus [16]), Nicetas byzantinus [17]), Victorinus massiliensis [18]) qui seculo quinto floruit, Michael Glycas [19]), Georgius Cedrenus [20]) et ne plures [21]) enumerem, Nicephorus. Eodem

cap. VIII., Theophilus Raynaudus in diptychis marianis part. I. puncto III., Saxius de Mariae laudibus part. I., Tillemontius T. I. pagg. 200. seqq., Thomassinus in tract. hist. et dogmat. de festis lib. II. cap. XX. §. VII., Combefisius in T. I. Auctarii p. 1238. et Natalis Alexander II. E. sec. I. cap. I. art. III.; verum etiam Benedictus XIV. de festis lib. II. cap. XIV., Trombellius in vita Deiparae part. I. diss. IX.; Assemanus in kalend. eccles. univ. T. V. pagg. 369. seqq., cardinalis Gotti de verit. relig. christ. part. I. cap. III. §§. IV-V., Matthaeus Basile diss. III. et Mazzola de beata Virgine part. I. disput. V. At vero propositum nobis est non tam factum ipsum examini denuo subiicere deque ipso arbitrari, quam investigare primum ac deinde exponere quid huius facti occasione maiores nostri de divina in Virginem providentia censuerint, deque singulari ea tutela litteris consignarint.

1) Protevang. capp. VII-VIII.

2) Evang. de Mariae nativit. capp. III-IV-VI-VII.

3) Hist. de Mariae nativit. capp. IV-V-VI. Cui adde hist. Iosephi cap. III.

4) Ancorat. n. 60.

5) Hom. in Christi nativit. p. 346. opp. T. III.

6) In hexaem. pag. 71.

7) H. E. lib. II. cap. III.

8) Orat. in Deiparae nativit. pag. 97. apud Gallandium T. XIII.

9) Encom. in Deiparam pagg. 1414. seqq. apud Combefisium Anctar. T. I.

10) Orat. in Deiparae praesentat. quam ad operis calcem edemus.

11) De orthod. fide lib. IV. cap. XIV.

12) Orat. in Deiparae praesentat. pagg. 1620. seqq. apud Combefisium op. cit.

13) Orat. in Deiparae praesent. pagg. 1087. seqq. apud Combefisium op. cit. Conferri etiam potest eiusdem *Idiomelon* pag. 1135., e quo pauca haec describo: Δεῦτε πάντες οἱ λαοί, τὴν μόνην ἀμώμητον ἐγκωμιώσωμεν, τὴν ἐκ τῶν προφητῶν προκηρυχθεῖσαν, καὶ ἐν ναῷ προσενεχθεῖσαν· τὴν πρὸ αἰώνων προορισθεῖσαν μητέρα, καὶ ἐν ἐσχάτων τῶν χρόνων ἀναδειχθεῖσαν θεοτόκον· κύριε, πρόσβασις αὐτῆς τὴν εἰρήνην σου παράσχου ἡμῖν, καὶ τὸ μέγα ἔλεος. *Eia agite populi omnes, illam celebremus quae sola immaculata est, quam praedixerant prophetae quaeque in templo oblata est, quae ante secula mater praedestinata, novissimis temporibus Dei genitrix effecta est. Eius nobis, Domine, intercessionibus pacem tuam magnamque misericordiam largire.*

14) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1255. seqq. apud Combefisium op. cit.

15) Orat. in Deiparae nativit. pagg 937-938. apud Combefisium in biblioth. conciona. T. VII.

16) Orat. in Deiparae praesent. pagg. 938. seqq. ibidem.

17) Adver. Mohamedem confutat. II. n. 41. pagg. 357-358. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. IV.

18) In carm. de nativit. vita, pass. et resurrect. Domini vv. 8-14. pag. 382. apud Mai classic. auctt. Tom. V.

» Anna Deo placuit genitrix quae sancta docetur.
» Edidit haec Mariam, Dominum quae Virgo recepit,
» Conceptum verbo spiritalis gratia fudit;
» Omnia quae solus fecit miracula Christus.
» Detulit infantem exactis iam tribus annis,
» Ut custos templi fieret, magnusque sacerdos
» Nomine Zacharias parvam accepit alendam.

19) Qui annalium parte III. pag. 383. hist. byzant. T. XXX. scribit, *Christum Dominum ex perpetua virgine Maria natum esse.* Tum pergit: Ἦν γὰρ ἄμωμος αὕτη γεννᾶται μὲν ἐξ ἐπαγγελίας, τριετίζουσα δὲ προσάγεται τῷ ναῷ, καιρὸν ἱκανὸν ἐν τοῖς αὐτοῦ διάγει ἀδύτοις, ὑπ' ἀγγέλου κομίζεται τὴν τροφήν, ὡσεὶ δέκα γίνεται καὶ τεσσάρων ἐτῶν. *Haec enim immaculata quidem gignitur ex promissione, trieunis autem ad templum deducitur, diu in penetralibus eius vivit, nutritur ab angelo donec quartum decimum aetatis annum attigit.* Ubi immaculatus eiusdem conceptus disertis omnino verbis effertur.

20) Historiarum compend. pag. 326. hist. byzant. T. XXI.

21) Quos inter censendus inprimis venit Gregorius antiochenus qui in tragoedia *de Christo pa-*

Digitized by Google

deinde pertinent imagines, atque picturae, cuiusmodi visuntur [1]) in tabulis capponianis et papebrochianis, in Culcinii Anthologio et in basiliano Menologio, quaeque sistunt Deiparam in medio stantem, dextra extensa ad Zachariam sacerdotem, qui illam ad altaris gradum erigit. Dextrum Deiparae latus tenent parentes eius Ioachimus et Anna, et post utrumque septem puellae facibus accensis: sed in latere sinistro supra gradus eadem sedet Deipara cibumque ab angelo sumit. Omnium capita, solis exceptis puellis, nimbo ornata refulgent. Huc tandem faciunt [2]) fasti papebrochiani, codices vaticani, Graecorum Menaea et Menologium, ac Latinorum Martyrologium romanum et officium, in quibus omnibus ad diem XXI. Novembris festum repraesentatae atque dicatae in templo Deiparae celebratur. De qua penes Graecos festivitate sic habet [3]) Assemanus: « Apud Graecos haec festivitas admodum antiqua est, quippe in vetustissimis codicibus descripta reperitur, habeturque eius mentio in constitutione [4]) Emmanuelis imperatoris quam recitat Theodorus Balsamon in [5]) nomocanone Photii. » De eadem vero apud Latinos recepta en quae [6]) scribit Papebrochius: « Festivitas haec quam notiente vv. 1346-1360. inter opp. Greg. nazianz. T. II, Virginem inducit ita Filium alloquentem:

Καὶτὰ δ' ἐτείχθην πατρός, οἶμαί, σου κρίσει,
Τρίφω με πατρὶ οὐ βροτείαν ἰσχύειν,
Μήτηρ τ' ἔδωκεν ἱερὰς ἀμφὶ δόμους

Quum autem Patris tui consilio, ut arbitror, genita fuerim, alit me genitor non ad mortalem focum, et mater aedi sacrae me tradidit. Quibus hanc editor adnotationem subiicit, in qua vix quidquam est sani: « Tota haec narratio, vel si mavis, fabula descripta est ab apocrypho libro de ortu beatae Virginis sub nomine sancti Iacobi fratris Domini. Cum autem liber ille Apollinario *recentior* sit, vel inde constat recentius quoque Appollinario esse carmen istud. Damasceno autem antiquiorem inde patet esse totam illam de educatione Mariae fabulam. » Censendus deinde venit Cosmas hierosolymitanus, cuius commentarios in Gregorii nazianzeni carmina edidit em. Mai T. II. spicilegii, quique de praesentata Virgine loquitur in comm. ad carmen secundum pag. 36. Censendus postremo venit Epiphanius monachus de vita sanctissimae Deiparae pagg. 16-17. edit. Dresselii.

1) Cf. Assemanum in kalend. ecclesiae univ. ad diem XXI. Novembris pag. 369. T. V.

2) Apud Bollandianos T. II. Maii pagg. 1. seqq. ubi illustrantur *ephemerides Graecorum et Moscorum*, *horum figuratae*, *illorum metricae*. Itemque apud Assemanum l. c.

3) Ibidem. Disertissima vero sunt quae in Menologio atque Graecorum Menaeis habentur die XXI. Novembris. En pauca quaedam ex Menologio decerpta: Καὶ μετὰ τρία ἔτη, εἶπεν Ἰωακείμ· καλέσωμεν τὰς θυγατέρας τῶν Ἑβραίων τὰς ἀμιάντους, καὶ λαβέτωσαν ἀνὰ λαμπάδα, καὶ ἔστωσαν αἱ λαμπάδες καιόμεναι· μήποτε στραφῇ ἡ παῖς εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ αἰχμαλωτισθῇ ἡ διάνοια αὐτῆς ἐν ναῷ κυρίου· καὶ ἐποίησαν οὕτως· καὶ ἐδίξατο αὐτὴν Ζαχαρίας, καὶ εἶπε αὐτῇ· μεγαλύναι κύριος τὸ ὄνομά σου· καὶ ἐκάθισεν αὐτὴν ἐπὶ τοῦ βαθμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου· καὶ ἦν τρεφομένη ὑπὸ ἀγγέλου, ἕως ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα. *Post tertium igitur annum ait Ioachim, accersamus inviolatas Hebraeorum puellas quae accensas lampades praeferant, ne ad ea quae retro sunt se convertat puella, sed mens eius tota in templo Domini mancipetur. Atque ita fecerunt. Excipiens igitur puellam Zacharias, inquit: magnificet Dominus nomen tuum; simulque eam altaris gradu collocavit. Et nutrieba-tur ab angelo, donec annum duodecimum attigit.*

4) Titulus constitutionis editae anno MCLXVI. sic habet penes Carolum Labbaeum scriptorem accuratissimum *observatt. et emendatt. in synops. basilic.* p. II. pag. 127, Περὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ· ποῖαι μὲν τούτων ἄεργοί εἰσι, ἐν μέρει δὲ ἔμεργοι. *De diebus totius anni, quinam ex his in totum sint feriati, et qui ex parte profesti seu intercisi.* Porro diebus feriatis accensetur dies XXI. Novembris, ὅτι τὰ εἰς τὸν ναὸν εἰσόδια τῆς θεομήτορος ἐν ταύτῃ πανηγυρίζεται, *quod tum Dei genitricis introitus in templum celebretur.*

5) In Photii nomocanon. tit. VII. cap. 1.

6) In observatt. ad metricas Graecorum epho-

Digitized by Google

stra societas hoc seculo [1]) plurimum excitavit per Belgium, apud Latinos non admodum antiqua est, sed primum in Europa fuit recepta et Avenione celebrata anno MCCCLXXII., quemadmodum constat ex monumentis repertis inter scripta Philippi Mazerii cancellarii Cypri. Monumenta autem illa una cum altera vita s. Petri Thomasii carmelitae per Carmessonium scripta, anno MDCLXVI. liberaliter donavimus rr. pp. carmelitis eadem typis vulgare cupientibus, uti etiam factum est. » Multo autem sunt plura quae collegit [2]) Benedictus XIV., qui et haec refert Canisii [3]) verba: « Etsi vero ecclesia romana, quam honoris causa nomino, festum hunc diem modo [4]) non celebrat, alios tamen cum privatim tum publice celebrantes nec damnat nec vituperat, quin multo etiam tempore iampridem [5]) celebravit, priusquam tandem Pio V. pontifici maximo visum est sanctorum ferias contrahere, minor ut illarum numerus maiore cum fructu retineatur. » Tum e vestigio [6]) subdit: « Re autem rursus novo subiecta examini sub Sixto V., quum consideraret Pontifex vetustatem huius festi in ecclesia orientali, et multo ante eamdem festivitatem in occidentali celebratam fuisse, etiam hanc aliis beatae Virginis solemnitatibus addidit anno MDLXXXV. *Aliis igitur* [7]) *celebritatibus perpetuae Virgini, quae ab aeterno praeparata et propheticis testificationibus praenunciata, nondum tamen mater Dei angelo nunciante fuerat effecta, a catholica ecclesia consecratis, eiusdem quoque quae Dei templum futura erat et sacrarium Spiritus sancti in templo Praesentationem ab antiquissimis usque temporibus summa ubique gentium cum veneratione observatam adscribi volumus, et sicubi intermissa est, restitui ac iugiter custodiri.* »

1227. Quamquam igitur in praesentia nolim cum Iohanne da-

merides Tom. II. Maii pag. 51. ubi haec referuntur:

Βῆ ἱερὸν Μαρίη τέμενος παρὰ πίπλοι κούρη.

Ad templum induxit vigesima prima Mariam.

1) Pro eodem festo non minus impense Franciscus Turrianus antea adlaboraverat, quemadmodum videre licet apud Nicolaum Antonium, qui biblioth. hispan. T. II. pag. 372. et illud narrat, Turrianum Romae obiisse *ipso praesentationis Virginis Deiparae festo, cuius antiquitate olim propugnata, restitui ecclesiae festis unde exsulaverat, obtinuit.*

2) De festis lib. II. cap. XIV.

3) De Maria Deipara lib. II. cap. XII.

4) Ecclesiam regente Pio V.

5) Pontifice Gregorio XI. de quo Bollandiani T. VIII. Maii pag. 140. scribunt: « Egregia Pontificis huius erga Deiparam devotio probavit esse, quando ad instantiam Philippi de Mazeriis cancellarii Cypri post maturam totius negotii discussionem praecepit festum et officium Praesentationis, quod coram se fecit celebrari. » Gregorii consilium probarunt Pius II. et Paulus II., quemadmodum testantur Molanus in auctu Usuardi Martyrologio inquiens: « Hierosolymis Praesentatio beatae genitricis Dei Mariae, quam Pius et Paulus Pontifices Romani *cum indulgentiis* instituerunt. »

6) Loco cit.

7) Deprompta haec sunt ex Constitutione Sixti, quae septima est in Bullar. rom. T. II.

Digitized by Google

masceno [a]) contendere, praesentationem moramque Virginis in templo iis omnino connumeranda esse *quae verissima et omni digna veneratione sunt, quaeque benedictionem omnem et salutem omnibus attulerunt;* non possum tamen quin affirmen, hanc plurimis continenter seculis fuisse ac porro esse universi christiani nominis ratam fixamque sententiam, quam tum etiam hodie profitemur quum Deum, ecclesia voces ipsas suggerente, his verbis [1]) exoramus: « Deus, qui beatam Mariam semper virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo praesentari voluisti, praesta quaesumus ut eius intercessione in templo gloriae tuae praesentari mereamur. » At vero quid tandem maiores nostros permovit, ut in hac persuasione unanimes conquiescerent? Aperit quod quaerimus Iohannes damascenus [b]) inquiens: « Eam ob rem Dei genitrix ex promissione prodiit. Angelus enim nasciturae conceptionem parentibus eius nuntiat. Quippe conveniebat ut hac etiam re nulli cederet nec secundas partes ferret, quae solum vereque perfectum Deum [2]) secundum carnem erat paritura. Tum in sacrosancto Dei templo offertur et consecratur, *in quo ita degit ut praestantioris ac purioris prae ceteris vitae specimen* [3]) *ederet, a virorum et mulierum male feriatarum commercii remota.*» Aperit rursum quum narrata [c])

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. IV. pag. 861. B-C. Τὰ λίαν ἀληθῆ καὶ σιβάσμια, καὶ ὄντως ὄντα τοῖς πᾶσιν εὐλογίας ἁπάσης καὶ σωτηρίας πρόξενα.

b) Ibid. §. VI. pag. 862. B-C. Ἐντεῦθεν ἡ Θεοτόκος ἐξ ἐπαγγελίας προέρχεται· ἄγγελος γὰρ καταμηνύει τῆς γεησομένης τὴν σύλληψιν· ἔπρεπε γὰρ κἂν τούτῳ μὴ ἐλαττοῦσθαί τινος, ἃ φέρειν τὰ δεύτερα, τὴν τοῦ μόνου καὶ ὄντως τελείου Θεοῦ ἐσομένην κατὰ σάρκα λοχεύτριαν, εἶτα τῷ ἱερῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ ἀνατίθεται, κἂν ταῦτα διατρίβοι, κρείττονα καὶ καθαρωτέραν τῶν ἄλλων ἐπιδεικνυμένη σπουδὴν καὶ ἀναστροφήν, ἁπάσης ἐπιμιξίας ἀνδρῶν καὶ θηλειῶν ἀτόπων ἀπηλλαγμένη.

c) De fide orthod. lib. IV. cap. XIV. pag. 275. C-D. Εἶτα ἐν τῷ οἴκῳ Θεοῦ φυτευθεῖσά τε, καὶ πιανθεῖσα τῷ πνεύματι, ὡσεὶ ἐλαία κατάκαρπος, πάσης ἀρετῆς καταγώγιον γέγονε, πάσης βιωτικῆς καὶ σαρκικῆς ἐπιθυμίας τὸν νοῦν ἀποστήσασα, καὶ οὕτω παρθένον τὴν ψυχὴν συντηρήσασα σὺν τῷ σώματι, ὡς ἔπρεπε τὴν Θεὸν ἐγκόλπιον ὑποδέχεσθαι μέλλουσαν· ἅγιος γὰρ ὢν, ἐν ἁγίοις ἀναπαύεται· οὕτω τοίνυν ἁγιωσύνην μετέρχεται, καὶ ναὸς ἅγιος καὶ θαυμαστὸς τοῦ ὑψίστου Θεοῦ ἀναδείκνυται ἄξιος.

1) Est oratio in Officio praescripta, cuius pars prior ante Sixtum V. his verbis concepta erat: « Deus, qui sanctam tuam genitricem templum sancti Spiritus *post triennium* in templo praesentari voluisti. » Videsis Gravesonium de myster. et ann. Christi diss. I. §. 1.

2) Quibus toties a nobis inculcata origo decorum Virginis perspicue significatur. Ea nimirum est divina maternitas, e cuius infinita veluti praestantia desumendum est quid de Virgine statui credique debeat.

3) Quis autem non videat ab hoc divinae dispositionis consilio vehementissime abhorrere, ut origo Virginis infecta et communi labe taminata existimetur?

Digitized by Google

Virginis praesentatione pergit: « Tum deinde in domo Dei plantata et per Spiritum saginata, instar olivae [1]) fructiferae virtutum omnium domicilium instruitur; ut quae abstracta mente ab omni seculi carnisque cupiditate, animum una cum corpore virginem conservasset, veluti decebat [2]) illam quae sinu suo conceptura Deum erat, qui quum ipse sanctus sit, in sanctis requiescit. Unde sanctimoniam consectando, templum evadit sanctum et admirabile, Deique altissimi hospitio dignum.» Itemque aperit Andreas cretensis qui principio [a]) scribit: « Quoniam autem ex infecunda matre ea prodierat ex cuius sinu immortalitatis spica germinavit, illam parentes quum primo floreret aetatis flore in templum ductam veluti donarium Deo dedicarunt. Is vero qui id temporis sacerdotii peragebat vicem, plurimum exsultavit ut qui eorum quae essent in spe, divinos iam eventus manifestos adspiceret; nec aliter [3]) venerandam perlitationem ac divinum donarium Deo devovit, magnum hunc salutis thesaurum in ipsis sanctorum penetralibus deponens, ubi puella ambrosia pasceretur esca usque dum venisset definitum ante secula coniugii tempus.» Tum [b]) subdit: « Veniamus ad templi vestibula, una curramus cum virginibus praecurrentibus, ipsa simul adeamus sancta sanctorum. Illic enim post nativitatem, post ubera, post infantiam fasciae in floris speciem decoremque pubescunt. Deus

a) Orat. in Virginis nativit. pag. 97. A-C. apud Gallandium T. XIII. Ἐπεὶδὴ δὲ προῆλθεν ἐκ τῆς ἀγόνου μητρὸς ἡ ἐκ μήτρας τὸν στάχυν ἀφθαρσίας ἐκφύσασα, τῷ ναῷ ταύτην τῆς ἡλικίας τὸ πρῶτον ἄγουσαν ἄνθος οἱ τεκόντες προσαγαγόντες ἀνέθεσαν· ἧς ὁ τὴν ἐφημερίαν τότε τῆς ἱερατείας ἐπιτελῶν ἱερεὺς λιὰν ἐγεγήθει, ὡς τῶν ἐν ἐλπίδι ἤδη τὰς θείας ἐναργεῖς ἐκβάσεις τεθεάμενος· καὶ οἷον τὸ σεπτὸν καλλίφημα τὸ θεῖον ἀνάθημα τῷ θεῷ καθιέρωσεν, εἰς αὐτὰ τὰ τῶν ἁγίων ἄδυτα τοῦτο τὸ μέγα τῆς σωτηρίας θησαύρισμα καταθέμενος· ἐν οἷς τὴν παῖδα ἀμβροσίαν σιτεῖσθαι τροφὴν, ἕως ὁ τῆς μνηστείας ἐπίστη καιρὸς, ὃς πρὸ παντὸς αἰῶνος διώριστο.

b) Ibid. pag. 98. A-D. Φθάσωμεν ταῖς προτρεχούσαις παρθένοις· εἰς αὐτὰ τὰ τῶν ἁγίων συνέλθωμεν ἅγια· ἐκεῖ γὰρ τὰ σπάργανα μετὰ γέννησιν, μετὰ μαζὸν μετὰ νηπίασιν εἰς ἄνθους ὥραν ἐβλάστησε· παστάδος δίκην ἑτοίμασεν αὐτῇ ὁ θεὸς τὸ θρεπτήριον, φυλάξας ἑαυτῷ τὸ σεβάσμιον· αὐτόθεν καὶ ὁ ναὸς οὗτος τὰς ἱερὰς διαπετάσας ἀνέῳξεν πύλας, ἵνα τὴν βασίλειον τοῦ παντὸς ὑποδέξηται δόξαν, τότε δὴ τότε τὰ τῶν ἁγίων ἀνοίγνυντο ἅγια, τὴν πανάγιον τοῦ ἁγίου μητέρα εἴσω τῶν ἀδύτων ἐγκολπωσάμενα.

1) Ps. LI. 10.

2) Quum igitur de Virgine sermo est, non illud exquiri debet quod vulgaris et usitata fert conditio rerum, sed quod eam deceat ex qua sanctissimum Dei Verbum secundum carnem gigneretur.

3) Versio apud Gallandium sic habet: *nec aliter divinum Deo donarium ac acceptissimam dignamque veneratione hostiam litavit.*

Digitized by Google

instar thalami educatorium illi paravit, sibimetipsi custodiens [1]) rem inprimis venerandam et augustam. Hinc et illud templum sacras revolvit fores, ut regalem universi susciperet gloriam. Tunc sane tunc temporis patuerunt sancta sanctorum, et sancti sanctissimam matrem intra adyta sinu receperunt. »

1228. His autem consona inprimis sunt quae Georgius metropolita nicomediensis uberrima oratione persequitur. Ubi enim de oblata trienni Virgine [a]) sermonem habet, his omnino utitur verbis: « Quamobrem triennem illam offerunt *(parentes)* in templo, pretiosum illud revera donarium atque angelis venerabile, supremum mundissimumque illud cimelium in quo thesauri gratiae fuerunt depositi, in quo oeconomiae opes ineffabili ratione collocatae, in quo condita nostrae salutis pignora.» Quibus aliisque praeconiis continuo [b]) subiicit: « Quippe decebat ut immaculata infans ternarium numerum a se ipsa praevie honoraret, per quam iis qui in mundo erant, potentia Trinitatis innotuit, in qua foedus beneplaciti Patris contractum est, in qua Verbum habitans induit massam nostram, in qua Spiritus commorans indivisam Trinitatem ostendit, per quam mundus [2]) trine divisus in unam Dei adorationem aptatus est, per quam eius divisor [3]) cum sonitu periit.» Tum ad texendas Virginis laudes denuo conversus [c]) ait: « Hodie columba illa immaculata in templi penetralia evolans malitiae aucupem de-

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1087. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Διάτοι τοῦτο τριετίζουσαν ταύτην τῷ ναῷ προσφέρουσι· τὸ τίμιον ὄντως ἀνάθημα, καὶ ἀγγέλοις αἰδέσιμον· τὸ ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον κειμήλιον, ἐν ᾧ οἱ τῆς χάριτος θησαυροὶ ἐναπετέθησαν· ἐν ᾧ τῆς οἰκονομίας πλοῦτος ἀπορρήτως ἀπέκειτο· ἐν ᾧ τὰ τῆς ἡμῶν σωτηρίας ἐταμιεύθη ἐνέχυρα.*

b) Ibid. pag. 1087. E. *Ἔδει γὰρ τὸν τρισσὸν ἑαυτῇ τὴν ἄσπιλον προτιμῆσαι ἀριθμὸν, δι' ἧς τοῖς ἐν κόσμῳ ὁ τῆς τριάδος ἐφανερώθη δύναμις· ἐν ᾗ τὸ τῆς εὐδοκίας τοῦ πατρὸς ἐπραγματεύθη συνάλλαγμα· ἐν ᾗ ὁ λόγος οἰκήσας τὸ ἡμῶν ἀμφέσχετο φύραμα· ἐν ᾗ τὸ πνεῦμα κατασκηνῶσαν, τὸ ἀδιαίρετον τῆς τριάδος ὑπέδειξε· δι' ἧς ὁ τριχῇ διηρημένος κόσμος εἰς μίαν θεοῦ προσκύνησιν συνηρμόσθη· δι' ἧς ὁ τούτου διαιρέτης μετ' ἦχου ἐξεφανίσθη.*

c) Ibid. pag. 1090. B-C. *Σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιπταμένη, τὸν τῆς κακίας ἐξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γενομένη τῶν μηχανημάτων αὐτοῦ· σήμερον τὸ δοχεῖον τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ ἀποτίθεται, πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ λόγου ἐξευτρεπίζεται.*

1) Ubi Virgo est quae τὸ σεβάσμιον appellatur.
2) Respicit ad verba Pauli Philipp. II. 10.
3) Is est diabolus, qui numquam a Deo Virginem seiunxit.

Digitized by Google

vitavit eius machinamentis facta [1]) sublimior. Hodie vas Spiritus in templo depositum ad suscipiendum Dei Verbum apte instruitur.» Hinc [2]) pergit: « Neque enim decebat ut tabernaculum illud mundissimum inter mundi sordes [2]) versaretur, sed ut in irreprehensibilem translatum locum primos illic gaudii gustus reciperet; ut illic benedictionis arrhabonem consequeretur, ut illic cibo angelica manu subministrato, tamquam mysterii symbolo, aleretur. Decebat ut purus labisque expers thesaurus ab humanarum consuetudinum contagio immunis custodiretur. Par erat ut pellucidum illud sanctuarium ab omni peccati communione liberum servaretur. Par erat aures illas delusoriis inaccessas manere sermonibus; futurum namque erat ut in iis vox archangeli resonaret, qua tristis maestitia ab Evae auribus [3]) depelleretur.»

1229. Similia sunt quae tradunt [4]) Photius et [5]) Iacobus monachus, ac item similia quae docent Germanus et Tarasius praesules byzantini. Germanus enim [6]) encomium in Virginis praesentationem orditur [b]) his verbis: « Ecce alius quoque celebris conven-

a) Ibid. pag. 1090. B-E. Οὐδὲ γὰρ ἦδει τοῖς ῥύποις τοῦ κόσμου τὸ καθαρώτατον συνδιαιτᾶσθαι σκήνωμα· ἀλλὰ πρὸς τὸν ἀμεμπτον μεταθλεθὲν χῶρον, ἐκεῖ τὰ τῆς χαρᾶς ὑποδέξασθαι προοίμια· ἐκεῖ τὸν ἀρραβῶνα τῆς εὐλογίας ἀποκληρώσασθαι· ἐκεῖ σύμβολον τοῦ μυστηρίου, τὴν ὑπ' ἀγγέλου κομιζομένην τροφὴν ἐστιάσασθαι· ἦδει ἀμιγὲς τῶν ἀνθρωπίνων ἠθῶν τὸ ἀκηλίδωτον φυλαχθῆναι θησαύρισμα· ἦδει ἀκοινώνητον τῆς ἁμαρτίας τὸ δι' αὐγῆς τηρηθῆναι ἁγίασμα, ἦδει ἀνεπίβατα λόγοις ἀπατηλοῖς τὰ ἱερὰ ὦτα σωθῆναι, ἐν οἷς ἔμελλεν ἡ τοῦ ἀρχαγγέλου φωνὴ τὴν χαρὰν ἐνηχήσασα, τὸ σκυθρωπὸν τῆς λύπης ἐκ τῶν τῆς Εὔας ἀκοῶν ἀπελάσαι.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1411. A-D. ibidem. Ἰδοὺ καὶ πάλιν ἑτέρα πανήγυρις, καὶ φαιδρὰ ἑορτὴ τῆς μητρὸς τοῦ κυρίου· ἰδοὺ πρόοδος τῆς ἀμωμήτου νύμφης· ἰδοὺ προπόμπη πρώτη τῆς βασιλίδος· ἰδοὺ σήμαντρον ἀκριβὲς τῆς ἐσομένης περὶ αὐτὴν δόξης· ἰδοὺ προοίμιον τῆς μελλούσης ἐπισκιάζειν αὐτῇ θείας χάριτος· ἰδοὺ γνώρισμα τηλαυγὲς τῆς ὑπερβαλλούσης αὐτῆς καθαρότητος· ὅπου γὰρ οὐ πολλάκις, ἀλλ' ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ ἱερεὺς εἰσιὼν τὰς μυστικὰς ἐπιτελεῖ λατρείας, ἐκεῖ αὐτὴ πρὸς διαμονὴν ἀδιάπαυστον ὑπὸ τῶν αὐτῆς γονέων προσάγεται, ἐν τοῖς ἁδύτοις εἶναι ἱεροῖς τῆς χάριτος· τίς ἔγνω τοιοῦτον πώποτε; τίς εἶδεν, ἢ τίς ἤκουσε τῶν νῦν ἢ τῶν πάλαι θῆλυ προσαγόμενον

1) A Deo scilicet qui illam ita condidit, ut originalem eius pulcritudinem tueretur.

2) Prima autem inter mundi sordes universali praevaricatione continetur. Ab hac igitur Virgo fuit omnino alienissima.

3) Virgo itaque neque *in Eva* decepta fuit, neque *in Eva* peccavit, neque ullum unquam cum satana commercium habuit.

4) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1661. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I.

5) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1355. D-E. ibidem.

6) Ἐγκώμιον εἰς ἁγίαν θεοτόκον, ὅτι προσηνέχθη ἐν τῷ ναῷ (εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων) τριετίζουσα ὑπὸ τῶν αὐτῆς γονέων.

Digitized by Google

tus, matrisque Domini laeta festivitas: ecce immaculatae sponsae processio: ecce quo primum regina deducitur comitatu: ecce signum certissimum futurae ipsius gloriae: ecce clarissima divinae gratiae ipsam obumbraturae primordia: ecce supereminentis eius puritatis splendidissimum specimen. Ubi enim non saepe sed semel dumtaxat quotannis sacerdos ingrediens mysticum cultum exhibebat, illic ipsa in sacris gratiae penetralibus assidue versatura offertur. Quis tale quid umquam cognovit? Quis nostra maiorumve aetate vidit vel audivit, feminam in interioribus sanctorum sanctis oblatam esse, et ubi vix accessus viris concederetur, ibi illam habitare ac enutriri? Nonne manifestum est hoc argumentum rerum maximarum novarumque postea in ipsa perficiendarum? » Tum oratione in hostes Virginis [a]) directa scribit: « Ostendant nobis qui contra ipsam linguas suas movent, videntque tamquam non videntes, ubi tale quid umquam viderint? Nimirum puellam ex promissione eamque triennem intra tertium templi velum tamquam donum immaculatum oblatam, illic assidue habitaturam; quamque [1]) divites plebis deprecentur, et sacerdotes ac prophetae supinis manibus suscipiant? Quomodo ergo noluerunt intelligere? Quomodo videntes prima, postremis fidem non habuerunt? Quomodo quum nova haec miraque iam antea in ea conspexissent, iis obstiterunt quae postea successere? Neque enim frustra aut fortuito prima haec illi acciderunt, sed omnia veluti exordium [2]) fuerunt consequentium. » Quod

εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἐνδότερα ἅγια, τὰ μικροῦ δεῖν καὶ ἀνδράσιν ἀπρόσιτα, ἐν αὐτοῖς κατοικεῖν καὶ ἐνδιατρίφεσθαι; ἆρ' οὐκ ἀπόδειξις ἐναργὴς τοῦτο τῆς ἐπ' αὐτῇ γενησομένης ξένης εἰς ὕστερον μεγαλουργίας;

a) Ibid. pagg. 1411. D. et 1414. A-B. Δειξάτωσαν ἡμῖν οἱ κατ' αὐτῆς κινοῦντες τὰς γλώσσας, καὶ βλέποντες ὡς μὴ βλέποντες, ποῦ τοιαῦτα πώποτε κατεῖδον; κόρην ἐξ ἐπαγγελίας, καὶ αὐτὴν τριετίζουσαν, εἰς τὸ τρίτον καταπέτασμα ὡς δῶρον ἄμωμον προσφερομένην, πρὸς τὸ ἐκεῖσε οἰκεῖν ἀπαραλείπτως, καὶ ὑπὸ τῶν πλουσίων τοῦ λαοῦ λιτανευομένην, ὑπὸ ἱερέων καὶ προφητῶν χερσὶν ὑπτίαις προσλαμβανομένην; πῶς οὖν οὐκ ἠβουλήθησαν συνιέναι; πῶς ὁρῶντες τὰ πρῶτα, τοῖς ἰσχάτοις ἠπίστησαν; πῶς ξένα καὶ παραλλαγμένα τὰ ἐπ' αὐτῇ προϊδόντες, τοῖς μετέπειτα γενομένοις ἀντέλεξαν; οὐ γὰρ εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχε, τὰ περὶ αὐτὴν πρῶτα γεγόνασιν· ἀλλὰ πάντα προοίμια τῶν ὑστάτων.

1) Ps. XLIV. 13.

2) Quibus repetitur doctrinae caput magni omnino momenti et in superioribus veterum testimoniis crebro inculcatum, *universam scilicet Dei in Virginem providentiam eo pertinuisse, ut ipsa ad futuram divinae maternitatis praerogativam quo fieri aptissime poterat instrueretur.* Haec autem praerogativa fuit non quaevis, sed eximia, singularis ac prope infinita. Eadem igitur esse debuit eorum ratio quae iter ad illam complanarunt, atque adeo eximia et singularis esse debuit conceptio, eximia et singularis nativitas, eximia et singularis vita ac institutio, et paucis nihil apparere in ipsa debuit nisi eximium et singulare.

Digitized by Google

e vestigio [a]) confirmat inquiens: « Alioqui dicant nobis qui sibimet-ipsis vane sapientes sunt, quam ob rem licet aliae quoque pepererint steriles, nullius tamen puella fuerit umquam in sanctis sanctorum oblata atque a prophetis suscepta? Nonne qui haec talia ac tanta in ipsa tum contemplabantur, merito dicere potuerunt quod postea alii eiusdem cum ipsis sententiae de filio illius protulere: *quis putas puer iste erit?* plane. »

1230. Porro Tarasius ut auditores provocet ad celebrandum praesentatae Virginis festum, his utitur [b]) incitamentis: « Etenim hodie caelum ac terra communem agitant solemnitatem, et coniunctim laudant creatorem qui e mortali natura [1]) puellam Dei filiam ad sui habitaculum delegit. Hodie mysterii ante omnia secula praefiniti, quodque ultimis temporibus manifestandum erat, apparatur domicilium. Hodie filia ex Ioachimo et Anna secundum promissionem genita ab iisdem pretiosum munus illi offertur, cui gratissimum deinceps erit ex ipsa generari. Hodie laetitiae exordium adducitur in templum trimula, quam virgines cum lampadibus de-

a) Ibid. pag. 1414. A-C. Εἰπάτωσαν γὰρ ἡμῖν οἱ παρ' ἑαυτοῖς σοφοὶ τὰ μάταια, πῶς καὶ ἑτέρων στειρῶν τεκουσῶν, οὐδεμίας θυγάτριον εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἀνατίθεται ἅγια, καὶ ὑπὸ προφητῶν προσίληπται; ἆρ' οὐκ εἶχον οἱ τοιαῦτα καὶ τηλικαῦτα εἰς αὐτὴν τότε θεωροῦντες εἰπεῖν, οἷα καὶ τούτων οἱ ὁμογνώμονες ὕστερον εἰς τὸν ἐκείνης υἱόν· τί ἄρα ἔσται τὸ παιδίον τοῦτο; πάνυ μὲν οὖν.

b) Orat. in Deiparae praesent. §. I. Σήμερον γὰρ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ κοινὴν ἑορτὴν ἐκτελοῦντες, ἀμφότεροι τὸν δημιουργὸν δοξολογοῦσι, τὸν ἐκ βροτείας φύσεως τὴν θεόπαιδα κόρην ἐκλεξάμενον εἰς ἑαυτοῦ κατασκήνωσιν· σήμερον τοῦ πρὸ πάντων αἰώνων προορισθέντος μυστηρίου, καὶ ἐπ' ἐσχάτων φανεροῦσθαι μέλλοντος, ἐτοιμάζεται οἰκητήριον· σήμερον ἡ ἐξ ἐπαγγελίας τεχθεῖσα ἐξ Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης προσφέρεται ὑπ' αὐτῶν τίμιον δῶρον τῷ μετέπειτα ἐξ αὐτῆς τεχθῆναι εὐδοκήσαντι· σήμερον τὸ τῆς χαρᾶς προοίμιον ἐν τῷ ναῷ εἰσάγεται τριετίζουσα καὶ παρθένοι ταύτης μετὰ λαμπάδων προπορεύονται· σήμερον ἡ λύσις τῆς στειρωτικῆς κατάρας, δῶρον εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων προσάγεται· σήμερον τῶν προφητῶν κήρυγμα ὑπὸ τοῦ ἀρχιερέως καὶ προφήτου Ζαχαρίου εἰς τὰ ἄδυτα ἀνίσχεται· ἵνα αὐτὸς ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετ' εὐλαβείας εἰσήρχετο, αὕτη φαιδρῶς μετὰ ἀδείας ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐναθίζετο· τίς οὐκ ἐκπλάγη πρὸς τὸ παράδοξον πρᾶγμα; τίς οὐκ ἐκπλήττεται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ θαύματι; τίς οὐκ ἐκπλάγη βλέπων ἐν τῷ ἱερῷ παρεδρεύουσαν, τὴν τοῖς ἱερεῦσι γεγονυῖαν ἀπρόσιτον Μαρίαν τὴν ἀμίαντον; τοῦτο τῆς πρὸς ἡμᾶς συναφείας προοίμιον· τοῦτο τῆς τῶν ἀγγέλων μετ' ἀνθρώπων συμμίξεως προχάραγμα· τοῦτο τῆς ἡμῶν ἀνακαινίσεως ἐκφράγισμα· τοῦτο τοῦ ἀκαινθηφόρου βίου ἡμῶν, καὶ τῆς ἀπο-

1) Haec rerum dissimilium coniunctio, ἐκ βροτείας φύσεως *ex mortali natura* et τὴν θεόπαιδα κόρην *puellam Dei filiam*, non obscure ostendit duplicem Virginis distingui originem oportere, carnis alteram et qua ipsa est ἐκ βροτείας φύσεως *ex mortali natura* et alteram animae qua eadem est ἡ θεόπαις κόρη *puella Dei filia*, non satanae neque irae.

Digitized by Google

ducunt. Hodie in sancta sanctorum infertur donum, quo sterilitatis solvitur exsecratio. Hodie prophetarum annuntiatio, sacerdote ac propheta Zacharia comitante, in sanctiores templi recessus adscendit, et quem locum ille quotannis cum metu adibat, in eo haec puella hilari cum securitate diu noctuque considebat. Quis rei novitate non obstupescat? Quis non suspiciat inusitatum prodigium? Quis admiratione non percellatur quum videat Mariam immaculatam ab sacerdotum congressu submotam in sacris adytis adsidentem? Haec est adumbrata species futurae inter angelos hominesque [1]) societatis. Haec expressa effigies [2]) nostrae instaurationis. Haec vitae nostrae [3]) spinarum feracis permutatio est, itemque sententiae illius olim [4]) latae: *maledicta terra in operibus tuis, spinas et tribulos submittet tibi;* et [5]) illius: *in sudore vultus tui vesceris pane.* Haec est firma redemptio ab inflicta illa [6]) poena: *multiplicabo dolores tuos et gemitus tuos;* et ab [7]) illa: *in dolore paries filios.* »

1231. Neque secus Bulgariae archiepiscopus Theophylactus, qui de Ioachimo et Anna principio. [a]) scribit: « Nascitur igitur illis filiola tantum eos sanctitate et gratia [8]) praecellens, quantum modus quo in ipsa Deus habitavit modum habitationis in illis superabat. Nam in illis simplici quadam communique ratione habitabat Deus, iuxta id quod [9]) dicitur, *habitabo in eis et inambulabo;* at huius uterum Deus ipse substantialiter implevit. » Tum de iisdem [b]) sub-

φάσιως τῆς προτέρας, τοῦ, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου, ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι· καὶ τοῦ, ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου σου φάγη τὸν ἄρτον σου, ἡ μετάλλαξις· τοῦτο τοῦ, πληθυνῶ τὰς λύπας σου καὶ τοὺς στεναγμούς σου· καὶ τοῦ, ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα, βεβαία ἀπολύτρωσις.

a) Orat. in Deiparae praesentat. n. 4. pag. 471. E. opp. T. III. Καὶ τέτευται τούτοις θυγάτριον, τοσοῦτον ὑπερέχον αὐτοὺς ἁγιωσύνῃ καὶ χάριτι, ὅσον καὶ ἡ ἐν αὐτῷ τοῦ Θεοῦ κατασκήνωσις ἢ ἀνάπαυσις, τῆς ἐν ἐκείνοις οἰκήσεως· τοῖς μὲν γὰρ ἁπλῶς ἐνῴκει θεὸς κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπεριπατήσω· τῆς δὲ τὴν μήτραν οὐσιωδῶς ὁ Θεὸς ἐπλήρωσεν.

b) Ibid. n. 5. pag. 472. A-B. Ἆρ' οὖν τὴν χάριν ἠγνόησαν; ἆρα τοὺς ἁγνεῖς γονεῖς

1) Cuius societatis ita Virgo conciliatrix fuerit, ut illa numquam caruerit.

2) Qua Virgo non indiguit, ut quae originalem servaverit venustatem.

3) Idcirco autem vita nostra spinarum peccatorumque ferax est, quia uti spinae in peccatis generamur. Sed Virgo semper fuit veluti lilium inter spinas, atque ex spinis veluti rosa efloruit.

4) Gen. III. 17.

5) Gen. III. 19.

6) Gen. III. 16.

7) Ibidem.

8) Audis Virginem nasci atque adeo concipi non solutam modo a culpa, sed eximio sanctitatis gratiaeque iubare splendentem? Audis huius praerogativae cessasse ex divina maternitate desumi?

9) Lev. XXVI. 12.

Digitized by Google

dit: « An vero illi gratiam hanc, uti par erat, non agnoverunt, et sordidos imitati parentes filiam senectutis solatium, opum heredem ac generis propagatricem se habere sperantes, eam domi delicatius enutriendam detinuerunt? » Quibus cumulatis interrogationibus [a]) reponit: « Sed parentes ipsius non fuissent illi, neque umquam eam habere meruissent, si talis exstitissent indolis ut haec apud se constituere potuissent. Omnem igitur humanum exuentes affectum, omnique re superiores effecti, Deo offerunt donum quod ipse illis dederat, illudque restituendo declararunt se illud a Deo accepisse. Igitur eam ad templum uti vivens animatumque donarium dominatori rerum omnium consecrandum deferunt, ac domui Dei [1]) decor imponitur, ipsique assignatur locus habitationis gloriae eius, et [2]) obliviscitur quidem filia domus patris sui, atque adducitur regi qui decorem eius concupiverat. » Mox vero de Pontifice [b]) ait: « Huic ergo parentes puellulam afferunt atque concredunt narrantes et praeteritam sterilitatem, et habitam de illa promissionem, et confitentes supra ipsorum vires ac merita esse talem filiam enutrire. Quum enim illa divinior esset, convenire ut educationis ratio tantae dignitati responderet; et ne tam splendida atque inaestimabilis margarita vili laceroque panno contegeretur, decere ut regia clamide ad maiorem gloriam maiusque ornamentum recondatur. » Sed quid hisce auditis Pontifex? Pergit [c])

ἐμιμήσαντο; καὶ γήρως χειραγωγὸν, καὶ βίου κληρονόμον, καὶ γένους διάδοχον τὴν παῖδα ἕξειν ἐλπίζοντες, οἶκοι παρακατίσχον τρυφερώτερον ἀνατρέφοντες;

a) Ibid. n. 5. pag. 472. A-C. Ἀλλ' οὐκ ἂν ἦσαν ὄντως ἐκείνης γονεῖς, οὐδ' ἂν ἐξ ἀρχῆς ταύτην λαβεῖν ἠξιώθησαν, εἰ τοιαῦτα φρονεῖν ἐπεφύκεισαν· πᾶσαν δὲ προσπάθειαν σαρκικὴν ἐκ τοῦ πνεύματος ἀποξήσαντες, καὶ πάντος ὑπεράνω γενόμενοι, δῶρον δωροῦνται θεοῦ, τὸ θεόδοτον αὐτοῖς ἀγαθὸν, καὶ δεικνοῦσιν ὡς ἐξ ἐκείνου τὸ καλὸν ἔχουσιν, οἷς ἐκείνῳ ἀποδεδώκασι· καὶ πρὸς τὸν ναὸν ἀποφέρουσιν, ἀνάθημα τῷ δεσπόζοντι ζῶν καὶ κινούμενον, καὶ τῷ οἴκῳ τοῦ κυρίου ἡ εὐπρέπεια ἐπιτίθεται, καὶ ὁ τόπος αὐτῷ ἀποκληροῦται τοῦ τῆς δόξης σκηνώματος· καὶ ἐπιλανθάνεται μὲν ἡ παῖς τοῦ οἴκου τοῦ πατρικοῦ, τῷ βασιλεῖ δὲ προσάγεται τοῦ κάλλους αὐτῆς ἐπιθυμήσαντι.

b) Ibid. n. 6. pag. 472. D-E. Καὶ οἱ γονεῖς τὴν παῖδα προσάγουσιν αὐτῷ καὶ πιστεύουσι, δικηγούμενοι μὲν καὶ τὴν στεῖρωσιν, καὶ τὴν ἐπὶ ταύτης ἐπαγγελίαν, ὁμολογοῦντες μέντοι καὶ ἄλλως ὑπὲρ αὐτοὺς εἶναι τὴν ἀνατροφὴν τῆς παιδός· θειοτέραν γὰρ οὖσαν, δεῖσθαι καὶ τῆς ἀναγωγῆς ἀναλόγως (al. ἀναλόγου), ἵνα μὴ μαργαρίτης οὕτω λαμπρὸς καὶ ἀτίμητος ῥάκει πενιχρῷ προσαρμόζοιτο, δέον αὐτὸν τῷ βασιλείῳ πέπλῳ περιστέλλειν εἰς δόξαν καὶ κόσμον μείζονα.

c) Ibid. n. 6. pagg. 472. E. 473. A. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς τότε δὴ μᾶλλον ἐκστὰς ἑαυ-

1) Ps. XXV. 8. 2) Ps. XLIV. 11.

Digitized by Google

Theophylactus: « Pontifex vero maxima admiratione veluti extra se raptus Deique afflatu correptus oculos in puellam figit, quam vere divinarum gratiarum diversorium [1]) esse perspiciebat, dignamque magis quam ipse quae in conspectu Domini indesinenter persisteret. Immo et illud intellexit, quod profundo mysterio edictum in lege fuerat de arca in sancta sanctorum reponenda, ad hanc puellam clarissime [2]) spectare. » Quae quum [3]) intellexisset: « Nihil veritus neque cunctabundus audet quidpiam, iustum illud quidem sed praeter legem; immo lege superior effectus et caliginem transgressus litterae, spiritum eius sequitur atque in sancta sanctorum *donarium* reponit. Excipit itaque puellam locus, quem nemini virorum videre, nemini sacerdotum adire licebat et in quem summus ipse Pontifex nonnisi semel in anno ingredi poterat. » Neque sane [4]) mirum: « Decebat enim eam, quae supra omnem naturam [5]) sancta erat et pura atque [6]) ex ipso utero iustificata, haudquaquam subdi oneri legis, quae [7]) nemini iusto posita erat sed iniustis et peccato-

τοῦ, καὶ ὑπὸ θεοῦ ληφθεὶς κατῆδε μὲν τὴν παῖδα θείων χαρίτων ἀληθῶς καταγώγιον, ἀξίαν δὲ μᾶλλον ἢ αὐτὸς τῷ τοῦ θεοῦ προσώπῳ διὰ παντὸς ἐμφανίζεσθαι· συνῆκε δὲ τὸ βαθέως ἐν τῷ νόμῳ περὶ τῆς κιβωτοῦ λεγόμενον, ὡς εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἀποτεθησομένης, εἰς ταύτην δὴ τὴν κόρην ἀποσκήπτειν τρανῶς.

a) Ibid. n. 6. pag. 473. A-B. Μηδὲν ἐνδείασας, μηδὲ ἀποσταλεὶς τολμᾷ τι παρὰ τὸν νόμον δίκαιον· μᾶλλον δὲ ὑπὲρ τὸν κάτω νόμον γενόμενος, καὶ διαβὰς τὸν γνόφον τοῦ γράμματος, μετὰ τοῦ πνεύματος γίνεται· καὶ φέρων εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἅγια τὸ ἀνάθημα ἀποτίθησι· καὶ δίχεται τόπος κόρην, ὁ μηδενὶ μὲν τῶν ἄλλων ἀνδρῶν θεατὸς, μηδενὶ δὲ τῶν ἱερέων βατὸς, μηδ' αὐτῷ τῷ ἀρχιερεῖ, ὅτι μὴ ἅπαξ πατούμενος.

b) Ibid. n. 6. pag. 473. B-C. Ἔδει γὰρ τὴν ὑπὲρ πᾶσαν τὴν φύσιν ἁγιασθεῖσαν τῇ καθαρότητι, καὶ δικαιωθεῖσαν ἐκ μήτρας, μὴ νόμου δουλεύειν βαρύτητι, τοῦ μηδενὶ δικαίῳ κειμένου, μόνοις δὲ ἐπιτιθεμένου (al. ἐπιτεθειμένου) τοῖς ἁμαρτάνουσι· νόμος μὲν γὰρ τῶν παραβάσεων χάριν ἐπεισῆλθε, κἀκείνους ἐπετέθη παιδαγωγὸς τοῖς δεομένοις παιδαγωγίας· ἐκείνῃ δὲ, τῇ καὶ τῶν ἀγγέλων ὑπερκειμένῃ, οὐ νόμος, ἀλλ' ἡ χάρις ἐπετέλει (al. ἐνήργει) τὰ τελειότερα.

1) Quae haberi possunt et periphrasis illius appositi qua Virgo audit κεχαριτωμένη *plena gratia*, idest, θείων χαρίτων ἀληθῶς καταγώγιον, *divinarum gratiarum vere diversorium*, statio ac sedes.

2) Cui propterea tanta maiorum consensione titulus defertur, quo veluti *arca novi foederis* celebratur.

3) Si animo reputetur, τὸ ἁγιάζειν non solum esse *sanctificare* et rem immundam impuramque mundam et puram reddere, verum etiam *personam*, vel *rem puram et sanctam*, cuiusmodi revera est, *agnoscere et celebrare*, aut *a communi usu secernere et ad singularem usum dicare*; nobis facile dabitur verbo, ἔδει τὴν ὑπὲρ πᾶσαν τὴν φύσιν ἁγιασθεῖσαν τῇ καθαρότητι, aptissime verti, *decebat enim eam quae propter puritatem super naturam omnem sanctificata erat* et a communi reliquorum numero secreta ac in singularem usum dicata.

4) Nexus cum superioribus ostendit non aliam intelligi posse iustificationem ἐκ μήτρας *ex utero*, nisi quae originalis fuerit, omnemque locum iniquitati obstruxerit.

5) I. Tim. I. 9.

Digitized by Google

ribus. Lex enim [1]) propter transgressiones posita est, illisque data est paedagogus qui rudiori eius disciplina indigerent. Ei vero quae supra angelos ipsos evecta erat, non lex sed gratia perfectiora [2]) ministrabat.» Quare nonnullis interiectis, Theophylactus [3]) exclamat: «Hoc est igitur praesentis materia solemnitatis [3]), nempe hodierna die Virginis praesentationem et in sancta sanctorum introductionem celebramus. O rem novam! O rem inauditam! In Dei penetralibus quae videre nedum adire nemini licebat, puella versatur. At si atrium tantummodo illa frequentasset, vel hoc solum eius cum Deo coniunctionem demonstrasset: siquidem [4]) illud, *atrium meum calcare non adiicietis*, pro omnibus qui in offensionem aliquam incurrent, statutum est. Et si tantummodo videre sancta sanctorum concessum illi esset, et hoc magnum confidentiae pignus extitisset. Quod si semel tantum per annum sacrum eum locum fuisset ingressa, et hoc praerogativa fuisset humili feminarum conditione longe superior. At vero decretum fuit, ut non solum atrium sed primum etiam alterumque velamen transgressa in ipso sacrario iugiter cum Deo versaretur, sicque naturae humanae [5]) arrhabo fieret secuturae postmodum gratiae, ac in se ipsa praemonstraret quae nobis postea contingere feliciter debebant, viamque universo hominum

a) Ibid. n. 7. pag. 473. C-E. Τοῦτό ἐστιν ἡμῖν ἡ πανήγυρις, τοῦτο ἑορτάζομεν σήμερον, κόρης προσαγωγὴν καὶ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσαγωγήν· ὧ καινὸν μὲν πρᾶγμα, καινὸν δὲ ἄκουσμα· θῆλυ παιδίον τοῖς τοῦ θεοῦ ἁβύτοις καὶ ἀθεάτοις ἐνδιαιτώμενον· καίτοι κἂν εἰς τὴν αὐλὴν μόνην ἐπάτει διὰ παντὸς, καὶ τοῦτο ἂν ἐδείκνυ ταύτης τὴν πρὸς τὸν δεσπότην οἰκείωσιν· εἶγε τὸ πατεῖν τὴν αὐλήν μου προσθήσετθε παρὰ θεοῦ τοῖς προσκεκρουκόσιν ἄρισται· κἂν εἰ μόνον εἶδε τὰ ἅγια, καὶ τοῦτο μέγα παῤῥησίας ἐνίσχυρον· ἅπαξ εἰσῆλθε τοῦ ἔτους μεῖζον καὶ τοῦτο τῆς τῶν γυναικῶν ταπεινότητος· νῦν δὲ τὴν αὐλὴν ὑπερβᾶσα, τὸ δεύτερον καταπέτασμα διαβᾶσα, τῶν ἁγίων ἐπιβᾶσα, τῷ θεῷ συνεῖναι δηνεκῶς ἀφορίζεται, καὶ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἀραβὼν τῆς μετὰ ταῦτα χάριτος γίνεται· προδεικνῦσα ἐν ἑαυτῇ τὸ ἡμέτερον, καὶ προοδοποιοῦσα παντὶ τῷ γένει, τὴν εἰς τὰ οὐράνια ἅγια καὶ ἀληθινὰ ἄνοδόν τε καὶ εἴσοδον, καὶ τὸν νόμον αὐτόθεν φαίνουσα καταργούμενον, ὃς μὴ δυνάμενος δικαιοῦν, μὴ δὲ καθαίρειν ἁμαρτιῶν ἀπεῖργεν ἔξω σχεδόντι τῶν ἁγίων σύμπαντας.

1) Gal. III. 19.

2) Divina ergo in Virginem oeconomia haberi debet non usitata atque communis, sed singularis et propria.

3) Quibus verbis in oxoniensi codice additur: ἀπὸ τούτου συναλλάξωμεν σήμερον· τοῦτο νῦν ὑμεῖν προτρεπόμεθα τὴν εἰς τὸν ταὐτὸν καθαρώτατος κόρης προσαγωγήν, καὶ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσαγωγήν. *Ab hoc hodie convocati sumus, ad hoc modo decantandum invitamur, nempe purissimae puellae introductionem in templum et in sancta sanctorum adductionem.*

4) Is. I. 12.

5) Ex ab universa humana natura Virgo secernitur, et gratiae semper particeps declaratur.

Digitized by Google

generi panderet qua ad vera caelestia sancta ascendere possit ac ingredi, indeque demum legem iam supervacuam esse demonstraret, quae quum iustificare et liberare a peccatis non posset, omnes ferme extra sancta detinebat.» Ac postremo [a]) scribit: «Igitur *puella* offertur propter innocentiam et rectitudinem. *Femina* vero propter Evam, per quam et ex qua praevaricatio, ut [1]) *ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia:* ac mulier quae nos e paradiso eiecerat, toti naturae [2]) ad sancta sanctorum praeiret. *Triennis* autem propter Trinitatem hoc numero mystice significatam, quae ipsius sanctitatem [3]) adauxit.»

1232. De qua in templo praesentata [4]) sermonem ita instituit [b]) Leo Augustus: «Quaenam haec quae exoritur [5]) veluti lilium inter medias humanae confusionis in malitia spinas? Quae novae istae et insolitae primitiae? Non enim consuetae, sed quae praeclare admodum et maxime novae, quaeque in novum maxime finem templo consecrentur. Quaenam haec in regis palatium cum gloria intrans? Quaenam haec cuius in humilitate infimae nostrae abiectionis qui immensa celsitate universis eminet suave fragrantis virtutum stolae indumentum odoratus est? Quaenam hae vere rerum pretiosissimarum primitiae?» Ac mox [c]) subiungit: «Iam enim *(terra)* quae

a) Ibid. n. 8. pag. 474. B-C. Παιδίον μὲν οὖν ἀνατίθεται διὰ τὴν ἀκακίαν καὶ τὴν εὐθύτητα· θῆλυ δὲ διὰ τὴν Εὔαν, δι' ἣν καὶ ἐξ ἧς ἡ παράβασις, ἵνα ὅπου ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερπερισσεύσῃ ἡ χάρις· καὶ παραδίσου ἐκβαλοῦσα γυνὴ, εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἅγια τῆς φύσεως προηγήσηται· τριετὴς δὲ διὰ τοῦ ἀριθμοῦ μυστικῶς τῆς τριάδος ἐμφαινομένης, ἣν τὴν ἁγιωσύνην ηὔξατο.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1620. C-E. ibidem. Τίς αὕτη ἡ ἀνατέλλουσα ὡς κρίνον ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν τῆς ἀνθρωπίνης ἐν κακίᾳ συγχύσεως; τίς αὕτη ἡ ξενίζουσα ἀπαρχή; οὐ γὰρ συνήθης, ἀλλὰ καλλίστων ἰδιοτρόπων καὶ καινοτάτων ἰσῳ καινοτάτους τῷ ἱερῷ ἀφορίζεται· τίς ἡ μετὰ δόξης πρὸς τὸ τοῦ βασιλείως ἀνάκτορον εἰσελαύνουσα; τίς αὕτη ἧς ἐν ταπεινώσει τῆς ἡμετέρας ἰσχατίας ἀσφάνθη τὸ ἱμάτιον τῆς εὐωδίας τῶν ἀρετῶν τῆς στολῆς, ὁ ἀπείρῳ ὕψει ὑπεραναβεβηκώς; τίς αὕτη ἡ ἀληθῶς τῶν τιμιωτάτων ἀπαρχή;

c) Ibid. pag. 1620. D-E. Ἄρτι γὰρ ἡ διὰ κατάραν ἀκανθοφόρος, πρὸς τὸ εὔφορον

1) Rom. V. 20.

2) Non utique et ipsa electa ac praevaricationis vinculo obligata. Secus enim habitus prorsus omnis *typi* atque *antitypi* penitus iret.

3) Bene αὔξανε *adauxit*, praecesserat enim et fundamenti vices sustinebat *originalis* sanctitas.

4) Inscriptio sermonis apud Combefisium in Auctar. T. I. pag. 1619. sic habet: Λόγος εἰς τὴν ἐκ στειρωτικῶν λαγόνων προσαγομένην εἰς τὰ ἅγια, ἁγίαν γονὴν τὴν θεοτόκον τοῦ θεοῦ μητέρα. *Sermo in sanctam prolem Dei matrem semperque virginem ex sterilibus lumbis in sancta adductam.* Ubi appellatio τῆς ἁγίας γονῆς ἐκ στειρωτικῶν λαγόνων, *sanctae prolis ex sterilibus lumbis*, facta Virgini *sanctum illius conceptum* non obscure designat.

5) Cant. II. 2. Primordia itaque Virginis non minus distant a reliquorum hominum origine, ac lilium distet a spinis, ac concinnum rectumque ab eo quod confusum est et obliquum.

Digitized by Google

propter maledictum spinarum ferax erat, in frugiferam conversa frugum datori tamquam pretiosas primitias offert gratias agens eum editum fructum, qui non pro more acerbum aliquid, sed qui benedictionis dulcedinem [1]) exhibeat. Haec est vere locuples sponsae venustate, et in Unigeniti sponsam delecta. Idcirco etiam in divino thalamo una cum deitate moratur. »

1233. Atque haec quidem cum iis egregie consentiunt quae in ecclesiasticis Graecorum Latinorumque libris frequentantur. In his enim non historicum dumtaxat factum praesentatae ac diversatae in templo Virginis laudibus extollitur; verum etiam *duplex* caque insignissima caussa et ad rem praesentem maxime spectans in medium adducitur. Et *prior* quidem his continetur quae in Menaeis [a]) leguntur: « Ecce, sapientissime senex, pie dixit Anna, *pulcherrimam puellam* qua me Deus magnifice donavit, hanc suscipe et vaticinare eam solam futuram quae ad effectum perducat quae fuerunt a prophetis annunciata, quibuscum clamas: benedicite omnia opera Domini Dominum. » Et [b]) mox: « Nunc, mulier clarissima, novi, benevole respondit senex, uti *lignum prodit* [2]) *in medio templi*, quod vere divinum germinabit fructum qui in paradisum introducit ab eo propter cibum corruptionis [3]) eiectos et iucunde exclamantes, benedicite omnia opera Domini Dominum. » Hinc [c])

μεταβαλοῦσα καὶ καρπὸν ἐνέγκουσα, οὐ κατὰ τὸν συνήθη τικρίαν, ἀλλὰ γλυκασμὸν εὐλογίας ἐμφαίνοντα, ὡς ἔντιμον ἀπαρχὴν εὐχαριστοῦσα τῷ καρποδότῃ φέρει· αὕτη ἀληθῶς ἡ νυμφικὴν καταπλουτοῦσα εὐπρέπειαν, καὶ πρὸς νύμφην τοῦ μονογενοῦς ἐξελεγμένη· διὰ τοῦτο καὶ πρὸς τὸν θεῖον νυμφῶνα μετὰ θειότητος ἐνδημεῖ.

a) Men. die XX. Novembris Ode ι'. pag. 147. col. 2. E. Ἰδοὺ, πρεσβῦτα σοφώτατε, ἡ Ἄννα ἔφησεν εὐλαβῶς, κάλλιστα παῖδα, ἣν δέδωκέ μοι θεὸς λαμπρῶς, ὑποδέχου καὶ προφήτευε μόνην μέλλουσαν εἰς πράγματα προφέρειν τὰ κηρύγματα· μεθ' ὧν βοᾷς προφητῶν· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

b) Ibid. pag. 148. col. 1. A-B. Νῦν ἔγνων, γύναι σαφέστατα, προφρόνως ἔφη ὁ γεραιὸς, ξύλον ἐν μέσῳ ὡς ἐκβλαστάνει ναοῦ· ὅπερ ἐξανθήσει θεῖον ὄντως καρπὸν παραδείσῳ εἰσοικίζοντα τοὺς βρώσει ἐξωσθέντας φθορᾶς, ἀναβοῶντας χαρᾷ· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

c) Ibid. Stich. pag. 150. col. 1. B. Εὐτρεπίζεσθωσαν πύλαι καὶ ἀνοιγέσθωσαν, αἱ

1) Humana igitur natura ad Virginem quod attinet immutata fuit, et quae maledicto obnoxia nonnisi spinas proferebat, fructum tandem edidit benedictum, quemque bonorum omnium largitori non secus ac eximias primitias laeta offerret.

2) Eadem utitur imagine Iosephus hymnographus Ode θ'. pag. 148. col. 2. E., ostenditque Virginem non ad ordinem perditum et maledicto obnoxium, *sed ad ordinem originalem* et divina benedictione laetum pertinere.

3) His autem Virgo ab omnibus secernitur, quos *corruptionis cibus* e paradiso expulit.

Digitized by Google

subiicitur: « Adornentur portae et aperiantur, portae templi Domini, *ac domum gloriae et solam ultra quam intelligi possit caelis superiorem* laetantes recipiant, Christumque Salvatorem hymnis efferant. » Et [a]) rursum: « Hodie caelum desuper exsultet, et nubes emittant laetitiam propter magnalia Dei nostri plane incredibilia. Ecce enim porta orientalis ex infructuoso sinu secundum promissionem genita et Deo in habitationem consecrata hodie tamquam *immaculata oblatio* in templum adducitur. Exsultet David, pulsansque citharam canat, *adducentur regi virgines post eam et propinquae eius afferentur*, ut intus in Dei tabernaculo eiusque propitiatorio educetur in habitaculum eius qui ante secula ex Patre citra quamvis passionem genitus est. » Ac [b]) denuo: « Ioachim et Anna praeter spem *gignentes intemeratam illam* [1]) *innocentem* religiose promiserunt se illam Deo offerre, et hodie promissionem suam explent, atque ex scipsis genitam veluti oblationem in domo Dei sistunt. » Igitur ex doctrina sententiaque ecclesiae graecae, *prior caussa* oblatae atque enutritae in templo Virginis haec fuit, *quod illi utpote quae esset venustissima puella, domus gloriae, porta orientalis, sola caelis superior, paradisi lignum, immaculata atque a suis primordiis inviolata et innocens, neque aliae sedes neque alia institutio convenirent.*

τοῦ ναοῦ κυρίου, καὶ τὸν οἶκον τῆς δόξης, καὶ μόνην ὑπερτέραν τῶν οὐρανῶν ὑπὲρ νοῦν χρηματίσασαν ὑποδεχέσθωσαν χαίρουσαι, καὶ Χριστὸν τὸν σωτῆρα ἀνυμνείτωσαν.

a) Men. die XXI. Novembris Echos α'. pag. 150. col. 2. B. Ἀγαλλιάσθω σήμερον ὁ οὐρανὸς ἄνωθεν, καὶ αἱ νεφέλαι εὐφροσύνην βανάτωσαν ἐπὶ τὰ λίαν παράδοξα μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ ἡμῶν· ἰδοὺ γὰρ ἡ πύλη, ἡ κατὰ ἀνατολὰς βλέπουσα, ἀποκυηθεῖσα ἐκ στείρας ἀκάρπου ἐξ ἐπαγγελίας, καὶ τῷ θεῷ ἀφιερωθεῖσα εἰς κατοίκησιν, σήμερον ἐν τῷ ναῷ ὡς ἄμωμος προσφορὰ προσάγεται, ἀγαλλιάσθω ὁ Δαυὶδ κρούων τὴν κιθάραν· ἀπενεχθήσονται, φησι, τῷ βασιλεῖ παρθένοι ὀπίσω αὐτῆς, αἱ πλήσιοι αὐτῆς ἀπενεχθήσονται· ἔσω ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ θεοῦ, ἵνα δι' αὐτοῦ τοῦ ἱλαστηρίου αὐτοῦ ἀνατραφῆναι εἰς κατοίκησιν τοῦ πρὸ αἰώνων ἐκ πατρὸς ἀρρεύστως γεννηθέντος.

b) Ibid. Ode δ'. pag. 156. col. 1. B. Τεκόντες παρ' ἐλπίδα τὴν ἄχραντον ἁγνὴν εὐσεβῶς ὑπέσχοντο προσάξειν τῷ θεῷ καὶ ἐκπληροῦσι παρέχοντες, ὥσπερ θῦμα, τὴν γεννηθεῖσαν ἐξ αὐτῶν Ἰωακείμ τε σήμερον καὶ Ἄννα ἐν οἴκῳ θεοῦ.

1) Ex his, quae uti superiora auctorem habent Georgium nicomediensem, aperte colligimus: I. Virginem absolute simpliciterque dici τὴν ἄχραντον, *intemeratam illam*: II. eius puritatem efferri cumulatis appositis, τὴν ἀχράντον ἁγνὴν, *intemeratam illam innocentem*: III. genitam exhiberi uti τὴν ἀχράντον ἁγνὴν, *intemeratam illam innocentem*, atque illius adeo conceptum *immaculatum describi*: tandem IV. superiora verba, quibus Virgo illata in templum dicitur ὡς ἄμωμος προσφορὰ, *ceu immaculata oblatio*, de originali a labe immunitate sumi oportere.

Digitized by Google

1234. Hanc vero *altera* excipit, quae in Menaeis pluries luculenterque proponitur. Etenim proponitur quum [a]) dicitur: « Audi o puella virgo innocens, dixit Gabriel, antiquum verumque Altissimi consilium: *fac ad Deum recipiendum adorneris*, per te enim incomprehensibilis cum mortalibus conversatur. » Proponitur quum de Anna [b]) affirmatur: « Anna divina gratia innocentem semper virginem gratiose acceptam splendide cum laetitia in Dei templum adducit inquiens: age puella, esto largitori donarium et fragrans thymiama. Ingredere intimos recessus, et cognosce mysteria, *teque adorna ut fias iucundum venustumque habitaculum Iesu*, qui mundo magnam praestat misericordiam. » Proponitur quum [c]) praeeunte Sergio hagiopolita canitur: « Hodie fidelium coetus convenientes publicam celebritatem spiritaliter agitemus, et Virginem Dei filiam Deique matrem in Domini templum adductam religiose extollamus, *illam*, inquam, *ex omnibus generationibus in habitaculum Christi omnium regis et Dei universorum praeelectam*. Virgines lampadibus instructae antecedite, ut venerandum perpetuae Virginis processum honoretis. Matres omni depulsa tristitia succedite, ut eam laudetis quae Dei mater effecta est et mundo gaudii conciliatrix. Universi igitur laetantes una cum angelo acclamemus ave illi quae plena est gratia, quaeque pro animabus nostris iugiter intercedit. » Proponitur quum [d]) omnium ore verba Iosephi hymnographi ite-

a) Men. die XX. Novembris Ode ι'. pag 147. col. 2. D. Ἄκουε, κόρη παρθένε ἁγνή, εἰπάτω δὲ ὁ Γαβριὴλ βουλὴν ὑψίστου ἀρχαίαν ἀληθινήν· γένου πρὸς ὑποδοχὴν ἑτοίμη θεοῦ· διὰ σοῦ γὰρ ὁ ἀχώρητος βροτοῖς συναναστρέφεται.

b) Men. die XXI. Novembris Stich. pag. 153. col. 1. B-C. Ἄννα ἡ θεία χάρις σαφῶς χαριτωθεῖσαν τὴν ἁγνὴν ἀειπάρθενον προσάγει μετ' εὐφροσύνης εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ λέγουσα· ἄπιθι τέκνον, τῷ δότῃ γενήθητι καὶ ἀνάθημα καὶ εὐώδες θυμίαμα· εἴσελθε εἰς τὰ ἅδυτα, καὶ γνῶθι μυστήρια, καὶ ἑτοιμάζου γενέσθαι τοῦ Ἰησοῦ οἰκητήριον τερπνὸν καὶ ὡραῖον τοῦ παρέχοντος τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος.

c) Ibidem Echos β'. pag. 153. col. 1. E. Σήμερον τὰ στίφη τῶν πιστῶν συνελθόντα πνευματικῶς πανηγυρίσωμεν, καὶ τὴν θεόπαιδα παρθένον καὶ θεοτόκον ἐν ναῷ κυρίου προσαγομένην εὐσεβῶς ἀνευφημήσωμεν· τὴν προεκλεχθεῖσαν ἐκ πασῶν τῶν γενεῶν εἰς κατοικητήριον τοῦ παντάνακτος Χριστοῦ καὶ θεοῦ τῶν ὅλων· παρθένοι λαμπαδηφοροῦσαι προπορεύεσθε τῆς ἀειπαρθένου τιμῶσαι τὴν σεβάσμιον πρόοδον, μητέρες λύπην πᾶσαν ἀποθέμεναι χαρμονικῶς συνακολουθήσατε ὑμνοῦσαι τὴν μητέρα τοῦ θεοῦ γενομένην, καὶ τῆς χαρᾶς τοῦ κόσμου τὴν πρόξενον· ἅπαντες οὖν χαρμονικῶς τὸ χαῖρε σὺν τῷ ἀγγέλῳ ἐκβοήσωμεν τῇ κεχαριτωμένῃ, τῇ ἀεὶ πρεσβευούσῃ ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

d) Ibid. Echos δ'. pag. 153. col. 2. D. Πρὸ συλλήψεως, ἁγνὴ, καθηγιάσθης τῷ θεῷ· καὶ τεχθεῖσα ἐπὶ γῆς, δῶρον προσήχθης νῦν αὐτῷ ἀποπληροῦσα πατρῴαν ἐπαγγελίαν·

Digitized by Google

rantur: « Ante conceptionem, o innocens, fuisti Deo dicata, et nunc in lucem edita ad ipsum veluti domum adducta, ut patria promissio expleretur. Ab infantia pure cum splendidis lampadibus tamquam divinum vere templum divino templo reddita *apparuisti receptaculum inaccessi et divini luminis*. Vere magnus est processus tuus, o sola Dei sponsa et semper virgo. » Et [a]) rursum: « Hodie animatum templum magni regis in templum ingreditur, *ut ipsi apparetur in divinum habitaculum*. Populi exsultate. » Ac [b]) tandem: « Agna intemerata et innocens columba adducta est ad inhabitandum in domo Dei, *praedestinata ut fiat immaculata Dei mater*. »

1235. Huc igitur *altera* redit *caussa* oblatae in templo Virginis atque in eo diversantis, *ut quae propter eximiam originalemque puritatem in sanctissimis sedibus degere debebat, in iis revera degeret, atque hoc pacto utpote ex omnibus generationibus praeelecta et ad divinam maternitatem praedestinata, ad recipiendum Dei Verbum appararetur, sinumque suum ita adornaret ut iucundum, immaculatum ac prope divinum inaccessi divinique luminis habitaculum redderetur*. Quae quidem non obscure etiam continentur tum *oratione* in festo praesentatae Virginis penes Latinos solemni, tum hac [1]) quam describimus *sequentia:*

» Altissima providente
» Cuncta recte disponente
» Dei sapientia,
» Uno nexu coniugatis
» Ioachim et Anna, gratis
» Iuga sunt sterilia
» Ex cordis affectu toto
» Domino fideli noto
» Se strinxerunt pariter:
» Mox si prolem illis dare
» Dignetur, hanc dedicare
» In templo perenniter.

τῷ θείῳ δὲ ναῷ, ὡς θεῖος ὄντως ναὸς ἐκ βρέφους καθαρῶς μετὰ λαμπάδων φαιδρῶν ἀποδοθεῖσα ὤφθης δοχεῖον τοῦ ἀπροσίτου καὶ θείου φωτός· μεγάλη ὄντως ἡ πρόοδός σου, μόνη θεόνυμφε καὶ ἀειπάρθενε.

a) Ibid. pag. 154. col. 1. B. Σήμερον ὁ ναὸς ὁ ἔμψυχος τοῦ μεγάλου βασιλέως εἰς ναῷ εἰσέρχεται, αὐτῷ ἑτοιμασθῆναι εἰς θείαν κατοίκησιν, λαοὶ ἀγαλλιᾶσθε.

b) Ibid. Ode ϛ'. pag. 157. col. 1. D. Ἡ ἀμίαντος ἀμνὰς καὶ ἀγνὴ περιστερὰ προσηνέχθη κατοικεῖν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, ἡ ἄμωμος προορισθεῖσα γενέσθαι μήτηρ θεοῦ.

1) Thesaur. hymnolog. pagg. 209-210. T. II. Liquet vero ex comperta maiorum mente certaque sententia colligi rite posse, idcirco providisse Deum ut Virgo in templo degeret atque in eo alta educaretur, ne prima institutio ab eiusdem originibus dissideret. Prima autem in templo institutio non fuit modo purissima, sed caelestis potius quam humana. Restat ergo ut Virginis origines innoxiae et a communi labe secretae videantur.

Digitized by Google

» Angelus apparuit
» Lucidus qui docuit
» Exaudita vota:
» Regis summi gratia
» Ut his detur filia
» Gratiosa tota.

» In utero consecrata
» Miro modo generata
» Gignet mirabilius
» Altissimi Patris natum
» Virgo manens, qui reatum
» Mundi tollet gratius.

» Benedicta Virgo nata
» Templo trina praesentata
» In ter quinis gradibus
» Erecta velox ascendit,
» Et uterque parens tendit
» Se ornando vestibus.

» Nova fulsit gloria
» Templum, dum eximia
» Virgo praesentatur:
» Edocta divinitus,
» Visitata caelitus,
» Angelis laetatur.

1236. Ceterum postremis huius *sequentiae* verbis monemur, ut mentem doctrinamque maiorum de singulari Dei cura erga Virginem in templo degentem paullo diligentius investigemus. Iamvero neque omnino pauca neque vulgaria sunt quae de huiusmodi cura in protevangelio atque in evangelio et in historia Deiparae infantis memorantur. In protevangelio namque [a]) legimus: « Erat autem Maria instar columbae educata in templo Domini, *et accipiebat cibum de manu angeli.* » Similia [1]) in evangelio infantiae his verbis referuntur: « Virgo autem Domini cum aetatis processu et virtutibus proficiebat, et iuxta [2]) psalmistam, *pater et mater dereliquerant eam, Dominus autem assumpsit eam.* Quotidie namque ab angelis frequentabatur, quotidie divina visione fruebatur, quae eam a malis omnibus custodiebat et bonis omnibus redundare faciebat. » Et multo plenius in historia infantiae, e qua haec primum [3]) decerpo: « Hanc autem regulam sibi *(Virgo)* statuerat, ut a mane usque ad horam tertiam orationibus insisteret, a tertia autem usque ad nonam textrino se opere occuparet. A nona vero hora iterum ab oratione non recedebat, *donec angelus Domini ei appareret, de cuius manu escam acciperet, ut melius atque melius in Dei amore proficeret.* » Tum [4]) haec: « Erat enim constans, immo-

a) Protevang. cap. VIII. pag. 203. Ἦν δὲ Μαριὰμ ὡσεὶ περιστερὰ τρεφομένη ἐν τῷ ναῷ κυρίου, καὶ ἐλάμβανε τροφὴν ἐκ χειρὸς ἀγγέλου.

1) Evang. infant. cap. VII. p. 328.
2) Ps. XXVII. 10.
3) Hist. infant. cap. VI. pag. 352.
4) Ibid. pag. 353.

Digitized by Google

bilis, immutabilis, atque quotidie ad meliora [1]) proficiscebatur. Omnis autem sermo eius ita erat gratia plenus, ut cognosceretur in lingua eius Dei veritas. » Atque ista [2]) demum: « Frequenter videbantur cum ea angeli loqui, et quasi carissime obtemperabant ei. » Sed quis vel mediocriter prudens his fidat, quae fabulis potius mythisque quam sinceris germanisque historiis accenseri debent? Audio, neque mihi ullatenus mens est sive historicam eiusmodi narrationum veritatem tueri, sive probationes ex ea mutuari quibus caussam quam defendo, illustrem aut confirmem. Ecqua igitur mente, quove consilio ea in medium promenda esse existimavi? Ut omnes intelligerent, nihil praestantis, nihil egregii ac prorsus singularis occurrere animo posse, quod maiores nostri in Deiparam non censuerint conferendum. Ut omnes deinde intelligerent, falli eos vehementer qui de iis quae ad Virginem spectant, ex communibus ratisque legibus arbitrantur.

1237. Quem errorem multo detegemus evidentius, multoque validius profligabimus, si ad ea animum adverterimus quae plane gemina atque etiam splendidiora in christianis monimentis passim reperiuntur. Itaque vulgatus Origenes ubi [3]) explanat verba, *inventa est (Maria) in utero habens*, scribit: « Inventa est *ab angelis* custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam, vel eius beatissimam animam *ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat.* » De qua tutela sunt omnino praeclarissima, quae Proclus byzantinus episcopus tum docet quum satanam [a]) exhibet socios ad oppugnandam Virginem his verbis inflammantem: « Quid ergo? Ab insidiis struendis destiterimus, quod ipsa *(Virgo)* magna vigilique custodia servetur? A naturali in eam contrarietate recesserimus, quod caeleste eam praesidium tutetur? » Et [b]) mox de Virgine prae Eva loquens pergit: « At certe mulier illa [4]) terreni ca-

a) Orat. VI. in Deiparam §. XVI. pag. 643. E. apud Gallandium T. IX. Τί οὖν; ἀποστῶμεν τῆς ἐπιβουλῆς, ὅτι μεγάλης ἠξίωται αὕτη φυλακῆς; ἀναχωρήσωμεν τῆς ἀντιπαθείας, ὅτι ὑπὸ τῆς ἄνω σκέπεται συμμαχίας;

b) Ibid. pag. 644. A. Ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γυνὴ τοῦ χοϊκοῦ, ὑπὸ τῶν ὀφθαλμῶν εὐχερῶς καταβέβληται· αὕτη δὲ ὑπὸ τῶν χειρῶν περιλημμένη τοῦ ἐπουρανίου, ἰσχυρῶς τετείχισται.

1) Ideat *proficiebat.*
2) Ibid. pag. 354.
3) Hom. I. ex decem in diversos Matthaei et Iohannis locos pag. 274. col. 2. A.
4) Supple *Adami*, ut ex iis liquet quae habentur I. Cor. XV. 49.

Digitized by Google

pta [1]) spectaculo oculorum levi manu prostrata iacuit; haec autem in manibus [2]) caelestis suscepta, ceu forti vallo munita consistit. » Eodem pertinent quae tradunt Gregorius antiochenus et Andreas cretensis, quorum ille [a]) Virginem depingit *miro insolitoque modo angeli manibus in templo nutritam;* alter [b]) vero ait: « Hinc et illud templum sacras revolvit fores, ut *regalem universi* susciperet *gloriam.* Fitque *Spiritus sanctus nutricius Virginis* usque ad ostensionem eius in Israel. » Succedit beatus Eleutherius tornacensis episcopus, cuius [3]) haec sunt verba in sermone de Trinitate quem habuit in tornacensi synodo seculo VI. celebrata: « Sancta autem catholica universalis ecclesia affirmat et credit, quod propter salutem hominum et peccatorum ablutionem sibi *(Dei Verbum)* naturam copulavit humanam, et processit ex utero virginali, utero impolluto, *sed ab angelis dignissime caelestibus* conservato. » Succedit sanctus Odilo, qui [4]) Virginis effigie exquisitissimis coloribus repraesentata pergit: « Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? Ut eam parentes dilexerint, extranei praedicarint, *quae digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur?* Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domo in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet neque obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat quae bonas comites cogitationes habebat, quin etiam sibi minus sola videbatur quum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent? *Tot archangeli,* tot prophetae? Denique et Gabriel eam *ubi revisere solebat,* invenit. » Succedunt alii sane non pauci, quorum ego perspicua testimonia non alio adducam ordine quam quo singula in mentem veniunt.

1238. Itaque Matthaeus cantacuzenus ad verba [c]) Cantici, *in-*

a) Tragoed. Christ. pat. v. 1349. pag. 1384.

Ἔνθ' ἐκτραφεῖσαν χερσὶν ἀγγέλου ξένως.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 98. B-C. apud Galiandium T. XIII. Αὐτόθεν καὶ ὁ ναὸς οὗτος τὰς ἱερὰς διαπετάσας ἀνέῳξε πύλας, ἵνα τὴν βασίλειον τοῦ παντὸς ὑποδέξηται δόξαν· καὶ γίνεται τιθηνὸς τῆς παρθένου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, μέχρις ἀναδείξεως αὐτῆς ἐν τῷ Ἰσραήλ.

c) Cant. II. 4-5. Εἰσαγάγετέ με εἰς οἶκον τοῦ οἴνου· τάξατε ἐν ἐμὲ ἀγάπην· στηρίσατέ με ἐν μύροις· στιβάσατέ με ἐν μήλοις· ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ.

1) Gen. III. 6.
2) Videlicet *Adami.*
3) Concil. German. Tom. I. pag. 10. edit. Coloniae MDCCLIX.
4) Serm. de Virginis nativit. pag. 638. B-D. apud Martenium anecdott. T. V.

Digitized by Google

troducite me in domum vini, ordinate in me caritatem. Firmate me in unguentis, stipate me in malis, quia vulnerata caritate ego sum, hoc subiicit [a]) scholion: « *Introducite me,* inquit, *in domum vini,* in Iudaeorum videlicet templum; sermo namque est illibatae Virginis ad Iudaeos. Ipsa enim [1]) sola in sancta sanctorum habuit domicilium, utpote purissimum Dei et Verbi tabernaculum. Quoniam autem paullo ante sanctissimum Spiritum nominaverat *unguentum,* coaeternum vero Dei Patrisque Filium dixerat *malum in medio lignorum;* symbolice de duabus personis aeternae Trinitatis et « qua vitae principium est, praedixit. Ipsa enim Virgo Spiritum eiusdem cum Patre et Filio substantiae eisque coaequalem in se venire, nec non unigenitum Patris Filium carnem assumere implorat dicens: *quia vulnerata caritate ego sum,* divino videlicet amore, non secus ac sagitta quae in corde haereat; idcirco et id assequuta est. Vel etiam exponi sic potest: *firmate me in unguentis,* hoc est Dei et Patris firmamento; *stipate me in malis,* nimirum Filii unigeniti praesentia; *quia vulnerata caritate ego sum,* hoc est concupisco sanctissimi super me Spiritus adventum.» Ubi autem [b]) expendit quae continuo [2]) sequuntur, *laeva eius in capite meo, et*

a) Comm. in Cant. II. 4-5. pag. 14. Εἰσαγάγετέ μέ, φησιν, εἰς οἶκον τοῦ οἴνου· εἰς τὸ ἰουδαϊκὸν δηλονότι ναόν· ἐκ τῆς παρθένου γὰρ ἁγνῆς πρὸς Ἰουδαίους ὁ λόγος· αὕτη γὰρ μόνη ἐν τοῖς τῶν ἁγίων ἁγίοις ἔσχε τὴν οἴκησιν, ὡς καθαρωτάτη σκηνὴ τοῦ θεοῦ καὶ λόγου· ἐπεὶ δὲ ἀνωτέρω τὸ πανάγιον πνεῦμα μύρον ὠνόμασε, τὸν δὲ συναΐδιον υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς μῆλον ἐν μέσῳ ξύλων· συμβολικῶς περὶ τῶν δύο προσώπων τῆς ζωαρχικῆς καὶ ἀθανάτου τριάδος προείρηκεν· αὕτη γὰρ ἡ παρθένος τὸ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ ὁμοούσιον καὶ σύνθρονον πνεῦμα ἐπικαλεῖται ἐλθεῖν ἐν αὐτῇ· καὶ σαρκωθῆναι τὸν μονογενῆ υἱὸν τοῦ πατρὸς, καί φησιν· ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ, τὸν θεῖον δηλονότι ἔρωτα, ὡς βέλος ἐν τῇ καρδίᾳ κατέχουσα· διὰ τοῦτο καὶ ταύτης ἠξίωτο, ἢ καὶ οὕτως οἰκτίσαι, στηρίσατέ με ἐν μύροις, τουτέστι τῷ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς στηριγμῷ· στιβάσατέ με ἐν μήλοις, ἤτοι τῇ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ παρουσίᾳ· ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ, ἤγουν ἐπιποθῶ τὴν τοῦ παναγίου ἐπίλευσιν ἐπ' ἐμέ.

b) Comm. in Cant. II. 6. pag. 14. Σαφέστατα θεὸν εἶναι κἂν τούτοις τὸν ἐκ τῆς παρθένου τεχθησόμενον, ὁ προφήτης προαγορεύει, καί φησιν ὁ ἐκ τῆς ἁγνῆς τοῦ λόγου μητρός· εὐώνυμος αὐτοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ μου, καὶ ἡ δεξιὰ αὐτοῦ περιλήψεταί με· οὗ τινος ἦν δηλαδὴ τετρωμένη τῆς ἀγάπης ἐγώ, ἤτοι· πανταχόθεν περιφυλαξάτω (*forte,* προφυλαξάτω) με, καὶ διὰ μὲν τῆς εὐωνύμου χειρὸς, τὸ ἀποσοβητικὸν πάσης ἀντικοσοῦν κακίας, ἐπηύξατο τῇ ἑαυτῆς κεφαλῇ, ἤγουν τῷ τῆς ψυχῆς λογιστικῷ παρασχεῖν· διὰ δὲ τῆς δεξιᾶς, τὸ φρουρητικὸν καὶ συνεκτικὸν τῶν ἀρετῶν.

1) De his confer Vincentii Riccardi prolixam eruditamque annotationem pagg. 127-130.

2) Cant. II. 6. Εὐώνυμος αὐτοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ μου, καὶ ἡ δεξιὰ αὐτοῦ περιλήψεταί με.

dextera ipsius amplectetur me, ita habet: « Aptissime Deum futurum eum qui ex Virgine nasceretur, his quoque verbis propheta praecinit, et veluti ex persona illibatae Verbi matris ait: *laeva eius in capite meo, et dextera ipsius amplectetur me.* Illius inquam cuius amore eram ego vulnerata, quasi dicat: *suo undique praesidio me* [1]) *protegat,* et laevam quidem manum quae vim habet cuiusvis mali prohibendi, in ipsius capite, in rationali videlicet animae parte ut imponat precata est; dexteram vero, effectricem scilicet servatricemque vim praebeat virtutum. »

1239. Haec ex Matthaeo cantacuzeno desumpta in mentem revocant pientissimam precem, qua alter byzantinus imperator idemque haud paullo vetustior Leo sapiens orationem absolvit [a]) de Virgine in templo praesentata inquiens: « At Virgo nostrae gloriatio salutis, quae et [2]) *sacram* sortita es *generationem,* et *sacratius enutrita ac instituta:* in qua tum ego tum grex quem mihi pascendum commisisti, fixas spei nostrae anchoras habemus; nobis imperti ut tumentes peccatorum fluctus superemus. » Ac merito sane, quum ea nihil institutione sacratius excogitari possit, quam Germanus constantinopolitanus [b]) describens ait: « Sed puella exsultans gestiensque tamquam in thalamo, ita in templo Dei gradiebatur; triennis quidem si aetatis tempus spectes, *sin vero gratiam summe perfecta et consummata, utpote omnium Deo ac moderatori praescita, prae-*

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1629. C-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Ἀλλὰ παρθένε τῆς ἡμῶν σωτηρίας τὸ καύχημα, ἡ λαχοῦσα μὲν τὴν γένεσιν ἱερὰν, ἱερωτέρας δὲ ἀναθρέψεως καὶ ἀγωγῆς· ἐφ' ᾗ τῶν ἡμετέρων ἐλπίδων τὰς ἀγκύρας ἀνέχομεν ἐγώ τε καὶ ἃ ποιμαίνειν ἔδωκας ποίμνιον, δι' ἧς μὲν ἡμᾶς τῆς ἁμαρτίας τοῦ κλύδωνος πτερῆναι.*

b) Orat. in Deiparae praesent. pagg. 1418. E. et 1419. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ἡ δὲ παῖς σκιρτῶσα καὶ ἀγαλλομένη καθάπερ ἐν θαλάμῳ, ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ ἐβάδιζε· τριετίζουσα μὲν τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας, ὑπερτελὴς δὲ τῇ χάριτι τῇ θείᾳ, ὡς ἄρα προεγνωσμένη καὶ προωρισμένη καὶ ἐκλελεγμένη τῷ πάντων θεῷ καὶ ταμίᾳ· ἔμενεν δὲ αὐτὴ εἰς τὰ τῶν ἁγίων ἐνδότερα ἅγια, ἀμβροσίᾳ τροφῇ δ' ἀγγέλου τρεφομένη, καὶ τοῦ θείου νέκταρος ποτιζομένη.*

1) « Legendum puto, *inquit in annot. Riccardus* pag. 130., προφυλαξάτω. Frustra enim apponeretur περί quum praecedat παντοχόθεν. Vim itaque praeservandi a malo laevam intelligit, quam nos in diem petere ab aeterno Patre voluit Christus, ac dicere: *libera nos a malo.* Haec autem laeva in capite fuit Virginis, quia mire ac summa Dei gratia a peccando fuit praeservata. Dextera autem quae eam amplexata est, virtus fuit Spiritus-sancti, qua obumbrata ac undique vallata in tuto erat, tali tantoque munita praesidio. Laeva veluti scuto armata protegar, dextera velut amica in gratiam trahar et in amplexus colligar. »

2) Quod infectum culpa est, id nequit nisi absurde *ἱερόν sacrum* nuncupari. Virgini autem adscribitur *ἡ γένεσις ἱερά, sacra generatio.* Eius itaque generatio et conceptio a peccato immunis fuit ac soluta.

Digitized by Google

destinata atque electa. Mansit autem in sanctorum intimis penetralibus *ab angelo ambrosiis dapibus nutrita et divino potata nectare*.» Neque illam secus describit Georgius nicomediensis, qui [a]) de summo sacerdote inquit: « Nam primum quidem formam moresque ad eximiam virtutem expressos considerabat, tum vero secum reputabat *angeli ministerium grande aliquid de Virgine praemonstrans*, neque in eo sistens quod oculis obiiciebatur, sed mirabilius aliquid quam ipsum esset, subobscure designans. Angeli namque ad eam accessus et mora Gabrielis adventum innuebat; partim qua Deus rem praevie declarabat, partim qua Virginem assuefaciebat. Is porro qui inferebatur cibus, ipsum panem vitae adumbrabat, haud obscuram cum eo praeferens rite iudicantibus similitudinem, quamquam plurimum inter utrumque distaret. Sicuti enim ignotus erat modus quo ille apparabatur et a Deo producebatur; ita ratio incarnationis Verbi et caussa mysterii occulta est. Et quidem intemerata Virgo eum possidens cibum, divinorum munerum cumulo augebatur; sed et qui huius redduntur participes, sancti Spiritus donis explentur. Ceterum esca illa a peccatorum labe minime emundavit, neque enim eam percipiens [1]) illis subiecta erat, quum plane munda esset nullaque purgatione indigeret; heic autem ad gratiae largitionem abstersio quoque peccatorum accedit.»

1240. Venio ad Tarasium et Iohannem damascenum, e quibus ille [b]) de instituta in templo Virgine scribit: « Omissis igitur pue-

a) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1123. A-D. apud Combefisium ibidem. *Πρῶτον μὲν γὰρ ἰσκόπει τὸ ὑπὲρ ἀρετῆς αὐτῆς ἦθος καὶ κάλλος· ἔπειτα τὴν τοῦ ἀγγέλου κατενόει λειτουργίαν, μέγα τι ταύτῃ μηνύουσαν· καὶ οὐ μέχρι τούτου τὸ βλεπόμενον ὅπερ ἦν (ἤπερ ἦν) ὑπῃνιττομένην· καὶ γὰρ ἡ τοῦ ἀγγέλου πρὸς ταύτην διατριβὴ, τὴν τοῦ Γαβριὴλ ὑπέφαινε παρουσίαν· τοῦτο μὲν προδηλοῦντος τοῦ θεοῦ· τοῦτο δὲ καὶ τὴν παρθένον ἐθίζοντος· ἡ δὲ κομιζομένη τροφὴ τὸν ἄρτον αὐτὸν τῆς ζωῆς εἰκόνιζεν, εὐδιάγνωστον ἔχουσα τοῖς κρίνουσι τὴν ὁμοιότητα, κἂν τῷ μεγίστῳ διαφέρῃ· ὥσπερ γὰρ ἐκείνης ἀγνοεῖται παρασκευῆς τρόπος, καὶ ᾧ θεὸς παρῆκται· οὕτως καὶ τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως ἀπορρήτως λόγος καὶ αἰτία τοῦ μυστηρίου· κἀκείνην μὲν ἡ ἁμίαντος κατέχουσα παρθένος, τῶν θείων χαρίτων κατεπλουτίζετο· καὶ ταύτης δὲ οἱ ἐν μεθέξει γενόμενοι, τῶν δωρεῶν κατεμφοροῦνται τοῦ πνεύματος· ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἁμαρτημάτων κάθαρσιν οὐκ ἐπήργησεν ἡ τροφή· οὐδὲ γὰρ τούτοις ἡ μεταλαμβάνουσα ὑπέκειτο, καθαρά τε οὖσα καὶ ῥύψεως ἁπάσης ἀνενδεής· ἐνταῦθα δὲ τῇ τῶν χαρίτων ἐπιδόσει καὶ ἀφαίρεσις τούτων προσγίνεται.*

b) Orat. in Deiparae praesent. *Ὑπερβᾶσα τοίνυν αὕτη τὰ τῶν γυναίων ψελλίσματα,*

1) Audis Virginem peccatis non fuisse obnoxiam? Audis idcirco peccatis non fuisse obnoxiam, quod pura omnino esset nullaque purgatione indigeret? Sed quisquis originali culpa vitiatus gignitur, is potest ac vero etiam debet ad Deum conversus exclamare: *dimitte nobis debita nostra*.

rilibus studiis secrete serviebat Omnipotenti, *et nutrimentum e caelo per angelum accipiens* vulgarem cibum aversabatur, et gaudium angelorum quotidie contemplans huius vitae curis superior apparebat, et sanctum Spiritum perpetuo intuens malorum spirituum agmina mirifice disiiciebat. Ecquid enim agebat Virgo degens in sanctissimis templi adytis? *Angelorum cibum ab angelo accipiebat*, et immaculatae columbae similis virginitatem custodiens templi et caeli terraeque opifici cum gratiarum actione et effusissimo animi affectu ita supplicabat: laudabo te omnipotens altissime, *qui primae genitricis meae Evae delevisti* [1]) *opprobrium*, et propter ineffabilem misericordiam tuam missurus es in terram Unigenitum tuum, ut cum hominibus conversetur. *Quapropter habitatio ipsius fiam pura et immaculata:* ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia. » Quid vero Iohannes damascenus? Is ubi [a]) Virginis laudes celebrat, inter cetera sic habet: « O Ioachimi et Annae sacratissima filia, quae principatibus et potestatibus, ignitisque satanae telis latuisti: *quae in Spiritus thalamo versata es et sine macula* [2]) *custodita, ut sponsa Dei et Dei mater natura esses*. O sacratissima filia, quae in maternis ulnis cerneris, et apostaticis virtutibus formidabilis

τῷ παντοκράτορι καταμόνας ἐλάτρευε, καὶ τροφὴν οὐρανόθεν δεχομένη δι' ἀγγέλου, τὴν τῶν ἀνθρώπων βρῶσιν ἐβδελύξατο, καὶ χαρὰν τὴν τῶν ἀγγέλων καθεκάστην θεωροῦσα, τῶν τοῦ βίου φροντίδων ἀνωτέρα ἐδείκνυτο, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀεννάως ὁρῶσα, τῶν πονηρῶν πνευμάτων τὰς φάλαγγας ἀοράτως ἀπήλαυνε· τί γὰρ ἔπραττεν ἡ παρθένος εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων περιπολοῦσα; τροφὴν ἀγγέλων δι' ἀγγέλου εἰσεδέχετο, καὶ ὡς περιστερὰ ἀκεραία τὴν παρθενίαν τηροῦσα, τὸν τοῦ ναοῦ καὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς δημιουργὸν μετ' εὐχαριστίας ἐν παῤῥησίᾳ καρδίας λιτανεύουσα, ἔλεγεν· ἄσω σοι παντοκράτορ ὕψιστε, ὅτι ἀφεῖλες τὸν ὀνειδισμὸν τῆς προμήτορός μου Εὔας, καὶ διὰ τὴν σὴν ἄφατον εὐσπλαγχνίαν τὸν μονογενῆ σου υἱὸν μέλλεις καταπέμψαι ἐπὶ γῆς, ὥστε τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφῆναι· διὸ κατοικητήριον αὐτοῦ γενήσομαι καθαρὸν καὶ ἀμίαντον· ὅπου γὰρ ἡ ἁμαρτία ἐπλεόνασεν, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις.

a) Orat. I. in Virginis nativit. §. VII. pag. 846. A-B. Ὦ θυγάτριον Ἰωακείμ τε καὶ Ἄννης τὸ ἱερώτατον, τὸ λαθὸν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καὶ τὰ πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ· τὸ ἐν θαλάμῳ τοῦ πνεύματος πολιτευσάμενον, καὶ πρὶν θὶν ἄμωμον εἰς νύμφην καὶ μητέρα φύσει τοῦ θεοῦ· ὦ θυγάτριον ἱερώτατον, τὸ ἐπὶ μητρικαῖς φαινόμενον, καὶ φοβερὸν ταῖς ἀποστατικαῖς δυνάμεσιν· ὦ θυγάτριον ἱερώτατον, τῷ μαζῷ γάλα τρεφόμενον, καὶ ἀγγέλοις περιστοιχούμενον.

1) Sed quomodo Deus primae genitricis Evae opprobrium per Virginem delevit? Omnino duplicitur, et quum Virginem ab illius praevaricatione subtraxit, et quum ex Virgine *pura et immaculata* carnem sumcepit ac de peccato triumpharit.

2) Praeclare Virgo dicitur *custodita* sine macula, quod nullam unquam labem contraxerit.

Digitized by Google

es. O sacratissima filia, quae matris uberibus lactaris, *et ab angelis undique cingeris.* » Quare [a]) Theophylactus postquam ea commemoravit quae de Virgine in sancta sanctorum illata perhibebantur, subdit: « Ostendit autem Deus quantum illi ea quae gesta erant, placerent; *nam angeli ministerio ad eam alendam usus, modo plane mirabili enutrivit eam quae ipsum postea parere et nutrire debebat, ut nihil propemodum eius puellae humanum foret, sed omnia divina viderentur.* »

1241. Quo et haec pertinent quae ex veteri ruthenico synaxario Culcinius [1]) adducit: « In claustro templi Gabriel *te alit*, o Virgo, qui postmodum tibi *illud ave* adferet.» Eodemque pertinent quae in Menaeis solemniter usurpantur. Huc enim ista faciunt, auctore [b]) Iosepho: « Ecce salutaris dies iis refulsit qui in miseriarum nocte versantur; *caelestis ianua* templi portas praetergressa una cum lampadibus intus in sancta procedit, *ut sancta nutriatur virtute in sanctum Dei* habitaculum. » Ac [c]) rursum: » *Rationalis thalamus* Dei Verbi inhabitans in sancta sanctorum *manu divini angeli cibum suscipit.*» Et [d]) denuo: « Sancta et immaculata in sancto Spiritu introducitur in sancta sanctorum, *et per angelum nutritur vere extitura sanctissimum templum sancti Dei nostri.*» Huc ista faciunt auctore [e]) Theophane: « Celeberrima Anna exsultans clamavit, suscipe o Zacharia quam Dei prophetae in Spiritu annunciarunt, illam-

a) Orat. in Deiparae praesent. n. 6. pag. 473. B-D. opp. T. III. Ἐπισημαίνει δὲ ὁ Θεὸς τοῖς γενομένοις ὡς αὐτοῖς ἀρεσκόμενος· ἀγγέλῳ γὰρ διακόνῳ πρὸς ἀνατροφὴν τῆς ἀναθέσεως κέχρηται, καὶ τρέφει παραδόξῳ τρόπῳ τὴν τεχομένην αὐτὸν καὶ θρέψασαν, ἵνα μηδὲν αὐτῆς σχεδὸν εἴη ἀνθρώπινον, πάντα δὲ θεῖα ἐμφαίνοιτο.

b) Men. die XX. Novembris Ode θ'. pag. 149. col. 1. A-B. Ἤγασεν ἰδοὺ ἡμέρα σωτήριος τοῖς ἐν νυκτὶ τῶν δεινῶν· πύλη ἐπουράνιος ναοῦ τὰς πύλας ἀναπετάσασα μετὰ λαμπάδων πρόεισιν ἔνδον εἰς ἅγια ὑφ' ἁγίας τρέφεσθαι δυνάμεως εἰς ἁγίαν θεοῦ κατασκήνωσιν.

c) Men. die XXI. Novembris Stich. pag. 151. col. 1. B. Ἄρτον ἡ λογικὴ παστὰς θεοῦ τοῦ λόγου χειρὶ θείου ἀγγέλου δέχεται κατοικοῦσα ἁγίων εἰς τὰ ἅγια.

d) Ibid. Echos δ'. pag. 151. col. 2. A. Τῶν ἁγίων εἰς ἅγια ἡ ἁγία καὶ ἄμωμος ἐν ἁγίῳ πνεύματι εἰσοικίζεται, καὶ δι' ἀγγέλου ἐκτρέφεται τὸ ὄντι ὑπάρχουσα ἁγιώτατος ναὸς τοῦ ἁγίου Θεοῦ ἡμῶν.

e) Ibid. pag. 151. col. 2. B-C. Γεθομένη ὑπόδεξαι, Ζαχαρία, ἐβόησεν Ἄννα ἡ πανεύφημος, ἣν ἐκήρυξαν θεοῦ προφῆται ἐν πνεύματι· καὶ ταύτην εἰσάγαγε εἰς τὸν ἅγιον ναὸν ἱερῶς ἀνατρέφεσθαι· ὅπως γένηται τοῦ δεσπότου τῶν ὅλων θεῖος θρόνος καὶ παλάτιον καὶ φωταυγὲς ἐνδιαίτημα.

1) Apud Assemanum in Kalend. Eccles. univ. T. V. pag. 270. ubi et illud notatur, ruthenicos versiculos ex hisce graecis iambis esse desumptos:

Ἔνδον τρέφει σε Γαβριὴλ ναοῦ, κόρη,
Ἥξει δὲ μικρὸν καὶ τὸ χαῖρέ σοι λέγων.

Digitized by Google

que inducito in sanctum templum *sancte nutrienda, ut fiat Domini universorum divinus thronus et palatium et splendidum vestimentum.*» Huc ista faciunt auctore [a]) Georgio nicomediensi: « Laetantur caelum et terra dum vident intelligibile caelum, Virginem solam et immaculatam adductam in divinam domum *ut venerabiliter alatur.*» Itemque [b]): « Intus in Dei templum offertur templum Deum continens, Virgo sanctissima. Par genitorum optimum, Ioachimus et Anna tripudians exsultat, quod eam ediderit quae peperit creatorem, quaeque incedens in divina tabernacula *et angeli manu nutrita apparuit mater omni ex parte immaculata Christi*, qui magnam mundo praebet misericordiam.» Huc ista faciunt [c]) auctore Iohanne monacho: « Carne tenella sed animo perfecta, *arca sancta in Dei domum inducitur ut divina gratia saginetur.*» Et [d]) paullo inferius: « In templi recessus te, o inviolata, prudentes genitores intulerunt, *ut nove in Christi Dei habitaculum educareris.*» Atque huc tandem ista faciunt auctore [e]) Leone magistro: « Praeclarus fructus sanctae promissionis, vere Deipara, mundo apparuit ut omnibus superior; quae pie in Dei domum adducta votum explet genitorum *divino Spiritu custodita.* O Virgo, *caelesti nutrita cibo fideliter in templo Domini, peperisti mundo Verbum panem vitae;* idcirco uti templum electum et penitus immaculatum mystice cum Spiritu coniuncta es, et Patri desponsata. »

a) Ibid. Echos α'. pag. 153. col. 1. B. Χαίρει ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τὸν οὐρανὸν τὸν νοητὸν ᾠρτευόμενον ὁρῶντες εἰς θεῖον οἶκον, ἀνατραφῆναι σεπτῶς, τὴν παρθένον μόνην καὶ ἀμώμητον.

b) Ibid. Stich. pag. 153. col. 1. D. Ἔνδον ἐν τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ ὁ θεοχώρητος ναὸς ἀνατίθεται, παρθένος ἡ παναγία· σκιρτᾷ γεννητόρων ἡ συζυγία ἡ ἄριστος, Ἰωακείμ τε καὶ ἡ Ἄννα χορεύοντες, ὅτι ἔτεκον τὴν τὸν κτίστην κυήσασαν· ἥτις περιχορεύουσα εἰς θεῖα σκηνώματα, καὶ τρεφομένη ἀγγέλου διὰ χειρός, ἡ παράμωμος Χριστοῦ ὤφθη μήτηρ τοῦ παρέχοντος τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος.

c) Ibid. Ode ς'. pag. 157. col. 1. E. Νηπιάζουσα σαρκὶ, καὶ τελεία τῇ ψυχῇ, ἡ ἁγία κιβωτὸς ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ εἰσέρχεται κατατρυφῆσαι τῆς θείας χάριτος.

d) Ibid. Ode ζ'. pag. 158. col. 2. D. Εἰσήνεγκαν ναοῦ εἰς ἐνδότατον οἱ σώφρονες πατέρες σου, ἄχραντε, ἀνατραφῆναι ξένως εἰς κατοίκησιν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ.

e) Ibid. Echos α'. pag. 101. col. 1. B-C. Ἐπαγγελίας ἁγίας καὶ ὁ καρπὸς εὐκλεὴς ἡ Θεοτόκος ὄντως ἀνεδείχθη τῷ κόσμῳ, ὡς πάντων ὑπερτέρα· ἡ εὐσεβῶς προσαγομένη ἐν οἴκῳ θεοῦ τὴν προσευχὴν τῶν τεκόντων ἀποπληροῖ συντηρουμένη θείῳ πνεύματι.

Ἐπουρανίῳ τραφεῖσα, παρθένε, ἄρτῳ πιστῶς ἐν τῷ ναῷ κυρίου, ἀπεκύησας κόσμῳ ζωῆς ἄρτον τὸν λόγον· ᾧ ὡς ναὸς ἐκλεκτὸς καὶ παράμωμος προεμνηστεύθης τῷ πνεύματι μυστικῶς, νυμφευθεῖσα τῷ θεῷ καὶ πατρί.

Digitized by Google

1242. Mira est igitur conspiratio qua sibi ex maiorum sententia respondent *multiplices veluti gradus exsequentis providentiae*, per quos Virgo ad supremum creatae naturae culmen fastigiumque conscendit. Quemadmodum enim praesentata in templo idcirco fuit, quod sanctissimas hasce sedes originalis eius puritas et ad praerogativam divinae maternitatis destinatio exigerent; ita in templo degit *ambrosiis nutrita dapibus, divino potata nectare, per angelos sancte et venerabiliter alta, divina gratia saginata, magna et vigili custodia defensa, caelesti praesidio servata, satanae inaccessa, undique divino numine tecta et firmata Patris firmamento*, quod eiusmodi institutio et tutela eam deceret, *quae Dei mater et sponsa futura esset, quaeque non humanam sed divinam speciem formamque praeseferret.* « Nata igitur, *praeclare scribit* [1]) *Eadmerus*, et infantiles annos exacta, quam caste, quam sancte, quam Deo digne vitam instituerit et institutam egerit; quis vel cogitatu, non dico dictu, queat coniectare? *Nulli denique dubium* castissimum corpus et sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati iugi angelorum custodia protectam, utpote aulam [2]) quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, et ex qua hominem in suae personae unitatem ineffabili fuerat operatione sumpturus. Et quid mirum? Nam et inter homines usus obtinuit (si tamen a caelestibus ad terrena potest esse comparatio ulla), ut cum praepotens aliquis et persona dives aliquo vadit hospitaturus, clientes praecurrant ut locum muniant, mundent, ornent et custodiant, quo venienti Domino suo aptus ad inhabitandum et congruus fiat. Quod si talis apparatus fit pro adventu terreni hominis et momentaneae potestatis; *qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu caelestis regis et aeterni in corde sacratissimae Virginis, quae illum non solum erat in semet transitive hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura?* »

1243. Talis tantusque fuit eiusmodi *apparatus*, ut vel maioribus detrahenda sit fides, vel cum iisdem aperte solemniterque pro-

1) De excellent. Virginis cap. III. pag. 136. inter opp. Anselmi.

2) Eodem utitur argumento Anselmus, sive quisquis sit alius auctor tractatus de conceptione Virginis, qui initio pag. 490. col. 2. C-D. praestruit: *ab re et contra fidem esse non aestimo, si exordium conceptionis ipsius tanti a simplicibus ecclesiae filiis aestimetur, ut tam sublime, ut tam divinum tam ineffabile fuerit, ut in illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit.* Tum pergit: « Nec mirum, fundamentum siquidem et quasi quoddam seminarium (*al.* sacrarium) civitatis et habitaculi summi boni in eo ponebatur; et mansio lucis aeternae, et templum quod corporaliter inhabitaret ille incorporeus et incircumscriptus et increatus simul et vivificans omnia spiritus parabatur. »

fitendum, *idcirco unigenitum aeterni Patris Filium ipsius quoque Virginis filium secundum carnem factum esse, quod ipsa sola mulieres omnes virtute superarit, quod ex omnibus generationibus ne unus quidem ipsi similis exstiterit, quod Deo prae omnibus et singulariter placuerit, quod illius sibi amorem, utpote terra originalis, lilium inter spinas, angelisque puritate nitidior conciliarit, dignaque fuerit ac verissime promeruerit ut eximia divinae maternitatis praerogativa honestaretur.* Testimonia christianae antiquitatis quae huc pertinent, innumera sunt et plus quam esse in votis possit luculenta; nos tamen parci erimus et delectu utemur, quod *plurima* suis locis prolata in medium fuerint, quodque adeo haec veritas compertis exploratisque doctrinae capitibus accenseri debeat. Itaque auctor quaestionum et responsionum ad orthodoxos qui Iustinus vulgo dicitur, ad Christi verba respiciens quibus [1]) ii beati celebrantur qui Dei explent voluntatem, de Virgine [2]) ait: « Et quandoquidem non quamlibet mulierem *elegerat* Deus *ut Christi mater fieret, sed eam quae mulieres omnes virtutibus superabat;* idcirco Christus voluit ut mater sua *etiam* ab hac virtute [2]) beata praedicaretur, *per quam consequuta est ut virgo mater fieret.* » Similia scribit [b]) qui Gregorii neocaesariensis appellatione circumfertur inquiens: « Convenienter igitur *sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit.* Nam sapiens revera *in cunctis erat, nec similis* [3]) *ei ex universis generationibus ulla umquam est reperta.* » Ubi vero enarrat [4]) verba, *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,* sic [c]) habet: « En tibi brevem dictorum de-

a) Quaestt. et responss. ad orthod. q. CXXXVI. pag. 219. Καὶ ἐπειδὴ οὐ τὴν τυχοῦσαν γυναῖκα ἐπελέξατο ὁ Θεὸς γενέσθαι μητέρα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ τὴν πασῶν γυναικῶν ταῖς ἀρεταῖς ὑπερκειμένην, διὰ τοῦτο καὶ ὁ Χριστὸς ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρετῆς ἐβούλετο μακαρίζεσθαι τὴν μητέρα αὐτοῦ, δι' ἧς ἠξιώθη παρθένος μήτηρ γενέσθαι.

b) Orat. I. in Virginis annunciat. pagg. 10. D. et 11. A. Προπόντως ἄρα τὴν ἁγίαν Μαριὰμ ἐκ πασῶν γενεῶν μόνην ἡ χάρις ἐκλέλεκται· σοφὴ γὰρ ὄντως κατὰ πάντα ἐτύγχανεν· οὐχ ὁμοία αὐτῇ ἐκ πασῶν γενεῶν τις γέγονεν πώποτε.

c) Orat. II. in Virginis annunciat. pag. 17. C-D. Ἔχεις σύντομον τὴν τῶν ῥηθέντων ἀπόδειξιν· οὐ μόνον γάρ σοι τὸ μηδὲν φοβεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀφοβίας τὸν τρόπον αἰνίττομαι· δι' ἐμοῦ γὰρ πᾶσαι αἱ οὐράνιαι δυνάμεις σὺ τὴν ἁγίαν παρθένον ἀσπάζονται· αὐτὸς δὲ μᾶλλον ἡ κυριεύων πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων ἀπὸ πάσης τῆς κτίσεως

1) Luc. XI. 28.

2) Qua Dei voluntas expletur.

3) Occurrit varians lectio ὁμοίας, qua praehabita non omnibus dumtaxat mulieribus, sed omnibus plane hominibus Virgo antefertur.

4) Luc. I. 30. Μὴ φοβοῦ Μαριάμ, εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ.

Digitized by Google

monstrationem. Non solum enim tibi quod nihil timendum est, sed et fiduciae rationem expono. Nam cunctae per me caelestes potestates te sanctam Virginem salutant, quin et ipse caelestium omnium potestatum dominator *ex omni creatura te sanctissimam et ornatissimam elegit*, et per sanctum ac castum, purum atque impollutum sinum tuum fulgidissima margarita in salutem totius terrarum orbis progreditur: *quoniam et tu sancta* [1]), *omni humana natura gloriosior ac purior sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem, quovis autem auro quantumvis probato purificatum magis corpus.*» Hinc Anselmus praerogativa divinae maternitatis summis quibus poterat laudibus celebrata, e vestigio [2]) subdit: «Igitur propter peccatores Maria facta est mater Dei, *quae idcirco quod ea castior, ea sanctior, ea humilior in genere humano nulla potuit reperiri, merito debuit in tantam excellentiam ab eo quo nihil castius, nihil sanctius, sublimius est nihil adscisci.* Et in quid excellentius adscisci valeret, quam ut in perpetua virginitate permanens Deum de sua carne carnem factum generaret? *Hanc excellentiam contulit Deus virgini Mariae eo quod illam pudicitia cordis et corporis* [1]) *sibi prae omni creatura intellexit adhaerere.*»

1244. Eamdem selectae Virginis caussam paullo secus maiores nostri tum efferunt, quum Deum Verbum idcirco ex ea genitum testantur, quod ipsa prae omnibus una Deo placuerit, divinumque sibi amorem conciliarit. Antiquus auctor sermonis Chrysostomo tributi *in annuntiationem Deiparae et contra impium Arium*, postquam [a]) Virginem compellans dixit, *ave et calca serpentis caput*, illico [b]) pergit: «Ave igitur gratia plena, *placuisti creatori, placuisti σὶ τὴν ἁγίαν καὶ παγκόσμιον ἐκλέλεκται· καὶ διὰ τῆς ἁγίας καὶ ἁγνῆς καὶ καθαρᾶς καὶ ἀμιάντου σου γαστρὸς ὁ φωτιστικὸς μαργαρίτης προέρχεται εἰς σωτηρίαν πάσης τῆς οἰκουμένης· ἐπειδὴ πάσης ἀνθρωπίνης φύσεως, καὶ σὺ ἧς ἁγία, ἐνδοξοτέρα καὶ καθαροτέρα καὶ ὁσιωτέρα γεγέννησαι· λαμπροτέραν μὲν ὑπὲρ χιόνα ἔχουσα τὴν διάνοιαν, παντὸς δὲ χρυσίου δοκιμωτέρου κεκαθαρμένον τὸ σῶμα.*

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 839. E. inter opp. Chrysostomi T. XI. Χαῖρε καὶ καταπάτει τὴν τοῦ ὄφεως κεφαλήν.

b) Ibid. Χαῖρε τοίνυν κεχαριτωμένη, ἔρεσας τῷ δημιουργῷ, ἔρεσας τῷ ποιητῇ, ἔρεσας τῷ κτίστῃ, ἔρεσας τῷ τεκτομένῳ τοῖς κάλλεσι τῶν ψυχῶν.

1) Quibus significatur, *primum* Virginis *gradum* ex sanctitate profectum ad celsiorem iugiter sanctitatem contendisse.

2) Tract. de Virginis concept. p. 503. col. 1. A-B.

3) Utique *numquam* deflorata ac *deinde* sanata, sed a suis virens primordiis ac semper deinde laetior effecta.

Digitized by Google

opifici, placuisti conditori, placuisti ei qui de pulcritudine animarum delectatur. » Et eo usque placuit, ut de ipsa non canere modo Sedulius [1]) potuerit:

« Sola sine exemplo placuisti femina Christo;

verum etiam [2]) addere: « Cui nulla penitus aequalis femina reperitur, quae tuum decus similiter praecesserit aut sequatur. *Sola placens singulariter Christo,* nulli compararis exemplo. » Quare [3]) Eadmerus commemorato Virginis [4]) responso, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* exclamat: « O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio iucundius Deo oblata! Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certe sola fide Abraham fertur [5]) Deo placuisse, et hoc solum quia Deo credidit, ad iustitiam illi reputatum fuisse; super humiles [6]) autem et quietos ac verba sua trementes, spiritum suum requiescere, et obedientiam se prae sacrificiis malle asserit Deus. Quum [7]) igitur in his quae tantopere Deo placent, *sancta virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crediderim ipsam ulla ratione excellentius placere potuisse.* » Quibus Petrus cellensis imbutus scribere [8]) non dubitavit: « Haec [9]) Sunamitis *placet* regi sua specie, senem regem conservat castitate et fovet calore sapientiae. Quae tam speciosa quam illa cui [10]) dicitur: *tota pulcra es amica mea,* et item: *quam pulcra es amica, quam pulcra, in deliciis carissima!* Hanc antiquus dierum *praeelegit* et dedit ei Filium suum: *haec Dei praecordia pene iam tepentia,* deficiente caritate in humano genere, *calefecit;* et quum adhuc peccatores essemus, propter nimiam caritatem suam Filium de Virgine incarnari constituit: haec sapientissima sicut decipere neminem voluit, sic a nemine decipi [11]) potuit. *Si umquam in creatura sua*

1) Carm. pasch. lib. II. v. 70. pag. 543. apud Gallandium T. IX.

2) Pasch. operis lib. II. cap. III. pag. 575.

3) De excellent. Virginis cap. III. pag. 136. col. 1. E. et col. 2. A. inter opp. Anselmi.

4) Luc. I. 38.

5) Gen. XV.

6) Is. LXVI.

7) Non satis absoluta est oratio et manu indigere medica videtur.

8) Serm. VII. de Virginis assumpt. p. 218.

9) Cant. I. 7.

10) Cant. VII. 6.

11) Ne illa quidem universali deceptione, qua omnes in protoparentibus decepti fuimus et a semita rectitudinis aberravimus. Simul namque Petrus componens quae leguntur Cant. VII. 2. *umbilicus tuus crater tornatilis,* et Iob. X. 8. *manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu,* eaque ad Virginem referens serm. II. in dominicam annuntiationem pag. 70. ait: « Vere totum in circuitu, quia tornatilis consummatione legis, in aemulatione angelicae puritatis, in dilatatione cordis eatenus ut contineret Deum quem non capiunt caeli caelorum:

Digitized by Google

creator proportionem aliquam reperit, solam istam [1]) *hoc privilegio praetitulavit.* Quum essem, inquiens [2]), immaculatus veni ad corpus incoinquinatum. »

1245. Et vere incoinquinatum, quod sanctus Bruno carthusiani ordinis institutor [3]) enarrans ait: « *Dominus de caelo in terram aspexit,* dum de regalibus sedibus in uterum Virginis venit. *Haec enim est incorrupta terra illa cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati* [4]) *contagione libera,* per quam vitae viam agnovimus. Quae *quia digna fuit,* Dominus de caelo in terram aspexit. » Quo referri dubio procul debent quae eadem mente Cyrillus alexandrinus [5]) antea docuerat de Unigenito scribens: « Inclinavit itaque caelos et descendit, et virgineo delecto utero sanctae puellae et in pietate nutritae, proprium sibi facit comparatque templum, et neque satam neque ullo cultu dispositam sibi format stationem: sicuti ille qui primus serviit peccato, sine patre fuerat, *unamque habebat terram matrem.* Sumpsit enim, inquit [5]), Deus pulverem de terra, hominemque formavit. Quamobrem beatus quoque Paulus [6]) ait: primus homo de terra terrenus, secundus homo Dominus de caelo. *Huius rei gratia unigenitum Dei Verbum ex sola Virgine* [7]) *materiam*

a) De incarnat. Domini cap. XXIII. pag. 62. apud Mai in nov. pp. biblioth. Tom. II. Ἐκλινε τοίνυν οὐρανοὺς, καὶ κατέβη, καὶ παρθενικὴν ἐκλιξάμενος νηδὺν κόρης ἁγίας καὶ εὐσεβείᾳ συντεθραμμένης, εἰσοικίζεταί τι καὶ ναὸν ἑαυτῷ κατασκευάζει, καὶ τὴν ἄσπαρτον καὶ ἀνήροτον σκηνὴν διαπλάττει· ἐπειδὴ ὁ πρώτως δουλεύσας τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀπάτωρ ἐτύγχανε, μητέρα δὲ μόνην εἶχε τὴν γῆν· ἔλαβε γάρ, φησιν, ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἔπλασεν τὸν ἄνθρωπον· διὸ καὶ ὁ μακάριος Παῦλός φησιν· ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκὸς, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ· τούτου χάριν ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος ἐκ μόνης παρθένου τὰς ἀφορμὰς λαβὼν τῆς διαπλάσεως, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἀγιόεργητον δημιουργήσας ναὸν, καὶ ἑαυτῷ συνάψας, πρόεισιν ἐκ τῆς παρθένου.

miro modo versa vice et Deus suis circulis inclusit creatorem istum *creando Virginem sanctam, sanctiorem operando, sanctissimamque semper conservando.*»

1) De qua sermone citato pag. 68. scribit: « In libris sive thesauris numquam fallendae praedestinationis *praecipue singularem et singulariter incomparabilem* thesaurum sapientiae et scientiae suae Deus in beata virgine Maria ab aeterno congessit, in fine seculorum resignavit, sine fine in summa caelorum arce collocavit: ubi opes hactenus *nulli* communicatas intromisit, ubi omnium pretiosorum lapidum gloriam conglomerans ad complementum totius honoris et superfluentis magnificentiae seipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae abscondidi, annumeravit. »

2) Sap. VIII. 20.

3) Comm. in Ps. CI. 20.

4) Etiam *originalis*, secus enim neque vera foret propositio, *ab omni peccati contagione libera*, neque Virgo merito diceretur *incorrupta terra illa*, utpote originali labe corrupta et contagio antiquae culpae polluta.

5) Gen. II. 7.

6) I. Cor. XV. 47.

7) Quam vero materiam? Illi prorsus geminam e qua primus homo conditus fuit. Atqui primus homo *e terra conditus* fuit *neque tribulis hispida neque maledicto obnoxia, sed pura et incontaminata.* Eiusmodi ergo, auctore Cyrillo, ipsa quoque Virgo existimetur oportet.

Digitized by Google

fabricae sumens, atque ita illaboratum formans templum sibique uniens, prodit ex Virgine.» Neque de his aliter existimandum est, quae Patri Gabrielem alloquenti Andreas crētensis [a]) adscribit: « Age Gabriel, pete Nazaret Galilaeae civitatem in qua puella virgo habitat desponsata viro cui nomen est Ioseph, virgini autem nomen est Maria. Nazaret, inquit? Cur nam? Quo *gratissimum Deo virginitatis decus, veluti rosam e spinoso loco sibi omnipotens deligeret,* et quo fieret satis vaticinio [1]), *quoniam Nazaraeus vocabitur.* Pete igitur Nazaret civitatem Galilaeae, quo quum cito perveneris, *fac sedulo Virgini primum deferas faustum illum gaudii nuntium quem Eva amisit.*»

1246. E quibus repetendum est, quod Virgo omnium suffragatione maiorum *digna* divina maternitate celebretur. Et digna sane celebratur [b]) a vulgato Chrysostomo, cuius haec sunt verba: « *Benedicta tu in mulieribus,* quia omnibus simul virginibus nunc praeponeris: *quia digna fuisti, quae talem hospitii exciperes Dominum:* quia illum qui comprehendi nequit, volentem comprehendisti: quia eum qui omnia implet, complecteris: *quia divinae oeconomiae officina purissima effecta es: quia ad ingressum regis in vitam dignus fuisti currus,* quia spiritalis margaritae thesaurus ostensa es.» Celebratur [2]) ab Anselmo qui scribit: « Haec igitur Virgo, *tanti Filii dignissima parens* quum in alvo suae parentis naturaliter conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio caelum, terram et omnia quae in eis sunt perfudisse, ac ineffabili iubilatione pro sui reintegratione, quam per

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 101. B-D. apud Gallandium T. XIII. Διὸρο λέγων, ἄπιθι Γαβριὴλ εἰς Ναζαρὲτ πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ἐν ᾗ κόρη παρθένος οἰκίζεται μεμνηστευμένη ἀνδρὶ, ᾧ ὄνομα Ἰωσὴφ, Μαρία τῇ παρθένῳ τὸ ὄνομα· εἰς Ναζαρέτ, φησι; διὰ τί; ἵνα τὸ τῆς παρθενίας θεοχαρίτωτον κάλλος, καθάπερ ῥόδον ἐξ ἠκανθωμένης χώρας ὁ παντοκράτωρ ἐκλέξηται· καὶ διὰ τὴν προφητείαν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται· ἄπιθι τοίνυν εἰς Ναζαρὲτ πόλιν τῆς Γαλιλαίας, καὶ τῇδε φθάσας, σπουδῇ τοῦτο πρῶτον πρόσειπε τῇ παρθένῳ τὸ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλιον, ὃ προαπώλεσεν Εὔα.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. A-B. inter opp. Chrysostomi T. XI. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ὅτι πασῶν ὁμοῦ τῶν παρθένων νῦν προκέκρισαι ὅτι κατηξιώθης ξενοδοχῆσαι τοιοῦτον δέσποτην· ὅτι τὸν ἀχώρητον βουληθέντα κεχώρηκας· ὅτι τὸν πάντα πληροῦντα πρόσδεξαι· ὅτι τῆς θείας οἰκονομίας γέγονας ἐργαστήριον καταρώτατον· ὅτι τῆς εἰς τὸν βίον εἰσόδου τοῦ βασιλέως ἡμῶν πέφηνας ἄξιον ὄχημα· ὅτι τοῦ πνευματικοῦ μαργαρίτου θησαυρὸς ἀνεδείχθης.

1) Matth. II. 23.

2) Tract. de Virginis concept. pag. 500. col. 2.C-D.

Digitized by Google

illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? » Et celebratur ab Anselmi discipulo Eadmero qui [1]) sic habet: « Itaque natura nostra ad similitudinem Dei in principio creata, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur et eius gloria sine omni corruptione et mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum natura statim in primis hominibus perdidit, et in huius mundi miserias infelix et praeceps ruit, dehinc in aeternas miserias decurso vitae labentis articulo multo infelicius ruitura. Transierunt multa secula, et damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim summi Dei sapientia ullam in massa creationis humanae viam invenit, per quam ut disposuerat in mundum veniens tam luctuosae perditioni subveniret, donec ad istam [2]) de qua loquimur Virginem ventum esset. Sed haec mox ubi in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omnis boni [3]) virtute atque constantia *perfecte* resplenduit, *ut eam ipsa Sapientia Dei, uti a seculis praedestinaverat, vere dignam iudicaret, per quam in hominem veniens non modo reatum primorum hominum sed et totius mundi peccata deleret, et diabolum sui operis inimicum cum suis elideret, nec non damna caelestis patriae, illuc hominem deducendo, redintegraret.*» Alibi vero [4]) haec praemittit: « Sensibus *antiquorum patrum* de virtutibus beatae Mariae breviter defloratis et in unum coacervatis, nunc ad sublimitatem eius commendandam, quam propter gratiam [5]) virtutum est adepta, vigilabit oratio.» Tum [6]) pergit: « Deus filius consubstantialis et coaeternus et coomnipotens Patri, editus ex Patre ante tempora sine matre, voluit nasci de matre sine patre sub tempore, elegitque hanc puellam pro amore quem habebat erga eam, in quam tota divinitas influeret, et quae Dei et hominis generatrix fieret. Amavit erga eam antequam ex ea nasceretur, *ut esset de qua digne nasceretur.* »

1) De excellent. Virginis cap. IX. pag. 140. col. 2. D-E. inter opp. Anselmi.

2) Sed cur enimvero? Non aliam, quocumque te vertas, causam reperies praeter hanc, quod sola Virgo ab universali depravatione immunis extiterit.

3) Igitur boni etiam *originalis*, nunquam defloruti, sed integri semper ac impolluti.

4) De quatuor virtutibus beat. Mariae cap. VIII. pag. 145. col. 1. A.

5) De qua gratia antiquus auctor expositionis in canticum *Magnificat* inter opp. Augustini T. VI. pag. 728. F. ubi expendit verba, *et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum*, ait: « Mariae, inquam, fecit, non tamen singulariter, *sed uni excellenter.* » Ad quam excellentiam declarandam ista pertinent pag. 727. E. « Ergo beata Virgo quia singulariter se electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi privilegio quodam electionis divinae confirmata, fiducialiter ipsum quem pro salute mundi filium conceperat, suum etiam cum laetitia et exultatione Salvatorem vocat. »

6) L. c. pag. 145. B-C.

Digitized by Google

1247. Quoniam vero *a dignitate* seiungi *meritum* nequit, hinc nihil inculcatum crebrius apud maiores nostros occurrit, *quam talem fuisse Virginem quae divinam maternitatem* [1]) *promeruerit*. Hoc est quod Hieronymus inculcat ubi [2]) Eustochium sic alloquitur: Propone tibi beatam Mariam, *quae tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.*» Hoc quod inculcat Augustinus [3]) scribens: « Quae concipere ac parere *meruit* eum, quem constat nullum habuisse peccatum.» Hoc quod vetus [4]) auctor penes eumdem: « Quae *tantum haberet meritum*, ut Dei Filium in semetipsam susciperet.» Hoc quod [5]) Petrus chrysologus: « Quae et superni conceptus *meruit* gratiam, et sustulit integritatis coronam.» Hoc quod [6]) magnus Gregorius: « Quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, *meritorum verticem* usque ad solium deitatis erexit.» Hoc anonymus [7]) qui librum *de assumptione beatae Mariae Virginis* actate Caroli Magni edidit: « Venerabile est enim mihi, Domine, et praecordiis meis reverendissimum de matre Filii tui loqui, et de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, *quae sola meruit* Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis aeterni.» Hoc quod inculcat [8]) beatus Petrus Damiani qui primum ait: « Hodie nata est illa per quam omnes renascimur, *cuius speciem concupivit omnipotens*, et in qua Deus posuit thronum suum.» Tum [9]) subdit: « Et quid mirum si haec ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanae vocis exsuperat, quum et ipsam generis humani naturae excellentiam meritorum dignitate transcendat? Quid enim sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo dum salutaretur audivit, *ave gratia plena, Dominus tecum*. Quod, rogo, vitium in eius mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, *quae adinstar caeli plenitudinis totius divinitatis* [10]) *meruit esse sacrarium?* Nec mirum si cun-

1) Quo sensu haec accipi debeant, ad severiorem theologicam limam expendunt Thomas in III. p. q. II. a. XI. ad 3. et Suarius in III. p. disput. X. sect. VIII.

2) Epist. XXII. n. 28. pag. 120. C-D. opp. T. I.

3) De nat. et grat. cap. XXXVI.

4) Serm. XIV. de tempore, idemque CXCIII. in app. T. V.

5) Serm. CXLIII. de annuntiat. pag. 365.

6) Exposit. in I. Regg. I. pagg. 147. opp. T. I.

7) Inter opp. Augustini T. VI. pag. 729. D-F.

8) Serm. XLIV. idemque I. in Virginis nativit. pag. 106. col. 1. D. opp. T. II.

9) Serm. XLVI. idemque III. in Virginis nativit. pag. 113. col. 1. C-E.

10) Ad quod meritum haec quoque referuntur ex enarratione cantici *magnificat* apud Augustinum opp. T. VI. pag. 728. A-D: « Bene ergo Maria solam in se humilitatem Dominum respexisse testatur, quia divinitatis propitiationem quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. Nam quia in ea Verbum pa-

Digitized by Google

ctorum merita transcendat mortalium, quae et ipsam superexcedit celsitudinem ángelorum.» Atque hoc est quod Eadmerus [1]) inculcat exclamans: « Quas itaque laudes, quasve gratiarum actiones non solum humana natura, sed omnis creatura huic sanctissimae Virgini debet? Pura enim sanctitas et sanctissima puritas piissimi pectoris eius omnem omnis creaturae puritatem sive sanctitatem transcendens *incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis* [2]) *dignissime fieret.* Unde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus mundus ei iure debeat, cor alicuius sub mortali carne viventis aestimare nullatenus sufficit. »

1248. Incredibile vero est quam ea mirifice consentiant, quae in ecclesiasticis libris officiisque recurrunt. Atque haec profecto mirifice consentiunt quae [3]) in Missali gothico *in collectione post nomina* habentur: « Habitatorem virginalis hospitii, sponsum beati thalami, dominum tabernaculi, regem templi, *qui eam innocentiam contulit genitrici qua dignaretur incarnata deitas generari:* quae [4]) nihil seculi conscia, tantum precibus mens attenta, tenuit puritatem in moribus, quam perceperat angeli benedictione visceribus: nec per assumptionem de morte sensit inluviem quae vitae portavit auctorem: fratres carissimi, fusis precibus Dominum imploremus. » Neque haec minus consentiunt quae [5]) Petro Damiani in acceptis referimus:

» Hortus deliciarum,
» Odor suavitatum;
» Tu ager ille plenus
» Cui benedixit Deus.
» Es et terra caelestis,
» Ferax lactis et mellis,
» Ex qua veritas orta
» Tollit errorum dogma.

His autem addi ea debent quae idem [6]) alibi scribit:

» Ave David filia, *sancta mundo nata,*

tris carnis substantiam quam sibi uniret, assumpsit, quasi ad eam quam prius abiecerat naturam sublimandam per misericordiam respexit. Quia se humilitatis quod erat ancillam cogitavit, ideo quod non erat sublimitatis mater esse *meruit. Eva* per superbiam creaturam Dei se esse et opus Dei non considerans, Deo parificari voluit; *Maria* autem suo factori humiliter se subdens, ancillam se nominavit: et idcirco illa abiecta est, et haec electa est. »

1) De excellentia beatae Mariae cap. IX. p. 140. col. 2. B-D.

2) Sed ita ne, ut ipsa quoque *cum perdito orbe* perierit? Non puto hoc in cuiusquam mentem venire posse. At ipsa quoque una cum perdito orbe periisset, si infecta originali culpa et communi praevaricatione obligata *primum* exstitisset.

3) Apud Thomasium opp. T. VI. pagg. 254-255.

4) Non potuit Virgo dici *nihil seculi conscia*, nisi expers haberetur illius peccati quod inprimis est appellaturque peccatum seculi et mundi. Hoc autem est originale peccatum, quod per unum hominem in mundum ingressum, mundi seculique peccatum suo merito existimatur.

5) Rhythm. de s. Virgine pag. 11. col. 2. B-C. opp. T. IV.

6) Rhythm. super salutat. angelic. pag. 12. col. 2. A-E. opp. T. IV.

Digitized by Google

» Virgo prudens, sobria, Ioseph desponsata,
» Ad salutem omnium in exemplum data,
» Supernorum civium consors iam probata.
» Maria, miseria per te terminatur,
» Et misericordia per te revocatur,
» Per te navigantibus stella maris datur,
» Lumen vitae panditur, portus demonstratur.
» Gratia te reddidit cunctis gratiosam,
» Te vestivit lilio, sparsit in te rosam,
» Te virtutum floribus fecit speciosam,
» Intus et exterius totam luminosam.
» Dominus rex omnium ex te sibi fecit
» Cellam pigmentariam quam cunctis praefecit:
» In qua miras species Salvator confecit,
» Quibus omnes dulciter electos refecit.
» Tecum tota Trinitas facit mansionem,
» Pater, Verbum, Spiritus fixit sessionem;
» Propter quod nunc largius ad devotionem
» Te ipsam fidelibus praebes lectionem.
» Benedicta benedic te benedicentes,
» Fac in tuis laudibus sint proficientes,
» Infige dulcedinem in tuorum mentes,
» Ut in bonis actibus semper sint ferventes.
» Tu in mulieribus *optima figura*,
» Quae regis es gloriae mater, Virgo pura;
» Quo probaris *dignior omni creatura*,
» Hoc agente Domino *singulari cura*.
» Et benedictus Deus qui cuncta creavit,
» Qui *matris in utero te sanctificavit*;
» Benedictus filius quem tuus portavit
» Virginalis uterus quem ipse formavit.

Tum haec quae in veteri hymno [1]) de nativitate Domini habentur:

» Continet [2]) hunc genitrix in gremio,
» Omnia qui condidit ex nihilo,

1) Apud Mone, Lateinische Hymnen des Mittelalters T. I. pag. 56.

2) Ut editor probet, quod est verissimum, ecclesiasticis hymnis vulgatissimam maiorum doctrinam contineri, hac utitur adnotatione pag. 57: » Quem caeli non capiunt, unius feminae sinus ferebat. *S. Augustin. serm.* 184. mundum implens, in praesepio iacens. *Id.* 187. Puer corporis parvi dominus et rector est mundi; et genitricis gremio continetur qui nullo fine concluditur. *Leon. m. serm.* 37. 1. «

Digitized by Google

» Terram, mare, sidera cum infero.
» Ave mater *inclito*
» *Digna puerperio.*

Atque haec item [1]) ex hymno supra *Agnus Dei:*

» Qui Mariam elegisti
» Fore matrem gratiae,
» Atque nos a caeno tristi
» Piasti, rex optime.
» Praesta nobis quod optamus
» Per Mariae gloriam,
» Ut servare valeamus
» Caelestem concordiam.

Quo et haec [2]) referenda sunt:

» Praeclara custos virginum,
» Intacta mater Numinis,
» Caelestis aulae ianua,
» Spes nostra, caeli gaudium.
» *Inter rubeta lilium,*
» Columba formosissima,
» Virgo e radice germinans,
» Nostra medela vulneri.
» *Turris draconi impervia,*
» Amica stella naufragis,
» Tuere nos a fraudibus,
» Tuaque luce dirige.
» Erroris umbras discute,
» Syrtes, dolores amove,
» Fluctus tot inter deviis
» Tutam reclude semitam.

Paucis vero omnia comprehensa habentur tum in hac piissima [3]) Petri Damiani obsecratione: « Deus, qui vitiatae stirpis originem *per virginalis uteri* [4]) *reparas dignitatem;* concede propitius ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio beatae Dei genitricis attollat. » Tum in hac [5]) Anselmi prece, qua Virginis opem implorans ait: « Tu inter benedictas superbenedicta es, *superelecta* es, *superspeciosa, supergratiosa,* mater illius qui gratiam et gloriam et honorem et auctoritatem praestat. Per te, Domina gloriosa, ad Iesum

1) Ibid. pag. 309.

2) Brev. rom. in offic. de purit. b. Virginis. Abs re autem non puto heic subiicere paraphrasim in angelicam salutationem, quam ex codice seculi XIV. primus edidit cl. Zaccaria diss. VI. ex illis quae habentur altero tomo dissertt. italicarum, quae Romae an. MDCCLXXX. in lucem prodierunt. Ea vero est huiusmodi pagg. 282-288.

» Ave Virgo virginum,
» Quae portasti filium
» Creatorem omnium
» Dulcis mater ave.
» Ave beatissima,
» Stella splendidissima,
» Virgo serenissima,
» Humilis Maria;
» Maria laudabilis
» Atque mirabilis,
» Facta ineffabilis
» Iesu Christi gratia.
» Gratia altissimi
» Dei potentissimi
» Et preciosissimi
» Regis regum tu es *plena,*
» *Plena* es dulcedine,
» *Plena* pulcritudine,
» Quia *sine crimine.*
» Te elegit Dominus,
» Dominus rex misericordiae,
» Et pater concordiae
» Maria sit tecum.
» Tecum regnat caritas,
» In te fuit castitas,
» Omnis lux et claritas.
» Parens benedicta,
» Et benedicta Virgo
» Fons clarus, fundamentum omnium
» Christianorum es tu.
» Tu es Virgo beata,
» Praegnans et intacta
» Et glorificata.
» In mulieribus.
» In mulieribus benedicta,
» In omnibus tuus filius benedictus,
» Christus semper Deus, semper optimus
» Fructus ventris tui.
Amen. Alleluia.

3) Opp. T. IV. pag. 11. col. 1. A.

4) Aut his Virgo *ab origine vitiatae stirpis* declaratur immunis, aut signa desunt quibus eiusmodi praerogativa declaretur.

5) Orat. LIII. pag. 283. coll. 1-2. A-B.

Digitized by Google

filium tuum mereamur adscendere, qui per te ad nos dignatus est descendere. Per te accessum habeamus ad filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. Excuset, piissima Domina virgo Maria, apud piissimum filium tuum integritas tua [1]) culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua Deo grata nostrae veniam impetret vanitatis. Domina nostra, mediatrix nostra tuo filio nos commenda, reconcilia nos filio tuo, tuo filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, *per praerogativam quam meruisti*, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps miseriae et infirmitatis nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat suae gloriae atque beatitudinis aeternae. »

1249. Iamvero his quae ex ecclesiae latinae monimentis decerpsimus, insigniter respondent quae monimentis graecae ecclesiae consignata reperimus. Neque enim in ea oculos coniicere vel obiter possumus, quin plurima eademque luculentissima sese nobis continuo offerant. E quorum numero illud commemorari in primis debet, ita Virginem adornatam praeparatamque exhiberi, ut ipsa sibi sua forma suaque specie divinum amorem conciliarit. Quod, praeeunte [a]) Theophane, Graecorum ecclesia his omnino verbis significat: « Iam caelos inclinans ad nos descende. Ecce tibi, o Verbum, *adornatus* est *thronus*, sinus Virginis, in quo uti rex pulcherrimus sedens a lapsu erige opus dexterae tuae. *Tua* Christus *venustate pellectus*, o undique immaculata, *in sinu tuo habitavit*, ut ex deformitate passionum genus hominum liberaret et dono originalis pulcritudinis locupletaret. » Et fieri sane nullatenus poterat quin ipsa in se divinam converteret caritatem, quum merito de ipsa Iosephus [b]) ce-

a) Men. die XXIV. Martii Ode θ'. pag. 104. col. 1. E. Κλίνας οὐρανοὺς τῶν πρὸς ἡμᾶς κατάβηθι· θρόνος ἤδη ἑτοιμάσθη σοι, λόγε, ἡ μήτρα τῆς παρθένου· ἐν ᾧ ὡς βασιλεὺς ὡραιότατος καθίσας ἐξεγεῖραι τοῦ πτώματος τῆς δύξιᾶς σου τὸ πλαστούργημα. Ἡράσθη τοῦ κάλλους σου Χριστὸς, πανάμωμε, καὶ τὴν μήτραν σου κατῴκησεν, ὅπως παθῶν ἐξ ἀμορφίας τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων λυτρώσηται, καὶ κάλλος τὸ ἀρχαῖον δωρήσηται.

b) Men. die XXX. Februarii Ode ς'. pag. 158. col. 1. B. Ὡς καλὴν, ὡς ὡραίαν ποθήσας σε ὁ καλλοπαοὺς Ἰησοῦς, πανάμωμε, ἐκ σοῦ σαρκὶ γεγέννηται καὶ θεοῖ με δι' οἴκτου ἀμίτρητον.

1) Quaenam vero est inprimis et κατ' ἐξοχήν *culpa nostrae corruptionis*? dubio procul originale peccatum, quo omnes corrupti vitiatique concipimur. Ab hac autem *culpa nostrae corruptionis* Virgo pronunciatur *integra* et immunis. Ad ipsam igitur originale peccatum non spectat.

Digitized by Google

cinerit : « Te, o penitus immaculata, *utpote pulcram venustamque concupiscens Iesus pulcritudinis auctor ex tua carne genitus est*, meque immensa pietate in consortium divinitatis adduxit. » Quumque merito tam idem Iosephus, quam Theophanes et nicomediensis Georgius uno ore tradiderint, selectam propterea ab Unigenito fuisse Virginem, quod ipsa non secus inventa fuerit, neque divinis oculis secus apparuerit, ac ut [a]) *lucidissimum palatium*, *divinum* [b]) *indumentum*, *purissimum* [c]) *tabernaculum*, et [d]) *locus* plane *sanctus*, quemadmodum his verbis effertur : « Te, o inviolata, sanctissimum Verbum *inveniens sanctum delubrum*, *in sinu tuo habitavit*, illosque qui te honorant sanctitate et illuminatione et peccatorum solutione donavit. »

1250. Ne vero haec communi vulgatoque sensu, sed exquisito ac plane singulari accipiantur, prorsus exigunt quae tum in Menaeis disertissime repetuntur, quum ad praerogativam divinae maternitatis idcirco sublimata Virgo perhibetur, quod *creaturas omnes* [e]) *superarit* : « Ut quae *universa creatura potior fueris*, o Virgo, *creatorem et Deum in sinu suscepisti et in mortalium redemptionem peperisti*. » Quod [f]) *prae angelis puritate excelluerit* : « Divinum tabernaculum verbi effecta es, o sola innocentissima Virgo mater, *quod angelos puritate superaris*. » Quod [g]) *omni omnino creatura sanctior exstiterit* : « Sanctus Dominus in sinu tuo habitavit, *quod*

a) Men. die XIV. Octobris Ode ζ'. pag. 89. col. 1. D. Φωτινότατον παλάτιον εὑράμενος θεὸς τὴν μήτραν σου, ταύτην κατῴκησεν.

b) Ibid. die XXIII. Ode ε'. pag. 136. col. 1. D-E. Σὲ θεῖον ἀληθῶς εὑρηκὼς ἐνδιαίτημα κατῴκησεν, ὦ παρθένε, τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ὁ λόγος προμηθούμενος.

c) Ibid. die XXVIII. Ode γ'. pag. 170. col. 1. A. Σὲ ἡ σοφία τοῦ θεοῦ καθαρώτατον σκήνωμα εὑραμένη, ἐκ τῶν σῶν ἁγίων αἱμάτων σεσάρκωται.

d) Paraclit. pag. 32. col. 2. A. Ἅγιόν σε τέμενος εὑρὼν ὁ ὑπεράγιος λόγος ἐσκήνωσεν, ἄχραντε, ἐν μήτρᾳ σου, ἁγιασμὸν καὶ φωτισμὸν καὶ λύτρωσιν τῶν ἁμαρτημάτων τοῖς σε τιμῶσι δωρούμενος.

e) Men. die XXVI. Aprilis Ode α'. pag. 114. col. 2. B-C. Ὡς οὖσα τῆς κτίσεως ἀνωτέρα πάσης τὸν κτίστην καὶ θεὸν ἐν μήτρᾳ συνέσχες, παρθένε, καὶ ἐλύτρωσας βροτοὺς εἰς ἀπολύτρωσιν.

f) Men. die XXIII. Martii Ode γ'. pag. 98. col. 1. B. Θεία γέγονας σκηνὴ τοῦ λόγου, μόνη πάναγνε παρθενομῆτορ, τῇ καθαρότητι ἀγγέλους ὑπεράρασα.

g) Men. die X. Septembris Ode ϛ'. pag. 74. col. 2. C. Ἅγιος ὁ σκηνώσας ἐν μήτρᾳ σου κύριος ἁγιωτέραν εὑρών σε καὶ καθαρωτέραν κτίσεως πάσης, θεομῆτορ κεκραγότα ἄχραντε ἀϊστωτα. Gemina habentur pagg. 128. col. 1. C., 130. col. 2. D. et 167. col. 1. C.

Digitized by Google

te, o Dei mater et Domina [1]) proprie inviolata, *omni creatura sanctiorem purioremque repererit.* » Quod *universis* [a]) *fuerit sacratior:* « Upote *creaturis plane omnibus sacratior, sola digna habita es quae Dei mater fieres.* » Et quod, uti Iohannes damascenus [b]) auctor est, *omnium fuerit pulcherrima:* « *Venustissimam mulierum te Deus elegit*, atque ex te, o innocens, secundum carnem is sibi placuit qui in sanctis suis conquiescit. » Sic vero prae omnibus puritate, sanctimonia et pulcritudine excelluit, *ut rosa* [c]) *in mediis spinis atque lilium in mediis sentibus* videretur: « Quum te Dominus creator noster cognoverit *uti puram convallium rosam, odoratumque lilium*, nunc pulcritudine tua, o innocens, illectus ex tuis vult etiam sanguinibus carnem sumere, ut benignitate qua pollet, erroris foetorem depellat. » Et [d]) rursum: « Quum te, o Domina Dei sponsa, caelestis sponsus tuus *invenerit rosam inter spinas et florem in convallibus odoratissimum et lilium penitus illibatum*, in te habitavit, mundumque universum odore perfudit. »

1251. Quare ex ipsa Dei Filius carnem suscepit, et cum ipsa naturae coniunctione sociatus est, *quod* [e]) *ipsa sola innocens fuerit et inviolata:* « Purum Verbum *te innocentem columbam et solam inviolatam invenit*, atque ex te, o sanctissima Dei mater, Virgo penitus immaculata, gigni voluit. » *Quod* [f]) *ipsa sola fuerit pulcra:* « Te, o innocentissima, aeternum Verbum a saeculo inve-

a) Men. die XXVI. Octobris Ode δ'. pag. 155. col. 2. E. Ὡς τῶν κτισμάτων ἁπάντων ἱερωτέρα, μήτηρ Θεοῦ γενέσθαι μόνη ἠξιώθης.

b) Men. die I. Novembris Ode γ'. pag. 5. col. 2. A. Ὡραιοτάτην ἐν γυναιξί σε θεὸς ἐξελέξατο, καὶ ἐκ σοῦ σωματικῶς, ἁγνὴ, τεχθῆναι εὐδόκησεν ὁ ἀναπαύμενος ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ.

c) Men. die XXIV. Martii Ode ν'. pag. 104. col. 1. C. Ὡς ῥόδον κοιλάδων καθαρὸν, ὡς κρίνον εὔοσμον κατανοήσας σε ὁ πλαστουργὸς ἡμῶν κύριος, ὃν ἠράσθη σου τοῦ κάλλους, ἁγνὴ, καὶ σαρκωθῆναι ἐκ τῶν σῶν αἱμάτων βούλεται, τὸ δυσῶδες ὅπως διώξῃ τῆς πλάνης χριστότητι.

d) Men. die X. Februarii Ode ν'. p. 69. col. 2. B. et Paraclit. p. 28. col. 2. A. Ῥόδον ἐν ἀκάνθαις εὑρηκώς σε, καὶ ἄνθος ἐν ταῖς κοιλάσι τὸ πανεύοσμον, κρίνον τε πανάσπιλον, δίσωτηρα θεόνυμφε, ὁ σὸς νυμφίος ἄνωθεν ἐν σοὶ ἐσκήνωσε, καὶ κόσμον εὐωδίασε πάντα.

e) Men. die XV. Octobris Ode ς'. pag. 93. col. 1. A. Ἀγνὴν σε περιστερὰν καὶ μόνην ἀμίαντον ὁ καθαρὸς εὗρε λόγος, καὶ ἐκ σοῦ τεχθῆναι εὐδόκησε, παναγία θεομῆτορ παρθένε πανάμωμε.

f) Pentecostar. pag. 252. col. 2. D. Ὡραίαν σε, πάναγνε, μόνην εὑράμενος ἐξ αἰῶ-

1) Digna est animadversione formula qua Virgo celebratur tamquam ἀκηράντους ἄχραντος, quae nimirum proprio veluti nomine *intemerata* dicitur.

Digitized by Google

nit *solam pulcram* et Iacobi pulcritudinem, atque in te inhabitans, hominum naturam per misericordiam reformavit.» *Quod ipsa* [a]) *electa fuerit et pulcra et immaculata:* « Te *solam electam et pulcram et immaculatam* [1]) *inveniens* superdivinum Verbum, o Deo gratissima, ex te carnem suscepit.» Et quod [b]) ipsa sola, *utpote immaculata,* sustinendae dignitati [2]) divinae maternitatis impar non fuerit: « *Ut innocens et immaculata et* virgo filium peperisti Deum immutabilem, qui nos a periculis liberavit.» Solemnis igitur et maiorum suffragatione rata doctrina proponitur, quum in Officio conceptae Virginis his Deus verbis exoratur: « Deus, qui *per immaculatam Virginis conceptionem dignum filio tuo habitaculum praeparasti*, eius nobis intercessione concede, ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus.»

1252. Cuius confirmatio veritatis ex iis quoque sumi non incommode potest, quae tum habet [3]) Petavius quum de caussis disserens propter quas *Christus tam sero ad homines liberandos venerit,*

νος λόγος ὁ προάναρχος, τὴν Ἰακὼβ καλλονὴν, καὶ ἐν σοὶ σκηνώσας, δι' ὑπερβολὴν ἀνέπλασε τὴν φύσιν τῶν ἀνθρώπων.

a) Men. die X. Septembris Ode ε'. pag. 74. col. 2. B. Σὲ μόνην ἐκλεκτὴν καὶ καλὴν καὶ ἀμόλυντον εὑράμενος ὁ ὑπέρθεος λόγος, ἐκ σοῦ σεσάρκωται, Θεοχαρίτωτε.

b) Paraclit. pag. 220. col. 2. B-C. Ὡς ἁγνὴ καὶ ἄμωμος καὶ παρθένος τέτοκας υἱὸν λυτρούμενον ἡμᾶς ἀπὸ πειρασμῶν, Θεὸν ἀναλλοίωτον.

1) Eadem iterantur die XXIV. Ianuarii Ode ν'. pag. 183. col. 2. E.

2) De incarnat. lib. II. cap. XVII. §. VI.

3) Cuius dignitatis vim rationemque praeclare exponit Thomas in I. dist. XLIV. q. I. a. III. inquiens: « Bonitas creaturae dupliciter considerari potest, aut quae est ipsius in se absolute, et sic qualibet creatura potest esse aliquid melius: aut per comparationem ad bonum increatum, et sic dignitas creaturae recipit quamdam infinitatem ex infinito cui comparatur, sicut humana natura in quantum est unita Deo, et beata Virgo in quantum est mater Dei.» Et mox: « Quanto nobiliori comparatione aliquid refertur in Deum, nobilius est; et sic humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem comparatur ad Deum, et post beata Virgo, de cuius utero caro divinitati unita assumpta est.» Quibus haec gemina sunt quae tradit in S. I. p. q. XXV. a. VI. ad 4: « Dicendum, quod humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo ex eo quod sit mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.» Quisquis vero haec probe tenuerit, facile etiam cum Thoma de Villanova in serm. III. de nativit. Deiparae fatebitur: « Antequam conciperet filium Dei, iam idonea erat ut esset mater Dei. Sed qualis est haec dignitas? Utique habet quamdam infinitatem esse matrem infiniti et omnipotentis. Propter quod sancti evangelistae de eius laudibus silent, quoniam ineffabilis est eius magnitudo, et satis fuit de ea dicere, *de qua natus est Iesus.*» Facile etiam cum Laurentio Iustiniani de casto connubio cap. VII. fatebitur: « Quotquot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Dei et hominum, homine Christo Iesu, et eius matre, sub hac peccati lege sunt conditi.» Facile etiam cum Marsilio vetere theologo in II. sent. q. XX. a. III. fatebitur: « Nusquam in sacra scriptura habetur, quod fuit Deipara sanctificata de peccato originali, sicut habetur de s. Ieremia et de s. Iohanne baptista. Et quare hoc scriptura non expressit de Virgine, sicut de minoribus ea? Certe videtur quod ex eo, ne matrem Domini

post alia scribit: « Apud Euthymium [a]) inter varias sententias de incarnatione Christi ex antiquis patribus decerptas una est, quae caussam aliam continet ob quam illo potissimum quo contigit tempore, facta est incarnatio. *Olim*, inquit, *ante mundi constitutionem praedestinata fuerat incarnatio Dei; verum usque ad sanctissimam Mariam nondum incarnatione digna inventa erat officina.* Quae simul atque est inventa, tunc demum incarnatus est. Quo etiam allusisse videtur [b]) Basilius [1]) in homilia de natali Christi, ubi rationes exquirens cur de Virgine viro desponsata natus sit Dominus, hanc inter alias exponit: *quoniam*, inquit, *incarnationi dominicae idoneum tempus advenerat olim praedestinatum et ordinatum, quo tempore Spiritum sanctum et Altissimi virtutem oportebat deiferam illam formare carnem. Quum autem integritati Mariae parem hominum aetas illa nullam haberet, quae operationem Spiritus exciperet, ac tunc eadem illa desponsatione esset occupata, electa est beata Virgo, cuius virginitas nullum ex ista desponsatione detrimentum accepit.* Quae verba [2]) Nicetas Serrarum episcopus in catenam suam transtulit in Matthaeum editam. » Denuo hoc ipsum alibi [3]) versat Petavius, et iis quae monuerat, addit « Cui consonat [4]) illud Augustini in sermone decimo de natali Christi. *Talis*, inquit, *eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quae tantum haberet meritum ut Dei filium in semetipsam susciperet, et post partum omnimodo quandoque sub peccato fuisse assereret, quod in crimen laesae maiestatis reginae caeli aliquo modo redundaret.* » Et facile cum Petro de Candia qui postea fuit Alexander V., in III. sent. fatebitur: « Certum esse, quod maternitas Dei, causalitas omnis gratiae, principatio divinae pacis, caritatis et amicitiae repellit aestimationem omnis peccati. Inaestimabile enim est, principium amicitiae esse filiam odii, principium caritatis et pacis esse filiam irae, matrem Dei esse servam peccati. »

a) Panopl. par. I. tit. VII. pag. 142. Πάλαι μὲν, πρὸ καταβολῆς κόσμου προωρίσθη ἡ τοῦ θεοῦ ἐνανθρώπησις· οὕπω δὲ μέχρι τῆς παναγίας Μαρίας ἄξιον εὑρέθη τῆς ἐνανθρωπήσεως ἐργαστήριον· ὅτε οὖν εὑρέθη, τότε ἐνηνθρώπησε.

b) Hom. XXV. de nativit. Dom. pag. 588. T. I. Ὅτι ἡ ἐπιτήδειος πρὸς τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου καιρὸς πάλαι προωρισμένος, καὶ προδιατεταγμένος ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, τότε ἐνεστήκει, καθ' ὃν ἔδει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ὑψίστου τὴν θεοφόρον ἐκείνην συστήσασθαι σάρκα· ἔπρεπε δὲ ὁμότιμον τῆς καθαρότητος Μαρίας οὐκ εἶχεν ἡ κατ' ἐκείνην γενεὰ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος ὑποδέξασθαι,, προκατείληπται δὲ διὰ τὴν μνηστείαν, ἐξελέγη ἡ μακαρία παρθένος, οὐδὲν τῆς παρθενίας ἐκ τῆς μνηστείας παραβλαβείσης.

1) Hanc homiliam quam Basilio tribuunt Combefisius et Dupinus, quam Tillemontius *dubiam* censuit, Basilio plane indignam existimavit Garnerius qui de illa disserit in praefat. ad T. II. §. V. nn. 16. seqq., illamque refert in appendice pagg. 595. seqq.

2) Cat. in Matth. pag. 20.

3) De incarnat. lib. XIV. cap. VIII. §. II.

4) Qui sermo a Maurinis inter dubios numeratur.

Digitized by Google

virgo permaneret. » Sed qui fieri potuit, ut tot labentibus seculis nulla praeter Virginem digna exstiterit, e qua sempiternus [1]) Dei filius gigneretur? Quascumque in partes animum vertas, non alia tibi idonea succurret caussa, nisi quam inde derivaris: plurimas quidem ante Virginem exstitisse mulieres eximiis naturae gratiaeque donis insignes, sed omnes *uti spinas* primum apparuisse, ac unius Virginis fuisse proprium *ut tamquam rosa liliumque* germinaret.

1253. Quare e re futurum arbitror egregiam subtexere Eadmeri disputationem, qua ipse [2]) demonstrandum adgreditur *non potuisse Deum ex alia Virgine hominem effici.* Sic autem [3]) vir acutissimi ingenii et in Anselmi schola enutriti rationes subducit: «Unde mihi videntur a vero alienari qui dicunt Deum potuisse salutem humanam procurare *vel per aliam Virginem*, vel per aliud [4]) quam per Virginem. Et illi quidem qui opinantur potuisse Deum incorporari in aliqua altera virgine respondeo compendio: imo non potuit, quia non voluit. Et e converso, non voluit quia non potuit. Quamvis enim omnipotens sit, multa sunt tamen quae dicitur non posse; sicut nec mentiri potest nec mori, quia non vult. Nam si vellet mentiri vel mori, non esset omnipotens; quia mentiri non est potentia sed est peccatum, idest boni impotentia; et mori est deficere a potentia. Et ideo de Deo dicitur, *omnia quaecumque voluit, fecit;* quia nihil voluit, nisi quod decuit. Eodem modo dico eum nec potuisse nec debuisse nasci ex alia virgine. Et propterea, ut dixi, non potuit, quia noluit. Noluit porro, quia ratio non fuit. Deum certe rationis auctorem contra rationem nihil velle, nihil facere,

1) Quaestionem prorsus geminam de tempore conceptae Virginis habet Georgius nicomediensis in praesentat. Deiparae pagg. 1074-1075. apud Combefisium Auctar. T. I., ubi initio sit: *ἐυαγγελίζεται παρὰ τοῦ κτίσαντος ἐλευθερίαν, καὶ τὸ πρᾶγμα ἤμελλε, καὶ ὁ χρόνος τοὺς ἐπιτηδείους ἀνεφύετο. Libertatem promiserat* (homini captivo) *creator, eratque res futura, ac tempus eos quaerebat qui idonei forent.* Tum pergit: *παρέτρεχον αἱ γενεαὶ, αἱ προφητεῖαι συνεχεῖς κατεβάλλοντο, ἐν ἐλπίσιν ἦν τὰ τῶν πατριαρχῶν καὶ πάντων δικαίων. Praeteribant aetates, inges prophetiae subiiciebantur, in spe erant patriarcharum omnium et iustorum res positae.* Ex quorum numero clarissimis commemoratis, subdit: *πάντες τῶν ἐλπισθέντων ἀποτυχόντες ἀπέρχονται, ἐπιλείπει ὁ χρόνος σὺν τοῖς ἀξίοις ἀπολίμπανον. Ceterum omnes spe frustrati abierunt, quod cum iis qui digni erant, tempus deficeret.* Ac denique infert: *εὗρε δὴ τοὺς οἰκείους ἐν τῶν αὐτῶν ἐρριμένους, καὶ πρὸς τοῦτο τῇ κτίσει συγγενεῖς· Ἰωακεὶμ φημι καὶ Ἄννην τοὺς τὴν αἰτίαν τοῦτο τέλους τῶν μυνθέντων ἀποτελέσοντας. Porro invenit sibi congruos iisdem prognatos maioribus, atque eum in finem a rerum auctore paratos, Ioachimum et Annam, parentes eius quae explendarum promissionum causa foret.*

2) De quatuor virtutt. beatae Virginis cap. VII. pag. 144. col. 2. B. inter opp. Anselmi.

3) Ibid. pag. 144. col. 2. B-E.

4) Idem legimus in antiquissimo sacramentario veronensi apud Assemanum in cod. liturg. eccles. univ. T. IV. P. III. pag. 172. ubi pro festo natalis Domini haec habentur: « Vere dignum. In die solemnitatis hodiernae, quo licet ineffabile, tamen utrumque conveniens editur sacramentum: quia et mater virgo non posset nisi soboiem proferre divinam, et Deus homo nasci dignatus, *congruentius non deberet nisi virgine matre generari.* »

Digitized by Google

nihil etiam posse, in promptu est. Quis vero non videat Deum a ratione resiluisse, *si quum omnes omnino feminas infra sanctitatem beatae Mariae cerneret*, alia qualibet in matrem electa, ipsam sperneret? *Ipsam autem omnes mulieres sanctitate praecelluisse*, puto quod intelligit qui superiora animadvertit. *Nam aliae quidem partes gratiarum meruere, ipsa autem plena gratia ab angelo salutatur.*» Quae quum ita sint, ut dispersa in summam colligam, atque ex disiectis dissipatisque veluti membris unum atque cohaerens corpus efficiam; ita disserendum autumo. De primordiis atque originibus sacratissimae Virginis non aliter iudicium ferri potest ac debet, *quam spectato utroque ordine sempiternae praedestinationis et temporariae exequutionis, qui proprie ad illam refertur.* Atqui uterque ordo tam sempiternae praedestinationis quam temporariae exequutionis *ex maiorum doctrina rataque sententia comparatus sic fuit*, ut Virgo ab originali labe immunis penitusque soluta *primum* exstiterit. Comparatus sic fuit ordo sempiternae praedestinationis, siquidem ea Deus beneficia Virgini *praeparavit*, quibus ipsa n communi reliquorum hominum secreta numero et ab omni praevaricatione subducta, talis *primum* exsisteret, qualis ea esse oportebat quae ad alterum secundum Deum dignitatis locum sublimata, vere ac proprie Θεοτόκος videretur. Et comparatus sic fuit ordo temporariae exequutionis, cuius singuli veluti gradus *fatidicae* [1]*praenunciationis,*

1) His aliisque de Virgine commemoratis, ita subdit Georgius nicomediensis in oratione de praesentata in templo Virgine pagg. 1108-1109. apud Combefisium Auctar. T. I. Σὺ δὲ τὴν ξένην ἐν τῷ ναῷ διαιτωμένην τῆς παρθένου ἀκοὴν, μὴ περὶ τούτου ἀμφιβάλλε· μὴ τῷ λογισμῷ τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν ἐξέταζε. μὴ συγκρίσει τὰ ἀσύγκριτα καθυποβάλλε· ὁρᾷς τὴν ξένην καινοτομίαν τῆς φύσεως, καὶ περὶ τούτων ἀμφιβάλλεις; ὁρᾷς αὐτὸν τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον ἀπορρήτως ἐν τῇ ταύτης σκηνώσαντα νηδύϊ, καὶ περὶ αὐλοῦ, καὶ ἑτέρας ἐχούσης τροφῆς διαφόρου; ὁρᾷς τῇ πατρῴᾳ βουλῇ τὴν τοῦ πνεύματος ἐν αὐτῇ ἐπισκίασιν, καὶ περὶ λειτουργίας ἀγγέλων ἐπαπορεῖς; οὐδὲν τῶν τῆς παναγοῦς ἀμφίβολον· οὐδὲν ἀνατάλληλον τῶν ταύτην μεγαλείων· πάντα τῇ ἀληθείᾳ τὸ βέβαιον εἴληφεν· ἴδοι γὰρ τὸ θεῖον σκήνωμα τοιαύταις ἀναβάσεσιν αὐξηθῆναι· ἴδοι τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα τοιαύτῃ παιδεύσει εὐμεχεθῆναι· τοιούτων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι· ἴδοι μὴ εἷς τὰ τῶν ἁγίων ἅγια τῆς σκηνῆς, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ τὰ τῆς πρώτης ἡλικίας ἀνατραφῆναι, τὴν πλατυτέραν τούτων ὀφθεῖσαν, καὶ καθαρότητι διενέγκουσαν· ἴδοι μὴ ὑφ' ἑνὸς μόνου ἀγγέλου ταύτην ὑπηρετεῖσθαι, ἀλλ' ὑπὸ μυρίων μυριάδων κύκλῳ δορυφορεῖσθαι. *Tu autem admirabilem novamque vitae rationem Virginis in templo audiens, noli de ea dubitare: noli ratione examinare ea quae rationem vincunt: noli ea comparationi subicere quae sunt comparatione maiora. Vides inauditam naturae innovationem, et de his ambigis? Vides ipsum Dei Verbum ineffabili ratione in eius utero habitans, et de immateriali atque insolito cibo contendis? Vides ipsam consilio paterno a Spiritu obumbratam, et de angelorum ministerio adhuc tergiversaris? Nihil eorum quae ad innocentissimam illam pertinent, anceps est: nihil eius magnalia habent incongrui, sed omnia certa veritate constant. Oportebat enim divinum tabernaculum talibus augeri ascensionibus; oportebat agnam immaculatam tam lauto refici epulo atque eiusmodi cibis expleri; oportebat nedum in sanctis sanctorum legalis tabernaculi, sed et in ipsis caelis caelorum prima aetate illam educari, ut quae iisdem visa esset latior, ac maioris prae iis puritate niteret; oportebat ut nedum unus ei angelus ministraret, sed et decies decem millia suo satellitio adessent.* Quibus hoc continetur verissimum doctrinae caput, *quidquid insuetati, splendidi et magnifici de Virgine affirmetur, multo iis esse inferius quae indubitata fide de eadem creduntur.*

Digitized by Google

creatae atque infusae in corpus animae, singularisque tutelae benignitatis impensae eo pertinuerunt, ut hinc praedestinationis ordo perfectissime expleretur, inde vero non secus Virgo appareret ac ut *unius Dei opus, uni Deo sacrum, impervium humanae corruptelae, satanae dolis inaccessum et omnino dignum quod Deum in suimet-ipsius amorem raperet, et e quo Deus citra quamvis ignominiae umbram sibi corpus assumeret.* Immaculatus ergo Virginis conceptus cum iis penitissime sociatus est, quae de utroque ordine praedestinationis et exsequutionis proprio unius Virginis maiorum fides credidit et litteris eruditio consignavit.

CAPUT II.

Rata christiani nominis fides de Virgine beatissima, quae ab omni actualis culpae naevo libera semper fuerit ac soluta: alterum eodem pertinens doctrinae caput, spectari Virginem non secus oportere ac ut longissime seiunctam atque divisam tum a peccatoribus generatim, tum nominatim a protoparentibus per quos culpa in mundum ingressa universam posteritatem originali corruptione vitiavit. Quam perspicue cum his praerogativa cohaereat immaculati conceptus, qua una prae omnibus Virgo Deique mater honestata celebratur.

1254. Duo potissimum sunt quae [1]) ad evidentiam usque persuadent, Christum hominem nullo umquam fuisse peccato infectum, immo neque ulla eiusdem labe infici potuisse. Quamquam enim ipse [2]) ex patribus exstiterit secundum carnem, unus tamen idemque erat super omnia Deus benedictus in secula: et quamquam in sinu Virginis conceptus [3]) fuerit atque ex eius sinu in lucem editus, id tamen [4]) neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri factum est, sed [5]) ex superveniente in Virginem Spiritu-sancto atque ex Altissimi virtute sic illam obumbrante, ut quod ex ea conceptum atque natum [6]) ex ea est, id ex Spiritu-sancto esset. Priorem caussam eamdemque nobilissimam complectitur Augustinus [7]) inquiens: «Ut autem mediator Dei et hominum homo Christus Iesus non faceret

1) Cf. Petavium de incarnat. lib. XI. capp. X-XI.
2) Rom. IX. 5.
3) Luc. I. 31.
4) Ioh. I. 13.
5) Luc. I. 35.
6) Matth. I. 20.
7) In lib. con. serm. arian. cap. VII. Eadem habet de corrept. et grat. cap. XI. et in enchirid. ad Laurent. cap. XXXVI.

Digitized by Google

propriam quae Deo adversa est voluntatem, non erat tantum homo sed Deus et homo, per quam mirabilem singularemque gratiam humana in illo sine peccato ullo posset esset natura. Propter hoc ergo [1]) ait, *descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui me misit:* ut ea caussa esset tantae obedientiae, quae omnino sine ullo peccato esset, hominis quem gerebat, quia de caelo descenderat, hoc est non tantum homo, verum etiam Deus erat.» Alteram vero tum exponit quum [2]) ait: « Profecto modus iste quo natus est Christus de Spiritu-sancto, non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei; ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quae nullum peccatum possit admittere. »

1355. Hoc autem christianae fidei caput quo profitemur Christum Dominum non solum qua Deus est, sed etiam uti homo est nihil nec admisisse peccati nec admittere potuisse, adeoque vere fuisse ἀναμάρτητον *impeccabilem;* iis dicendi formulis exponit Paulus quae quum in rem praesentem accommodatissimae sint, praeteriri » nobis silentio non debent. Sane de Christo loquens, eique uni prae araonicis sacerdotibus dignitatem sanctitatemque vindicans, qua fulgere is debuit qui hominum genus peccato obligatum in libertatem assereret et cum Deo conciliaret, sic [3]) habet: « Talis enim decebat ut nobis *(hominibus)* esset pontifex, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus* [a]) *a peccatoribus* et excelsior caelis fa-

a) Hebr. VII. 26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος.

1) Ioh. VI. 38.

2) Enchirid. cap. XL. Et de praedestinat. sanctorum cap. XV. « Nonne de Spiritu-sancto et virgine Maria Dei filius unicus natus est, non carnis cupidine sed singulari Dei munere? Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat quanto magis peccato servire non poterat?» Hinc vetustus auctor operis *de vita contemplativa* lib. III. cap. XXXI. stoicos redarguens qui nullas in sapientem cadere affectiones existimabant, scribit: « Quod esse vanissimum Dominus noster secundum carnem natus ostendit, qui et tristis fuit et flevit. Nec tamen ea tristitia qua tristis fuit, ei ex peccatis suis accessit, qui sine peccato conceptus et natus non solum non peccavit, sed etiam peccare non potuit.»

3) Satis inepte obiiceretur, Christum Dominum Matth. IX. 10-13. inter peccatores esse versatum. Inter illos namque degit non culpae consortio, sed tamquam medicus ut culpae vulnus sanaret. Quare Augustinus postquam libro altero de peccatorum meritis et remissione cap. XIII. de Christo monuit, *in cuius non tantum divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuit esse peccatum;* in sequenti capite XIV. hoc ipsum relato Apostoli testimonio confirmat.

Digitized by Google

ctus» divinaeque [1]) omnino naturae. Quibus haec [a]) adiungi debent: «Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus [2]) nostris, tentatum autem per omnia *pro similitudine* [3]) *absque* [4]) *peccato*.» Atque [b]) haec item: «Unde debuit *per omnia* fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex [5]) ad Deum, ut [6]) repropitiaret delicta populi.» Itaque ad statuendam Christi (*ἀναμαρτησίαν impeccantiam* vocant) Christumque ipsum ostendendum *ἀναμάρτητον* (*impeccabilem* dicunt), abunde Paulo fuit initio quidem illum praedicare *sanctum, innocentem, impollutum*, deinde vero discrimine facto inter *physicum ethicumque* consortium, docere ita Christum *natura nobiscum* coniungi atque nobis *physice κατὰ πάντα similari*, ut idem vicissim a nobis peccato obstrictis sit seiunctissimus *(segregatus a peccatoribus)*, nullaque nobiscum peccati societate *(absque peccato)* cohaereat. Praeclare Basilius seleuciensis, qui eorum profligato delirio qui Unigeniti incarnationem inter absurda numerabant, quod [c]) humanum corpus ex sese malum atque a Deo alienum arbitrarentur, continuo [d]) subdit: » Quapropter omnium conditor atque Dominus ex Virgine et Deipara natus in huma-

a) Hebr. IV. 51. *Οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας.*

b) Hebr. II. 17. *Ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεὸν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ.*

c) Orat. in Deiparam pag. 583. D-E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Ἀλλ' οὐδὲ αἰσχρόν τι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, παρὰ φρονίμοις τῆς ἀληθείας κριταῖς· ὅλον γὰρ τὸ σῶμα ἡμῶν ὀργάνου τάξιν ἔχον, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ τι πράττειν ἐπίσταται, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις ὑπουργεῖ θελήμασι· δι' αὐτοῦ γὰρ ἡ ψυχὴ καθάπέρ τις μουσικὸς ἢ τοὺς τῆς ἀρετῆς ἀνακρούεται φθόγγους, ἢ τοὺς τῆς κακίας ἀπεργάζεται ψόφους· μηδεὶς οὖν αἰσχρὸν οἴεσθω τὸ σῶμα τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὡς ἀλλότριον τοῦ θεοῦ διαβαλλέτω· οὐ γὰρ πλάσις καταισχύνει, ἀλλὰ πράξις κατακρίνει.*

d) Ibid. pag. 585. A-B. *Διόπερ ὁ πάντων ποιητὴς καὶ δεσπότης ἐκ παρθένου καὶ θεοτόκου τέχθεις, τῆς μὲν φύσεως τῶν ἀνθρώπων ἐκοινώνησε· σάρκα γὰρ ἐμψυχωμένην ἀληθῶς ἐφόρεσε, τῆς δὲ πράξεως τῶν ἀνόμων οὐ μετέλαβεν· ἁμαρτίαν γάρ, φησιν, οὐκ ἐποίησε, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ.*

1) Quae divina Christi natura exprimitur Hebr. I. 3. et IV. 14.

2) Opportuna locorum collatio Luc. V. 15., Rom. V. 6, VIII. 26., I. Cor. I. 27., II. 3. ostendit, *τῆς ἀσθενείας* nomine quodvis afflictionum miseriarumque genus comprehendi.

3) Quod dicitur *κατ' ὁμοιότητα pro similitudine*, intelligitur *ἡμῶν nostri*, et plane respondet hebraico כדמותנו.

4) Arcetur a Christo id genus *τῆς ἀσθενείας infirmitatis*, quae alibi vocatur *ἁμαρτία peccatum*; ac propterea toties audit *ἅγιος, δίκαιος, sanctus, iustus* Luc. I. 35., IV. 34., Act. III. 14., Hebr. VII. 26.

5) Ubi *τὰ πρὸς τὸν θεὸν* idem valet ac *κατὰ πράγματα τὰ πρὸς τὸν θεόν*.

6) Frequentius dicitur *ἱλάσκεσθαι θεὸν περὶ ἁμαρτιῶν*.

Digitized by Google

nae quidem naturae communionem venit, vere namque animatam gestavit carnem; nullatenus vero iniquorum actionis particeps fuit, *peccatum* [1]) *enim non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* » Iamvero beatissimam Virginem et Christi matrem unanimi christianorum voce celebrari *sanctam, innocentem, impollutam*, ea testimoniorum copia [2]) effecimus qua neque ditior neque evidentior merito desideretur: eamdem vero constantissime exhiberi *tum a peccato tum a peccatoribus segregatam, et nobiscum communione naturae non autem consortio culpae cohaerentem*, illud est quod nunc [3]) *plenius* confirmandum adgredimur. Quod si uti par est effecerimus, consequens profecto erit, Virginem credendam esse ἀναμάρτητον, eidemque utpote θεοτόκῳ benignitate singularis gratiae tributum, quod Christus utpote ἀνθρώπος dignitate personae divinae supernoque conceptu sibi naturaliter [4]) vindicat.

ARTICULUS I.

Ecclesiae fides de Virgine nullo umquam actuali peccato infecta: multiplex ratio ex maiorum traditione derivata qua cum hac fide conserta intime ostenditur persuasio de immaculato eiusdem conceptu: alia quae huc faciunt veterum testimonia, atque ducta ex iis propositae veritatis confirmatio.

1256. Quum in id tridentini patres summa contentione incumberent, ut apostolicam de iustificatione fidem innumeris propemodum errorum monstris astu novatorum depravatam tuerentur; ceteris a se eum in finem editis canonibus hunc quoque [5]) adiiciendum esse existimarunt: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere fuisse iustificatum; aut

1) Is. LIII. 9.

2) Sup. nn. 65. seqq.

3) Neque enim pauca sunt in medium iam prolata, quae hoc idem evincunt.

4) Etenim *naturaliter* a peccato et a malitia alienus perhibetur Christus tum a Maximo aquileiensi in lateranensi synodo sub Martino Pontifice, tum ab Hippolyto martyre qui in coll. Anastasii excerpt. VIII. pag. 232. sic habet: Γέγονεν ἄνθρωπος φύσει καινῆς ἀλλοίωσις, ὁ λόγος θεὸς ὁ αὐτός. Huc autem faciunt quae habet Thomas in III. dist. III. q. I. a. I. ad 3: «Dicendum, quod haec puritas soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur; unde non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo mater eius habere debuit.» Ferme diceret, sicuti duplex est servitus peccati, altera *remota* et *debiti*, altera vero *proxima* et *actus*; ita duplex secerni puritas debet, altera quae fastigium occupans, neutram servitutem patitur, et altera quae hanc pone excipiens, servitutem quidem reiicit proximam et actus, non autem remotam atque debiti. Illa unius Christi ex Virgine concepti *propria* fuit, haec ipsimet Virgini tribuenda est.

5) Sess. VI. can. XXIII.

Digitized by Google

contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia;* anathema sit. » Cuius auctoritate canonis commotus, uti decebat, Petavius [1]) scripsit: « Omnino igitur amplectenda et certa fide tenenda catholicae totius ecclesiae rata consensu de *ἀναμαρτησία* beatae Virginis [2]) sententia. » Quam sententiam, ne penitus siluisse videar, perspicue efferunt Hildephonsus toletanus et Bernardus, e quibus ille [3]) cum arca antiqui foederis Virginem comparans ait: « Supra quam *(arcam)* propitiatorium et Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur, *quia Mariae nullum intrinsecus obrepsit peccati* [4]) *contagium*, sed intus omnis custodia legis et manna fuit. » Posterior autem ad evangelium [5]) respiciens quod in festo assumptae Virginis recitari consueverat [6]), petit: « Sed forte curiosius quisqam requirat, cur in praesenti evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. » Tum continuo [7]) respondet: « Arbitror sane ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue poenitentiam quae malum utique comitatur. *Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur.* » Et alibi [8]) uberius: « Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, *fas certe non est* suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit *procul dubio* et mater Domini ante sancta quam nata: nec fallitur omnino sancta ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, *sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.* Quod nemini alteri in natis quidem mulierum credimus esse donatum. *Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis* [9]) *absque omni peccato ducere vitam*, quae dum peccati

1) De incarnat. lib. XIV. cap. I. §. XIII.

2) Quam egregie adversus haereticos propugnarunt Petrus Canisius de Maria Deipara lib. I. cap. X. et Raynaudus in dyptichis marian. punct. IX.

3) Serm. de Virginis assumpt. pag. 150. in max. pp. biblioth. T. IX.

4) Quorum verborum tanta est amplitudo, ut ipsum quoque originale contagium excludere videatur.

5) Est autem illud quod habetur Luc. X. 38. sqq.

6) Serm. II. in Deipare assumpt. num. 8. pag. 1006. opp. T. III.

7) Ibidem.

8) Epist. CLXXIV. ad Canonicos lugdunenses n. 5. pag. 170. E-F. opp. T. I.

9) Quae sane ratio paullo inspecta penitius non minori evidentia immunitatem ab originali praevaricatione demonstrat.

mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. » Hinc beatus Thomas ubi de sanctificatione disserit Virginis propria, adducta in medium [1]) quaestione, *utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consequuta ut numquam peccaret;* ex recepta penes omnes fide vulgataque doctrina scribit: « Respondeo dicendum quod illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II. ad Cor. III. 6. *idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit Luc. I. 30.

1) S. III. p. q. XXVII. a. IV. Quibus e re fore puto commentarii instar subiungere quae habet Ambrosius Catharinus in disput. pro immac. concept. divae Virginis lib. III. pagg. 79-80: « Adstruit et hanc fidem satis illud quod iam persuasum est ecclesiae, quod beata Virgo praeservata fuit ab omni actuali peccato etiam minimo veniali. Etenim praeter quam quod observatum fuit ex antiquorum doctrina, quod qui sub originali constitutus fuit, etiam sub actuali inveniretur; illud maximopere urget, quod omnis ratio quare ab ipso actuali praeservata est beata Virgo iuxta doctrinam beati Thomae, aeque militat in originali. Sanctus enim ipse doctor ut concludat eam prorsus immunem ab omni actuali, sic arguit: quoniam alioqui non fuisset idonea mater Christi, si cui peccato succubuisset. Id autem *quatuor* rationibus evincit: *prima* est quia sicut gloria filiorum est gloria parentum, ita e converso ignominia parentum redundat in prolem, ac per hoc inferretur ignominia Iesu Christo, si mater peccatrix assereretur. At certe haec ratio non minus de peccato originali concludit; immo tanto de eo magis, quanto etiam ignominiosius hoc est quam actuale veniale tantum. Nam per illud abominabiles sumus omnes coram Deo et sub ira eius et in satanae potestate, quod certe veniale non facit quum non auferat gratiam, et posset esse ita leve ac minutulum ut vix quidquam ad expiandum requiratur. *Secunda* ratio est singularis affinitas quam habuit cum Christo, qui de ea carnem accepit; dicitur autem II. ad Cor. VI. *quae conventio Christi ad Belial?* Haec Thomas, quae certe ex spiritu Dei loquutus est, ut per eius etiam doctrinam concludatur haec veritas. Nam quod, quaeso, peccatum facit convenire magis cum Belial sive diabolo, originale an veniale? Certe absque controversia originale, cuius gratia exorcismis et exsufflationibus utitur ecclesia ante baptismum. Veniale autem nequoquam iungit nos diabolo. Igitur magis ab originali erat praeservanda, quoniam et id rationabiliter ipsa maluisset. *Tertia* ratio est ex ipsa sacra Scriptura quae testatur Sap. I. *in malevolam animam non intrabit sapientia, nec in corpore subdito peccatis.* Sed quid est quod animam reddit malevolam, et corpus delictis subditum? Originale an veniale? Cui dubium quod originale? Quod propheta deplorans querebatur Ps. L. *ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis peperit me mater mea. Quarta* ratio est, eo quod impleri oportuit quod scriptum erat Cant. IV. *tota pulcra es, et macula non est in te.* Non autem (inquit ipse) impleretur, si peccasset sive mortaliter sive venialiter. Tu vero adde quod nec etiam impleretur, si saltem originaliter peccasset. Quis enim dixerit impletam Scripturam absolute negantem maculam, si tamen aliqua ponatur macula? Et tamen beatus Thomas vult, et hoc recte, eam Scripturam impleri. Ad haec nota quod ibi adiicitur, et a Caietano adoptatur: videlicet et quod illae beati Thomae rationes optimae sunt, et quod sensus ecclesiae est gravis auctoritatis. Ecclesia enim illum locum, *tota pulcra es*, specialiter aptat ad Virginem. Tu ergo adde modo, quod et specialiter aptat Ecclesia in solemnitate conceptionis, quando illam celebrat ab omni labe immunem. Hanc enim scripturam, *tota pulcra es et macula non est in te*, pro hoc privilegio iam palam celebrans ipsum, manifeste usurpat. Quis autem, quaeso, tam insanae mentis si sciret utriusque peccati pondus, videlicet originalis ac venialis, et rogaretur utri mallet obnoxius esse, si necessarium fuerit alterutri succumbere, qui non absque ulla deliberatione et consilio in re tam clara continuo eligeret sub veniali teneri potius quam sub originali? Et profecto hoc Maria a Domino maluisset non solum in sui gratiam, verum etiam propter ipsum Dominum. Non ergo fas est ullo modo putare in ista gratia habuisse repulsam, aut potius non praeventam antequam ipsa petere posset, poscente nimirum Spiritu-sancto pro illa, immo Filio suo longe ante id procurante pro illa. Non me fugit, quod magis proprie voluntarium sit veniale peccatum quam originale respectu nostri; at non propterea magis abominandum, immo tanto minus quanto propter originale magis elongamur a Domino, quam ob veniale. »

Digitized by Google

invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. XXVI. 6. *gloria filiorum, patres eorum:* unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset; tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem II. ad Cor. VI. 15. *quae conventio Christi ad Belial?* Tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. I. 4. *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est quod beata Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. IV. 7. *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* »

1257. Verum quid haec inter et immaculatum Virginis conceptum commune est? Aut quo tandem vinculo cum omnimoda actuali innocentia originalis mundities et conceptionis puritas sociatur? Non ego promam quae subtiliter in theologorum scholis disputata [1]) novi, neque coniecturis licet splendidis indulgebo; sed iis memet circumscribam quae maiores tradiderunt, atque ex illorum doctrina colligam quid statui iudicarique debeat. Itaque eae continuo mente recolantur patrum sententiae, quibus traditio continetur de Virgine nullo umquam actuali peccato obstricta, atque omnium primus audiatur Ambrosius qui enarrans [2]) verba, *quaere servum tuum, quo-*

1) De quibus consuli possunt Eusebius Nierembergius in op. inscripto, *exceptiones concilii tridentini* capp. I-II. et Gregorius de Valentia opp. T. IV. disput. II. quaest. I.

2) Serm. XXII. in Ps. CXVIII. n. 20. pag. 1264. E-F. opp. T. I. Mazochius in comm. ad marmor. kalend. neapolit. T. III. pag. 990. recitatis Ambrosii verbis ex n. 10: *quaere ovem tuam iam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria;* illico pergit: « Necesse est hic paullisper resistere. Notant Benedictini in edit. paris. exhiberi, *non in carne, quae in Adam lapsa est*, verum illam negationem ab omnibus aliis editt. cunctisque mss. respui, ac merito. Nam hoc vult doctor eximius, Christi carnem eiusdem naturae fuisse atque Adami, a quo per generationis successionem propagata fuit; etsi ἐμφυὲς (*proxime*) Christi caro nec ab Eva nec a Sarra prodierit, sed ab incorrupta virgine Maria, cuius deinceps singularem et sine exemplo integritatem ostendit. Ergo Ambrosii verba particulis interpositis iuvare in hunc modum licebit. *Suscipe me in carne* (quidem) *quae in Adam lapsa est*, (sed tamen) *suscipe me* (in carne quae ἐμφυὲς prodit) *non ex Sarra sed ex Maria.* Ac statim sequitur: *ut* (eadem scilicet Maria) *incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam* (hoc est, non tam corpore quam etiam mente virgo per gratiam) *ab omni integra labe peccati.* Ultimum quidem comma sic omnes exhibent, ut nonnisi post *per gratiam* notam distinctionis usurpent, sed equidem distingui etiam recte posse post *virgo* puto. *Sed*, inquit, *virgo per gratiam* (praecarentem) *ab omni integra labe peccati.* Vides, opinor, quid Ambrosius senserit, cui cum tota praecedens oratio de peccato originis, quod Saram et omnes iustos infecerat, decurrerit, omnino dum Mariam *ab omni labe* fatetur *integram*, ab eadem originis labe eam praeservatam contendit: praeservatam, inquam, non liberatam: alioqui nec *integra a labe* fuisset, sed post labem mundata; nec

Digitized by Google

niam mandata tua non sum oblitus, initio scribit: « Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta novem oves tuas, quia in montibus constitutas lupi rapaces incursare non possunt. In paradiso semel nocuit serpens, amisit ibi escam, postquam Adam inde depulsus est: illic iam nocere non poterit. Ad me veni, quem luporum gravium vexat incursus. Ad me veni, quem eiectum de paradiso [1]) serpentis diri ulceris venena pertentant; quia erravi a gregibus tuis illis superioribus: nam et me ibidem collocaveras, sed ab ovilibus tuis lupus nocturnus avertit. Quaere me, quia ego te requiro. Quaere me, inveni me, suscipe me, porta me. Potes invenire quem tu requiris, dignaris [2]) suscipere quem inveneris, imponere humeris quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio, non tibi oneri est vectura iustitiae. Veni ergo, Domine, quia etsi erravi, tamen *mandata tua non sum oblitus:* spem medicinae reservo. Veni, Domine, quia et ovem erraticam solus es revocare qui possis, et quos reliqueris, non maestificabis; at ipsi enim peccatoris reditu gratulabuntur. Veni ut facias salutem in terris, in caelo gaudium.» Tum [3]) pergit: «Veni ergo et quaere ovem tuam iam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me [4]) in carne, quae in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarra, *sed ex Maria, ut* [5]) *incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* »

virgo a peccato, (hoc enim sensu, ut simul dicam, Mariam fuisse virginem contendit, dum ait, *virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*) cui semel servilsset, *terra virgo* antiquis dicebatur, quae intacta prorsus aratro aut rastro esset, quae etiam *integra* vocari solebat. »

1) Al. *serpentini diu ulceris*, vel *serpentis diu ulceris.*

2) Al. *dignare.*

3) L. c. n. 30. pag. 1255. A-B.

4) Paris. edit. *non in carne, quae in Adam lapsa est.* «Sed notant Maurini, aliae omnes et cuncti mss. respuunt negationem. Et optime id quidem; neque aliud heic significatur nisi quod Christi caro eiusdem naturae fuerit atque Adae caro, unde per generationis successionem propagata est, licet eiusdem peccato nequaquam maculata.» Simili plane sententia utitur Ambrosius sermone VI. in eumdem psalmum n. 31. pag. 1039. B-C. inquiens: «Venit Dominus Iesus, *et in carne peccato obnoxia* militiam virtutis exercuit.»

5) Censet Gabriel Vasquius in III. p. disput. CXVII. cap. III. particulae *ut* vim subesse finalis caussae, proindeque verba, *ut incorrupta sit Virgo*, pertinere ad carnem Christi, germanamque totius sententiae potestatem huc redire: suscipe me ex Maria intacta et virgine, cuiusmodi Sara non fuit, *ita ut* caro quam ex ea sumpseris et in qua me susceperis, sit *virgo incorrupta et ab omni integra labe peccati.* Qua sane enarratione nihil a veritate remotius. Etenim phrasibus *virginis incorruptae* et *virginis per gratiam integrae ab omni labe peccati*, non significari carnem Christi sed Deiparam efferri, ostenditur I. ecclesiastico loquendi usu, qui non sinit ut eiusmodi formulis caro Christi expressa videatur: ostenditur II. grammaticae legibus, quae flagitant ut appellatio *virginis* referatur non ad subiectum *remotius* et *oblique* dumtaxat indicatum, sed ad subiectum *propinquum* et *recta* adhibitum: ostenditur III. consinnitate sermonis, quae exigit ne unum idemque paucissimis verbis semel iterumque voce *carnis in Adamo non lapsae*, et periphrasi *virginis incorruptae*, repetitum existimetur: ostenditur IV. canone theologico, ad cuius amussim non satis videtur exactum, carnem Christi humanamque eius naturam esse *virginem per gratiam ab omni integram labe peccati:* et V. inde ostenditur, quod iis omnibus quibus *relatio* ad Christi carnem reiicitur, *relatio* vicissim ad Deiparam comprobetur. Quae quidem relatio VI. longe etiam apparebit evidentior, si memoria reputetur particulam *ut* sumi posse aut *virtute causali*, et non secus ac Graecorum ὅτι reddi, *quando, quippe:* aut *virtute conditionali* qua significetur *ita ut, eo modo ut.*

Digitized by Google

1158. Quibus nemine diffitente omnimoda Virginis immunitas ab actuali quovis peccato luculentissime significatur. At quibusnam verbis? Hisce nimirum, *ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Haec autem verba neque particularia sunt neque circumscripta, sed universalia et infinita *(ab omni integra labe peccati)*, ideoque non hanc potius quam illam peccati speciem excludunt. Quare Ambrosii verba hunc suapte sponte sensum fundunt: *Virginem ab omni eo fuisse integram, quod corruptio est, peccatum est et peccati labem comprehendit.* Atqui originale vitium corruptio est, et peccatum est quod singulis proprium inhaeret, quod intime polluit, quodque sua labe animum inficit, totumque hominem in deterius commutat. Eiusmodi igitur verbis solutam ab actuali quovis peccato Virginem declarat Ambrosius, quibus sua constare veritas nequit, quin de exclusa quoque originali labe intelligantur. Atque heic iuverit mentem quoque *ad caussam* advertere, quae, Ambrosio auctore, Virginem reddidit ab omni integram labe peccati. Haec autem effertur verbis *per gratiam, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Verum quaenam fuit gratia Virginis? Aut quid de gratia Virginis christiana antiquitas, ipso etiam suffragante Ambrosio, concors existimavit? Scilicet gratia Virginis fuit *plena*, et *hanc plenitudinem* maiores nostri summis semper studiis [1]) celebrarunt. Iamvero quemadmodum *gratia* non secus opponitur *culpae* ac *nitor maculis* adversetur; ita *gratia plena cuivis* opponitur *culpae*, et *plenitudo gratiae quodvis macularum genus* longissime amandat. Videor ergo mihi inferre tuto posse, eam Virginis formam speciemque Ambrosii animo esse obversatam, quae sin minus articulatim et distincte, acervatim profecto atque confuse labem omnino omnem sive actualem sive originalem reiecerit. In qua consequutione eo tutius conquiesco, quo ad illius veritatem tuendam orationis ductus ac series evidentius conspirat. Sicut enim universum hominum genus haud aliter ab Ambrosio spectandum sistitur *ac unius instar hominis, qui simul cum Adamo fuerit e paradiso eiectus et venenis serpentini ulceris diu pertentatus;* ita ab universo hominum genere sic eiecto viruque serpentis depravato secernitur [2]) Maria, *quod incorrupta sit virgo, et virgo per gratiam*

1) Sup. nn. 1072. sqq.

2) Docet Thomas in S. III. p. q. XXX. a. I., *quod congruum fuit beatae Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura.* Tum more suo id quatuor confirmat rationum momentis, quorum postremum sic habet: »Ut ostenderetur esse quoddam spi-

Digitized by Google

ab omni integra labe peccati. Quare eiusdem verba si pro contextus ratione sumantur, huc liquido redeunt: *suscipe me non ex Sarra una cum Adamo e paradiso proturbata et veneno serpentis corrupta, sed ex Maria, quippe, vel ita ut ea sit virgo incorrupta et virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Nihil autem illustrius quam his Virginem ab originali labe solutam declarari; quod tum etiam declarat Ambrosius quum de ea [1]) scribit: « Non de terra sed de caelo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit et sacravit templum pudoris. »

1259. Ab Ambrosio divelli Augustinus non debet, quem pro certo habeo testem non minus locupletem nanciscemur. In libello namque de natura et gratia ad Timasium et Iacobum contra Pelagium, ubi ex praescripto christianae veritatis tuetur humanam naturam originali transgressione corruptam, et neminem insitis viribus degere vitam posse peccati cuiusvis exsortem, immo viros quoque sanctissimos et divina gratia roboratos [2]) *non frustra in oratione dicere, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: per hoc enim quotidianum spiritale quodam modo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur;* haeretico [3]) *eos commemoranti qui non modo non peccasse, verum etiam iuste vixisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, ... Ioseph cui desponsata erat virgo Maria, Iohannes:* tum ipsas etiam feminas adiungenti *Deboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Esther, Eli-*

rituale matrimonium inter filium Dei et humanam naturam; et ideo per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae. » Verum 1. cuiusmodi credi debet humana natura, cum qua filius Dei *spiritale inivit matrimonium?* Credine debet peccato corrupta, an illaesa satius ac pura? Illud nemo dixerit. Reliquum est igitur, ut filius Dei spiritale matrimonium cum humana natura eaque cuiusvis nescia labis iniisse censeatur. Sed matrimonium inivit cum humana natura non aliunde quam ex Virgine sumpta; humana ergo natura in Virgine nullo fuit infecta vitio, nulloque naevo taminata. Ad haec II. quid sibi illa volunt, *et ideo per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae?* Hoc sibi volunt, in una Virgine, utpote innoxia, dignitatem omnem, omnemque fidem totius humanae naturae hereditario scelere labefactatae constitisse; unamque Virginem, utpote illaesam, prae tota humana natura ob hereditariam transgressionem indigna quae audiretur, praestare consensum potuisse. Quemnam vero III. consensum? Non alium quam expressum voce *fiat*, eadem scilicet voce qua Deus ab initio universitatem rerum molitus est; ut omnes intelligerent, Virginem esse mundi reparatricem, atque idcirco ab universali praevaricatione seiunctissimam. Tandem IV, *exspectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae*, quod ipsa mater futura esset naturae per filium suum reparatae, sicut Eva mater exstitit naturae primum conditae. Porro Eva mater naturae primum conditae originem sortita est non vitiatae sed puras. Ecquis igitur ausit hoc decus Virgini denegare, quae selecta caelitus fuit ut reparatae naturae parens celebraretur?

1) De institut. virg. cap. V. n. 33.
2) De nat. et grat. cap. XXXV. n. 41.
3) Ibid. cap. XXXVI. n. 42.

Digitized by Google

sabeth, ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri matrem, quam sine peccato confiteri [1] *necesse est pietati;* sic reponit: « Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde [1]) enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas cum hcic viverent congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod ille *(Pelagius)* dicit, an quod Iohannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce [2]) clamassent, *si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?* »

1260. In qua ego Augustini responsione *tria* sedulo distinguenda esse animadverto, atque illud initio *quod diserte traditur*, tum illud *quod supremae instar caussae* affertur, ac illud postremo *quod ceu medium* proponitur. Itaque quod diserte traditur, hoc est: *unam esse Virginem de qua meritissime profitemur, ea vitae puritate nituisse quam nullus umquam peccati naevus obscurarit.* Tum huius praerogativae suprema veluti origo reseratur hisce omnino verbis: *de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* At sive ipsam in se caussam

1) Sed quod peccatum Pelagius designat? Omnino omne, ac prae quovis omnino peccato testatur, *necesse esse pietati Deiparam sine peccato confiteri.* Quae quidem sunt animadversione dignissima, cum aliis quae ex Iuliano adducemus conferenda, et ad communem persuasionem declarandam inprimis accommodata.

2) Quibus verbis hanc maurini editores adnotationem subiungunt: « Duo ex quinque vaticanis mss. *inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere* etc. Sic etiam legebat s. Thomas in III. p. q. XXVII. a. IV. » Immo, addit verissime Benedictus Plazza in *causa immac. conceptionis* Act. II. art. III. n. 279. « Sic etiam olim legebatur in omnibus mss. quibus veteres scriptores usi sunt a seculo XI. usque ad XIV. Etenim Hildebertus archiepiscopus turonensis in tract. theolog. cap. XIII., Hugo de s. Victore tract. I. summ. sentent. cap. XVI., Magister sententiarum lib. III. dist. III., Alexander de Hales III. P. summae theolog. q. IX. membr. III. a. II., Albertus magnus q. CXIII. super *missus* est, s. Bonaventura in III. dist. III. a. II. q. I., Petrus Aureolus in III. dist. III. q. I., Gregorius ariminensis in s. Augustini scriptis siquis alius versatissimus in II. dist. XXX. q. II. a. III. et plures alii eiusdem aevi, qui codices emendatiores habuisse videntur, istam s. Augustini sententiam sic protulerunt: *inde enim scimus quod ei plus gratiae* etc. » Accedunt editiones lovanienses et maurina vetustiores, quae quum ad priscos codices expressae fuerint, ipsis codicibus aequipollent. Quaestio igitur ad *externum* criticum canonem revocata dirimi sic debet, ut lectio *inde* et *interpunctio affirmans* genuina existimentur. Hoc ipsum persuadet canon criticus *internus* idemque *hermeneuticus*, quum lectio *unde* et *interpunctio interrogans* vix aut ne vix quidem cum serie ductuque orationis cohaereant. Tandem non deerunt qui *ad lectionem affirmantem* retinendam inde etiam non leviter commoveantur, quod ipsa obtinuerit in tridentina synodo, quodque ad asserendam Deiparae immunitatem a quavis actuali noxa fuerit usurpata.

3) I. Ioh. I. 8.

spectes, sive ad verba attendas quibus illa exprimitur, necesse est fatearis non minus Virginem originalis insciam labis *virtute* declarari, quam ipsa immunis ab actuali quavis culpa *aperte* significetur. Nam ut a verbis ordiar, haec ita se habent: *excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* Atqui sunt haec infinita *(cum de peccatis agitur)*, atque omne omnino peccatum, ipsumque originale complectuntur. An forte Augustino originale malum non erat peccatum? Vel in contentionibus *cum pelagianis* de illo erat minus ipse sollicitus? Immo in hoc eodem de natura et gratia libro illud inculcat, defendit, atque ex eo veluti corrupto ex fonte argumenta derivat, quibus pelagianam *ἀναμαρτησίαν* funditus labefactet. Quum ergo scribit, *excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem*, iis utitur verbis quae illam ab omni omnino peccati macula, ipsaque adeo originali labe exemptam demonstrant. Cui universali immunitati ipsa quoque adducta caussa ex sese patrocinatur. Haec namque est honor Domini: *de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* Age iam, atque tecum ita reputa: teste Augustino honor Domini postulavit, ne Virgo ullo etsi tenuissimo actualis culpae naevo infuscaretur, ne [1]) vel semel *paullo immoderatius rideret, vel animi remissione iocaretur, vel poma decerperet.* Audio et probo, sic tamen ut vicissim quaeram an non idem Domini honos *multo efflagitarit vehementius*, ne quando Virgo filia esset irae, Deo inimica, satanae obnoxia et letifero serpentis viru turpissime maculata. Necesse profecto est ipsam penitus exuisse humanitatem, ne hoc alterum constantissime affirmetur. Contrahi autem ne puncto quidem temporis potest originale peccatum, quin ea quae recensuimus omnia illico consequantur. Eiusmodi igitur caussam eximendae Virginis ab actuali quovis peccato Augustinus usurpat, quae ipsam ab originali quoque labe subtractam multo vehementius demonstrat. Ad cuius demonstrationis firmitatem non minimum roboris *ex medio* accedit, quo ab universali lege per Iohannem [2]) promulgata, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est*, subducta Virgo

1) Eiusmodi namque sunt culparum venialium exempla quae Augustinus in medium promit cap. XXXVIII. n. 45.

2) I. Ioh. I. 8.

Digitized by Google

perhibetur. De hoc namque medio loquitur Augustinus inquiens: *unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum?* Scilicet amplitudo immunitatis a peccato qua aucta Virgo fuit ex amplitudine dimetienda est [1]) illius gratiae quam praeparatam divinitus et collatam Virgini *scimus*, ut ipsa digna foret quae Unigenitum secundum carnem gigneret et vere ac proprie θεοτόκος crederetur. Huius autem amplitudo gratiae ex unanimi suffragatione [2]) maiorum modum omnem excessit, eaque prorsus fuit propter quam Virgo iure quam qui optimo *plena gratia* salutaretur. Ergo ipsa quoque amplitudo immunitatis a peccato *plena* existimari debet, ac omnino talis qua *peccatum omni ex parte vinceretur*. Sed neque immunitas a peccato fuisset *plena*, neque Virgo *per gratiam vicisset omni ex parte peccatum*, si contracta originis lue, peccato serviisset et peccati tyrannidem experta esset. Restat igitur ut quae Ambrosius [3]) de Christo θεανθρώπῳ his verbis complexus est: *solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et caelesti maiestate depulerit;* eadem ex beneficio praeservantis gratiae atque ἀναλόγως ad ipsam pariter Virginem θεοτόκον pertinere censeantur.

1) Huc faciunt quae scribit Thomas in S. III. p. q. VII. a. X., ubi quaerens *utrum plenitudo gratiae sit propria Christo*, obiectioni desumptae ex verbis Archangeli, *ave gratia plena*, sic occurrit ad I: «Dicendum, quod beata Virgo dicta est plena gratia non ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excellentia quae potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae; sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet mater Unigeniti eius.» Atqui I. non alia gratia merito habetur *sufficiens ad statum matris Dei*, nisi quae tantam complectatur puritatem, qua maior sub Deo nequeat intelligi. Quamquam igitur Virgo non praestiterit *summa excellentia gratiae neque ex parte ipsius gratiae, neque prae omnibus eiusdem effectibus;* nihilominus eiusmodi gratia cumulata certissime fuit, cum qua summa creata puritas necteretur. Eiusmodi vero neque est neque dici ea gratia potest, quae originali praevaricationi aditum permittens non impedit, quominus anima in spiritalem mortem misere prolabatur. Gratia igitur *sufficiens ad statum matris Dei* non alia dubio procul fuit nisi gratia singularis praeservationis a quavis culpa sive contracta sive commissa. Hinc II. vel ipse Cajetanus in commentariis postquam monuit, *plenitudinem gratiae secundum se attendi hic tam intensive quam extensive: et similiter plenitudinem gratiae ex parte subiecti attendi tam intensive quam extensive;* aliquot interiectis pergit: «In responsione ad primum nota sobrietatem doctrinae praesentis circa plenitudinem gratiae in beata Virgine, scilicet ut sit plena gratia tam intensive quam extensive non plenitudine gratiae secundum se (quia illa est propria Unigenito a Patre), sed plenitudine tam intensive quam extensive requisita ad matrem Dei.» Tum subdit: «Lauda in ea gratiam, sed in summo ex parte subiecti *supra omnem puram creaturam;* haec enim plenitudo matrem Dei decet, qua super omnes est puras creaturas exaltata.» Fatetur ergo Cajetanus et praeeunte Thoma docet, nullam gratiam alicui purae creaturae fuisse tributam, qua Deipara *super omnes puras creaturas exaltata* caruerit. Sed angeli et protoparentes gratia originalis sanctitatis excelluerunt. Nefas est igitur Deiparam hac ipsa originalis sanctitatis gratia privata tueri.

2) Sup. nn. 1073. seqq.

3) Exposit. in Lucam lib. II. n. 56. p. 1300. B. opp. T. I.

Digitized by Google

1261. In qua sententia haud leviter confirmabimur, si *duo* praeterea animadverterimus: et initio quidem quibus verbis cum Christo θεανθρώπῳ Virginem θεοτόκον Augustinus coniunxerit: deinde vero quem sensum Augustini testimonio prisci auctores iique fide dignissimi subiiciendum esse putarint. Augustinus itaque sic habet: « Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini *nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem:* unde enim scimus, quid ei *plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*, quae concipere, ac parere meruit *quem constat nullum habuisse peccatum?* » Cernis Virginem θεοτόκον cum Christo θεανθρώπῳ ita coniungi, ut quemadmodum de hoc dicitur, *quem constat nullum habuisse peccatum*, profecto neque originale neque actuale atque adeo omnino nullum; ita ex ordine de ea affirmatur, *et quod nulla quum de peccatis agitur, haberi de ipsa quaestio debeat*, utpote supra quodlibet evecta peccatum, *et quod scimus tantam ipsi gratiae copiam fuisse tributam, quanta ad vincendum omni ex parte peccatum sufficeret?* Cernis dubio procul, et simul intelligis hanc filii θεανθρώπου matrisque θεοτόκου copulationem eo pertinere, ut libertas a quovis plane peccato quae filio θεανθρώπῳ *ex dignitate personae* asseritur, eadem matri θεοτόκῳ *singulari beneficio gratiae* vindicetur.

1262. Atque hanc neque aliam fuisse Augustini mentem, testes habeo quos proferam locupletes. Habeo antiquum auctorem [1]) sermonis *ad Eremitas de assumptione beatae Mariae virginis*, qui in collectorio Roberti de Bardis Augustino tribuitur, et in quo [2]) de Virgine legimus: « Haec est enim illa gemma gloriosa paradisi, de qua supra diximus *in libello* quem nuper edidimus *de natura et gratia*, quia *propter honorem Domini cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Maria volo haberi quaestionem. Unde* [3]) *enim scimus quod ei plus collatum fuit gratiae ad vincendum ex omni parte peccatum, quam alicui de femina nato?* Et miraris si hoc audis? Nequaquam mirari, fratres, debemus quia concipere et parere *meruit* illum quem constat nullum habuisse peccatum. Vir-

1) De hoc auctore legantur quae notat em. Mai in nova pp. biblioth. T. I. pag. 451.

2) Serm. CXCIV. de Virginis assumptione, n. 2. pag. 452.

3) Haec quae confirmant praehabitam a maurinis lectionem, cl. editori occasionem praebuerunt adnotandi, *haec esse ab ore adversariorum vel dubitantium*. Idipsum visum pridem fuerat Francisco Silvio, quem laudant Theologi salmanticenses T. IV. tract. XIII. de vitiis et peccatis disput. XV. dub. VI. n. 233. Nihil tamen evidentius, quam expressam iis doctrinam ab Augustino probari.

Digitized by Google

gine igitur ista excepta, si omnes sanctos et sanctas cum hic viverent contestari et interrogare possemus utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus nisi quod ait sanctus ille [1]) Iohannes: *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, mentimur et veritas in nobis non est?* Haec est illa angelorum Domina, cunctis felicior, cunctis beatior creaturis, quae prius Christum fide concepit quam carne. » Tum [2]) multis [3]) ex Ambrosio defloratis quibus innocentissima Deiparae vita suspicienda proponitur, illico subditur: « Verum, fratres mei, quod nec in oculo, nec in gestu, nec in progressu, nec in auditu, nec in olfactu aliquid nisi sanctum et iustum inveniri potuerit in Maria; ut digne talis appareret hominibus in corporis specie, sicut intus erat simulacrum sanctitatis in mente. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus caelorum maior reperit, talem Spiritus sanctus, Pater et Filius elegit et praeelegit ante mundi constitutionem, *ut mater Dei aeterni, plena omni gratia et veritate esset, ut nemo sit qui se abscondat a calore sanctitatis et misericordiae eius.* » Habeo deinde Ogerium abbatem, qui adductis [4]) Christi verbis, *si praecepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione; sicut Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione*, ita [5]) pergit: « Qui habet aures audiendi audiat, et qui habet cor intelligendi intelligat. Mensuram nostrae possibilitatis videtur excedere, vires animi et corporis ac nisus supergreditur universos. Praeceptum quod nobis Dominus imperat, consilium est nostrae salutis, quod ipse auctor nostrae salutis nobis accommodat. Quis umquam hominum *ex apostatica radice* primi parentis exortus potuit vel poterit sine aliquo transgressionis naevo cum omni officio caritatis inconcussa et immaculata Christi observare praecepta, sicut ipse *in totum et in partem* sui Patris servavit mandata, qui peccatum non fecit, nec umquam peccare potuit, nec peccare etiam voluit? Non est in filiis hominum magnus vel parvus tanta praeditus sanctitate, nec tantae religionis *privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus praeter matrem immaculati peccatum non facientis sed peccata mundi tollentis; de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo haberi quaestionem.* » Ac habeo tandem [6])

1) I. Ioh. I. 8.
2) Ibid. n. 3. pag. 453.
3) De virginibus II. 2.
4) Ioh. XV. 10.
5) Serm. XIII. de verbis Domini in coena, n. 1. pag. 653. C-F. inter opp. Bernardi T. V.
6) Serm. IV. in antiph. *Salve regina*, n. 3. pag. 748. A-C. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

Bernardum toletanum qui praestantiam Virginis efferens scribit: «Turris es Libani. Libanus mons qui dicitur dealbatio, altam prae omnibus signat innocentiam tuam. *Innocens fuisti ab originalibus et ab actualibus peccatis.* Nemo ita praeter te. Unde auctoritas Augustini: *cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere et parere meruit eum qui nullum habuit peccatum.* Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte originalis et ex parte actualis peccati.»

1263. Praeclariora igitur maiorum suffragia, quibus *traditio* continetur de Virgine a quovis actuali labe integra atque seiuncta, comparata sic sunt, iis concepta verbis, atque iis vestita adiunctis, ut illam *ex aequo liberam ab originali praevaricatione* testentur. Quam testificationem egregie confirmant quae [a]) Georgius nicomediensis de Virgine disserens adhuc trienni atque in templo oblata scribit: «Hodie columba illa immaculata in templi penetralia evolans, malitiae aucupem devitavit, eius machinamentis [f]) facta sublimior. Hodie vas Spiritus in templo depositum ad suscipiendum Dei Verbum aptatur. *Neque enim decebat ut tabernaculum illud mundissimum in mundi sordibus versaretur*, sed ut in irreprehensibilem translatum locum primos illic gaudii gustus delibaret. *Decebat ut incontaminatus thesaurus ab humanarum consuetudinum contagio immunis custodiretur. Par erat ut pellucidum illud sanctuarium ab omni peccati communione liberum servaretur.*» Et servatum revera fuit, ipsum namque [b]) Georgius exhibet spectandumque proponit

a) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pag. 1090. B-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιϊπταμένη, τὸν τῆς κακίας ἐξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γινομένη τῶν μεχανημάτων αὐτοῦ· σήμερον τὸ δοχεῖον τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ ἀποτείθεν, πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ λόγου ἐξωτρεπίζεται· οὐδὲ γὰρ ἔδει τοῖς ῥύποις τοῦ κόσμου τὸ καθαρώτατον συνδιαιτᾶσθαι σκήνωμα· ἀλλὰ πρὸς τὸν ἄμεμπτον μεταβλεθὲν χῶρον, ἐκεῖ τὰ τῆς χαρᾶς ὑποδίξασθαι προοίμια· ἔδει ἀμιγὲς τῶν ἀνθρωπίνων ἠθῶν τὸ ἀκηλίδωτον φυλαχθῆναι θησαύρισμα· ἔδει ἀκοινώνητον τῆς ἁμαρτίας τὸ διαυγὲς τηρηθῆναι ἁγίασμα.

b) Orat. V. in Deiparae praesentat. pag. 1099. A-C. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὸν κῆπον τὸν κεκλεισμένον τὸν λογισμοῖς ἀνεπίβατον ἁμαρτίας· τὴν ἀληθῶς πηγὴν ἐσφρα-

f) Sed quibus machinamentis *puella triennis* reddi sublimior potuit? Iis credo, quibus obnoxia foret. Sed obnoxia quidem fuit machinamentis, quibus *originalis praevaricatio* inducta est, minime vero iis quibus *in actuales culpas* propelleretur. Praedicatur itaque Virgo iis machinamentis sublimior, quibus factum est ut peccatum in mundum ingrederetur, atque adeo immunis ab originali praevaricatione significatur.

Digitized by Google

veluti « Hortum [1]) illum conclusum, *in quem vitiosis cogitationibus nullus patet aditus:* fontem illum [2]) vere signatum, e quo manant purissimi latices orbem universum irrigantes, *et in quo turbidi luti nullae deprehensae sunt reliquiae.*» Eodem pertinent quae [3]) Theodotus ancyranus tum docet, quum oeconomiam enarrans humanae reparationis post cetera ait: «Pro ea quae ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, Deo gratissima ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligitur; *Virgo muliebri comprehensa sexu, at muliebris exsors nequitiae;* Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta [4]) animo et corpore, sicut [5]) lilium inter medias spinas germinans, *non docta Evae mala, non muliebri vanitate* foedata.» Hinc Severus praesul antiochenus de Virgine [6]) exclamat: «Quid vero cogitari augustius vel excelsius potest Dei matre? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram sic appropinquat, ut ipsum denique caelum attingat. *Quamquam enim Maria de terra est, et humanam naturam nobisque consubstantialem sortita est, attamen intemerata est omnique macula carens;* quia adeo de suis visceribus, ceu de caelo, Deum protulit factum hominem, quem ipsa divinitus concepit et peperit.» Hinc Arnoldus abbas Bonae Vallis [7]) de eadem scribit: «Innoxiam affligi *(partus doloribus)* non decuit, nec sustinebat iustitia ut illud vas electionis *communibus* lassaretur *iniuriis*; quoniam plurimum a ceteris differens, *natura communicabat non culpa.*» Atque hinc Eckbertus schonaugiensis Virginem cum arca foederis [8]) comparans ait: «De lignis vero Sethim condita est arca, in qua thuribulum, manna et virga sunt recondita; *quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, praecelecta tamen per Spiritumsanctum et praeservata ad purum, Deum nobis obtulit et hominem.*» Quemadmodum igitur illustriora veterum testimonia quae Virginem ostendunt cuiusvis actualis culpae exsortem, eam quoque ab ori-

γισμένην, ἐξ ἧς τὰ καθαρώτατα νάματα ῥέουσι, καὶ τὴν οἰκουμένην ἀρδεύουσιν, ἐν ᾗ τῆς ἐπιθολούσης ἰλύος οὐκ ἐφωράθη λείψανον.

1) Cant. IV. 12.
2) Ibidem.
3) Orat. in Deiparam §. XI. pag. 475. B-D. apud Gallandium T. IX. His autem addi debent quae omnino simillima tradunt tum Iohannes damascenus orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pagg. 847-848., tum Photius, cuius verba refert Nicetas diaconus in cat. ad Luc. II. 35. apud Mai scriptt. vett. T. IX. p. 652.
4) I. Cor. VII. 34.
5) Cant. II. 2.
6) Homil. de Deipara pag. 212. apud Mai in spicileg. rom. T. X.
7) Serm. de Christi nativit. pag. 80. B-C. ad calcem opp. Cypriani.
8) Sermo de beata Virgine n. 11. pag. 706. B-C. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

ginali labe integram solutamque [1]) demonstrant; ita solemne maioribus est non minus *physicum* Virginis cum hominum genere *consortium* tueri, quam *ethicam* eiusdem cum humana praevaricatione *societatem* inficiari.

ARTICULUS II.

Metaphoricae loquutiones usu maiorum frequentatae, quibus Deipara a peccatoribus secreta celebratur: nonnullae eaeque illustriores proferuntur, et praerogativa immaculatae originis cum iis conserta stabilitur.

1264. In sermone panegyrico de beata virgine Deipara haec inter cetera [2]) scribit Eckbertus schonaugiensis: « Te enim inaestimabilis benignitatis feminam et venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, *quod tu mundum hunc immundum et lubricum impolluto calle transisti, et adhuc inter peccatores degens tanta sanctitate fecundaris, ut sola solio regis aeterni immediate approximare merueris.* » His autem quemadmodum *libera ab actualibus culpis omnibus Deipara* edicitur, ita *ab actuali quovis consortio cum peccatoribus* manifestissime segregatur. Sed segregata ne ab iis censeri pariter debet *non actuali magis quam originali qualibet communione?* Licet ex superiori articulo perspicua duci ratio possit, qua id citra dubitationem positum merito videatur; ea nihilominus continuo subiiciemus quae idipsum plenius uberiusque commonstrent.

1) Neque aliter puto existimari de iis licere, quae Thomas passim affirmat. Sane in comm. ad ps. XIV. expendens verba, *qui ingreditur sine macula*, ait: « Vita ista quaedam via est ad vitam aeternam. Et ideo dicit, *ingreditur*, idest in via graditur: ps. XLI. *ingrediar in locum tabernaculi.* Item ps. CXVIII. *beati immaculati in via*, sine macula scilicet mortali, quia peccatum veniale non habet maculam proprie. Eccl. XXXI. *beatus dives qui inventus est sine macula.* Sed in Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit. » Atqui sive spectes vim ipsam potestatemque phraseos, *in Christo et in virgine Maria nulla omnino macula fuit:* sive nexum cum superioribus qui exigit, ut quaevis macula tam propria quam impropria a Virgine amandetur: sive coniunctionem Christi cum Maria et filii θεανθρώπου cum matre Θεοτόκῳ, fatearis oportet, ita Virginem a quovis actuali peccato immunem declarari, ut ipsa hereditariae quoque culpae exsors significetur. Quare ad haec ps. XVIII. verba, *in sole posuit tabernaculum suum*, Thomas scribit: « In sole posuit tabernaculum suum, idest corpus suum posuit in sole, idest in beata Virgine *quae nullam habuit obscuritatem peccati.* » Et in opusc. VIII. ad petit. V. dominicae orationis sic habet: « Aliqui fuerunt ita praesumptuosi qui dicerent, quod homo poterat vivere in mundo isto ita quod ex se poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datum est nisi soli Christo qui habuit spiritum non ad mensuram, et beatae Virgini quae fuit plena gratia, in *qua nullum peccatum fuit*, sicut dicit Augustinus. » Tandem opusc. LVII. a. 1. de salutatione angelica scribit: « Quod autem ingressus angelus dixit *ave*, quod sonat sine vae, hoc significat quod per fluxum gratiae liberatur anima ab omni vae. Est autem triplex vae, quod per peccatum incurrit homo, videlicet vae culpae, poenae et miseriae. » Sumpsit ista Aquinas ex praeceptore Alberto, qui super *missus est* cap. LIX. ait: « Ex peccato sequutum fuit triplex vae in coniuncto, vae culpae, vae poenae, vae ignorantiae. Vae culpae est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, venialis. Sine omni isto vae triplici fuit beatissima Virgo. »

2) Sermo in Deiparam n. 1. pag. 700. E-P. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

1265. Itaque si *de generali caussa* sermo sit, propter quam universum hominum genus *in tenebris* ex sese degit atque *in umbra mortis* versatur; non aliam assignare licet nisi quae *ex originali praevaricatione* dimanat. Haec namque *sola* generalis est, omnesque *omnino* complectitur, sive qui *iam adulti* ad Adami similitudinem *actu* peccarint, sive qui *adhuc infantes et pueri*, nullaque obstricti *actuali* culpa, *hereditariam dumtaxat labem contraxerint*. Fac igitur ab universo hominum genere non aliter Virginem secerni, ac *splendor umbrae, et lux tenebris* opponatur; profecto id erit consequens, *nihil eidem fuisse unquam commune cum originali praevaricatione, qua reliquos omnes in umbras tenebrasque conie-ctos ex intimo pectore lamentamur*. Iamvero aegre doctrinae caput reperias auctoritate maiorum solemnius stabilitum, et aegre *oppositionem* reperias quae in christianis monimentis splendidius depingatur. Mihi quidem ex animo non excidit bene multa fuisse in antecessum relata quae huc pertinent, quae id efficiunt quod contendimus; ne cui tamen necesse sit molestius illa venari, heic ea dabimus quae omnino sufficiant.

1266. Extollit Methodius Virginis praerogativas, et insignioribus eiusdem ornamentis obiter recensitis, tandem [a]) subdit: « Te sanctissima, *clarissimi instar diei*, mundo affulgente, solemque illum iustitiae producente, *odiosus tenebrarum horror depulsus est*, tyranni potentia fracta, mors destructa, infernus absorptus, inimicitia omnis ante pacis conspectum dissoluta, morbi omnes, salutis beneficio erumpente, procul omnes facessere iussi, *universusque terrarum orbis veritatis clarissimae purissimaeque luce perfusus est*. » Consentit [b]) Proclus constantinopolitanus qui de Virgine ait: « Ipsa est *novae creationis caelestis globus*, in qua sol iustitiae numquam occidens *omnem* ab anima omni *peccatorum noctem* fugavit. »

a) De Symeone et Anna §. V. pag. 809. D-E. apud Gallandium T. III. Σοῦ τῆς παναγίας, ὡς φωταυγοῦς ἡμέρας, ἐπιφανείσης τῷ κόσμῳ, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον προαγαγούσης, ἐκποδὼν μὲν γέγονε τὰ τοῦ σκότους στυγνά· φροῦδος δὲ καὶ ὁ τύραννος κατέστη· καὶ διόλωλε μὲν θάνατος, κατεπόθη δὲ καὶ ὁ ᾅδης, καὶ πᾶσα ἡ ἔχθρα κατελύθη πρὸ προσώπου τῆς εἰρήνης· νόσοι δὲ φθοροποιοὶ ἄπωθεν ἵστησαν τῆς σωτηρίας προκυψάσης, καὶ φωτὸς ἀνάπλεως γέγονεν ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τῆς ἀκραιφνοῦς ἀληθείας.

b) Orat. VI. in Deiparam §. XVII. pag. 646. B-C. apud Gallandium T. IX. Αὕτη τῆς καινῆς κτίσεως ἡ οὐράνιος σφαῖρα, ἐν ᾗ ὁ ἀνεφανὴς τῆς δικαιοσύνης ἥλιος, πᾶσαν ἀπὸ πάσης ἀπέλασε ψυχῆς τῶν ἁμαρτιῶν τὴν νύκτα.

Digitized by Google

Consentit Germanus eiusdem urbis antistes, qui de Virgine initio [a]) scribit: « Omnia tua, o Dei genitrix, mira sunt, omnia super naturam, omnia super rationem et potentiam. » Tum [b]) exclamat: « O candelabrum, *cuius fulgoribus qui in tenebris sedebamus, ingenti luce perfusi sumus*. » Omnium vero praeclarissime consentiunt utriusque ecclesiae latinae atque graecae hymnologi, Venantius Fortunatus, Hermannus contractus, Petrus Damiani, Anselmus, Theophanes, Iosephus, Iohannes damascenus et Basilius, e quibus pauca quaedam speciminis gratia decerpo atque subiungo.

1267. En igitur quae habet [1]) Venantius Fortunatus:

» Felix quae generi humano sub tartara lapso,
Ad caelos facta es sors, via, porta, rota.
» Arca *nites* et theca potens gladii bis acuti,
Ara Dei assurgens, *luminis alta pharos*.
» Figmentum figuli super omnia vasa decorum,
Atque *creaturae fulgida massa novae*.

En quae scribit [2]) Hermannus contractus:

» Ave praeclara maris stella, *in lucem gentium*, Maria, *divinitus orta*.
» Virgo decus mundi, regina caeli, *praeelecta ut sol, pulcra lunaris ut fulgor*, agnosce omnes te diligentes. »

Neque alio spectant quae canunt Petrus Damiani et Anselmus, quorum ille [3]) ait:

» *Sidus* Maria *splendidum*,
» Te laudat omne seculum,
» Ex qua *sub mundi vespere*
» Sol ortus est iustitiae.
» Da cor *tenebris* eripi,
» Da vera luce perfrui,
» Quae *noctem* vitae veteris
» Novis illustret meritis.
» Per te purgemur vitiis,
» Solvamur culpae vinculis;
» Mens vulsis spinis eruta
» Virtutum ferat germina.

a) Orat. in Deiparae Zonam pag. 239. Ὅλα τὰ σὰ, Θεοτόκε, παράδοξα, ὅλα ὑπὲρ φύσιν, ὅλα ὑπὲρ λόγον καὶ δύναμιν.

b) Ibid. pag. 240. Ὦ λυχνία, ὑφ' ἧς οἱ ἐν τῷ σκότει καθήμενοι τὸ μέγα φῶς κατηυγάσθημεν.

1) In laudem Deiparae opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. pagg. 283-284.
2) Thesaur. hymnolog. pag. 32. T. II.
3) In honorem Deiparae pag. 9. col. 2. C-E. opp. T. III.

Digitized by Google

Anselmus vero [1]) inquit:

» Regina caeli inclyta,
» Orbis *lampas siderea*,
» Meas absterge lacrymas
» Et *peccatorum nebulas*.

1268. Sequuntur graeci hymnorum auctores, quibus haec in acceptis [a]) referimus: « Te, o Virgo mater, vates praenovit *splendidam lucernam* gestantem lumen ex lumine emicans, quod, o penitus immaculata, splendoribus ineffabilis divinitatis suae abunde illuminavit *quae prius in tenebris iacebant*. » Tum [b]) haec: « Cum angelo tibi Deiparae et nos fideles convenienter acclamemus, ave. Ave sponsa undequaque pulcra: ave *lucida nebula*, e qua *nobis in ignorantiae tenebris sedentibus* effulsit Dominus: ave omnium spes. » Atque haec [c]) item: « Apparuisti, o Deipara, *habitaculum lucis occasus nesciae*, per quam *degentes in tenebris et umbra peccati* [2]) lumen viderunt. Propterea illumina sensus cordis mei. » Et [d]) rursum: «Facta es *lucis habitaculum;* propterea, o puella, me *omnibus*

a) Men. die XIV. Iulii Ode θ'. pag. 74. col. 1. C. Φωτιστικὴν σε λυχνίαν προεῖπε προφήτης τὸ φῶς τὸ ἀνατεῖλαν ἐκ φωτὸς, παρθενομῆτορ, βαστάζουσαν, τὸ φωτίσαν πλουσίως τὰ πρὶν ἐσκοτισμένα ταῖς αὐγαῖς τῆς αὐτοῦ ἀνεκφράστου, πανάμωμε, θεότητος.

b) Men. die XXI. Novembris pag. 160. col. 2. A-B. Σὺν τῷ ἀγγέλῳ, τὸ χαῖρε, τῇ θεοτόκῳ προσφόρως ἀναβοήσωμεν πιστοί· χαῖρε πάγκαλε νύμφη· χαῖρε νεφέλη φωτινὴ, ἐξ ἧς ἡμῖν ἔλαμψεν ὁ κύριος τοῖς ἐν σκότει ἀγνοίας καθημένοις· χαῖρε πάντων ἡ ἐλπίς.

c) Men. die XVI. Octobris Ode θ'. pag. 99. col. 2. C. Φωτὸς οἰκητήριον ὄφθης τοῦ ἀπροσίτου, θεοτόκε, δι' οὗ οἱ ἐν σκότει καὶ σκιᾷ τῆς ἁμαρτίας φῶς ἐθεάσαντο· διό μου φωταγώγησον τὰ τῆς καρδίας αἰσθητήρια.

d) Men. die XVI. Ianuarii Ode θ'. pag. 130. col. 1. A. Φωτὸς οἰκητήριον ἐγένου· διὸ φωταγώγησόν με, κόρη, ἀμαυρούμενον πάσαις τοῦ ἐχθροῦ ταῖς ἐπηρείαις· ὅπως ἐν πίστει σε, παναγία, μεγαλύνω μητροπάρθενε.

A-B. Hic autem operae pretium fuerit adiecisse quae ex vetustiore poeta refert auctor libri de corona Virginis cap. V. pag. 402. in collect. pp. tolet. T. I.

Mariae nomen aureum,
Fragrans et aromaticum,
Velut pigmentum caelicum:
Ut sol est luce fulgidum,
Et mortuis vivificum,
Et monachis mellifluum,
Sanctum et anagogicum
Divinum et extaticum.

Ex propria autem sententia pergit: « Tu flos florem, virgo virginem sponsum, coronam virginum es prolata. Super salutem et omnem pulcritudinem a Do-

1) Rhythmus ad s. Virginem pag. 266. col. 1. mino es amata, sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris, Dominum omnium meruisti portare, fulgore virtutum mundum illuminare, luce iustitiae clarificare; *quia semper radias splendore gratiae, et nullis macularis sordibus culpae.* » Quibus gemina docet capp. VI-XVII. pagg. 404-421.

2) Eadem oppositio similibus depicta coloribus occurrit pag. 56. col. 2. D. pag. 75. col. 1. D. et pag. 89. col. 1. C. Itemque occurrit apud Sophronium in Triodio pagg. 135-167. spicileg. rom. T. IV. et apud Ephraemum in precat. ad Virginem pag. 530. opp. graeco-lat. T. III. ubi Virgo ipsa audit φωταδόχον χωρίον, ἐξ οὗ παντοίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπελάμψαν. *Locus luce repletus, e quo salutis radii universo mundo illuxerunt.*

inimici iniuriis deformatum illumina, ut in fide te, o sacratissima Virgo mater, magnificem. » Ac a) postremo: « Fuisti, o innocentissima, *habitatio lucis inaccessae*. Iis enim *qui in tenebris umbraque detinebantur*, lumen genuisti, quod beneficio divinae cognitionis universa illuminat. » Huc igitur habitus redit, qui ex christianae antiquitatis fide Mariam inter et reliquum hominum genus exsistit. Quemadmodum Maria spectari secus non debet ac ut *lucis habitaculum*, *splendidum candelabrum*, *fulgens lucerna*, *emicans sidus*, *lampas siderea*, *praeelecta ut sol*, *clarissimus dies in lucem gentium divinitus ortus*, *caelestis globus novae creationis et massa fulgida novae creaturae*; ita reliquum hominum genus considerandum non aliter est ac *sub tartara lapsum*, *in tenebris iacens*, *umbra mortis involutum*, *offusum peccatorum nebulis*, *nocte vitae veteris pressum et omnibus inimici iniuriis deformatum*. Atqui originalis transgressio verissima est atque generalis horum omnium caussa, quibus universum hominum genus male habitum perditumque describitur. Manifesta igitur cum Virgine oppositio, et peremptoriae omnino formulae quibus Virgo dicitur *caelestis globus novae creationis* et *massa fulgida novae creaturae*, splendidissime demonstrant ipsam inter reliquamque Adami posteritatem nullum exstitisse originalis praevaricationis consortium.

1269. Et re sane vera fingamus tantisper, secretam quidem fuisse Virginem ab hominum genere *si coniunctio ex actuali profecta culpa consideretur*, minime vero *si societas originalis depravationis ob oculos habeatur*. Quid, quaeso, foret consequens? Plane consequeretur beatissimam Virginem cum reliquo hominum genere fuisse devinctam *consortio corruptelae*, *mortis*, *servitutis*, *letiferae sitis ac turpissimae deformitatis*. Quemadmodum enim horum nihil est quod originalem luem non comitetur; ita hac infici Virgo non potuit, quin et ipsa eorum omnium consortio pollueretur. Praeclare. Sed haec ne maioribus etiam nostris mens insedit, adeo ut eiusmodi consortium vel docuerint, vel saltem non denegarint? Immo disertissimis formulis apertisque sententiis unanimes docuerunt, *immane veluti quoddam intercessisse divortium quod Virgi-*

a) Men. die XVIII. Ianuarii Ode ϑ'. pag. 144. col. 2. D. Φωτὸς ἀδύτου γίγονας ἐνδιαίτημα, πάναγνε· φῶς γὰρ τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ γεγέννηκας, φωτίζου τὰ σύμπαντα θεογνωσίας χάριτι.

Digitized by Google

nem a reliqua hominum massa corrupta, deformata, morti obnoxia letifera siti aestuante ac miserrimae servituti addicta funditus segregavit. Testes, quos allegem, número et auctoritate praecellunt. Testis namque adest Dionysius alexandrinus, qui eo nomine Paulum samosatenum acriter [a]) coarguens *quod diceret hominem eximium esse Christum et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine et Deipara Maria,* aliquot interiectis [b]) subdit. « *Una autem et sola Virgo filia vitae* genuit Verbum vivens et per se subsistens, increatum et creatorem, qui venit in mundum et mundus [1]) eum non cognovit Deum. » Audis *unam solamque Virginem* dici *filiam vitae?* Sed cuiusnam vitae? *Originalis* ne, an quae *mortem* consequuta sit? Si hoc alterum praetuleris, neque illa dici *absolute* posset *filia vitae,* quum mortis et irae filia exstiterit; neque *una et sola filia vitae* citra manifestum gravissimumque errorem vocaretur. Superest igitur ut *ex suis primordiis filia vitae nuncupetur,* atque ex suis adeo primordiis a filiis irae et hereditaria morte correptis secreta demonstretur.

1270. Testis adest vetustissimus auctor sermonis *in natali Domini* Augustino tributi, qui commemorata protoparentum ruina [2]) pergit: « Cum per has igitur temporum gyrantium rotas mundiale curriculum volveretur, neque quisquam mederetur, et ingravescentibus culpis, ruinae praecipitis ictu et fremitu totius orbis membra pulvescerent et nemo succurreret; ad feminam caussa revertitur, et origo per originem detruncatur. *Origo peccati* per genitricem Christi extincta est, *prosapies impietatis per prosapiam pietatis ablata est, stirps mortis per stirpem vitae.* » Eadem igitur est relatio Virginem inter vitiatamque originali tabe humanitatem, quae *pietatem inter et impietatem, vitam inter atque mortem exsistit.* Haec au-

a) Epist. adver. Paulum samosat. pagg. 210-211. Πῶς σὺ λέγεις ἄνθρωπον κατιξαίρετον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐ θεὸν ὄντα ἀληθινὸν, καὶ προσκυνούμενον παρὰ πάσης κτίσεως σὺν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, τὸν σαρκωθέντα ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας;

b) Ibid. pag. 212. Μία δὲ μόνη παρθένος θυγάτηρ ζωῆς ἐγέννησε τὸν ζῶντα λόγον καὶ ἐνυπόστατον, καὶ ἄκτιστον καὶ δημιουργὸν, τὸν ἐλθόντα ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἄγνωστον θεόν.

1) Ioh. I. 10. num. I. pag. 153. F.
2) In app. ad opp. August. T. V. Serm. CXX.

Digitized by Google

tem relatio est *omnimodae oppositionis*, quaeque Virginem ab infecta originali viru humanitate longissime segregat. Quam segregationem opportunissimis testimoniis confirmant Ephraem syrus, Victorinus massiliensis et Petrus Argorum antistes, e quibus Ephraem [a]) de Virgine ait: « Tu paradisus sanctissimus in Eden, *lignum vivificum* pulcherrimum et iucundissimum ferens fructum: tu lapsorum *resurrectio* et meae animae corporisque *restauratio.* » Ubi vero commentariis explanat [1]) verba Geneseos, *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo qui comedit*, sic [b]) habet: « O rem mirandam, tuum de Maria conceptum! Sicut enim per exiguum auris sinum intravit et infudit se mors, ita *in novam Mariae aurem penetravit fuditque se vita;* et quemadmodum lignum mortem intulit, sic aliud lignum vitam revexit, ut per alterum mors vinceret, per alterum vita triumpharet. » Et [c]) rursum: « Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit, hodie vero *per Mariam translati sumus de morte ad vitam.* Initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie vero *Maria perpetuae felicitatis assertorem auribus excepit.* Quod ergo mortis fuit, simul et vitae instrumentum exstitit. » Sequitur Victorinus qui [2]) de matre deque filio canit:

a) Precat. ad Virginem pag. 536. opp. graeco-lat. T. III. Παράδεισε τοῦ ἐν Ἐδὲμ ἁγιώτατε, ξύλον τὸ ζωηφόρον τὸν ὡραιότατον καὶ ἡδύτατον καρπὸν φέρον· ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, ἀνάπλασις τῆς ἐμῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος.

b) Serm. in Gen. III. 6. pag. 324. E-F. opp. syr. T. II.

ܐܘܢ ܐܝܟ ܡܢ ܦܘܡ ܐܢܫ ܘܥܡ ܚܕܐ ܒܚܕܐ ܘܡܢ ܐܘܢ ܠ
ܠܐܢܫ ܡܘܬܐ ܡܢ ܚܕ ܐܢܫ ܘܥܡ ܚܕܢ ܟܠ ܠܐܢܫ ܢܫܬ . ܐܝܟ ܘܡܢ ܡܘ
ܐܘܢ ܟܠ ܚܕܐ ܡܢ ܚܕ ܐܢܫ ܢܫܬ . ܘܟܡܢ ܐܦ ܡܘܬܐ ܚܕ ܢܫܐ +

c) De diversis serm. III. pag. 607. E. opp. syr. T. III.

ܠܟܠ ܡܘܬܐ ܟܚܛܝܐ : ܡܛܠ ܕܒܚܕ ܐܢܫ ܡܘܬ ܠܟ : ܥܡ ܚܕܢ ܢܫ ܢܫܬ . ܚܕܐ
ܒܡܐ ܟܢ ܗܘ : ܟܠ ܒܢܘ ܒܡܐ ܚܛܐ ܗܘ : ܘܟܕ ܡܛܠ ܡܪܝܡ ܐܫܟ ܗܘ : ܥܡ ܐܢ
ܒܚܕܢ ܠܐ ܗܘ . ܕܒܗ ܐܢܟ ܒܐ ܐܦ ܡܘܬܐ : ܠܟܠ ܢܫ ܡܚܬܡ ܚܡܐ +

1) Gen. III. 6.

2) Carm. de nativit. vita, pass. et resurrect. Domini, vv. 20-33. pag. 383. apud Mai classic. auct. T. V. Ubi em. editor hanc subiicit pag. 382. adnotationem: «Tres sunt Victorini, quorum carmina sacra leguntur. Petavionensis seculis tertii, Afer seculi quarti, Massiliensis seculi quinti. Postremum hunc existimo auctorem carminis nondum, ut puto, editi, quod in vaticano pervetusto codice seculi ferme decimi mihi se obtulit, et tamen mendis et corruptelis a librarii barbarie pessumdatum, ut nisi post adhibitam a me medicam manum prorsus edi non posset. Menda igi-

Digitized by Google

» Crescit illa caro, crescit ibi gratia magna.
» Sancta parit Virgo, patefit *nova ianua vitae*,
» Et Deus et renovatus homo miscentur in unum.

Haec autem appellatio qua Virgo dicitur *ianua vitae* non semel iterata occurrit in ecclesiasticis monimentis in quibus [a]) legimus: « *Vitae porta*, impervia, spiritalis, Virgo Deipara, innupta, pande mihi precibus tuis clausas olim paradisi fores, quo te meam post Deum auxiliatricem, firmumque refugium glorificem. » Et [b]) alibi: « O innocens Deipara, *ianua caelestis, salutaris porta*, christianorum omnium supplicationes excipe, qui te beatam decantant in omnia secula. » Neque aliter Petrus Argorum praesul qui rationem [c]) expendens caelestis oeconomiae ait: « Sane quum *nos morti et corruptioni propter peccatum traditi* Dei incarnatione indigeremus, *oporteret autem ut administra tanti operis*, quippe quae in ingens miraculum Dei mater futura esset, *puritate cunctos mortales longe antecelleret;* necesse erat profecto ut reliquos homines superarent praestantia meritorum Dei genitricis parentes, qui per illam Deo homini copularentur arctissimo vinculo propinquitatis. »

1270. Eodem pertinent quae laudatus modo praesul, quaeque eiusdem nominis Petrus chrysologus affirmant tum de hominum genere servituti obnoxio, tum de Deipara quae servitutis iugum numquam pertulerit. Et prior quidem de concepta Virgine [d]) exsul-

a) Offic. quadrag. Domin. Tyroph. Ode θ'. pag. 90. A. Ζωῆς ἡ πύλη, ἡ ἀδιόδευτος, ἡ νοητὴ, παρθένε θεοτόκε, ἀνύμφευτε, παραδείσου πύλας μοι κλεισθείσας τὸ πρὶν ἄνοιξον σαῖς πρεσβείαις, ὅτως δοξάζω σε τὴν μετὰ θεόν μου βοηθὸν, καὶ κραταιὰν προσφυγήν.

b) Offic. quadrag. Fer. IV. Hebd. I. Ieiun. Ode ι'. pag. 115. B. Fer. VI. Ode ι'. pag. 132. B. et Fer. IV. Hebd. III. Ieiun. Ode ι'. pag. 246. B. Θεοκυήτορ ἁγνὴ, ἡ οὐράνιος πύλη, ἡ σωτήριος θύρα, πάντων τῶν χριστιανῶν τὴν δέησιν προσδέχου, τῶν σὲ μακαριζόντων εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

c) Orat. in concept. s. Annae §. IX. Ἐπεὶ γὰρ ἐδεήθημεν θεοῦ σαρκουμένου διὰ τὴν ἁμαρτίαν θανάτῳ καταχριθέντες καὶ τῇ φθορᾷ, ἔδει δὲ τὴν τὸ τοιοῦτον διακονήσασαν κρείττονα πάντων ἀνθρώπων ὑπάρχειν εἰς καθαρότητα, ὡς γενησομένην, ὦ τοῦ θαύματος, μητέρα θεοῦ· ἔδει πάντως καὶ τοὺς ταύτης γεννήτορας θεοτόκου, ὡς τῶν ἄλλων εἶναι κρείττονας, θεοῦ τοῦ ἐξ αὐτῆς τεχθησομένου προπάτορας.

d) Orat. in concept. s. Annae §. II. Ἄισωμεν συμφώνως τῷ θεῷ ἡμῶν, ᾄσωμεν, ὡς τὴν τῆς ἡμετέρας πρόξενον ἐλευθερίας τῶν καταδουλωθέντων τῇ ἁμαρτίᾳ παρθένον διὰ τῆς Ἄννης καὶ τοῦ Ἰωακεὶμ πλουτοῦντες παράμομον ἱστοροῦσαν.

tur intolerabilia sustuli; neque tamen metrum severe revocandum putavi. Postremo moneo aliquot huius carminis versus a Victorino desumptos fuisse ex Tertulliani adversus Marcionem libris; quam ego rem christianos poetas lectitasse comperi. »

Digitized by Google

tans ait: « Cantemus Deo consona voce laudes, cantemus: *nam per Annam et Ioachimum immaculata prorsus Domina et Virgine ditati sumus, quae nos peccati servitute devinctos adseret in libertatem.* » Alter vero [f]) ad *Mariae* vocabulum respiciens illudque explanans inquit: « *Ne timeas Maria.* Ante caussam dignitas Virginis annunciatur ex nomine. Nam Maria hebraeo sermone, latine *domina* nuncupatur: vocat ergo angelus *dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci et vocari dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas.* » Eodem pertinent quae Sophronius quaeque Theophanes tradunt, ille [a]) ubi scribit: « *Ex te,* o Dei genitrix undequaque immaculata, *divina emanavit immortalitatis et vitae aqua, quam qui gustaverint,* o innocens, *siti mortifera liberabuntur.* » Posterior ubi sic [b]) habet: « *Mortis et corruptionis expultrix es,* o Deipara laudibus omnibus prosequenda, quae Christum peperisti qui, o penitus immaculata, *gratia incorruptibilitatis hominum naturam decoravit.* « Et [c]) rursum: « *Mortuos homines,* o sanctissima, *vivificasti, eosdemque lapsos e corruptione erexisti* pariens vitae largitorem qui liberat clamantes: gloria, o Christe, virtuti tuae. » Ac [d]) denuo: « *Renovasti,* o intemerata, divino tuo partu *corruptam passionibus mortalem terrigenarum naturam, omnesque ex morte ad incorruptam vitam suscitasti.* » Quibus haec [e]) apprime respondent: « *Mortuam humanam naturam excitasti,* o Dei sponsa, tu quae sola Christum

a) Triod. pag. 167. apud Mai spicileg. rom. T. IV. Ἐκ σοῦ τὸ θεῖον ὕδωρ ἀνέβλυσεν ἀθανασίας καὶ ζωῆς, θεοκυῆτορ παράμωμε, οὗ οἱ γευόμενοι ἅπαξ, ἀγνὴ, θανατηφόρου ῥυσθήσονται.

b) Men. die VI. Octobris Ode α'. pag. 32. col. 2. A-B. Θανάτου καὶ φθορᾶς καθαιρέτης ὑπάρχεις ἀφθαρσίας τὴν πηγὴν τεκοῦσα τὸν Χριστὸν, θεοτόκε παρώμενε, τὸν καὶ τῆς ἀθανασίας ἀράσαντα χάριτι τῶν ἀνθρώπων τὴν φύσιν, παράμωμε.

c) Men. die XIX. Ianuarii Ode δ'. pag. 148. col. 1. A. Νεκρωθέντας, παναγία, τοὺς ἀνθρώπους ἐζώωσας, πεπτακότας τούτους πρὸς διαφθορὰν ἐξανέστησας, τὸν ζωοδότην τεκοῦσα τὸν λυτρούμενον τοὺς κραυγάζοντας· δόξα, Χριστὲ, τῇ δυνάμει σου.

d) Men. die XXII. Ianuarii Ode γ'. pag. 109. col. 2. C-D. Ἐκαίνισας, ἄχραντε, τῷ θείῳ τόκῳ σου φθαρεῖσαν ἐν πάθεσι τῶν γηγενῶν τὴν θνητὴν οὐσίαν, καὶ ἔγειρας πάντας ἐκ τοῦ θανάτου πρὸς ζωὴν ἀφθαρσίας.

e) Men. die XVII. Iulii Ode θ'. pag. 87. col. 2. B-C. et die XXIX. Ode ζ'. pag. 149. col. 1. D. Νεκρωμένην τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἔγειρας μόνη σὺ ζωὴν ἀθάνατον τὸν Χριστὸν, θεονύμφευτε, γεννήσασα· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, παράμωμε.

f) Serm. CXLII. pag. 302. col. 1. D. et col. 2. C.

Digitized by Google

immortalem vitam genuisti. Benedicta tu es in mulieribus, o nulla ex parte contaminata. »

1272. Quid vero Iosephus? Eadem omnino [a]) mente scribit: « Inaccessa naturae legibus partu tuo, humana lege, o sola innocens, moreris quae, salutifero tuo germine, o inviolata, *iam pridem mortuos vivificasti.* » Neque minus alibi [b]) praeclare: « *Morsu serpentis mortuam animam meam* tu, o penitus immaculata, quae sola splendide vitam peperisti, *vivifica,* milique viam ostende explendi voluntates eius qui propter nos ex te, o Virgo, in lucem prodiit. » Atque huc referri similiter debent quae apud Iohannem damascenum semel iterumque recurrunt, cuiusmodi inprimis [c]) ista sunt: « *Generis mortalis reformationem* olim canens praenunciat propheta Abbacum, dignus habitus qui ineffabili modo typum videret. Novus namque infans Verbum *ex monte Virgine ad populorum reformationem exivit.* » Tum vero haec quibus [d]) principio ait: « Propitiatio nobis, Christe, et salus praesens illuxisti ex Virgine, ut tamquam prophetam Ionam ex ferae marinae pectoribus, *totum Adam cum omni genere cadentem a corruptione erigeres.* » Ac deinde [e]) subdit: «Celebrare decet *puellam naturam vivificantem,*

a) Men. die XIV. Augusti Ode ζ'. pag. 77. col. 1. D. Νόμους τῆς φύσεως λαθοῦσα τῇ κυήσει σου, τῷ ἀνθρωπίνῳ νόμῳ θνήσκεις, μόνη ἀγνὴ, ζωώσασα τοὺς πάλαι νενεκρωμένους, ἄχραντε, ζωηφόρῳ τοκετῷ σου.

b) Men. die XXIV. Augusti Ode ι'. pag. 134. col. 1. A. Νενεκρωμένην δήγματι τὴν ψυχήν μου τοῦ ὄφεως, μόνη προφανῶς ἡ τὴν ζωὴν κυήσασα, πανάμωμε, ζώωσον, καὶ ἐνεργεῖν ὑόδωσον τὰ τοῦ δι' ἡμᾶς ἐκ σοῦ τεχθέντος, παρθένε, θελήματα.

c) In Theogoniam pag. 674. A-B. opp. T. I.

Γένους βροτείου τὴν ἀνάπλασιν πάλαι,
Ἀιδὼν προφήτης Ἀββακοὺμ, προμηνύει,
Ἰδεῖν ἀφράστως ἀξιωθεὶς τὸν τύπον.
Νέον βρέφος γὰρ ἐξ ὄρους τῆς παρθένου
Ἐξῆλθε λαῶν εἰς ἀνάπλασιν, λόγος.

d) In Pentecost. pagg. 679. E. et 680. A.

Ἱλασμὸς, ἡμῖν, Χριστὲ, καὶ σωτηρία,
Ὁ δεσπότης ἔλαμψας ἐκ τῆς παρθένου,
Ἵν' ὡς προφήτην θηρὸς ἐκ θαλαττίου
Στενῶν, τῆς φθορᾶς διαρπάσῃς
Ὅλον τὸν Ἀδὰμ, παγγενῆ πεπτωκότα.

e) Ibid. pag. 681. A.

Ἀιδὼν ἔοικε τὸν φυσίζοον κόρον,
Μόνη γὰρ ἐν δίνῃσι πικρίφω λόγου,
Νοσοῦσαν ἀλθαίνουσα τὴν βροτῶν φύσιν.

Digitized by Google

sola namque in imis visceribus occultavit Verbum *aegrotanti* medens *mortalium naturae.*» Iis absolvo quibus inchoatur hymnus ex codice seculi X. a Federicio [1]) editus, quaeque sic habent.

» Quis possit amplo famine praepotens
» Digne fateri praemia Virginis,
» *Per quam veternae sub laqueo necis*
» *Orbi retento reddita vita est?*

1273. E qua copiosa sane testimoniorum summa haec prodit non evidens minus quam validissima immaculati conceptus defensio. Quicumque omnes originali infecti labe gignuntur, *hi ad humanitatem spectant aegrotantem, lapsam, corruptam, vitiatam, morsu serpentis laesam, servituti mancipatam, morti addictam et peccati vinculis miserrime obligatam.* Atqui ex fide sententiaque maiorum perspicuis consignata monimentis, *ab eiusmodi humanitate Virgo constantissime secernitur, illi opponitur, eaque ratione opponitur qua sola filia vitae filiis mortis, nova vitae ac salutis* [2]) *ianua aegrotantibus et perditis, intaminata corruptis, innocens pollutis, inviolata laesis morsu serpentis, et libera ac domina servis atque mancipiis.* Necesse est igitur *ut Virgo ab iis omnibus segregata funditus censeatur, qui infecti originali tabe gignuntur;* atque adeo necesse est *ut eiusdem primordia pura, nulloque afflata peccati viru existimentur.*

1274. Cuius exploratae apud maiores sententiae aliud neque minus perspicuum *ex ea imagine* petitur argumentum, qua *humanitas radicitus vitiata non secus ac spinetum spectanda obiicitur,* sed *Virgo ceu rosa depingitur ac veluti lilium repraesentatur.* Plures

1) In op. de imm. Virginis concept. pagg. 15-16.

2) Nolo hanc inscriptionem praetermittere, quae debetur Eugenio II., quamque Maraccius refert. in PP. marianis cap. XLVI. pag. 82.

Tertius Eugenius romanus Papa benignus
Obtulit hoc munus Virgo Maria tibi,
Quae mater Christi fieri merito meruisti,
Salva perpetua virginitate tibi.
Es *via*, *vita*, *salus*, totius gloria mundi,
Da veniam culpis virginitatis honos.

Itemque nolo praetermittere quae auctor libri de corona Virginis scribit cap. III. pag. 397. in collect. pp. tolet. T. I. et cap. XIX. pag. 422. inquiens: « Gaude et laetare, filia Sion, virgo inclita, lilium paradisi, quia in te gaudent angeli atque archangeli, cherubim quoque et seraphim, principatus et potestates, totiusque caelestis exercitus legiones. Siquidem tu es reconciliatio mundi, forma pacis, *via salutis*, regula disciplinae. » Porro cap. XX. pag. 426. subdit: « Tota es munda intus in mente, tota pulcra exterius in operatione, tota carens macula, tota Deo sociata, divina claritate fulgens, divinis laudibus resultans. Tu es *vita mundi*, medicina animarum languentium, arbor vitae in medio paradisi, cuius fructus sanat contritos, reparat languidos, solatur tristes, sustentat imbecilles. Tu es etiam gloria mundi, columna caeli, firmamentum virtutis, romphaea peremptrix diaboli, morsus inferni. » Quare caput XVII. pag. 429. his verbis absolvit quae ex antiquo auctore mutuatur: « Tu patrona generis humani, tu afflictis rebus medica singularis. »

Digitized by Google

huius imaginis auctores sparsim commemoravimus, e quibus suo merito recoli inter Latinos debent Sedulius qui [1]) canit:

» Et velut *e spinis mollis rosa* surgit *acutis*,
» Nil quod laedat habens, matremque obscurat honore;
» Sic *Evae de stirpe sacra veniente Maria*
» Virginis antiquae facinus nova virgo piavit.

Fulbertus carnotensis [2]) cuius haec sunt verba:

» Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem,
» Sicut *spina rosam*, genuit Iudaea Mariam;
» Ut virtus vitium operiret, gratia culpam.

Alanus Magnus de insulis qui [3]) Mariam celebrans ait:

» *Nescia spineti florens rosa*, nescia culpae
» Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens.

Adamus a sancto Victore qui [4]) sic habet:

» Salve Verbi sacra parens,
» *Flos de spinis, spina carens*,
» Flos *spineti* gloria.
» Nos *spinetum, nos peccati*
» *Spina* sumus cruentati,
» Sed *tu spinae nescia*.

Anonymus [5]) seculi XI. in hac Virginis laudatione:

» Verbum bonum et suave,
» Personemus illud ave,
» Per quod Christi fit conclave
» Virgo, mater, filia:
» Per quod ave salutata
» Mox concepit fecundata
» Virgo David stirpe nata
» *Inter spinas lilium*.

Alter eiusdem aetatis anonymus qui [6]) inter cetera scribit:

» Hoc *intactum lilium*
» Pati videns filium
» Flet, ut mater solet.

Paulus diaconus qui enarrans Isaiae [7]) vaticinium, *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*, principio [8]) ait: « Et quam decenter, carissimi, beata haec Virgo et mater virgae appellatione signata est, quae et perfecti operis intentionem ad superna emicuit, *et vitiositatis nodis funditus carens*, flexibilis per humilitatem effulsit. Inde non immerito florem protulit, quia totius

1) Carm. paach. lib. II. vv. 26-32. pag. 543. A. apud Gallandium T. IX.
2) Carm. de b. Virgine pag. 60. in max. pp. biblioth. T. XVIII.
3) Encyclopaed. cap. IX. pag. 378.
4) Apud Theophilum Raynaudum in glossario marino pag. 424. opp. T. VII.
5) Thesaur. hymnolog. pag. 93. T. II.
6) Apud Mone, lateinische hymnen des Mittelalters pag. 104. T. I.
7) Is. XI. 1.
8) Serm. in Virginis assumpt. pag. 268. C. apud Martenium vett. scriptt. T. IX.

Digitized by Google

orbis campos sacris floribus decoravit. » Tum [1]) pergit: « Flos namque singularis est Dominus noster Iesus Christus, sicut ipse aiens in canticorum loquitur [2]) Cantico: *ego flos campi et lilium convallium*. In lilio siquidem candidus color extrinsecus, intrinsecus vero flammeus cernitur: quia redemtor noster habet candorem ex virginitate [3]) carnis, habet et ignis splendorem ex potentia deitatis. Scriptum namque [4]) est: Dominus Deus noster ignis consumens est. » Atque hinc [5]) subdit: « Potest etiam *lilii nomine* sancta haec mater Domini, potest quoque virgo signari: unde et in eodem cantico [6]) subinfertur, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Quod licet et de universali ecclesia possit accipi, *convenientius* tamen *specialiter* huic potest Virgini coaptari. *Lilium siquidem flores reliquos candoris nimii nitore praecellit, odoris nihilominus iucunditate praepollet*. » Denique vetustus auctor libri *de ortu et obitu Patrum* Isidoro [7]) tributi, qui de Virgine [8]) scribit: « Maria, quae interpretatur domina vel illuminatrix aut stella maris sive stella, stirpe clara, David regis filia, Iesse virga, *rosa sine spina*, oliva alma, columna aurea, solis aurora, feminarum regina, Salvatoris sponsa, *Dei vivi filia*, principis ancilla alti, fons signatus, hortus conclusus, Trinitatis thalamus, mater Domini omnipotentis, mater solis et floris, mater agni et leonis, mater vitae et vitis, mater lucis et pacis, mater viae et veritatis, mater servi et regis, mater Dei et hominis, mater pastoris et panis, templum Dei, sacrarium Spiritus sancti. »

1275. Ex orientis autem ecclesia *eiusdem imaginis, subiectaeque illi potestatis* auctores praesto sunt Ephraemus, a quo [a]) Virgo uti *flos incorruptus, liliumque candidissimum* celebratur. Theodotus ancyranus, ex cuius sententia [9]) Virgo credi debet « Innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta [10]) animo et corpore, sicut [11]) *lilium inter medias spinas germinans*. » Chry-

a) Precat. ad Virginem pag. 530. C. opp. graeco-lat. T. III. Ἄνθος ἀμάραντον καὶ κρίνον λευκότατον.

1) Ibid. pag. 268. C-D.
2) Cant. II. 1.
3) *Virginitatem* intellige quam peccatum omnino nullum neque originale neque actuale decerpserit.
4) Hebr. XII. 29.
5) L. c. pag. 268. D-E.
6) Cant. II. 2.
7) Cf. Arevalum in Isidorianis cap. LXI. n. 48.
8) De ortu et obitu Patrum n. 86. pag. 396. inter opp. Isidori T. VII.
9) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. C. apud Gallandium T. IX.
10) I. Cor. VII. 34.
11) Cant. II. 2.

Digitized by Google

sippus hierosolymitanus qui [a]) de Virgine loquens ait: « Et arvum *spinarum ferax rosam tuam producit.* » Andreas cretensis qui [b]) Deum sistit his verbis respondentem Gabrieli sciscitanti cur nam esset Nazareth petiturus: « Quo gratissimum Deo virginitatis decus, *veluti rosam e spinoso loco* sibi omnipotens deligeret; tum etiam ob prophetiam [1]), *quoniam Nazaraeus vocabitur.* » Iohannes damascenus qui [c]) Virginem compellans inquit: « *O rosa, quae ex spinis,* Iudaeis scilicet, orta es, divinoque odore cuncta perfudisti. » Et [d]) rursum: « Te, o immaculata, suspicimus *tamquam lilium medias inter spinas* germinantem, tinctam divini Spiritus purpura, bonoque odore eos replentem qui te sincere magnificant. » Theophanes qui [e]) Virginem his verbis extollit: « O Domina et Deipara undequaque venerabilis, tu propter puritatem *inter medias spinas veluti lilium* emicasti splendoribus [2]) virginitatis tuae. » Georgius nicomediensis qui speciem Virginis animo praeceptam depingit [f]) inquiens: « Quum te, o innocens, creator Dominus noster veluti *mundam convallium rosam, liliumque suaveolens* perspexerit, tuae pulcritudinis amore captus est, et ex tuo iam sanguine induere carnem cupit, ut benevolentia sua *erroris foeditatem* expellat. » Ac postremo Iosephus qui nunc [g]) ait: « Te, o intemerata, inve-

a) Orat. in Deiparam pag. 427. B. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Καὶ τὸ σὸν φύτι ῥόδον ἀκανθοφόρον γεώργιον.

b) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 101. B-C. apud Gallandium T. XIII. Ἵνα τὸ τῆς παρθενίας θεοχαρίτωτον κάλλος, καθάπερ ῥόδον ἐξ ἀκανθωμένης χώρας ὁ παντοκράτωρ ἐκλέξηται· καὶ διὰ τὴν προφητείαν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

c) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 845. A. Ὦ ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν τῶν Ἰουδαίων ἀνφυὲν, καὶ εὐωδίας θείας πληρώσαν τὰ σύμπαντα.

d) Paraclit. pag. 172. col. 1. E. Ὁρῶμεν σὲ ὡς κρίνον σὺ τῇ ἀλουργίδι βεβαμμένην, ἄχραντε, τοῦ θείου πνεύματος, τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ ἐκλάμπουσαν, καὶ εὐωδίας πληροῦσαν τοὺς σὲ γνησίως μεγαλύνοντας.

e) Men. die XI. Iunii Ode γ'. pag. 40. col. 2. E. Ἐφάνης καθαρότητι ὡσεὶ κρίνον, δίσπουνα, τῶν ἀκανθῶν ἐκλάμψασα λαμπηδόσι τῆς παρθενίας σου ἐν μέσῳ, θεοτόκε παναγία.

f) Men. die XXIV. Martii Ode ε'. pag. 104. col. 1. B. Ὡς ῥόδον καλλάδων καθαρὸν, ὡς κρίνον εὔοσμον κατανοήσας σε ὁ πλαστουργὸς ἡμῶν κύριος, τῶν ἡράσθη σου τὸ κάλλος, ἁγνὴ, καὶ σαρκωθῆναι ἐκ τῶν σῶν αἱμάτων βούλεται, τὸ δυσωδὲς ὅπως διώξῃ τῆς πλάνης χρηστότητι.

g) Paraclit. pag. 311. col. 1. D. Ῥόδον ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν εὑρὼν, ἄχραντε, ὁ

1) Matth. II. 23.

2) *Virginitatis tuae*, atque adeo non eius- vis sed *plenae*, et ad animam aeque ac corpus pertinentis.

niens Dominus *rosam in mediis spinis*, tuorum suavitate odorum nos replevit ad ipsum compuncto corde clamantem: benedictus sit redemptor Deus. » Nunc [a]) subdit: « Ut *lilium*, ut *odoriferam rosam*, ut *divinum olfactorium* te, o innocentissima Dei sponsa, superdivinum Verbum decerpsit, tuoque in sinu habitavit, naturamque nostram, o Maria Deipara, male olentem propter peccatum suavi odore perfudit. » Et nunc [b]) Deiparae gratulatur inquiens: « *Tamquam rosam, tamquam lilium purissimum*, tamquam bene olens olfactorium, o puella, te creator deligens ex venustis mundi convallibus in tuo sinu habitavit, et caro factus mundum grato odore replevit. »

1276. Iamvero quaeratur *imago*, qua ex maiorum sententia non incommode repraesentetur hinc quidem *humanitas originali viru corrupta*, inde autem *Virgo e qua Patris Unigenitus carnem suscepit*. Tamquam *imago corruptae humanitatis* proponitur *spinetum, arvum spinarum ferax, ipsa spina, massa peccati spinis cruentata tetro infecta odore, ac plane foetens*. Sed multo est laetior *Virginis* imago. Ipsa namque modo depingitur *veluti quae primum germinavit uti rosa, mollis rosa, pura et purissima rosa, carens spina, nescia spineti, immo spineti gloria, nihil quod laedat habens, et vitiositatis modis funditus carens;* et modo depingitur *veluti quae primum prodierit uti lilium, lilium candidissimum, purissimum, suaveolens, grato odore omnia replens, ipsumque Deum odoris iucunditate permulcens*. Porro aut nihil seiunctum est, aut *prior imago a posteriore* longissime distat. Sed illa imago est humanitatis originali vitio depravatae, hac primordia Virginis exhibentur. *Primordia igitur Virginis supra quam dici cogitarique possit, ab originali corruptela ex traditione maiorum abhorruisse fatendum est.*

δεσπότης ἔπλησεν ἡμᾶς ὀσμαῖς σου τερπναῖς τοὺς ἐκβοῶντας αὐτῷ ἐν κατανύξει· λυτρωτὰ ὁ θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

a) Men. die III. Februarii Ode ν'. pag. 24. col. 1. B. Ὡς κρίνον, ὡς εὔοσμόν σε ῥόδον, ὡς θεῖον ὀσφράδιον ἐδρέψατο λόγος ὁ ὑπέρθεος, πάναγνε θεόνυμφε, καὶ σοῦ τὴν μήτραν ὤκησεν εὐωδιάζων ἡμῶν τὴν φύσιν δυσωδίας πλησθεῖσαν τῆς ἐξ ἁμαρτίας, Μαρία θεοτόκε.

b) Paraclit. pag. 406. col. 1. B. Ὡς ῥόδον, ὡς καθαρώτατον κρίνον, ὡς εὐῶδές σε ὀσφράδιον, κόρη, ὁ ποιητὴς ἐξ ἁπαλῶν κολπάδων τῶν κοσμικῶν ἐκλεξάμενος ὤκησε τὴν μήτραν σου, καὶ σαρκωθεὶς εὐωδίας τὸν κόσμον ἐπλήρωσεν.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Maiorum doctrina propriis concepta verbis, qua Deipara a mundo in quem peccatum introivit, et ab universis funditus peccatoribus segregata declaratur: idonea quae huc spectant testimonia depromuntur, fidesque de immaculato conceptu novo probationis genere communitur.

1277. Sicuti, auctore [a]) Paulo, *per unum hominem* Adamum [1]) *peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum* quasi [2]) per caussam *mors* veluti effectus grassata est; *ita* etiam *in omnes homines mors* ideo *pertransiit, quod omnes* [3]) Adamo peccante *peccaverunt*. Si quis ergo ex hominibus forte exstiterit *ab omni prorsus peccato originali atque actuali* liber ac solutus, idem necesse est *ut a quovis pariter consortio, sive* [4]) *cum mundo culpa infecto, sive cum hominibus una cum Adamo peccantibus* divisus secretusque censeatur. Bene habet. Sed ita ne maiores nostri de Virgine existimarunt? Ac huiusmodi ne est iudicium quod in omne aevum perpetuitate monimentorum de ipsa propagatum voluerunt? Quamquam doctrina superioribus comprehensa articulis ad omnem dubitationis umbram depellendam accommodatissima videri iure debeat; iuverit tamen iisdem vestigiis paullo etiam prolixius insistere, conceptisque maïorum formulis comprobare, *nihil illis fuisse antiquius quam Virginem a mundo et peccatoribus prorsus omnibus undequaque segregatam profiteri.*

1278. Quam perfectissimam segregationem luculentissime pro-

a) Rom. V. 12. Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

1) Rom. V. 14. coll. I. Cor. XV. 22.

2) Eiusmodi causalis nexus significatur particula διὰ *per*.

3) Praeclare Thomas in comm. ad h. l. « Dicendum est, quod sicut peccatum *actuale* est *peccatum personae*, quod per voluntatem personae peccantis committitur; ita peccatum *originale* est *peccatum naturae*, quod per voluntatem principii naturae communis est. » Praeiverat Augustinus ea famigerata sententia: *quum Adam peccavit, natura in illo tota peccavit.*

4) Neque enim Pauli verba, εἰς τὸν κόσμον, idem notant ac *in omnes mundi homines*, quod continuo effertur; sed idem significant ac *in hunc mundum*, propemodum diceretur: *per unum hominem peccatum, et per peccatum intentata peccato mors intrarunt in orbem terrarum, ubi antea non erant, et sic* propter penitissimum vinculum peccati tamquam caussae cum morte tamquam effectu *in omnes homines mors pertransiit, quia omnes per illud peccatum constituti fuerunt peccatores.*

Digitized by Google

fitetur Ephraemus [a]) ad Virginem clamans: « Salve *maledictionis redemptio, per quam,* o omni ex parte immaculatissima, apparuisti gaudium [1]) *mundo* ob tuum partum. » Profitetur vulgatus Athanasius qui [b]) Virginem ita loquentem inducit: « Gloria sum mulierum, *illas a priori turpitudine* [2]) *emergere feci,* Evam revocavi, igneum transtuli gladium. » Profitetur hierosolymitanus Sophronius [c]) inquiens: « O tu immaculatissima, quae *terrenam nostram massam* [3]) caelestem reddidisti Dei in te inhabitatione, omnes a periculis exime. O tabernaculum immaculatum, o Virgo sanctissima, *me passionum incursibus vehementer maculatum* fonte misericordiae tuae purga, mihique imperti, o Domina, compunctionis aquas peccati abyssum proluentes. » Profitetur Germanus constantinopolitanus, qui [d]) Deiparam inter humanumque genus comparatione instituta scribit: « Nos in multitudine peccatorum *a Deo extorres, per te* Deum quaesivimus, inventoque salvi facti sumus. Plane enim nullus tuae magnificentiae finis, inexhausta opitulatio tua, nullus benefactorum tuorum numerus. Nemo enim, *o sanctissima,* nisi per te servatur: nemo, *o immaculatissima,* nisi per te a passionibus eximitur: nemo, *o innocentissima,* nisi per te doni fit particeps. »

a) Precat. ad Virginem pag. 547. F. opp. graeco-lat. T. III. Χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, δι' ἧς χαρὰ τῷ κόσμῳ ἐδείχθης, πανάμωμε, τῷ σῷ τόκῳ.

b) Orat. in Deiparae descript. n. 6. pag. 407. inter opp. Athanasii T. II. Δόξα τῶν γυναικῶν γέγονα· τῆς προτέρας αὐτὰς αἰσχύνης ἀπέδυσα· τὴν Εὔαν ἀνεκαλεσάμην· τὴν φλογίνην ῥομφαίαν μετέστησα.

c) Triod. pagg. 130-132. apud Mai spicileg. rom. T. IV. Ἡ οὐρανώσασα ἡμῶν τὸ γεῶδες φύραμα τῇ ἐν σοὶ τοῦ Θεοῦ, πανάμωμε, ἐνοικήσει, ῥῦσαι πάντας κινδύνων. Ἀμόλυντε σεμνὴ, παρανύμφευτε παρθένε, μολυνθέντα με δεινὰς παθῶν ἐπαγωγαῖς, τῇ πηγῇ τοῦ ἐλέους σου κάθαρον, καὶ δός μοι ὄμβρους κατανύξεως, δέσποινα, ἁμαρτίας βυθὸν κατακλύζοντας.

d) Orat. in Deiparae Zonam pag. 238. Ἡμεῖς ἐν τῷ πλήθει τῶν ἁμαρτιῶν ἐκ Θεοῦ διδιαγμένοι, ἐζητήσαμεν διὰ σοῦ τὸν Θεὸν καὶ εὕρομεν, καὶ εὑρόντες ἐσώθημεν· οὐκ ἔστιν ὄντως τῆς σῆς μεγαλειότητος πέρας· οὐκ ἔστι σῆς τῆς ἀντιλήψεως κόρος· οὐκ ἔστι τῶν σῶν εὐεργεσιῶν ἀριθμός· οὐδεὶς γὰρ ὁ σωζόμενος εἰ μὴ διὰ σοῦ, πανάγια· οὐδεὶς ὁ τῶν δεινῶν λυτρούμενος, εἰ μὴ διὰ σοῦ, πανάμωμε· οὐδεὶς ὁ συγχωρούμενος δῶρον, εἰ μὴ διὰ σοῦ, πάναγνε.

1) Perspicuum est Virginem *a mundo tristitia presso seiungi*, et vicissim cum suo partu utpote immaculatissimam intime copulari.

2) Sed quam vocat τὴν προτέραν αἰσχύνην, *priorem turpitudinem?* Originalem credo, et propter primam praevaricationem contractam. Ab hac igitur auctor Virginem separat, illamque nesciam originalis turpitudinis affirmat.

3) Nequit esse manifestior antithesis, qua Virgo *utpote immaculatissima a terrena nostra massa* peccato corrupta distinguitur.

Digitized by Google

Profitetur Petrus Argorum episcopus qui [a]) conceptam Virginem laudibus prosequens ait: « Quamobrem laetemur animis universi et gestiamus hymnorum concentibus, quum in utero Annae videamus *exordia capere nobilitatem* [1]) *naturae nostrae.* Attollamus plausus et spiritales choreas agitemus, solemni festo cohonestantes *illius conceptum quae nobis attulit omnem hilaritatem atque inaestimabile gaudium* [2]) *conciliavit.* » Neque minori evidentia profitetur Iohannes damascenus, qui Deiparam his verbis [b]) primum compellat: « Salva sis *sola vere inter mulieres benedicta,* quae *primae parentis Evae lapsum restaurasti.* Salva sis *sola inter mulieres benedicta quae humillimum genus mulierum humi* [3]) *iacentium exaltasti.* » Tum eidem [c]) tribuit *quod cupiditatem omnem ad id quod solum expetendum est ac amore dignum intentam habuerit, iram autem erga peccatum dumtaxat eiusque parentem;* atque illico [d]) pergit: «Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsi, quippe quae non tui ipsius caussa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti, *ut orbis universi saluti obsequaris,* Deique antiquum consilium de incarnatione Verbi, nostra-

a) Orat. in concept. s. Annae §. II. Ἀγαλλιασώμεθα τοίνυν καὶ ψαλμικῶς ἀλαλάξωμεν ἅπαντες ὁρῶντες τὴν τῆς ἡμετέρας εὐγένειαν φύσεως ἀρχομένην ἐν τῇ γαστρὶ τῆς Ἄννης φυτεύεσθαι· κροτήσωμεν χεῖρας καὶ πνευματικοὺς χοροὺς συστησώμεθα τῆς αἰτίας ὑμῖν εὐφροσύνης ἀπάσης, καὶ χαρᾶς ἀνεκλαλήτου προξένου γενησομένης ἑορτάζοντες σύλληψιν.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. D-E. Χαίροις μόνη ὄντως ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ τῆς προμήτορος Εὔας τὸ σφάλμα ἀνορθώσασα· χαίροις μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ τὸ ταπεινότατον γένος τῶν χαμαὶ κειμένων γυναικῶν ἀνυψώσασα.

c) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. D. Ἐπιθυμίαν ἅπασαν (ἔχουσα) τετραμένην πρὸς τὸ μόνον ἐφετόν τε καὶ ἀξίρατον· τὸν θυμὸν κατὰ μόνης τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ταύτην κυήσαντος.

d) Ibid. pag. 847. D-E. Ζωὴν τῆς φύσεως κρείττονα ἕξεις· ἕξεις γὰρ οὐ σαυτῇ· οὐ γὰρ σαυτῆς ἕνεκα γεγέννησο· ὅθεν ἕξεις θεῷ, δι' ὃν εἰς τὸν βίον (al. κόσμον) ἐλήλυθας· δι' ὃν τῇ παγκοσμίῳ ἐξυπηρετήσεις σωτηρίᾳ, ὅπως ἡ ἀρχαία βουλὴ τοῦ θεοῦ, τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως, καὶ τῆς ἡμῶν θεώσεως, διὰ σοῦ πληρωθῇ.

1) Quum φύω, φύομαι proprie sit *gigno, enascor, propullulo,* et Gen. XLI. 23., Ex. X. 5. respondeat hebraico צָמַח *germinavit, pullulavit, ortus est;* itemque εὐγένεια proprie exprimat *nobilitatem ex genere ortam,* unde Hesychius, εὐγενής· ἐλεύθερος τῷ γένει, *genere ingenuus,* et scholiastes Sophoclis ad Electr. 35. εὐγενὴς· ἀπὸ ἀγαθοῦ γένους· εὐγενὴς· ὃν ἡ φυτρὶς περιφανὴς καὶ τὸ γένος: nihil evidentius quam hinc quidem *origines Virginis claras et illustres, origines autem humani generis obscuras servilesque* declarari.

2) Nos scilicet *in tristitia et peccati moerore concipimur;* is vero fuit conceptus Virginis *qui solemni festo honestaretur.*

3) Nullam igitur Virgini consortium fuit sive cum Eva labente, sive cum mulierum genere deiecto atque prostrato.

Digitized by Google

que deificatione *per te* [1]) impleatur. » Alibi vero [a]) sic habet: « Sempiternus filius *ex te*, » Virgo mater, sine semine genitus, *mundum* refinxit, et Dominus *occultum serpentem* sui baptismi aquis interfecit, *hominesque a corruptione liberavit.* » Et [b]) rursum: « *Tu*, » puella venerabilis, quae divino tuo partu *maledictum mundi expunxisti*, gregem te fideliter supplicantem intercessionibus tuis ab omnibus serva periculis. »

1279. Productis in medium testibus suum adiiciunt suffragium Iosephus et Theophanes, quorum ille Virginem [c]) exorans ait: « *Maculatus mente* et multis obrutus transgressionibus, o Dei mater, *ad te solam immaculatam me recipio*, ut mei miserearis, meque tua intercessione salves. » Et [d]) denuo: « *Laborantem impietate omnem creaturam tu*, o Virgo, Deum medicum gignens mirabiliter *sanasti*; quapropter tibi gratias agentes exclamamus, *praeter te*, o Domina, *nemo sic est* [2]) *immaculatus.* » Ac [e]) rursum: « Purum Verbum, o puella, *te utpote puram* praeeligens in te habitavit, *ut per te hominum labes detergeret.* » Quid iamvero Theophanes? Cum Iosepho egregie conspirans nunc [f]) scribit: « *Ex te nobis* progerminavit flos incorruptus *universam humanitatem divino unguento suae naturae perfundens*, is qui cum Patre coaeternus, ex te, o

a) Men. die X. Ianuarii Ode γ'. pag. 96. col. 2. B. Ἐκ σοῦ γεννηθεὶς ἄνευ σπορᾶς υἱὸς ὁ προαιώνιος, παρθενομῆτορ, κόσμον ἀνέπλασε, τὸν κεκρυμμένον ὄφιν τοῖς ὕδασιν ἐν τῷ βαπτισμῷ αὐτοῦ θανατώσας κύριος, καὶ φθορᾶς τοὺς ἀνθρώπους ῥυσάμενος.

b) Men. die XXIX. Augusti Ode θ'. pag. 162. col. 2. B. Ἡ τὴν ἀρὰν τοῦ κόσμου τῷ θείῳ τόκῳ σου, σεμνὴ, ἐξαφανίσασα, ποίμνην σὲ λιτανεύουσαν πιστοὺς ἀπὸ παντοίων ῥῦσαι περισβάσεως σου, κόρη.

c) Men. die XIII. Iulii Ode ε'. pag. 62. col. 2. B. Μεμολυσμένος τὸν λογισμὸν, καὶ ἠχρειωμένος ταῖς πολλαῖς, μῆτερ θεοῦ, παραβάσεσι, σὲ καθικετεύω, μόνη ἀμόλυντε, οἰκτεῖραί με καὶ σῶσαι τῇ μεσιτείᾳ σου.

d) Men. die XVII. Augusti Ode γ'. pag. 99. col. 1. D. Νοσοῦσαν ἀθεΐᾳ τὴν πᾶσαν κτίσιν, θεὸν κυοφορήσασα ἰατῆρα, παρθένε, ἐθεράπευσας παραδόξως· εὐχαριστοῦντες σοὶ διὸ κραυγάζομεν· ὡς οὐκ ἔστιν ἄμωμος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

e) Men. die XVI. Octobris Ode ζ'. pag. 99. col. 1. B-C. Ὡς καθαρόν σε ὁ καθαρὸς λόγος κατῴκησε, κόρη, διὰ σοῦ καθάραι τοὺς μολυσμοὺς τῶν ἀνθρώπων προελόμενος.

f) Men. die XXII. Ianuarii Ode γ'. pag. 169. col. 1. A. Ἐκ σοῦ ἀνεβλάστησεν ἡμῖν τὸ ἄνθος τὸ ἀμάραντον, ἐνανδριάζον πᾶσαν ἀνθρωπότητα τῷ θείῳ μύρῳ τῆς αὐτοῦ φύσεως, ὃ πατρὶ συνάναρχος, καὶ ἐκ σοῦ γενόμενος ὑπὲρ χρόνον, παρθένε πανάμωμε.

1) Ubi quisque videt *a mundo perdito et reparatione indigo* funditus Virginem segregari.

2) Paullo ante de Christo agens Iosephus scripserat: Σὺ εἶ θεὸς ἡμῶν, καὶ οὐκ ἔστι δίκαιος πλὴν σοῦ, κύριε. *Tu es Deus noster, et nemo praeter te, Domine, est iustus.*

Digitized by Google

Virgo penitus immaculata, in tempore genitus est. » Nunc [a]) subdit: « *Illam* hymnis celebremus, quae *universis hominibus apparuit salutis conciliatrix, et splendoribus divinae innocentiae suae mundum illuminavit.* » Nunc [b]) clamat: « Quotquot sumus fideles beatificemus Deiparam, fervens praesidium, in necessitatibus nostris tutelam, ad Deum conciliatricem, *per quam a corruptione liberati sumus.* » Et nunc [c]) ait: « Per partum tuum, *o benedicta innocentissima, vinculis condemnationis et maledicti solutus sum;* tu namque sola super terram, o penitus immaculata, Deum ex puris tuis sanguinibus carne induisti. »

1280. Qua de re insignia ex aequo sunt quae usurpantur [d]) in Paracletice: « Salve forceps divini carbonis, salve prophetarum obsignatio et apostolorum praedicatio, o Deipara intemerata, *per quam a corruptione liberati sumus.* » Quae usurpantur [e]) in Triodio: « Qui ex gentibus sumus, te, o innocens Deipara, celebramus quod pepereris Christum Deum nostrum, *qui homines per te a maledicto liberavit.* » Et quae [f]) in officio usurpantur communis supplicationis: « Ut *naturam meam morti et corruptioni subiectam* a morte et corruptione seipsum morti tradens *(Christus)* liberavit; ita, o Virgo, Dominum tuum filiumque precare, ut ab hostium fraudulento molimine me eripiat. De nostra salute pro voluntate disponens,

a) Men. die XI. Mail Ode θ'. pag. 46. col. 1. D. Σωτηρίας πᾶσι τὴν πρόξενον φανεῖσαν ἀνθρώποις, καὶ τὸν κόσμον φωτίσασαν λαμπηδόσι θεοειδοῦς ἁγνείας, ἐν ὕμνοις μεγαλύνωμεν.

b) Men. die III. Septembris Ode γ'. pag. 23. col. 2. E. Τὴν θερμὴν ἀντίληψιν, τῶν ἐν ἀνάγκαις τὴν ἡμῶν βοήθειαν, καὶ πρὸς θεὸν καταλλαγήν, δι' ἧς φθορᾶς ἐλυτρώθημεν, τὴν θεοτόκον πιστοὶ μακαρίσωμεν.

c) Men. die IV. Septembris Ode ς'. pag. 31. col. 2. A-B. Δεσμῶν ἀπολέλυμαι καταδίκης καὶ ἀρᾶς, εὐλογημένη πάναγνε, τῷ τοκετῷ σου· μόνη γὰρ ἐπὶ γῆς θεὸν ἐσωμάτωσας καθαρῶν ἐξ αἱμάτων σου, πανάμωμε.

d) Paraclit. pag. 408. col. 2. B. Χαῖρε ἡ λαβὶς τοῦ ἄνθρακος τοῦ θείου, χαῖρε προφητῶν σφραγὶς, καὶ ἀποστόλων τὸ κηρύγμα, ἄχραντε θεοτόκε, δι' ἧς φθορᾶς ἠλευθερώθημεν.

e) Triod. pag. 418. col. 2. E. Οἱ ἐξ ἐθνῶν ὑμνοῦμέν σε, θεοτόκε ἁγνὴ, ὅτι Χριστὸν τὸν θεὸν ἡμῶν ἔτεκες, τὸν ἐκ τῆς κατάρας τοὺς ἀνθρώπους διὰ σοῦ ἐλευθεράσαντα.

f) Eucholog. pagg. 857-858. Θανάτου καὶ τῆς φθορᾶς ὡς ἔσωσεν ἑαυτὸν ἐκδικῶν τῷ θανάτῳ τὴν τῇ φθορᾷ καὶ θανάτῳ μου φύσιν καταισχυθεῖσαν, παρθένε, δυσώπησον τὸν κύριόν σου καὶ υἱὸν τῆς ἐχθρῶν κακουργίας με ῥύσασθαι.

Τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, ὡς ἠθέλησας, σῶτερ, οἰκονομήσασθαι ἐν μήτρᾳ τῆς παρθένου κατώκησας, τῷ κόσμῳ ἣν προστάτιν ἀνέδειξας.

Digitized by Google

o Salvator, in Virginis utero habitasti, illamque mundi protectricem ostendisti. »

1281. Cum his autem praeclare consentiunt quae latinis coptisque monimentis consignata reperimus. In illis enim, auctore [1]) Anselmo, legimus: « Surge, beatissima Virgo, misericorditer ora pro nobis; surge et amplectere misericordiam redemptoris et da preces iugiter *pro nobis quos cernis tam graviter offensos ante oculos conditoris*. Per te, Domina gloriosa, ad Iesum filium tuum mereamur ascendere, qui per te ad nos dignatus est descendere. Per te, beata Virgo, venire valeamus in ipsius gloriam, qui per te in nostram venit miseriam. Per te accessum habeamus ad Filium tuum, *qui per te redemit mundum*. O benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, *per te suscipiat nos* qui per te datus est nobis. Excuset, piissima Domina Virgo Maria, apud piissimum Filium tuum *integritas tua culpam nostrae* [2]) *corruptionis*, et humilitas tua Deo grata nostrae veniam impetret vanitatis. » Et [3]) rursum:

» Ave *per quam salva* » Ave mater, de qua nobis
» *Fit confitens Sion nostra,* » Angelorum natus panis
» Et quibus datur gratia » *Nos revocat et reficit,*
» Inhabitabunt in ea. » Et in seipso perficit.

Itemque [4]):

» Ave sponsa insponsata, » Incarnationis divae
» *Per quam orbis prorsus lapsi* » Uterus tu facta es.
» Facta est ereptio. » *Per quam renovatur omnis*
» Ave per quam primae matris » *Creaturae species,*
» Est Evae redemptio. » Cum qua adoratur factor
» Sancta Maria ora pro nobis. » Et origo omnium.

Legimus, auctore [5]) Petro Damiani:

» Ille dum te salutat » Tu solve quod debemus,
» Evae nomen commutat: » Averte quod timemus,
» *Reduc nos Virgo sancta* » Impetra quod optamus,
» Unde est nequam lapsa. » Perfice quod speramus.

Et in sacramentario Gelasii [6]) legimus: « Exaudi nos Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, qui per beatae Mariae sacri uteri

1) Orat. LIII. ad Deiparam, pag. 283. col. 1. B. et col. 2. A.

2) Diserte haec sunt, et Virginem *ab universali corruptione* luculenter eximunt.

3) Psalterii par. II. p. 305. col. 2.

4) Hymn. II. in solemn. Deiparae pag. 306. col. 2.

5) Rhythm. de beata Virgine pag. 11. col. 2. opp. T. IV.

6) Apud Thomasium opp. T. VI. pag. 132.

Digitized by Google

divinae gratiae obumbrationem universum mundum illuminare dignatus es, maiestatem tuam supplices exoramus, ut quod nostris meritis obtinere non valemus, eius adipisci praesidiis mereamur. Tibi quaesumus, Domine, famulantes, prece humili auxilium implorantes, et beatae semper virginis Mariae nos gaudia comitentur solemniis: *cuius praeconio ac meritis nostra deleantur chirographa peccatorum*, atque a rubigine scelerum et mole vitiorum, igne compunctionis, tui amoris mundemur incursu.» Apud Coptos tandem [a]) haec solemnia sunt: «Peperisti, o Virgo, datorem vitae, et Adamum atque Evam a peccato salvasti. Evae pro dolore cordis gaudium rependisti, *nobis pro perditione et ruina elargita es vitam et salutem, et facta es nobis advocata coram Deo* qui factus est homo, quique ex te carnem suscepit.»

1282. Agedum, rationes subducantur, et quae ex maiorum suffragio *ad Virginem*, quaeque *ad perditum originali transgressione mundum, lapsamque humanitatem* spectant, mutuo comparentur. Potiora comparationis capita huc perspicue redeunt: I. quemadmodum *mundus* describitur *deturpatus, maledictus, perditus;* ita *Virgo* non secus ac ea exhibetur, *per quam turpitudo cessarit, soluta fuerit maledictio, et ruinae cumulate prospectum.* Et II. quemadmodum humanitas spectanda proponitur [1]) *veluti origine serva, captiva, maledicta, ignominia affecta, deformata, lapsa, humi iacens, a Deo extorris, aegra, maculata, foetens, occaecata, corrupta, devia et utrique morti corporis animaeque subiecta;* ita *Virgini* tamquam privum propriumque defertur, *tum quod ipsa origine ipsisque primordiis ingenua fuerit ac libera, secreta a nostra*

a) Theotoch. pag. 23.
Ⲁⲣⲉⲙⲓⲥⲓ ⲱ ⲑⲡⲉⲣⲫⲉⲛⲟⲥ ⲫⲣⲉϥⲑⲓⲙⲡⲱⲛϧ ⸗ Ⲟⲧⲟⲩ ⲁⲣⲉⲛⲟⲩⲉⲛ ⲛⲁⲗⲗⲁⲙ ⲛⲉⲙ Ⲉⲧⲁ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲫⲛⲟϭⲓ · ⲁⲣⲉϯ ⲙⲡⲟⲧⲛⲟⲩ ⲛⲧⲯⲩⲭⲏ ⲙⲡⲉⲥⲁⲕⲁⲩ ⲛⲉⲓⲙ ⸗ ⲁⲣⲉⲣⲣⲁⲓⲟⲧ ⲛⲁⲛ ⲙⲡⲓⲱⲛϧ ⲛⲉⲙ Ⲫⲛⲟⲩⲉⲙ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲡⲧⲁⲕⲟ ⲛⲉⲙ ⲡⲯⲓϯ ⸗ ⲉⲣⲉⲩⲱⲛⲓ ⲛⲁⲛ ⲙⲡⲣⲟⲥⲧⲁⲧⲏⲥ ⲛⲁⲣⲉⲛ ⲫϯ ⲫⲏ ⲉⲧⲁⲩⲉⲣⲣⲱⲙⲓ ⸗ ⲫⲏ ⲉⲧⲁⲩϭⲓⲥⲁⲣⲝ ⲉⲃⲟⲗ ⲙⲙⲁϯ ⸗

1) Haec veluti membra *comparationis iuxta ac oppositionis*, quae ex productis maiorum testimoniis debent esse certissima, iis egregie confirmantur quae leguntur in Paraclit. pagg. 67. col. 1. D. 89. col. 1. C. 205. col. 2. C. et in Menaeis die XXIX. Septembris Ode γ'. pag. 184. col. 2. E., die IX. Novembris Ode ε'. pag. 64. col. 1. E., die X. Ode α'. pag. 69. col. 1. A., die XXIII. Ode δ'. pag. 172. col. 2. B., die XXII. Februarii Ode ε'. pag. 122. col. 2. B-C., die XXV. Ode ε'. pag. 139. col. 1. E., die XXVIII. Ode γ'. pag. 153. col. 1. B., die XXIX. Ode θ'. pag. 159. col. 2. B., die IX. Iunii pag. 33. col. 1. A., die XXV. Ode θ'. pag. 99. col. 2. D-E., die XXVIII. pag. 107. col. 1. A., die XI. Aprilis Ode γ'. pag. 46. col. 1. E. et die XIX. Ode θ'. pag. 76. col. 2. C-D.

Digitized by Google

massa terrena, gloria et gaudium universi generis: tum quod devios homines reduxerit, occaecatos illuminarit, foetentes suavitate odoris perfuderit, lapsos erexerit, aegros sanarit, humi iacentes sublevarit, amissa [1]) *pulcritudine auxerit, fraude serpentis e paradiso detrusos* [2]) *ad caelum provexerit, cum Deo conciliarit, et a servitute ac morte exemptos* [3]) *in pristinam libertatem vitamque restituerit.* Hinc [4]) penes Andream cretensem Maria sistitur *primitiarum instar*, sed reliqua humanitas *instar conspersionis medullitus depravatae.* Hinc [5]) penes Georgium nicomediensem Maria est *tabernaculum quod sibi constat immotum, quod lapsum humanitatis tabernaculum erigit, quodque damnum amissae ingenuitatis restaurat.* Atque hinc [a]) Iacobus monachus Deum alloquens, eique gratias agens pro collatis in hominum genus benefactis, inter cetera scribit: «Cum primis vero huius ratione mysterii *(natae Virginis)*, quodque tale nobis ornamentum et gloriationem, intemeratissimam matrem tuam, donaveris, *communem illam gaudii caussam, caelestium ordinum exsultationem, indissolubilem naturae laetitiam, generis iucunditatem, progenitorum qui defecerunt refrigerium, per quam primae parentis lacrymarum rivi repressi sunt, quae tristitiae interemptio est et sempiternae quietis initiatio.*» Nihil porro luculen-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1284. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὑπὲρ δὲ τούτου μᾶλλον τοῦ μυστηρίου, καὶ ἀνθ' ὧν τοιοῦτον ἡμῖν ἐγκαλλώπισμα τὴν σὴν πανάχραντον διέθρεψαι μητέρα· τὴν κοινὴν τῆς χαρᾶς αἰτίαν· τὸ ἀγαλλίαμα τῶν οὐρανίων ταγμάτων· τὴν ἀκατάλυτον εὐφροσύνην τῆς φύσεως· τὴν θυμηδίαν τοῦ γένους· τὴν τῶν ἀπιρρυήτων προγόνων ἀνα-ψυχήν· δι' ἧς οἱ τῶν ἱδρώτων τοῦ προπάτορος ἀνεκόπησαν κρουνοί· ἢ τῆς λύπης ἀναίρεσις· ἡ τῶν ὠδίνων ἴασις· ἡ τῶν στεναγμῶν ἀπαλλαγή· ἡ ἄφεσις τῶν πόνων· ὁ τῆς ἀϊδίου καταπαύσεως ἐγκαινισμός.

1) Men. XXV. Februarii Ode ε'. pag. 139. *pestis suggestione deiectam ad caelum revocasti, ab omnibus vitae scandalis me serva, meque dignum effice qui salutem nanciscar.*

3) Men. die XIX. Aprilis Ode θ'. pag. 75. col. 2. C-D. Ῥιφέντας οὐρανίου διαγωγῆς, καὶ πεσόντας ἀθλίως εἰς θάνατον, πάλιν ἡμᾶς μήτης γενομένη τοῦ λυτρωτοῦ ἀνεκαλέσω, πάναγνε, καὶ πρὸς τὴν ἀρχαίαν πολιτάρχιν ἤξιωσας πατρίδα. *Nos a caelesti conversatione detrusos et misere in mortem prolapsos, tu, o innocentissima, mater facta redemptoris revocasti, nosque dignos reddidisti qui primam patriam repeteremus.*

4) Orat. in Deiparae nativit. pag. 95. A-B. apud Gallandium T. XIII.

5) Orat. in oraculum concept. Deiparae p. 997. A-D. apud Combefis. Auctar. T. I.

2) Men. die XXII. Februarii Ode ϑ'. pag. 122. col. 2. B-C. Μήτηρ θεοῦ εὐλογημένη πανάμωμε, ἀθλιοφόρων θείων ἐγκαλλώπισμα, ἡ οὐρανώσασα τὴν ἡμῶν φύσιν ἀπροσδεῖσαν τῇ συμβουλίᾳ τοῦ ὄφεως, διάσωσόν με πάντων τῶν τοῦ βίου σκανδάλων, καὶ τυχεῖν σωτηρίας ἀξίωσον. *Mater Dei benedicta et penitus immaculata, divinum victorum decus, quae naturam nostram ser-*

Digitized by Google

tius quam *eiusmodi comparatione multiplicem contineri antithesim lateque fusam oppositionem, qua Virgo a mundo originali labe infecto seiungitur, et longissime ab humanitate segregatur, quae protoparentum vitio in miserrimam satanae, peccati, mortisque servitutem offendit.* Id unum igitur est reliquum, *ut Virgo a quovis consortio communis peccati, universalisque transgressionis ex maiorum suffragio immunis solutaque videatur.*

ARTICULUS IV.

Concors christiani nominis traditio de multiplici omnino antithesi, qua Virgo a protoparentibus secernitur: accommodatiora huius oppositionis capita recensentur, cum quibus duo inprimis conserta demonstrantur, quorum alterum est nullum admitti posse Virginis consortium cum protoparentibus originalis praevaricationis auctoribus, alterum vero primordia Virginis nullo plane naevo fuisse maculata.

1283. Prolatis Apostoli verbis [1]) ex epistola ad Romanos, *sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* subdit [2]) Augustinus: « Per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccarunt, *quando omnes ille unus fuerunt.* » Etenim [3]) « parvuli non secundum suae vitae proprietatem, sed secundum generis humani originem *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt,* in quo omnes peccaverunt. » Nihil enim verius hisce [4]) Ambrosii verbis: « *Omnes in Adam mortui,* quia per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt. » Atque nihil hisce verius quae [5]) subdit: « Fuit Adam, *et in illo fuimus omnes.* Periit Adam, *et in illo omnes perierunt.*» Praeiverat Iustinus [a]) inquiens: « Quumque tum Iesus ad Iordanem

a) Dialog. cum Tryph. n. 88. pag. 306. Καὶ τότε ἐλθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν, ἔνθα ὁ Ἰωάννης ἐβάπτιζε, κατελθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, καὶ ἀναβάντος αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ὕδατος ὡς στρισταὶ τὸ

1) Rom. V. 12.
2) De nuptiis et concupiscent. lib. II. cap. V. num. 15.
3) De civ. Dei lib. XVI. cap. XXVII.
4) Exposit. in Luc. lib. IV. n. 67.
5) Ibid. lib. VII. n. 234.

Digitized by Google

fluvium venisset ubi Iohannes baptizabat, descendente Iesu in aquam etiam [1]) ignis accensus est in Iordane, et ei ex aqua prodeunti Spiritum sanctum sicut columbam involasse scripserunt apostoli huius ipsius Christi nostri. Neque tamen ideo, quod [2]) egeret baptismo aut delabente in specie columbae Spiritu, eum ad fluvium venisse scimus, quemadmodum neque nasci neque crucifigi ideo, quod his rebus indigeret, sustinuit; sed pro genere hominum, *quod ab Adamo in mortem et serpentis seductionem inciderat*, ut interim propriam pro se maligne agentis cuiusque culpam [3]) taceam. » Praeiverat Irenaeus [4]) inquiens: « Et non solum autem per ea quae praedicta sunt, et Patrem et semetipsum manifestavit Dominus, sed etiam per ipsam passionem. Dissolvens enim *eam quae ab initio in ligno facta fuerat hominis inobedientiam*, obediens [5]) factus est usque ad mortem, mortem autem crucis; eam quae in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quae in ligno fuerat obedientiam sanans. Non autem per eamdem venisset exsolvere *eam, quae fuerat erga plasmatorem nostrum inobedientiam*, si alterum annuntiabat Patrem. Quoniam autem per haec, *per quae* [6]) *non audivimus Deum, et non credidimus eius verbo*, per haec eadem obedientiam introduxit, et eam quae esset erga verbum eius assensionem, per quae [7]) manifeste ipsum ostendit Deum, *quem* [8]) *in primo quidem Adam*

ἅγιον πνεῦμα ἐπιπτῆναι ἐπ' αὐτὸν ἔγραψαν οἱ ἀποστολοὶ αὐτοῦ τούτου τοῦ Χριστοῦ ἡμῶν· καὶ οὐχ ὡς ἐνδεὴς αὐτὸν τοῦ βαπτισθῆναι ἢ τοῦ ἐπιλθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς πνεύματος οἴδαμεν αὐτὸν ἐληλυθέναι ἐπὶ τὸν ποταμόν, ὥσπερ οὐδὲ τὸ γεννηθῆναι αὐτὸν καὶ σταυρωθῆναι ὡς ἐνδεὴς τούτων ὑπέμεινεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τοῦ τῶν ἀνθρώπων, ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει, παρὰ τὴν ἰδίαν ἑκάστου αὐτῶν παρηνεσαμένου.

a) Graeca habentur in Iohannis damasceni parallelis. Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ Ἀδὰμ προσκόψαμεν, μὴ ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν, ὑπήκοοι θανάτου γενόμενοι· οὐδὲ γὰρ ἄλλῳ τινὶ ἦμεν ὀφειλέται, ἀλλ' ἢ ἐκείνῳ, οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ' ἀρχῆς.

1) De hoc igne accenso, cuius nullam evangelistae mentionem faciunt, conferri possunt tum quae ex evangelio ebionitarum adduxit Epiphanius haeres. XXX. §. XIII., tum quae habentur in oraculis sibyll. lib. VII. vv. 81-83. apud Galland. T. I. pag. 387. itemque in libro Severi alexandrini de ritibus baptismi et sacrae synaxeos apud syros christianos receptis pag. 24. edit. Antuerpiae MDLXXII.

2) His expugnatur haereticum delirium, quod legitur in praedicatione Pauli apud Fabricium cod. apocr. N. T. P. III. pag. 654., quodque refellit Ursinus afer in libello de baptismo haereticorum pag. 30. inter opp. Cypriani edit. Fell.

3) Cf. Marani praefat. pag. XXV. et Semischium *Justin der* Martyr P. II. pag. 299. n. 2.

4) Con. haeres. lib. V. cap. XVI. n. 3. pag. 762.

5) Philipp. II. 8.

6) Al. *obedivimus Deo.*

7) Ex coniectura Grabii, *per quam.*

Digitized by Google

offendimus, non facientes eius praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam *eramus debitores*, sed illi *cuius et praeceptum transgressi fueramus ab initio.* » Et ne sim nimius, praiverant Basilius et Gregorius nazianzenus, quorum ille ut *ieiunii* dignitatem necessitatemque commendet [a]), praemittit, *quidquid vetustate praecellit, idem venerabile est;* tum [b]) pergit: « Reverere ieiunii caniciem. Tam vetus est ut simul cum homine condito coeperit: in paradiso praescriptum est. Primum illud praeceptum accepit [1]) Adamus: *de ligno scientiae boni et mali non comedetis.* Illud autem, *non comedetis*, ieiunii et abstinentiae lex est. *Si a ligno ieiunasset Eva, nequaquam hoc nunc ieiunio* [2]) *opus haberemus.* Neque [3]) enim opus est valentibus medico, sed male habentibus. *Fuimus per peccatum laesi*, sanemur per poenitentiam: poenitentia autem sine ieiunio iners est et infrugifera. Maledicta [4]) terra spinas et tribulos germinabit tibi. *In tristitia vivere* iussus es, non indulgere deliciis. *Per ieiunium satisfacito Deo.*» Theologi vero [5]) doctrina nequit esse luculentior. Nunc enim [c]) ait: « Omnes ex eadem terra et massa concreti sumus, *eamdemque vitii arborem gustavimus.* » Nunc in Apollinarium invectus [d]) exclamat. « Oportebat enim sci-

a) De ieiunio hom. I. n. 3. pag. 3. A. opp. T. II. Πᾶν τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον, αἰδέσιμον.

b) Ibid. pag. 3. A-C. Δυσωπήθητι τὴν πολιὰν τῆς νηστείας· συγγενικώτατός ἐστι τῆς ἀνθρωπότητος· νηστεία ἐν τῷ παραδείσῳ ἐνομοθετήθη· τὴν πρώτην ἐντολὴν ἔλαβεν Ἀδάμ· ἀπὸ τοῦ ξύλου τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν οὐ φάγεσθε· τὸ δέ, οὐ φάγεσθε, νηστείας ἐστὶ καὶ ἐγκρατείας νομοθεσία· εἰ ἐνήστευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου ἡ Εὔα, οὐκ ἂν ταύτης νῦν ἐδεόμεθα τῆς νηστείας· οὐ γὰρ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες· ἐκακώθημεν διὰ τῆς ἁμαρτίας· ἰαθῶμεν διὰ τῆς μετανοίας· μετάνοια δὲ χωρὶς νηστείας ἀργή· ἐπικατάρατος ἡ γῆ, ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι· στυγνάζειν προσετάχθης, μὴ γὰρ τρυφᾶν· διὰ νηστείας ἀπολόγησαι τῷ Θεῷ.

c) Orat. XX. al. V. n. 2. pag. 210. A. Πάντες ἐσμὲν τοῦ αὐτοῦ χοὸς καὶ φυράματος, καὶ τοῦ αὐτοῦ ξύλου τῆς κακίας γεγεύμεθα.

d) Orat. XXII. al. XIV. n. 13. pag. 422. C-D. Ἐχρῆν γὰρ ἴσως ἡ θεότης ἥνωται, διαιρεῖσθαι τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ περὶ τὸν νοῦν ἀνοσιαίνειν τοὺς τἄλλα σοφούς, καὶ μὴ ὅλον μὲ σώζεσθαι, ὅλον πταίσαντα καὶ καταχριθέντα ἐκ τῆς τοῦ πρωτοπλάστου παρακοῆς, καὶ πλοκῆς τοῦ ἀντικειμένου, ὡς ἐλαττοῦσθαι τῷ μὲν Θεῷ τὴν χάριν, ἡμῖν δὲ τὴν σωτηρίαν.

1) Gen. II. 17.

2) Hoc ipso Basilii testimonio utitur Augustinus con. Iulian. lib. I. cap. V. n. 18.; ut catholicam veritatem de propagata originis labe tueatur.

3) Matth. IX. 12.

4) Gen. III. 17.

5) Illam probat commendatque Augustinus con. Iulianum lib. I. cap. V.

Digitized by Google

licet, postquam deitas unita [1]) esset, humanitatem dividi, et circa mentem homines alioqui sapientes insipientes evadere, *meque qui totus cecidi, atque ob primi hominis inobedientiam et diaboli fraudem condemnatus sum*, non omni ex parte salutem consequi, ut ita et Dei beneficium et nostra salus imminuatur. » Nunc de semetipso [a]) testatus, *omnem enim cupiditatem abieci ex quo Christo nomen dedi, neque ex omnibus rebus quae aliis iucundae atque expetendae videri solent*, ulla teneor; prolixam harum enumerationem hisce omnino verbis [b]) concludit: « Non denique his omnibus *quae ex primo illo gustu, qui nobis interitum attulit, originem traxerunt.* » Nunc [c]) scribit: « Postquam autem diaboli invidia et *fraude facta mulieri*, quam et ut mollior passa est, et ut ad persuadendum accommodatior admovit: *o infirmitatem meam!* meam enim duco primi parentis infirmitatem: accepti mandati oblitus, et huic gustui acerbo adquievit, tum simul et a ligno vitae, et a paradiso, et ab ipso Deo propter peccatum expellitur. » Et nunc [d]) supernae providentiae oeconomiam enarrans inquit: « Quandoquidem *nos per peccatum ab initio lapsi, atque voluptatis illecebra* ad idolorum usque cultum nefariosque cruores *surrepti fueramus*, per viscera misericordiae Dei Patris nostri qui hominis, tanti manus suae opificii, iacturam facere non sustinuit, *revocari ac in pristinum statum restitui oportebat.* »

1284. Indubiis itaque christianae doctrinae capitibus, exploratae que maiorum traditioni accenseri debet, *nonnisi intima cum pro-*

a) Orat. XXIV. al. XVIII. §. 3. pag. 439. A. Πάντα τοίνυν ἀπεσεισάμην, ἀφ' οὗ Χριστῷ συνεταξάμην, καὶ οὐδὲν αἴρει με τῶν ὅσα τερπτὰ τοῖς ἄλλοις καὶ περισπούδαστα.

b) Ibid. pag. 439. B-C. Οὐχ ὅσα τῆς πρώτης γεύσεως ἡμῶν, ἐξ ἧς ἀπολώλαμεν ἔκγονα.

c) Orat. XLV. al. XLII. n. 8. pag. 851. A-C. Ἐπεὶ δὲ φθόνῳ διαβόλου, καὶ γυναικὸς ἀπατείᾳ, ἣν τε ἔπαθεν, ὡς ἀπαλωτέρα, καὶ ἣν προσήγαγεν, ὡς πιθανωτέρα· φεῦ τῆς ἐμῆς ἀσθενείας· ἐμὴ γὰρ ἡ τοῦ προπάτορος· τῆς μὲν ἐντολῆς ἐπελάθετο τῆς δ' ὀθείσης, καὶ ἥττήθη τῆς πικρᾶς γεύσεως· ὁμοῦ δὲ τοῦ τῆς ζωῆς ξύλου καὶ τοῦ παραδείσου, καὶ τοῦ θεοῦ διὰ τὴν κακίαν ἐξώριστος γίνεται.

d) Ibid. n. 12. pag. 854. B-D. Ἐπειδὴ πεσόντας ἡμᾶς ἐκ τῆς ἁμαρτίας τὸ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ διὰ τῆς ἡδονῆς κλαπέντας μέχρις εἰδωλολατρείας, καὶ τῶν ἀθέσμων αἱμάτων, εἶδεν πάλιν ἀνακληθῆναι, καὶ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἐπαναχθῆναι, διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, οὐκ ἀνασχομένου ζημιωθῆναι τοσοῦτον ἔργον τῆς οἰκείας χειρὸς, τὸν ἄνθρωπον.

1) Intellige, *cum carne*, Elia cretensi interprete.

Digitized by Google

toparentibus coniunctione originale peccatum in singulos quosque diffundi, atque neminem prorsus eiusdem labe injici et vinculis obligari, qui in illis et cum illis non fuerit Deo incredulus, a serpente deceptus, eius viru corruptus et a diabolo subversus, quique vetitum non gustarit fructum, ieiunii legem non violarit, non fuerit erga plasmatorem inobediens, non offenderit in maledictum et damnationem, non inciderit in mortem, non contraxerit aegritudinem, non fuerit e paradiso in tristitiam et lacrymarum vallem detrusus, atque a Deo eiusque amicitia lumentabili separatione divisus. Quare nemo umquam fuit, est, eritque originali vitio reus, de quo non possint ac vero etiam debeant ista repeti quae scribit pius idemque vetustus [1]) auctor tractatus de praecipuis religionis nostrae mysteriis inquiens: « Post haec talia et tanta dona es praevaricatus, ut ires in locum pessimum, de vita ad mortem, de incorruptione ad corruptionem, de libertate ad servitutem, de gloria ad poenam, de innocentia ad culpam, de patria in exsilium, de gaudio ad luctum, de beatitudine ad miseriam, de quiete ad aerumnam; et qui eras concivis supernorum civium, factus es subiugalis daemonum; et qui revelata facie poteras incessanter perfrui adspectu desiderabilis vultus divinae claritatis, in quem [2]) desiderant angeli prospicere, cogeris inde turpia et pudenda videre; et secundum prophetam [3]) qui nutriri debueras croceis, amplexatus es stercora. Denique proscriptus de loco voluptatis, de paradiso amoenitatis detruderis in vallem plorationis; et factus es miser ille viator qui descendit de Ierusalem in Iericho et incidit in manus latronum, in arbitrium malignorum spirituum, qui vulneratum eum in naturalibus, spoliaverunt in gratuitis, et abierunt semivivo relicto, immo duplici morte corporis et animae affecto. » Quae omnia ibi paucis Leontius byzantinus complexus est, ubi [a]) ex doctrina divinarum litterarum

a) Adver. nestorianos lib. IV. §. XIV. pag. 558. apud Mai scriptt. vett. T. IX. Ἰδοὺ γὰρ καὶ φύσει τέκνα ὀργῆς, καὶ υἱοὶ ἀπειθείας καὶ ἀνομίας, καὶ υἱοὶ σκότους, καὶ τέκνα τοῦ πονηροῦ, καὶ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ τέκνα τοῦ διαβόλου, ἀλλὰ καὶ τέκνα θεοῦ, καὶ θελήματος θείου γεννήματα, καὶ υἱοὶ φωτὸς, καὶ υἱοὶ ἡμέρας, καὶ υἱοὶ δυνάμεως, καὶ υἱοὶ ὑψίστου εἴρηνται τῇ ἁγίᾳ γραφῇ, κατὰ διαφόρους ἀληθεῖς κατὰ τὸν οἰκεῖον λόγον γεννήσεις καὶ τοὺς ἑκάστης γεννήσεως τρόπους.

1) Instructio sacerdotis, seu tract. de praecipuis mysteriis nostrae religionis P. I. cap. I. n. 2. pag. 537. E. et 538. A. inter opp. Bernardi T. V.

2) I. Petr. I. 12.

3) Thren. IV. 5.

Digitized by Google

discrimina enumerans duplicis generationis naturalis et supernaturalis, inquit: « Ecce enim et natura quidem sumus filii irae, filii contumaciae et inobedientiae, filii tenebrarum, filii maligni, filii seculi huius, filii diaboli; sed vicissim *(superna regeneratione)* filii Dei, germina divinae voluntatis, filii lucis, filii dici, filii virtutis, filii Altissimi. »

1285. Iamvero fac mihi *veluti hypothesim* tantisper concedas, ab universis christianae traditionis testibus uno prope ore confirmatum reperiri, ex omnibus Adami posteris solam esse Virginem, quae a protoparentibus originalis praevaricationis auctoribus funditus segregata neque illis a serpente laesis laesa fuerit, neque illis vitiatis corruptisque vitiata atque corrupta, neque illis labentibus lapsa, neque illis damnationi et maledicto obnoxiis damnata et maledicta, neque illis infirmitate correptis aegra atque infirma, neque illis in servitutem abreptis captiva, neque illis morte perculsis mortua, neque illis moerentibus tristis, neque illis e paradiso proturbatis exsul, neque illis a Deo divisis inimica; quid, peto, consequens esse arbitraris? Omnino existimes necesse est, neque praeclarius neque validius tradi potuisse, origines Virginis fuisse immaculatas, eiusque conceptum ab originali praevaricatione solutum. Atqui *hypothesis* quam postulavi, ea non est nisi *verissima thesis*, atque in me plane recipio illam tot tantisque maiorum testificationibus communire, ut ne morosiores quidem copiam evidentiamque desiderent.

1286. Sane ut initium ab eo ducam, quod mentem primum subit, quisquis originali tabe depravatus gignitur, *idem in protoparentibus et una cum ipsis a serpente laesus, seductus, eiusque letifero afflatus veneno censeatur oportet.* Sed ita ne de ipsa quoque Virgine iudicari debet? Nihil profecto minus, si christianae traditioni adquiescimus, maiorumque consonas voces audimus. Tertulliano namque [a]) teste, *Virgo non hausit verbum mortis*: teste [b]) Pseudo-Origene, *infecta non fuit veneno serpentis:* testibus utroque

a) De carne Christi cap. XVII. pag. 321. A-B.: « Crediderat *Eva serpenti*, credidit *Maria Gabrieli;* quod illa credendo *deliquit*, haec credendo *delevit*. In virginem adhuc *Evam* irrepserat *verbum aedificatorium mortis*, in *Virginem* aeque introducendum erat *verbum exstructorium vitae*. »

b) Hom. I. ex decem in diversos Matthaei et Iohannis locos pag. 275. col. 2. A-B.: « Neque persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta. »

Digitized by Google

Cyrillo [1]) hierosolymitano et [2]) alexandrino, itemque [3]) Theodoto ancyrano et [4]) Iohanne damasceno, *neque seducta fuit, neque decepta:* teste [a]) vulgato Chrysostomo, *non fuit supplantata:* testibus [5]) Chrysippo hierosolymitano et [6]) Andrea cretensi, *non fuit serpentis instrumentum, neque illi morem vel tantillum gessit:* teste [b]) Anselmo, *fuit satanae lamentum*: et teste Iohanne euboeensi [c]), fuit cur in eiusdem conceptu diceretur: « Tempus iam est *inchoandae laetitiae* et gratulationis cum iustis omnibus ab Adamo ad Zachariam usque quem inter templum et altare interfecerunt. Itaque propter Mariam Dei matrem laetare, o Adam, siquidem per mulierem a serpente pessumdatus, *per mulierem vicissim ipsum conculcas.* Tempus enim advenit, quo unde sibi hostis *clypeum* condidit, *ex eadem natura suppeditata sunt tela a potenti coniecta.* » His autem addi principio debent quae in Graecorum Menaeis leguntur tum [7]) alibi, tum ubi, praeeuntibus Iohanne monacho, Iosepho et Theophane, Deipara [d]) his verbis celebratur: « *Me* iampridem serpens

a) Serm. in Christi nativit. pag. 791. E. inter opp. Chrysost. T. X. Οὐ σκαλίζῃ ὥσπερ ἡ Εὔα. *Non supplantaris, instar Evae.*

b) Hymn. II. in Deiparam pag. 308. col. 3. B-C.

» Daemonum forte lamentum,
» Maeror et tristitia;
» Angelorum sed bonorum
» Laus, decus et gloria
» Electorum tu cunctorum
» Satians laetitia.
» Templum Domini ora pro nobis.

c) Orat. in concept. s. Annae. Καιρὸς λοιπὸν ἀπάρξασθαι τῆς χαρμοσύνης, καὶ συγχαίρειν πᾶσιν τοῖς δικαίοις ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ μέχρι Ζαχαρίου, ὃν ἐφόνευσαν μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου· διὰ οὗν τὴν Θεομήτορα Μαριὰμ εὐφράνθητι Ἀδὰμ, ὅτι διὰ γυναικὸς ὑπετέθης ὑπὸ τοῦ ὄφεως, καὶ διὰ γυναικὸς πατεῖς αὐτόν· ἦκεν γὰρ ὁ καιρὸς, ἵνα ὅθεν τὸ ὅπλον ἐκτήσατο ὁ ἐχθρὸς, ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως τὰ βέλη τοῦ δυνατοῦ ἐκοντισμένα ἔλθῃ.

d) Men. die XV. Februarii Ode γ'. pag. 90. col. 2. A-B. Δολίως ἔφις με τὸ πρὶν ὡς αἰχμάλωτον εἶλε δι' ἀπάτης ἐρπύσας· διὰ σοῦ δὲ τῆς αὐτοῦ δουλείας ἀπαλλαγείς, θεομῆτορ, ὕμνοις μακαρίζω σε.

Die XI. Octobris Ode ε'. pag. 67. col. 1. A. Σαλευθεῖσαν κακίᾳ τοῦ πολεμήτορος τὴν ψυχήν μου, παρθένε ἁγνὴ, στερέωσον, ἡ τὸν θεῖκῇ ἐπιβλέψει σαλεύοντα πάντα δέξαμένη, καὶ μὴ σαλευομένη.

Die XXV. Martii Ode γ'. pag. 114. col. 2. B-C. Ἡ ἐμὲ προμήτωρ δέξαμένη τὸν

1) Catech. XII. §. XV. pag. 169. E.

2) Encom. in Deiparam pag. 381. C-E. opp. T. V. P. II.

3) Orat. in Christi nativit. §. XII. pagg. 475. E. 476. A. apud Gallandium T. IX.

4) Orat. in Deiparae nativit. pag. 846. B.

5) Orat. in Deiparam pag. 428. A-C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

6) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. col. C. apud Gallandium T. XIII.

7) Men. die XIX. Februarii Ode θ'. pag. 107. col. 1. E. et die XII. Novembris Ode ε'. pag. 67. col. 1. B.

Digitized by Google

tamquam captivum dolose fallaciterque cepit; *per te* autem ab illius servitute liberatus te, o Dei mater, hymnis extollo. Commotam hostis malitia animam meam, o Virgo innocens, confirma, *tu quae non mota eum suscepisti* qui divina providentia omnia movet. *Progenitrix mea* [1]), *suscepta serpentis suggestione*, exsors facta est cibi divini; propterea *et ego* inusitatam tuam salutationem extimui, *mihi a casu metuens*. Veneno serpentis *in Evae* aures misere infuso *puella* medetur, quae ex Davide germinans peperit redemptorem.» Addi deinde debent quae leguntur [a]) in Paracletice: «*Me* olim *per meam progenitricem Evam serpens decepit atque occidit;* nunc autem, o innocens, qui me fecit, *per te* ex corruptione revocavit.»

Tum haec addi debent [2]) ex Armeniorum hymnario: «Secundus Adam qui propter prioris delictum *ex te* genitus est, *letiferi fructus deceptionem* solvit; illum continenter deprecare ut *nos* salvet.» Atque addi postremo debent sive haec quae [3]) in Missali gothico de Virgine habentur: «Speciosus thalamus, de quo dignus prodit sponsus, lux gentium, spes fidelium, *praedo daemonum*.» Et [4]) rursum: «*Illa (Eva) nos* pomo arboris in ipsa radice percussit; *ex huius* virga flos exiit, qui nos odore reficeret, fruge curaret. *Illius perfidia serpenti consensit*, coniugem decepit, prolem damnavit; *huius obedientia* Patrem conciliavit, Filium meruit, posteritatem absolvit.» Sive haec [5]) Prudentii:

» Hoc odium vetus illud erat,
» Hoc erat aspidis atque hominis
» Digladiabile discidium,
» *Quod modo cernua femineis*
» *Vipera proteritur pedibus.*
» Edere namque Deum merita
» *Omnia Virgo venena domat:*
» Tractibus anguis *inexplicitis*
» Virus *inerme* piger evomuit
» Gramine concolor in viridi.

γνώμην τοῦ ὄφεως, τροφῆς τῆς θείας ἐξωστράκισται· διόπερ κἀγὼ δίδοικα τὸν ἀσπασμὸν τὸν ξένον σου, εὐλαβουμένη τὸν ὄλισθον.

Die XVII. Decembris Ode α'. pag. 133. col. 1. C. Ἰὸν τὸν τοῦ ὄφεως ἀκοαῖς πικρῶς ἐγχυθέντα ταῖς τῆς Εὔας, ἡ ἐκ Δαυὶδ βλαστήσασα κόρη θεραπεύει, τὸν λυτρωτὴν κυοφορήσασα.

a) Paraclit. pag. 270. col. 1. E. Πάλαι μὲν ἀπάτησεν ὁ ὄφις, καὶ ἐθανάτωσέ με διὰ τῆς προμήτορός μου Εὔας, νῦν δὲ, ἁγνὴ, διὰ σοῦ ὁ πλάσας με, ἐκ φθορᾶς ἀνεκαλέσατο.

1) Verba sunt Mariae Gabrielem alloquentis.
2) Breviar. Armen. pag. 1142. T. III.
3) Apud Muratorium liturg. rom. T. II. p. 647. D.
4) Ibid. pag. 647. E.
5) Cathem. hymn. III. vv. 146. segg.

Digitized by Google

Sive haec [1]) tandem ex hymno prisci auctoris quem novimus solemni usu receptum:

» Hausto maligni primus ut occidit
» Virus chelydri terrigenum parens;
» Hinc lapsa pestis per genus irrepens
» Cunctum profundo vulnere perculit.
» Rerum misertus sed sator *inscia*
» Cernens *piacli viscera Virginis*,
» His ferre mortis crimine languido
» Mandat salutis gaudia saeculo.

Innoxia igitur fuerunt primordia Virginis, quae nullum ex serpente damnum in protoparentibus pertulit, neque illius fuit vel astu seducta, vel vi deiecta, vel pestifero halita contaminata.

1287. Profecto originali culpa nemo prorsus obstringitur, qui protoparentibus peccantibus non peccarit, qui illis labentibus non impegerit, qui illis legem violantibus non et ipse violarit, qui illis praevaricantibus non fuerit et ipse praevaricatus, qui illis delinquentibus non deliquerit, qui illis aberrantibus non defecerit, qui illis gratiam amittentibus non amiserit, quique cum iisdem tamquam cum radice, principio et fomite peccati non fuerit penitissime copulatus. Horum autem ne unus quidem est apex, qui ex praescripto christianae traditionis ad Virginem spectet, immo qui negari de Virgine constantissime non debeat. De ipsa namque negari [2]) cum Tertulliano debet, *quod Eva delinquente deliquerit:* negari [3]) cum Origene, *quod cum Eva peccati fonte societatem ullam habuerit:* negari [4]) cum Pseudo-Origine, *quod illius particeps fuerit inobedientiae qua Eva peccavit:* negari [5]) cum Maximo taurinensi, *quod culpae fomes ex Eva obortus ad ipsam usque prorepserit:* negari [6]) cum Theodoto ancyrano, *quod Evae malitiam contraxerit et illius fuerit imbuta malo:* negari cum vulgatis [7]) Epiphanio et [8]) Augustino, *sive quod labente Eva, ipsa quoque corruerit, sive quod illa peccante, ipsa quoque peccarit:* negari [9]) cum

1) Apud Federicium in op. de imm. Virginis concept. pagg. 15-16.
2) De carne Christi cap. XVII. pag. 321.
3) In Lucam hom. VIII. pagg. 940-941.
4) Hom. I. ex decem in diversos Matth. et Ioh. locos pag. 275. col. 2. A-C.
5) Hom. hiemal. VI. de nativit. Domini I. pag. 42. A-B.
6) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. B-D. apud Gallandium T. IX.
7) Orat. de laudibus Virginis pag. 300. B-D. inter opp. Epiphanii T. II.
8) De temp. serm. XXI. al. serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 1. pag. 153. E-F. inter August. T.V.
9) Orat. in Deiparae annunt. pag. 106. B. apud Gallandium T. XIII.

Digitized by Google

Andrea cretensi, *quod simul cum Eva splendorem divinae gratiae perdiderit:* et negari [1]) cum Photio et [2]) Iacobo monacho, *quod cum progenitoribus deviis ipsa pariter aberrarit.* Hinc quae scribit [3]) Guerricus abbas de purificatione Virginis loquens: « Quare ergo tamquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis quae muliebri promissa est infirmitati quaeris remedia? *Sic*, inquit [4]), *decet nos omnem implere iustitiam*, ut quae summae mater electa sum iustitiae, speculum quoque sim totius et exemplar iustitiae. *Novi ergo superbiam filiorum Evae*, quae promptior est ad excusandum quam ad expurgandum commissa. *Necessarium arbitror ut vitiis originis antiquae* statim in initiis omnia novae generationis occurrant exempla. *Mater praevaricationis peccavit* et excusavit procaciter, *mater redemptionis non peccat* et satisfacit humiliter; *ut filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.*» Hinc quae Procopius christianus rhetor atque hermeneuta sexto Christi saeculo clarus Mariam cum Eva conferens [a]) ait: «Fuit haec imago Evae, utraque enim virgo. Nam et Eva quum virgo esset, *peccavit illa* quidem, sed luctum ex serpente nacta est, *et cum posteris universis ipsis etiam peccantibus communicavit; haec* autem a Deo gaudium accepit, et generis maledictum dissolvit, et illaesus partus illi finem imposuit quem luctus gemitusque comitantur. Quare *illam* omnes accusant, *hanc* universi beatam dicunt; et ipsa Evae quasi personam referens ait: *ecce enim iam nunc beatam me dicent omnes generationes.*» Hinc quae [5]) Arator romanae ecclesiae subdiaconus canit:

» Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis,

a) Comm. in Gen. III. pag. 194. apud Mai classic. scriptt. T. VI. *Εἰκὼν γὰρ αὕτη τῆς Εὔας ἐτύγχανε· παρθένος γὰρ ἑκατέρα· καὶ Εὔα γὰρ παρθένος οὖσα ἥμαρτεν· ἀλλ' ἡ μὲν ἔσχε τὴν λύπην ἐξ ὄφεως, καὶ ταῖς ἐφεξῆς ἁπάσαις καὶ αὐταῖς ἡμαρτηκυίαις τῆς λύπης μετέδωκεν, ἡ δὲ τὴν χαρὰν ἐκ θεοῦ· καὶ τὴν ἀρὰν τοῦ γένους διέλυσε, καὶ τόκος ἀπαθὴς τὸν ἐν στεναγμῷ καὶ λύπαις κατέπαυσεν· ὅθεν τὴν μὲν πάντες αἰτιῶνται, τὴν δὲ μακαρίζουσιν ἅπαντες· καὶ ὡς πρόσωπον ἔχουσα τῆς Εὔας φησίν· ἰδοὺ γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί.*

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1001. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I.
2) Orat. in Deiparae nativit. p. 1383. A-B. ibid.
3) Orat. in Deiparae praesent. p. 245. col. 2. D. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VI.
4) Matth. III. 15.
5) Hist. apostolic. lib. I. vv. 57-61. pag. 95. col. 2. B-C. apud Gallandium T. XII.

Digitized by Google

» *A nato formata suo: mala criminis Evae*
» *Virgo secunda fugat:* nulla est iniuria sexus,
» *Restituit quod prima tulit.*

Hinc quae habentur [1]) in Sacramentario gregoriano: « Tuo dono actum est, ut postquam Virgo de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis, et in quo fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas, antiquusque hostis qui per antiquam virginem genus humanum se vicisse gloriabatur, per sanctas nunc virgines, *sequaces potius Mariae quam Evae vincatur.* » Et [2]) rursum: « Tuo inenarrabili munere praestitisti, ut natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum et mortem effecta, nequaquam in aeterna damnatione periret, sed unde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet, *et antiquae virginis facinus nova et intemerata virgo Maria piaret.* » Hinc praeconia, quibus in Coptorum monimentis Virgo [a]) dicitur *Adami salus*, atque his verbis [b]) extollitur: » Peperisti, o Virgo, vitae datorem, et Adamum atque Evam *a peccato salvasti.* » Hinc quae habentur [c]) in Paracletice: « *Tu* quae *Adamum* a ruina *revocasti*, me lapsum in malitiae baratrum, o Virgo, tuis intercessionibus erige. *Tu progenitricis Evae* facta es restitutio, o Dei mater, quae vitae ducem mundo peperisti. » Hinc quae [d]) in Triodio leguntur: « Salve, o Virgo Dei sponsa, *Adami emendatio*, et mors inferni. » Hinc quae [e]) in Pentecostario frequentantur: « Laudemus rationalem paradisum, *Evae*

a) Theotoch. pag. 64.
Ⲡⲥⲱϯ ⲏ Ⲁⲇⲁⲙ:
b) Ibid. pag. 23.
Ⲁⲣⲉⲙⲓⲥⲓ ⲱ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲫⲣⲉϥϯⲛⲁⲡⲱⲛϩ. Ⲟⲧⲟⲩ ⲁⲣⲉⲡⲟⲩⲉⲓ ⲛⲁⲇⲁⲙ ⲛⲉⲙ ⲑⲙⲁ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲛ ⲫⲛⲟⲃⲓ:
c) Paraclit. pag. 252. col. 2. E. et pag. 375. col. 2. E. Ἡ τῆς καταπτώσεως τοῦ Ἀδὰμ ἀνόρθωσις, ἔγειρον πεσόντα με κακίας πρὸς βάραθρα πρεσβείαις σου, παρθένε. Εὔας τῆς προμήτορος σὺ ἐπανόρθωσις γέγονας, τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς τῷ κόσμῳ, θεοτόκε, κτίσασα.
d) Triod. pag. 316. col. 2. B-C. Ἀδὰμ ἐπανόρθωσις χαῖρε, παρθένε θεόνυμφε, τοῦ ᾅδου ἡ νίκησις.
e) Pentecost. pag. 257. col. 2. C-D. Τὸν λογικὸν παράδεισον ὑμνήσωμεν, τῆς Εὔας τὴν λύτρωσιν, τῆς οἰκουμένης πάσης τὸ μέγα κειμήλιον· ὅτι σωτηρία ἐν αὐτῇ διεπράχθη τῷ κόσμῳ, καὶ ἄφεσις τῶν ἀρχαίων ἐγκλημάτων.

1) Apud Muratorium liturg. roman. T. II. pagg. 286. B. et 350. A.
2) Ibid. pagg. 344. E. et 345. A.

Digitized by Google

liberationem, magnum totius mundi cimelium; quoniam in ipsa peracta est mundi salus *et originalium delictorum remissio*. » Atque hinc quae [a]) in Menaeis, Iosepho et Georgio ducibus, repetuntur: « *Eva* quidem *inobedientiae morbo* maledictum invexit, *tu* autem, o Virgo Deipara, partus tui germine benedictionem mundo protulisti. Tibi Gabriel archangelus acclamavit, salve: tuo namque sinu laetitiam concipies, o Virgo, *quam Eva praevaricando perdidit*. » A veritate igitur quam maxime abhorret originali labe infectam fuisse Virginem, quae neque in protoparentibus peccavit, neque illis labentibus lapsa est, neque cum illis praevaricantibus impositam caelitus legem violavit.

1288. Neque mirum, quum ii omnes et soli praevaricatione hereditaria obstricti teneantur, qui in protoparentibus cupiditate exarserint, contra legem sitiverint, letalem fructum gustarint, originalem venustatem amiserint, a Deo secesserint, in turpem nuditatem offenderint, gravissimum culpae et poenae debitum subierint, atque ex radice mala et vitiata malae vitiataeque plantae suboleverint. Huc enim redeunt *solemniores translatae loquutiones*, quibus participatio hereditariae culpae designari consuevit. En porro quae in christianis monimentis de Virgine usurpantur. In antiquissimo quadragesimali Graecorum officio [b]) dicitur; « Serpens dolosus honorem meum quondam mihi invidens, in Evae auribus dolum insussuravit; unde ego deceptus, hei mihi! e vitae sede exsulavi. Manu temere extensa scientiae lignum degustavi, quod ne contingerem mihi Deus omnino praescripserat, et cum acerbo doloris sensu divinam gloriam exsul amisi. Spes et protectio mea, o veneranda, *quae sola*

a) Men. die XIX. Iulii Ode θ'. pag. 91. col. 2. B. Εὔα μὲν τῷ τῆς παραπτώσεως νοσήματι τὴν κατάραν ἐσφήσατο· σὺ δὲ, παρθένε θεοτόκε, τῷ τῆς κυοφορίας βλαστήματι τῷ κόσμῳ τὴν εὐλογίαν ἐξήνθησας.

Die XIV. Martii Ode ς'. pag. 102. col. 1. A-B. Χαῖρε σοὶ Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος φθέγγεται· τὴν γὰρ χαρὰν ἐν γαστρί σου συλλαμβάνειν μέλλεις ἀνερμηνεύτως, ἣν ἡ Εὔα παραβάσει, παρθένε, ἀπώλεσε.

b) Offic. quadrag. Domin. Tyroph. Ode γ'. pag. 83. B-D. Ὄφις ὁ δόλιος ποτὲ τὴν τιμήν μου φθονήσας, ἐψιθύρισε δόλον τῆς Εὔας ἐν τοῖς ὠσὶν, ἐξ ἧς ἐγὼ πλανηθεὶς ἐξωρίσθην, οἴ μοι, τοῦ χάρου τῆς ζωῆς.

Τὴν χεῖρα τείνας προπετῶς, ἐγευσάμην τοῦ ξύλου τῆς γνώσεως, οὗπερ προσέταξέ μοι θεὸς μὴ δ' ὅλως μεταλαβεῖν, καὶ τῆς θείας δόξης ἀπερρίφθην πικρῶς.

Ἔλεησὶ καὶ σκέπη μου, σεμνὴ, ἡ τὴν γύμνωσιν πάλαι περιστείλασα, μόνη τὴν τοῦ πεσόντος Ἀδὰμ τῷ τοκετῷ σου, ἁγνὴ, ἀφθαρσίαν αὖθις μοι ἀμφίασον.

Digitized by Google

lapsi olim Adami nuditatem partu tuo cooperuisti, me pariter, *o innocens*, incorruptionis veste circumda. » In Paracletice [a]): « *Antiquum Evae* [1]) *maledictum* o mater innocens, splendide *dissolvisti* pariens Christum, qui omnes benedictionibus coronat. Neque enim, o intemerata, praeter te auxilium suppetit. » In Menaeis, chorum agentibus Iosepho et Theophane [b]) canitur: « Admirabilis conceptio tua, o puella, admirabilis et tremenda et mente potior nativitas tua universos a Deo extorres cum ipso conciliavit originalemque venustatem reduxit. *Debitum progenitricis Evae tu*, o Dei mater, dissolvisti ex te pariens carne circumdatum mundi Salvatorem; quapropter omnes te beatam celebramus, o Virgo gratia plena et undequaque immaculata. *Eva* quidem a ligno vitae extorris facta est et ab illius participatione prohibita; *tu* autem, o Virgo Deipara, quae vitam sempiternam peperisti, mundum per fidem donas virtute quae vitam affert. *Eva progenitrix* olim *transgressione sua* genus hominum maledicto subiecit; *tu* vero, o Virgo Dei sponsa, pariens creatorem omnia ad benedictionem reduxisti. Te, o innocentissima, una mente tamquam Dei matrem et creaturis omnibus potiorem glorificamus; *in te* enim dimanans *ex Adamo* condemnatio expuncta est, et expulsa hominum natura reconciliata. » Neque aliter

a) Paraclit. pag. 276. col. 2. C. Τῆς Εὔας τὴν πάλαι κατάραν, τὸν Χριστὸν κυοφοροῦσα, μῆτερ ἁγνὴ, περιφανῶς ἐλύσω, τὸν πάντας στεφανοῦντα ταῖς εὐλογίαις· οὐ γάρ ἐστιν, ἄχραντε, πλὴν σοῦ βοήθεια.

b) Men. die XIV. Aprilis Ode ϛ'. pag. 57. col. 1. E. Ξένη σου ἡ σύλληψις, ξένη, κόρη, καὶ φρικτὴ ἡ ὑπὲρ τοῦν σου γέννησις τοὺς ξενωθέντας πάντας ἀπὸ θεοῦ αὐτῷ καταλλάττουσα, καὶ τὸ κάλλος τὸ πρώην ἀποκτίμουσα.

Die XXIII. Ode ϛ'. pag. 99. col. 1. B. Τὴν ὀφειλὴν τῆς προμήτορος Εὔας σὺ, θεομῆτορ, ἀπέτισας σάρκα ἠμφιεσμένον ἐκ σοῦ τεκοῦσα τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου· ὅθεν πάντες σε μακαρίζομεν, κεχαριτωμένη παρθένε πανάμωμε.

Die II. Novembris Ode θ'. pag. 15. col. 2. C. Εὔα μὲν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ἐξέστη, καλυθεῖσα τῆς μεθέξεως· σὺ δὲ παρθένε θεοτόκε, ζωὴν τὴν πρὸ αἰώνων ἐκύησας τῷ κόσμῳ τὴν ζωηφόρον ἐνέργειαν χαριζομένη διὰ πίστεως.

Die VIII. Ode α'. pag. 56. col. 2. B. Εὔα ἡ προμήτωρ τῇ ἀρᾷ τὸ γένος καθυπέβαλε τῇ παραβάσει ποτὲ τὸ τῶν ἀνθρώπων· σὺ δὲ, παρθένε θεόνυμφε, ὅλον πρὸς εὐλογίαν μετηγάγου τὸν κτίστην τεκοῦσα.

Die XXIII. Iulii Ode η'. pag. 112. col. 2. D-E. Ὡς τοῦ θεοῦ μητέρα σε ὁμοφρόνως δοξάζομεν, καὶ τῶν πονημάτων ὑπερτέραν, πάναγνε· ἐν σοὶ γὰρ κατάκριμα τὸ ἐξ Ἀδὰμ ἠφάνισται, καὶ ἡ ἀπωσθεῖσα ἀνεκλήθη ἀνθρώπων οὐσία.

1) Alia plane simillima recurrunt tum in eodem Paraclit. p. 10. col. 2. C., tum in Triodio p. 487. col. 1. A.

Syrorum ecclesia, in cuius officio [a]) legimus: « Salve, dilecta filia, quae turpitudinem texisti patris tui in paradiso denudatam, quae culpam omnium gentium et tribuum reparasti, quae parentem tuum ad eum e quo fuerat detrusus locum reduxisti. » Quae cum his ex Ephraemo [b]) sumptis praeclare consentiunt: « Adam nudus quidem erat, sed decorus; uxor vero illius beati laboravit, fecitque ei maculatam sordibus vestem. Vidit, indoluitque paradisus, quod ille foedatus sic esset. Quaesivit Maria stolam qua latronem *(cum Christo affixum cruci)* ornaret, et audita promissione *(hodie mecum eris in paradiso)*, gavisa est. Vidit tunc paradisus, illumque Adami loco complexus est. » Itemque cum his consentiunt quae unanimes docent Iacobus monachus, quo [1]) teste, *Virgo fuit ramus viridis ex Adamo arescente, flos suavis ex amara progenitorum planta, vivumque germen ex arbore perempta:* Georgius nicomediensis, quo [2]) teste, *nullum Mariam inter atque Evam mali radicem consortium exstitit:* vulgatus Chrysostomus, quo [3]) teste, *Virgo numquam a Deo secessit:* Proclus constantinopolitanus, quo [4]) teste, *numquam ipsa in protoparentibus cupiditate exarsit:* Theodotus ancyranus, quo [5]) teste, *numquam ipsa letiferum fructum degustavit:* et Gregorius nazianzenus qui [c]) utramque oeconomiam le-

a) Offic. Maronit. ad primam sabbathi pag. 476.

ܗܠܝܢܐ ܚܕܐ ܐܢܬ ܕܫܚܬ ܐܒܝܟ ܒܦܪܕܝܣܐ ܥܪܛܝܢܝܬ ܕܐܟܣܝ ܠܗ ܘܫܒܚܬ ܠܟ ܟܠ ܥܡܡܐ ܘܫܒܛܐ ܕܐܡܟ ܠܐܬܪܗ ܕܐܬܛܪܕ ܡܢܗ ܐܝܟ ܕܐܬ ܝܠܕ ܒܪܟ ܡܢ ܒܬܘܠ ܐܡܐ ܕܐܠܗܐ ܘܐܦ ܐܢ ܐܢܬ ܒܬܘܠ ܐܡ ܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܐܢ ܐܢܬ ܐܡ ܠܐ ܐܝܬ ܠܟ ܒܥܠ ܐܠܐ ܐܠܗܐ ✣

b) Serm. IV. de paradiso Eden pag. 572. opp. Syr. T. III.

ܐܝܟ ܡܢܐ ܐܬܐ ܐܕܡ ܠܓܢܬ ܥܕܢ ܘܫܟܚ ܐܝܟ ܕܐܬ ܐܢܐ ܘܐܫܬܡܥ ܠܗ ܠܐ ܐܬ ܐܢܐ ܐܦ ܐܢ ܐܬ ܐܢܐ ܠܐ ܐܫܬܡܥ ܠܗ ܠܐ ܐܬ ܐܢܐ ܘܐܦ ܐܢ ܐܬ ܐܢܐ ܠܐ ܐܫܬܡܥ ܠܗ ܐܦ ܐܢ ܐܬ ܐܢܐ ܠܐ ܐܫܬܡܥ ܠܗ ✣

c) Carminum sect. II. Carm. moral. I. de laud. virginit. vv. 197. seqq. pag. 308. opp. T. II.

Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ Χριστὸς ἁγνῆς διὰ μητρὸς ὀδύσας
Παρθενικῆς, ἀδύτοιο, θεουδέος, ἀχράντοιο,
Ἤγαγεν ἠλυτίρας, Εὔαν δ' ἀπεστίσατο πικρὴν,
Δή ποτε παρθενίῃ στρέψεν μερόπεσσι φαεινή.

1) Orat. in Virginis nativit. pag. 1279. C-E. apud Combefis. Auctar T. I.

2) Orat. I. in oraculum concept. Deiparae pag. 998. B-C. ibidem.

3) Serm. in Christi natal. diem pag. 791. E. inter opp. Chrysost. T. X.

4) Orat. VI. quae est encom. in Deiparam §. XVI. pag. 644. A-B. apud Galland. T. IX.

5) Orat. in Christi nativit. §. XII. pagg. 475-476. ibid.

Digitized by Google

gis et evangelii mutuo contendens, de hac scribit: « At postquam Christus *ex innocente* matre virgine, iugi experte, *Deo simili*, incontaminata prodiens sanctificavit feminas, *Evamque amaram repulit;* tunc profecto virginitas mortalibus illuxit splendida. » Quemadmodum ergo unanimi consensione maiorum negatur, Virginem inter et protoparentes *eiusmodi* extitisse *habitum*, propter quem *ex his in illam* pernicies atque peccatum redundarint; *ita eadem consensione immaculatus Virginis conceptus praeclarissime stabilitur.*

1289. Qui quidem si fuisset non purus et integer sed pollutus et maculatus, fatendum esset cum protoparentibus ob peccatum captivis Virginem quoque fuisse captivam, cum illis culpae servientibus et ipsam serviisse, cum illis satanae dominio obnoxiis et ipsam fuisse subiectam, cum illis tyrannide pressis ipsam quoque in tyrannidem incidisse, et cum illis vinctis ipsam pariter multiplici vinculo fuisse constrictam. Talis enim neque alius est *habitus*, quo hereditaria contagione infecti ad protoparentes illius originem necessario referuntur. Sed idem ne de Virgine ex praescripto maiorum, christianaque traditione fas est arbitrari? Immo non diversum modo sed omnino oppositum proferendum esse iudicium unanimes docent [1]) Iacobus monachus, qui *per Adamum servitutem, per Mariam invectam libertatem* confirmat: vulgati [2]) Ambrosius et [3]) Augustinus, qui *Evam* dicunt *caussam servitutis, Mariam libertatis, nosque per Evam servos et per Mariam effectos liberos* scribunt: Iohannes damascenus [4]) qui *Evam uti captivam* depingit, *Mariam ceu captivitatis pretium* repraesentat: Photius [5]) qui *in protoparentes originem diabolicae tyrannidis, in Mariam liberationis caussam* refundit: Chrysippus hierosolymitanus [6]) qui *ex Eva servilem statum, ex Maria ingenuum* derivat: Amphilochius [7]) qui *Evae dominium et triumphum peccati, Mariae relatam de illo victoriam* attribuit: atque ipse etiam [8]) Gregorius Palamas, qui *propterea non aliter Evam cum Maria, quam servam cum domina conferri posse*

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1282. A. apud Combefis. Auctar. T. I.

2) In opp. ad opp. Ambrosii serm. XLV. de primo Adamo et secundo n. 2. pag. 450.

3) Serm. CXIX. in nativit. Domini III. n. 3. pag. 153. F. inter opp. August. T. V.

4) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 852. B-E.

5) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1596. A-B. apud Combefis. Auctar. T. I.

6) Orat. in laud. Deiparae pag. 428. A-C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

7) Hom. in Christi nat. n. 4. pag. 466. apud Gallandium T. VI. Ἠλευθέρωται κόσμος διὰ παρθένου, ἐ διὰ ταύτης τὸ πρὶν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν ἦσαν. *Mundus asseritus est in libertatem per Virginem, qui per virginem olim sub peccatum corruerat.*

8) Apud Nicodemum pag. 220.

Digitized by Google

testatur. Quare coptorum ecclesia Deiparam laudibus [a]) efferens canit: « Gloria omnium virginum est Deipara Maria, *propter quam antiqua maledictio soluta est.* » Et [b]) rursum: « Ave spes salutis totius mundi, *propter te enim a maledicto Evae liberi evasimus.* » Neque alia est Graecorum fides hisce expressa [c]) verbis: « Serpens undequaque malignus quum mihi cupiditatem divinae aequalitatis instillasset, *me tamquam captivum cepit, per te autem*, o innocentissima, *recuperatus sum* et verissime deificatus. Tu enim, o Dei mater, eum genuisti qui me deificavit. » Quibus haec praeclare respondent quae in Menaeis auctore Theophane [d]) frequentantur: «Ecce venit omnium revocatio: *ecce Adam liberatus est, quoniam Anna protulit fructum*, solam matrem et viri nesciam. Cuiusmodi spiritales cantus nunc tibi, o sanctissima, offeramus? Tua namque ex sterili nativitate mundum universum sanctificasti, et *Adamum o vinculis solvisti.* » Quum itaque *perinde* sit hereditaria labe infici, et una cum protoparentibus in satanae atque peccati servitutem, captivitatem, saevamque tyrannidem incidisse: Virgo autem ab hisce omnibus immunis penitusque soluta celebretur, *id unum superest ut ab originali quoque culpa ex maiorum suffragio pura censeatur.*

1290. Nisi enim illius fuisset exsors, commune cum protoparentibus vulnus recepisset, et communi cum iisdem aegritudine laborasset. Quotquot enim hereditaria tabe vitiati gignimur, omnes vulnerati nascimur, et aegritudine nos medullitus depascente lan-

a) Theotoch. tetr. V. pag. 109.

Πρσττσσ ⲛⲛⲓ ⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲧⲏⲣⲟⲩ, ⲡⲉ Ⲡⲁⲣⲓⲁ ϯⲙⲁⲥⲡⲟⲧϯ: ⲉⲑⲃⲏⲧⲥ ⲟⲛ ⲁⲩⲃⲱⲗⲉⲃⲟⲗ ⲛⲁⲉ ⲡⲓⲥⲁⲣⲥⲟⲩⲓ ⲛⲁⲣⲭⲉⲟⲥ

b) Ibid. tetr. VI. pag. 135.

Χερε ϯ ⲉⲉⲗⲡⲓⲥ ⲛⲟⲧⲁⲁⲓ ⲛⲧⲉ ϯⲟⲓⲕⲟⲧⲙⲉⲛⲏ ⲧⲏⲣⲥ: ⲉⲑⲃⲏϯ ⲅⲁⲣ ⲁⲡⲉⲣⲣⲉⲙⲉ ⲉⲃⲟⲗ ⲉⲁ ⲡⲓⲥⲁⲣⲥⲟⲩⲓ ⲛⲧⲉ Ⲫⲧⲁ ϯ

c) Paraclit. pag. 92. col. 2. A-B. Ἰσωθῆναι πόθεν μοι ἐνθεὶς ὄφις ὁ παμπόνηρος τῷ πλαστουργῷ, ὡς αἰχμάλωτον εἵλέ με· διὰ σοῦ δέ, πάναγνε, ἀνακέκλημαι· θεωθεὶς ἀληθέστατα· σὺ γάρ, θεομῆτορ, τὸν ἐμὲ θεώσαντα γεγέννηκας.

d) Men. die IX. Septembris Ode ϛ′ pag. 69. col. 2. E. Ἰδοὺ ἦλθεν ἡ πάντων ἀνάκλησις· ἰδοὺ Ἀδὰμ ἐλευθέρωται· ὅτι Ἄννα καρπὸν ἀνεβλάστησε, τὴν μόνην μητέρα καὶ ἀπείρανδρον.

Die X. pag. 72. col. 2. B-C. Ποῖα πνευματικὰ ᾄσματα νῦν προσάξωμέν σοι, παναγία; τῇ γὰρ ἐκ τῆς στείρας κύησι σου ἅπαντα τὸν κόσμον ἁγίασας, καὶ Ἀδὰμ δεσμῶν ἀπελυτρώσω.

Digitized by Google

guemus. En porro quae Graecorum ecclesia Iosephi verbis [a]) de Virgine profitetur: « Venenum animae letiferum in Evae aures immisit scelestus et iniquus satan; *tu autem*, o Dei mater, Christum pariens *huic noxae medelam attulisti.* » Quam professionem suo suffragio communiunt Nicetas paphlago, qui [b]) de nata Virgine ait: « Omnis terra cum laetitia clamet et exsultet, *quod iam pharmacum germinavit, quo originalis tristitia tollatur:* quod praesto illud est, quo magna Dei erga nos providentia abolcatur illa primorum parentum maledictio, cui universum mortalium genus obnoxium fuerat. » Iohannes damascenus qui de eadem [c]) scribit: « *Matris medicamentum filia effecta est*, divinae reformationis *nova conspersio*, primi parentis exsultatio. » Et [d]) Proclus constantinopolitanus qui Virginem salutat inquiens: « Benedicta tu in mulieribus, *quae sola Evae maerori medelam attulisti.* » Ea igitur non fuit Virgo, quae hereditario obstricta scelere commune cum protoparentibus vulnus pertulerit, eademque cum ipsis infirmitate laborarit.

1291. Quam profecto nemo unus incurrit, cuius nativa prope supellex non sint maeror, tristitia et lacrymae. Quae enim poenarum moles protoparentes consequuta est, iis etiam imminet omnibus, qui eiusdem societate sceleris cum ipsis devinciuntur. At vero concors est maiorum sententia, horum prorsus nihil in Virginem ex protoparentibus redundasse. In ipsam enim, teste [1]) Iohanne damasceno, non redundavit *Evae maeror, quem gaudio* compensavit. In ipsam, teste [2]) Pseudo-Augustino, non redundavit *Evae planctus quem exclusit.* In ipsam, testibus [3]) Andrea cretensi et [4])

a) Men. die XII. Novembris Ode α'. pag. 87. col. 1. A. Ἐξήμισιν Εὔας ταῖς ἀκοαῖς ἰὸν ψυχοφθόρον ὁ ἀλάστωρ καὶ δυσμενής· Χριστὸν δὲ τεκοῦσα, θεομῆτορ, τὴν τούτου βλάβην ἰάσατο.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 437. B-C. apud Combefisium Auctar. T. III. Πᾶσα ἡ γῆ μετ' εὐφροσύνης βοάτω καὶ σκιρτάτω, ὅτι τὸ τῆς ἀρχηγόνου λύπης ἀναιρετικὸν φάρμακον ἐβλάστησεν ἄρτι· ὅτι τῆς προγονικῆς ἀρᾶς, ἣ πᾶν τὸ βροτεῖον ὑποπεπτώκει γένος, διὰ τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ καθάρσεως περὶ ἡμῶν, ἡ ἀφάνισις παρέστι.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. p. 852. C-D. Θυγάτηρ Ἴαμα μητρικὸν γεγένηται, τὸ ῥῖον φύραμα τῆς θείας ἀναπλάσεως, τὸ τοῦ προπάτορος ἀγαλλίαμα.

d) Orat. V. de Deiparae laud. §. III. pag. 631. C. apud Gallandium T. IX. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην.

1) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 841. E.
2) Serm. CXX. in nativ. Domini IV. num. 5. pag. 154. D.
3) Orat. in Deiparae annuntiat. pagg. 101. C. et 102. C. apud Galland. T. XIII.
4) Orat. II. in Deiparae annunt. pag. 27. C-D.

Digitized by Google

vulgato neocaesariensi Gregorio, non redundavit *Evae tristitia quam in laetitiam commutavit.* In ipsam, teste [1]) Hesychio hierosolymitano, non redundarunt *Evae molestiae quibus antidotum providit.* Et in ipsam, teste [2]) Iacobo monacho, non redundarunt *Evae lacrymae quas repressit.* Quare Paschasius Ratbertus disertissimis omnino verbis [3]) scripsit: « Beata Dei genitrix tristitiis non subiacuit, et aerumnis libera *ab omni maledictionis naevo fuit.* » A quibus ne minimum quidem haec distant, quae Armenii [4]) Deiparam celebrantes usurpant: « *Laetitia mestae naturae,* o Virgo Maria gratia plena, quem salutem ferente annuntiatione portasti datorem tibi legem salutis; illi semper intercede pro nobis. » Neque haec, quibus [a]) Copti Deiparam alloquentes canunt: «Rependisti *Evae gaudium pro cordis dolore* quo angebatur. » Neque haec quae [b]) in Triodio habentur: « Salve *gaudium Evae,* illius namque luctus, o innocens, per partum tuum cessavit; salve splendida nebula lucis inaccessae, e qua Christus Deus emicavit. » Neque haec tandem quae [c]) in Paracletice occurrunt: « *Finem fecisti,* o innocens, *Evae lacrymis,* utpote quae mundi gaudium pepereris. » Si ergo *de praevaricationis consortio ex societate moeroris et lacrymarum* aestimari debet, nihil omnino manifestius quam Virginem ab omni penitus communione hereditarii peccati fuisse alienissimam.

1292. Praesertim quum ea communio talis sit, quae divelli prorsus *ab exsilio* nequit, quo e paradiso in hanc lacrymarum vallem ii relegantur omnes, quos originalis transgressionis vinculum constringit. Quod enim de Adamo [5]) scriptum est, *et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est, eiecitque Adam;* id uno veluti fasce universos complectitur, qui ipso peccante peccarunt. Quare ad dirimendam

a) Theotoch. pag. 23.

Αρεϲ ⲁⲛ ποτποϥ ⲛ̀ Θτⲁ ⲛ̀ⲧⲯⲉⲃⲓⲱ ⲉⲡⲉϲⲓⲛⲁϩ ⲛ̀ⲣⲙⲛⲧ .

b) Triod. pag. 199. col. 2. E. Χαῖρε ἡ τῆς Εὔας χαρά· ἡ γὰρ ἐκείνης λύπη διὰ τοῦ τόκου σου πέπαυται, ἁγνή· χαῖρε ἀδύτου φωτὸς φωτεινὴ νεφέλη, ἐξ ἧς ἀνέτειλε Χριστὸς ὁ Θεός.

c) Paraclit. pag. 343. col. 2. C. Κατέπαυσας τὴν λύπην, ἁγνὴ, τῆς Εὔας, ὡς ἐκπλήσασα τὴν χαρὰν τοῦ κόσμου.

1) Serm. in Deiparam pag. 417. A-C. in Biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

2) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1263. A-B. apud Combefis. Auctar. T. I.

3) De partu Virginis lib. 1. pag. 8. apud Acherium spicileg. T. XII.

4) Confess. Eccles. arm. p. 35.

5) Gen. III. 23-24.

Digitized by Google

contentionem de Virginis primordiis accommodatissimum videri debet ex christiana antiquitate suscitari, an ipsa quoque Virgo una cum protoparentibus eiecta fuerit atque exsilii acerbitate mulctata. En autem quid Graecorum ecclesia [a]) in Triodio respondeat: « O sancta Domina, quae fidelibus omnibus *reserasti paradisi portas olim ab Adamo sua praevaricatione obstructas*, mihi misericordiae ianuas aperi. » En quid respondeat [b]) in Paracletice: « Te o Deipara, clamantes magnificamus. Salve porta clausa, *per quam antiquus paradisus hominibus patet.* » En quid, duce Theophane, respondeat [c]) in Menaeis: « In te, o Virgo inviolata, laetantur generis auctores, *qui per te Edem receperunt quem transgressione perdiderant*. Tu enim et ante et post partum *pura*. » En quid Iosephi ore [d]) in quadragesimali officio respondeat: « Me *in Edem* stola divinitus texta, » Salvator, utpote clemens induisti; at ego fidem inimico adiungens mandatum tuum despexi, et nudus apparui, infelix. Miserrima anima mea elongata fuisti a Deo propter inobedientiam tuam, *mulctata paradisi deliciis*, ab angelis segregata, ad corruptionem deducta, o ruinam! *Maria* a Deo vocata, Domina universi utpote quae regem omnium atque redemptorem pepereris, *e captivitate ad paradisi gloriam me revoca.* » Et en quid [e]) in Euchologio respondeat: « Salve veneranda, quae pro salute omnium Deum carne peperisti: per te namque vitam invenit ho-

a) Triod. pag. 69. col. 1. C-D. Ἁγία δέσποινα, ἡ διανοίξασα παραδείσου τὰς πύλας πᾶσι πιστοῖς, ὡς Ἀδὰμ ἀπέκλεισε διὰ παράβασιν ποτὲ, πύλας ἐλέους μοι διάνοιξον.

b) Paraclit. pag. 71. col. 2. C. Σὲ μεγαλύνομεν, Θεοτόκε, βοῶντες· χαῖρε ἡ πύλη ἡ κεκλεισμένη, δι' ἧς ἀνοίγει ἀνθρώποις ὁ πάλαι παράδεισος.

c) Men. die XVII. Septembris Ode ϛ'. pag. 117. col. 2. E. Ἀγάλλονται ἐν σοὶ, παρθένε ἄχραντε, τοῦ γένους οἱ προπάτορες, τὴν Ἐδὲμ ἀπολαβόντες διὰ σοῦ, ἣν ἐκ παραβάσεως ἀπώλεσαν· σὺ γὰρ ἁγνὴ καὶ πρὸ τοῦ τόκου καὶ μετὰ γέννησιν.

d) Offic. quadrag. Domin. Tyroph. Ode ϛ'. pagg. 85-86. Στολήν με ἐνέδυσας θεοῦ φαντον, σωτὴρ, ἐν τῇ Ἐδὲμ, ὡς εὔσπλαγχνος· ἐγὼ δέ σου παρεῖδον τὴν ἐντολὴν, πεσθεὶς τῷ ἀλάστορι, καὶ γυμνὸς καθεωράθην ὁ ταλαίπωρος.

Ψυχή πανάθλία μου, ἐμακρύνθης ἐκ θεοῦ δι' ἀπροσεξίας σου, παραδείσου ἐστέρησαι τῆς τρυφῆς, ἀγγέλων κεχώρισαι, εἰς φθορὰν κατενέχθης, ὦ τοῦ πτώματος.

Μαρία θεόκλητε, ἡ κυρία τοῦ παντὸς, ὡς τετοκυῖα κύριον βασιλέα τῶν ὅλων, καὶ λυτρωτὴν, αἰχμάλωτον ὄντα με παραδείσου τῆς δόξης, ἀνακάλεσαι.

e) Eucholog. in offic. exequiar. pag. 528. C-D. Χαῖρε σεμνὴ, ἡ θεὸν σαρκὶ τεκοῦσα εἰς πάντων σωτηρίαν· τὸ γὰρ γένος τῶν ἀνθρώπων εὗρατο τὴν σωτηρίαν διὰ σοῦ· εὕρομεν παράδεισον, Θεοτόκε ἁγνὴ εὐλογημένη.

Digitized by Google

minum genus: *per te* [1]) *paradisum recuperemus*, Deipara innocens benedicta. » Cum Graecis simillima tradunt Copti, qui [a]) de Deipara canunt: « Propter Evam *paradisi porta* clausa est, propter Mariam virginem patuit nobis caelorum porta. » Simillima tradunt et Syri, in quorum officio [b]) legimus: « Salve scala pura, quam Iacob vidit in vertice montis; *per te enim genus nostrum ad pristinas suas sedes ascendit.* » Neque dissentiunt Latini, e quorum numero Anselmus [2]) sic habet:

» Tu es enim mater Christi,
» Suavis memoriae,
» *Ob quam nobis sunt apertae*
» *Paradisi ianuae.*

Eadem mente Hermannus monachus [3]) scribit: «Paradisi namque porta *per Evam cunctis clausa est, et per Mariam virginem iterum patefacta est.* » Atque hinc piissima [4]) Petri Damiani fusa ad Deum precatio: « Deus, qui *vitiatae stirpis originem per virginalis uteri reparas dignitatem* concede propitius ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio beatae Dei genitricis attollat. » Quum igitur penitissime cohaereant *hereditariae praevaricationis consortium et exsilii societas:* ab hac autem Virgo fuerit immunis; *palam est ipsam ab originali quoque contagione fuisse solutam.*

1293. Qua vitiari nullatenus potuit, quin una cum protoparentibus in saevissimam mortis ditionem prolaberetur. Per illorum namque peccatum [5]) *mors* intravit in mundum, et ita in omnes

a) Theotoch. tetrast. VII. pag. 109.
Θοξε Θτα ⲁⲧⲙⲁⲩⲟⲁⲓ ⲛ̀ ϕρο ⲏⲧⲉ ⲡⲓⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲥⲟⲥ ⲉⲓⲧⲉⲛ Ⲙⲁ-ⲣⲓⲁ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲁⲧⲟⲧⲱⲛ ⲛⲓⲙⲟⲩ ⲛⲁⲛ ⲛ̀ϕρο ⲏⲧⲉ ⲡⲓϕⲏⲟⲩⲓ ✣

b) Offic. Maronit. pag. 472.
هٰذِهِ كَمْ هٰذِهِ وُسْدا مُحمَّد حَمْعِهُوا . وَحَمْ لِلْكُلِّ ... لِلْأُمَّة حَبِيبُنَا ✣

1) Eodem pertinent Pseudo-Epiphanii verba in orat. de laudibus Virginis p. 300. B-D. inter opp. Epiphanii T. II. Ἄγγελοι τὴν Εὔαν ἐμέμφοντο· νυνὶ δὲ τὴν Μαρίαν δοξάζουσιν, ἡ τὴν πεσοῦσαν Εὔαν ἀνορθώσασα, καὶ τὸν ἐκβληθέντα τοῦ παραδείσου Ἀδὰμ εἰς οὐρανοὺς ἀπεστείλασα, ἡ τὸν κλεισθέντα παράδεισον ἀνοίξασα. *Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quae lapsam Evam erexit, et Adamum e paradiso delectum in caelos misit, quae paradisum clausum aperuit.*

2) Hymn. I. in laudem Deiparae pag. 306. col. 1. B. Concinit Petrus Damiani in hymno pro Deiparae annuntiatione pag. 8. col. 2. E. opp. T. IV.
» Haec Virgo Verbo gravida
» *Fit paradisi ianua,*
» Quae Deum mundo reddidit,
» *Caelum nobis aperuit.*

3) Tract. de incarnat. Domini cap. XI. pag. 392. col. 2. D. apud Gallandium T. XIV.

4) Opp. T. IV. pag. 11. col. 1. A.

5) Rom. V. 12.

Digitized by Google

homines *mors* pertransiit, eo quod omnes peccaverunt. Quare sicuti fas non est corsortium hereditariae praevaricationis a poenalis mortis societate dividere; ita quisquis ab hac immunis fuerit, originalis quoque exsors culpae censeatur oportet. Iamvero aut nihil est christiani nominis traditione firmatum, aut hoc omnino est: Virginem neque *in protoparentibus* offendisse in mortis reatum, neque *una cum ipsis* eiusdem tyrannidi fuisse subiectam. Id enim unanimes confirmant [1]) Tertullianus, Epiphanius [2]) et [3]) Gregorius nyssenus, qui *sicuti Evam mortis, ita Virginem vitae caussam* constantissime sistunt. Id confirmant [4]) Pseudo-Chrysostomus et [5]) Germanus ementitusque [6]) Augustinus, qui *ex Eva mortem, et vitam ex Maria* repetunt. Id confirmat [7]) Maximus taurinensis, qui *Evae ingressum mortis, Mariae* tribuit *ingressum vitae*. Id confirmant [8]) Cyrillus hierosolymitanus, Sedulius [9]) et [10]) Anastasius antiochenus, qui *Evam Mariae non secus opponunt, ac initium interitus origini vitae opponatur*. Id confirmat [11]) Theodotus ancyranus, qui *Evam mortis instrumentum, Mariam vitae administram* appellat. Atque id confirmant [12]) Germanus constantinopolitanus, Petrus Damiani [13]) et [14]) Hermannus monachus, qui *Evam inter ac Mariam quodcumque poenalis mortis consortium* excludunt. Huic autem apud patres scriptoresque veteres receptissimae doctrinae ecclesiastici libri insigniter patrocinantur. Patrocinatur utrumque Missale et [15]) gothicum et [16]) antiquum gallicanum, in quibus dicitur: « O consilium divinae providentiae! O inaestimandum reparationis auxilium! Per Virginem nobis gloriosa vita restituetur, quae per ligni inobedientiam credebatur extincta. » Et [17]) rursum: « Venerat quidem mors per mulierem, sed venit vita per Virginem: interitus

1) De carne Christi cap. XVII. pag. 321. A-B.

2) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. §. XVIII. pag. 1050 C-D. opp. T. I.

3) In cantic. hom. XIII. pag. 667. D. opp. Tom. I.

4) Serm. in Christi nativit. pag. 791. E. inter opp. Chrysost. T. X.

5) Opp. T. V. pag. 882. B.

6) Serm. CXX. in nativit. Domini IV. n. 4. pag. 154. B.

7) Hom. hiemal. XV. de nativit. Domini X. pag. 42. A-B.

8) Catech. XII. §. XV. pag. 160. E.

9) Hymn. de vet. et nov. Testam. p. 490. apud Thomasium opp. T. II.

10) Serm. I. in annunciat. §. VIII. pag. 261. C. apud Galland. T. XII.

11) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. B-D. apud Galland. T. IX.

12) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 1458. A-B. apud Combefis. Auctar. T. I.

13) Opp. T. IV. pag. 12. col. 2. B.

14) Tract. de incarnat. cap. XI. pag. 293. apud Galland. T. XIV.

15) Apud muratorium liturg. rom. T. II. pagg. 606. D. et 656. B. « Venerat quidem mors per mulierem, sed venit vita per Virginem. Interitus per lignum, sed in ligno salus. »

16) Ibid. pag. 755. A-C.

17) Ibid. p. 656. B.

per lignum, sed in ligno salus.» Patrocinantur quae [a]) in Paracletice et in Pentecostario his verbis efferuntur: « Superbenedicta es, o Virgo Deipara; per eum namque qui carnem ex te suscepit, infernus captivatus est, Adam revocatus, maledictio extincta, Eva ingenuitate donata, mors mortua, et nos vivificati sumus.» Patrocinantur Theophanes et Iosephus, e quibus haec [b]) in Menaeis referuntur: « *Eva* quidem inobedientia peperit *mortem, Deipara* autem concepit ac peperit *vitam non senescentem*, et antiquum omnium debitum dissolvit. *Mortis* fructum mihi *Eva* protulit; *tu* vero, o innocentissima, gignendo *vitam subsistentem*, me vicissim ordinasti. *Adam* unius gustu cibi, o inviolata, *mortalis* factus est, mortem decerpens ex arbore scientiae; *per te* autem *ad vitam* revocatus est, et paradisi delicias iterum accepit. Iampridem, o undequaque immaculata, propter cibum corrumpentem *mortuus est Adam, tu* autem, o Virgo, nostram pariendo vitam, *ipsum vivificasti.* Quapropter te veluti bonorum caussam celebrantes clamamus: benedicta tu quae Deum incarnatum peperisti.» Patrocinantur Armenii qui [1]) duce Nersete claiensi, Virginem his verbis salutant: « Tu, o sancta virgo Maria, quae ex te vitam protulisti immortalitatem adferentem mortali nostrae naturae, *nosque ex Adamo mortuos in spem resurrectionis vivificantem*, Christum pro animabus nostris exora.» Et [2]) alibi: « O admirabilis flos, qui ex Eden

a) Paraclet. pag. 64. col. 2. C. et Pentecost. pag. 66. col. 1. A. Ὑπερευλογημένη ὑπάρχεις, Θεοτόκε παρθένε· διὰ γὰρ τοῦ ἐκ σοῦ σαρκωθέντος ὁ ᾅδης ἠχμαλώτισται, ὁ Ἀδὰμ ἀνακέκληται, ἡ κατάρα πεπαύρωται, ἡ Εὔα ἠλευθέρωται, ὁ θάνατος τεθανάτωται, καὶ ἡμεῖς ἐζωοποιήθημεν.

b) Men. die XXIII. Octobris Ode ϛ'. pag. 136. col. 2. A. Εὔα μὲν παρακοῇ τὸν θάνατον ἔτεκεν· ἡ Θεοτόκος ζωὴν δὲ συλλαβοῦσα τέτοκε τὴν ἀγήρω, καὶ τὸ πάλαι ὑπὲρ πάντων ἀπέτισεν ὄφλημα.

Die XXVIII. Ode δ'. pag. 170. col. 2. E. Νεκρώσεως τὸν καρπόν μοι ἡ Εὔα προσήγαγε· ζωὴν δὲ γεννήσασα τὴν ὑπόστατον, πάναγνε, αὖθις μὲ ἀνώρθωσας.

Die XIX. Februarii Ode ϛ'. pag. 109. col. 1. B-C. et Ode ι'. pag. 111. col. 2. E. Νεκρὸς διὰ βρώσεως μιᾶς Ἀδὰμ γεγένηται τρυγήσας θάνατον φυτοῦ τῆς γνώσεως, ἄχραντε. διὰ σοῦ δὲ ἀνεζώωται, καὶ παραδείσου τὴν τρυφὴν πάλιν ἀπέλαβεν.

Die XIII. Iulii Ode δ'. pag. 58. col. 1. B-C. et die XIV. Ode ζ'. pag. 73. col. 2. C. Νεκροῦται τὸ πρὶν ὁ Ἀδὰμ φθοροποιῷ βρώσει, πανάμωμε· σὺ δὲ τεκοῦσα τὴν ζωὴν ἡμῶν, τοῦτον, παρθένε, ἐζώωσας· ὅθεν ὡς καλῶν σε αἰτίαν ἀνυμνοῦντες κραυγάζομεν· εὐλογημένη ἡ θεὸν σαρκὶ κυήσασα.

1) In Breviar. armen. pag. 1156. T. III.

2) Confess. fidei eccles. arm. pag. 41.

Digitized by Google

dedisti odorem immortalitatis filiis Evae, ex qua diffusa est mors per universum. » Patrocinantur et Syri, e quorum officio satis fuerit haec [a]) retulisse: « In arca iusti Noe, o Dei genitrix, te sancti adumbrarunt, in qua relliquiae filiorum Adami salvae factae sunt, *atque ex te ortus est panis vitae, quem comedens Adamus e morte ad vitam rediit.* »

1294. Quae quum ita sint, ea nobis affatim suppetunt e quibus *iudicium de primordiis Virginis ferendum* citra quamvis erroris suspicionem sua sponte dimanat. Haec enim haberi infecta nequeunt et hereditaria contagione polluta, quin veluti certum exploratumque sumatur, Virginem inter humanique generis auctores *eiusmodi exstitisse coniunctionis habitum*, ut illis a serpente violatis ipsa pariter fuerit violata, ut illis peccantibus ipsa ex aequo peccarit, ut illis lapsis et praevaricantibus ipsa quoque corruerit et aberrarit, ut illis captivis ipsa etiam in servitutem devenerit, ut illis miseria tristitiaque mulctatis ipsa quoque moerori ac lacrymis addicta fuerit, ut illis e paradiso eiectis ipsa quoque exsularit, ut illis poena mortis affectis eiusdem poenae vinculo ipsa quoque obligata fuerit atque constricta. Nemo enim originali labe corruptus gignitur, qui cum Odone cameracensi [1]) repetere non possit ac vero etiam debeat: « In Adamo erat anima mea specie non persona, non individua sed communi natura. Peccavi in eo non ego, sed hoc quod sum, peccavi homo non Odo, peccavi substantia non persona. » Ex iis autem quorum meminimus naturae relationis habitibus ne unum quidem assignare licet, qui Virginem inter ac protoparentes exstiterit, quique ex maiorum sententia christianaeque traditionis doctrina negari funditus non debeat. Ergo negari quoque funditus debet originalis transgressionis consortium, eoque negato, pura et immaculata Virginis primordia censenda sunt.

1295. Praesertim quum non modo nullus admitti possit consortii habitus inter Virginem et protoparentes transgressionis reos,

a) Offic. Maronit. ad primam Feriae IV. pag. 266.

حقفلا وئس آوهُا رُوهُ هَاتَا مُحِبًا الْكُلّ . وحنه لعدُوَات هَنُنُا وِمْكِرُهُ
وَاوُم هُسُا هَع هَعلًا +

1) Tract. de peccato orig. pag. 280. in max. pp. biblioth. T. XV.

Digitized by Google

et non modo quilibet eiusmodi habitus amandari longissime debeat; verum etiam multiplex illam inter atque hosce antithesis et accommodatissima in rem praesentem oppositio auctoritate maiorum comprobetur. Ne quid enim ex superioribus repetam, quorum pleraque huc insigniter faciunt, interrogentur primum Tertullianus [1]), Maximus taurinensis [2]) et [3]) Petrus chrysologus, atque ab iis porro quaeratur quonam relationis habitu protoparentes cum Virgine iuncti fuerint atque sociati. Una eademque ab illis audietur responsio, non alium relationis habitum praeter eum intercessisse, *quo sese mutuo excipiunt pernicies et salus, ruina et erectio, clades ac victoria.* Interrogentur deinde qui [4]) Ambrosii et [5]) Origenis nominibus appellari solent. Respondebunt *iis per Virginem consultum esse damnis, quae sibimetipsis universoque generi protoparentes intulerunt.* Idemque respondebunt [6]) Iacobus monachus, qui Virginem dicit *pignus reparationis:* Germanus [7]) a quo Virgo *reformationis Adae fermentum* nuncupatur: Nicetas paphlago [8]) qui Virginem salutat *veluti supernae benedictionis divinique in homines amoris conciliatricem:* Andreas cretensis [9]) qui Virginis dotibus accenset *quod originalem aberrationem emendarit:* Chrysippus hierosolymitanus [10]) qui *protoparentes per Virginem erectos* scribit: et [11]) Theophylactus qui *Virgini gloriam defert reductae Evae.* Quare [12]) in Missali gothico de Eva deque Maria simul collatis legimus: « Ista mundo vitam protulit, illa legem mortis invexit. Illa praevaricando nos perdidit, ista generando salvavit. Illius perfidia serpenti consensit, coniugem decepit, prolem damnavit; huius obedientia Patrem conciliavit, Filium meruit, posteritatem absolvit. Illa amaritudinem pomi succo propinat, ista perennem dulcedinem Nati fonte deputat. » Similia profitentur [13]) Armenii qui ore Gregorii narecensis Virginem nuncupant *regeneratricem generationis quae con-*

1) Con. Marcion. lib. II. cap. IV. pag. 383. B-C.

2) Serm. XI. in app. pag. 43. A-B.

3) Serm. CXLII. de Virginis annunt. pag. 203. col. 2. B-C.

4) Serm. XLV. de primo Adamo et secundo n. 2. pag. 450., in app. ad opp. Ambrosii.

5) Hom. I. ex decem in diversos Matth. et Ioh. locos pag. 275. col. 2. A-C.

6) Orat. in Deiparae nativit. p. 1276. B-C. apud Combefis. Auctar. T. I.

7) Serm. II. in Deiparae dormit. p. 1458. A-D. ibidem.

8) Orat. in Deiparae nativit. pag. 537. B-C. apud Combefis. Auctar. T. III.

9) Orat. in Deiparae nativit. pag. 96. B. apud Gallandium T. XIII.

10) Encom. in Deiparam pag. 426. A-C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

11) Orat. in Deiparae praesent. pag. 474. B. opp. T. III.

12) Apud Muratorium liturg. roman. T. II. pag. 547-548.

13) Orat. de laudibus Deiparae §. XVIII.

Digitized by Google

demnationem experta est. Similia habent [a]) Copti, qui sicuti Evam dicunt matrem omnium morientium, ita Mariam vocant *matrem omnium viventium*. Similia frequentant [b]) Syri, quibus Virgo est *scala, per quam infirmum genus terrestris Adami ad caelum provehitur*. Et similia in omnibus prope ecclesiasticis libris usurpant Graeci. Huc enim ista faciunt [c]) ex Paracletice: « Quae Deum sine semine concepisti *et Evam a maledicto liberasti*, o Maria virgo mater, incarnatum ex te Deum deprecare ut servet tuum gregem. Solvens Evae maledictum, inhabitasti in Virgine undequaque immaculata, benedictionis fontem in eos effundens qui clamant: benedictus, o innocentissima, fructus ventris tui. » Huc ista faciunt [d]) ex Triodio: « Ablata est, o Deipara, progenitricis Evae condemnatio, quoniam tu, o innocens, universorum Dominum ineffabiliter genuisti. » Huc ista faciunt quae ex Iosepho, Theophane et Iohanne damasceno [e]) in Menaeis adhibentur: « Hodie, o inviolata in tua

a) Theotoch. pag. 92.

ѳмат їпнетопѣ тпрот :

b) Offic. Maronit. pag. 268.

حشحكا وخنه الكك كعفا ـيها مسلا ؤاوم كعنا +

c) Paraclit. pagg. 325. col. 2. D. et 421. col. 2. C. Ἡ τὸν Θεὸν ἀσπόρως συλλαβοῦσα, καὶ τῆς ἀρᾶς τὴν Εὔαν ῥυσαμένη, παρθενομῆτορ Μαριάμ, δυσώπησον τὸν ἐκ σοῦ σαρκωθέντα Θεὸν, σῶσαι τὴν ποίμνην σου· Λύων τῆς Εὔας τὴν κατάραν, τὴν παναμώμων κατώκησας παρθένον, εὐλογίας πηγὴν βλαστάνων τοῖς βοῶσιν· εὐλογημένος, πάναγνε, ὁ καρπὸς τῆς σῆς κοιλίας.

d) Triod. pag. 146. col. 2. E. Ἦρθη τῆς προμήτορος Εὔας ἡ καταδίκη, θεοτόκε, ὅτι σὺ τὸν πάντων δεσπότην ἀνερμηνεύτως, ἁγνὴ, γεγέννηκας.

e) Men. die VIII. Septembris Ode ε'. pag. 60. col. 2. B-C. Σήμερον Εὔα λέλυται τῆς καταδίκης· λέλυται καὶ ὁ Ἀδὰμ τῆς ἀρχαίας ἀρᾶς ἐπὶ τῇ γεννήσει τῇ σῇ βοῶν, ἄχραντε· ἐν σοὶ τῆς φθορᾶς ἐλυτρώθημεν.

Ibid. Ode ζ'. pag. 61. col. 1. A-C. Ἑορτάζομεν, ἄχραντε, καὶ πιστῶς προσκυνοῦμεν τὴν ἁγίαν σου γέννησιν, τὴν ἐξ ἐπαγγελίας· δι' ἧς ἐλυτρώθημεν τῆς παλαιᾶς τοῦ Ἀδὰμ νῦν ἀποφάσεως. Ὁ Ἀδὰμ ἐλεύθεραται, καὶ ἡ Εὔα χορεύει, καὶ βοῶσιν ἐν πνεύματι πρὸς σὲ τὴν Θεοτόκον· ἐν σοὶ ἐλυτρώθημεν τῆς ἀρχηγόνου ἀρᾶς, ἐπιφανέντος Χριστοῦ.

Ibid. Ode θ'. pag. 65. col. 2. B-C. Ὁ διὰ βρώσεως τοῦ ξύλου τῷ γένει προσγενόμενος θάνατος, διὰ σταυροῦ κατήργηται σήμερον· τῆς γὰρ προμήτορος ἡ παγγενὴς κατάρα διαλέλυται τῷ βλαστῷ τῆς ἀγνῆς θεομήτορος· ἣν πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν μεγαλύνουσι.

Die IX. Novembris Ode ζ'. pag. 67. col. 1. C. et die XII. Ode θ'. pag. 92. col. 1. C-D. Λύουσα Εὔας τὴν κατάραν, παναμώμητε ἐγέννησας παρθένε τὸν τῶν ὅλων Θεὸν, ἀφράστως συλλαβοῦσα καὶ ὑπὲρ νοῦν κυήσασα σωτηρίαν τοῖς ἀνθρώποις.

Die XI. Iunii Ode δ'. pag. 41. col. 1. E. et Ode ε'. pag. 43. col. 1. C. Ἡ τῆς Εὔας,

Digitized by Google

nativitate soluta Eva est a condemnatione, et ab originali maledicto solutus Adam qui clamat: *in te liberati sumus a corruptione.* Celebramus et fideliter, o intemerata, veneramur tuam sanctam ex promissione nativitatem, *per quam ab antiqua Adami condemnatione liberati sumus.* Adamus in libertatem asseritur, Eva exsultat, atque in spiritu ad te Deiparam clamant: *in te, e qua Christus apparuit, ab originali maledicto liberati sumus.* Mors hominum generi per ligni esum illata, per crucem hodie sublata est; universale namque progenitricis maledictum solutum est per germen innocentis Dei matris, quam omnes caelorum Virtutes magnificant. O Virgo undequaque immaculata, solvisti Evae maledictum, ut quae universorum Deum genueris, ineffabiliter conceperis et super mentem pepereris hominum salutem. O Dei mater immaculatissima, partu tuo maledictum Evae solutum est; peperisti enim sempiternum Verbum incarnatum, quod mundum benedictionibus coronavit. Salve verum virginitatis cimelium, progenitricis revocatio, et maledicti in progenitorem lati dissolutio. » Neque alio haec pertinent [a]) quae in Officio magni et angelici habitus canuntur: « Evae maledictionem, o Virgo mater, dissolvisti, ut quae omnibus pepereris benedictionem inconsumptam, et veluti e fonte emiseris Salvatorem mundi. »

1296. Quapropter si quovis negato commercii habitu Virginem inter atque protoparentes peccati reos et maledicto obnoxios, *negari pariter debet hereditariae corruptionis in Virginem transfusio;* multo haec erit neganda vehementius, *quando ex doctrina praescriptoque maiorum* [1]) *multiplex antithesis et insociabilis oppositio*

θεομῆτορ, κατάρα τῷ τόκῳ σου λέλυται, πανάμωμε· σεσαρκωμένον γὰρ τέτοκας λόγον τὸν ἀΐδιον, τὸν εὐλογίαις τὸν κόσμον στεφανώσαντα.

Die XXIX. Ode ε'. pag. 116. col. 1. E. Χαίροις ἀληθῶς παρθενίας τὸ κειμήλιον, ἡ τῆς προμήτορος ἀνάκλησις, καὶ τῆς κατάρας ἡ λύσις τοῦ προπάτορος.

a) Encholog. pag. 500. A. Τῆς Εὔας τὴν ἀρὰν διέλυσας, τεκοῦσα τοῖς πᾶσι τὴν εὐλογίαν ἀδαπάνητον, πηγάσαντα τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου.

1) Quam antithesim non minus luculenter enarrant Hesychius hierosolymitanus εἰς τὸν ὑπαπαντὴν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, pag. 678. apud Mai classic. auctt. T. X., Augustinus serm. de evang. *ubi Dominus de aqua vinum fecit*, pag. 719. apud Mai spicileg. rom. T. VIII., Eusebius alexandrinus de incarnat. Domini pagg. 22-23. ibid. T. IX., Theophanes nicaenus epist. I. pag. 7., et vulgatus Hildephonsus qui serm. XII. de s. Maria pag. 885. In collect. pp. tolet. T. I. sic ait: « Videamus ergo qualiter sibi istae duae mulieres distent. Ad Evam enim auctor mortis per tortuosum serpentem mortem suasit, e contra beatae Mariae auctor vitae per Gabrielem archangelum salutis auxilium misit. Eva comedens prohibitum pomum et sibi nocuit et viro, beata Maria concipiens nobis datum filium, et feminis pro-

Digitized by Google

Virginem a nostri generis auctoribus separavit. Cum qua luculentissima prorsus deductione *consectarium* nectitur, quod non ex illa minus necessario dependet, quam illam vicissim roboret atque stabiliat. Quodnam vero? *Augustissimam scilicet Virginem, quae intra fines naturalis ordinis protoparentibus similis atque unius eiusdemque cum ipsis naturae substantiaeque particeps credi debet, spectato ordine ethico atque divino, illorum fuisse dissimilem.* Cuius quidem veritatis egregia sunt testimonia, quae in maiorum libris christianisque monimentis reperiuntur. In his enim et *totidem concepta verbis*, et *formulis expressa potestate aequipollentibus occurrit.* Totidem verbis traditur a Theodoto Ancyrae praeside, qui de Virgine sermonem [1]) habens inquit. « Hanc nobis conditore dignam donavit divina providentia, bonorum conciliatricem, non quae fructum letiferum porrigat sed quae panem vitalem praebeat, ad angeli quidem adspectum mirantem, *veluti* [2]) *neptem Adamo dissimilem*, quae tamen his quae nuntius afferret, animo prudens cautaque attenderet. » Ad aequipollentes vero significandi potestate loqutiones referri debent quae [a]) Proclus instituta Mariam inter atque Evam comparatione scribit: « Certe mulier illa [3]) terreni oculorum spectaculo capta levi manu prostrata iacuit; haec autem in manibus caelestis suscepta, ceu forti vallo munita consistit. » Referri debent quae tum habet [b]) Andreas cretensis quum natalem celebrans Vir-

a) Orat. VI. in Deiparae laud. §. XVI. pag. 644. A. apud Gallandium T. IX. Ἐκείνη μὲν ἡ γυνὴ τοῦ χοϊκοῦ, ὑπὸ τῶν ὀφθαλμῶν εὐχερῶς καταβάλλεται· αὕτη δὲ ὑπὸ τῶν χειρῶν παρειλημμένη τοῦ ἐπουρανίου, ἰσχυρῶς τετείχισται.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 95. A. apud Gallandium T. XIII. Σήμερον ἐξ ἡμῶν ἀνθ' ἡμῶν ἀπαρχὴν ὁ Ἀδὰμ τῷ θεῷ προσφέρων, τὴν Μαρίαν ἀπάρχεται, καὶ τοῦ ὅλου φυράματος ἡ μὴ φυραθεῖσα δι' αὐτῆς ἀρτοποιεῖται πρὸς τὴν τοῦ γένους ἀνάπλασιν.

fuit et viro. Sancta Maria per obedientiam humilitatis obumbratur a virtute altissimae divinitatis, Eva per corruptionem concipiens et in dolore pariens, sub viri potestate fuit. Eva de paradiso mittitur ad exsilium, Maria de exsilio huius seculi elevatur ad caelum. Eva timens post partum absconditur inter ligna paradisi, Maria virgo gaudens post partum circumdatur coetibus Angelorum. Eva posteros ex sua carne nascentes homines transmisit ad inferos, benedicta Maria ex sua prole natos dirigit ad caelos. Ex carne Evae dicuntur filii hominum, ex beatae Mariae filio renati non dicuntur filii hominum sed filii Dei. Ut quid ulterius immoror protrahendo plurima? Eva obfuit, Maria profuit. Eva luxit, Maria illoxit. Sileat ergo nunc a feminis per beatam Mariam mortifer et male sussibilis sibilus, quia iam sumus omnes redempti per gloriosae virginis Mariae filium. Cadat et imperium Evae, quia universi sumus laeti per partum sanctae virginis Mariae. » Cum his autem in primis congruunt quae in Missali mozarabico pag. 323., quaeque leguntur in fragmento operis de partu Virginis, auctore Paschasio Ratberto p. 333. in collect. pp. tolet. I.

1) Orat. in Christi nativit. §. XII. pag. 475. E. apud Gallandium T. IX.

2) Cuius formulae potestatem aliis verbis expresserat §. XI. pag. 475. C. Virginem vocans *non doctam Evae mala.*

3) I. Cor. XV. 49.

Digitized by Google

ginis diem ait: « Hodie Adam ex nobis pro nobis primitias Deo offerens, *Mariam primitias facit, et quae ex tota massa* [1]) *non erat inquinata, per ipsam fit panis ad genesis reformationem.* » Referri debent quae docet [a]) Germanus ubi Virginem inducit angelo annuncianti his verbis respondentem: « Timeo tremoque tuos eiusmodi sermones, atque te venisse existimo ut me *tamquam alteram Evam decipias. Sed ego non sum ad illius formam expressa.* » Ac referri itidem debent, quae in ecclesiasticis Graecorum libris passim habentur. Eiusmodi autem haec sunt [b]) ex vetustissimo quadragesimali Officio: « Age anima mea infelix, hodie tuos actus defle memoria recolens priorem in Edem nuditatem, propter quam deliciis perennique gaudio excidisti. Pro multa pietate atque miserationibus, o creaturae auctor effectorque universorum, me » pulvere prius animatum una cum angelis tuis te collaudare praecepisti. Propter bonitatis divitias, o conditor et Domine, tu seris paradisi delicias in Edem, meque iubes speciosis iucundisque minimeque caducis fructibus oblectari. Hei mihi! anima mea misera, fruendarum Edem voluptatum facultatem a Deo acceperas, vetitumque tibi ne scientiae fructum manducares, eccurnam Dei legem violasti?» Eiusmodi haec sunt [c]) ex Paraclitice: « Agite omnes conclamantes hymnis perpetuis glorificemus matrem lucis. Ipsa namque peperit salutem nostram. Ave quae eum genuisti, qui Evam iterum refinxit. O Virgo, tu quidem visa es filia lapsi Adam, mater autem [2]) Dei

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1427. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. *Δίδοικα καὶ τρέμω σου τοὺς τοιούτους λόγους, καὶ ὑπολαμβάνω, ὡς ἄλλην Εὔαν πλανῆσαί με παραγίγονας, ἐγὼ δὲ οὐκ εἰμὶ κατ' ἐκείνην.*

b) Offic. quadrag. domin. Tyroph. Ode α'. pag. 82. *Δεῦρο ψυχή μου ἀθλία, κλαῦσον τὰ σοὶ πεπραγμένα σήμερον, μνημονεύουσα τῆς πρὶν ἐν Ἐδὲμ γυμνώσεως, δι' ἣς ἐξεβλήθης τῆς τρυφῆς, καὶ τῆς ἀλήκτου χαρᾶς.*

Ὑπὸ πολλῆς εὐσπλαγχνίας καὶ οἰκτιρμῶν, πλαστουργὲ τῆς κτίσεως καὶ τῶν ὅλων ποιητά, ἐκ ποδὸς ζωώσας με τὸ πρὶν, ἐνετείλω σε ὑμνεῖν σὺν τοῖς ἀγγέλοις σου.

Διὰ χρηστότητος πλοῦτον σὺ φυτουργεῖς, πλαστουργὲ καὶ κύριε, παραδείσου τὴν τρυφὴν ἐν Ἐδὲμ, κελεύων με τρυφᾶν τῶν ὡραίων καὶ τερπνῶν καὶ μὴ ῥεόντων καρπῶν.

Οἴ μοι ψυχή μου ἀθλία, τῶν ἐν Ἐδὲμ ἀπολαύειν εἴληφας ἐξουσίαν ἐκ Θεοῦ, μὴ φαγεῖν δὲ γνόστως καρπὸν προστάγης, ἵνα τί παρέβης νόμον Θεοῦ;

c) Paraclit. pagg. 110. col. 2. A. et 378. col. 2. E. *Δεῦτε τὴν μητέρα τοῦ φωτὸς ὕμνοις*

1) Scilicet participium *φυραθεῖσα*, referri debet ad *Mariam*, non ad *ἀπαρχήν*, secus ac fiat in combefisiana et galliandana versione.

2) Ubi spectata formula, *τοῦ Ἀδὰμ κατὰ γένος θυγάτηρ, κατὰ χάριν δὲ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ γεννήτρια*, *secundum genus quidem Adami filia, secundum gra-*

Digitized by Google

qui meam naturam renovavit.» Eiusmodi haec quae [a]) ex Christophoro in Triodio recitantur: «O Virgo Dei mater, *quae* [1]) *secundum genus fuisti Adami filia, secundum gratiam autem Christi Dei parens*, me ab Eden proturbatum [2]) nunc revoca.» Eiusmodi haec [b]) ex Octoecho: «Salve filia corrupti Adami. Salve sola Dei sponsa. Salve [3]) per quam corruptio expulsa est, quae Deum peperisti. Hunc, o innocens, exora ut nos omnes sospitet.» Atque eiusmodi denique haec sunt [c]) quae, auctoribus Theophane, Iosepho et Iohanne damasceno, in Menaeis frequentantur: «Corruptam renovasti progenitoris naturam, supernaturaliter concipiens et inscia viri pariens universae naturae conditorem, a quo chori martyrum roborati decertarunt te, o Deipara, celebrantes *salutis nostrae* [4]) *primitias*. Nituisti, o Virgo, illaesa pulcritudine virginitatis

ἀσιγήτοις βοῶντες πάντες δοξάσωμεν· αὕτη γὰρ ἐκύησε τὴν σωτηρίαν ἡμῶν· χαίροις ἡ τὴν Εὔαν τεκοῦσα πάλιν ἀναπλάσαντα. Τοῦ Ἀδὰμ, παρθένε, τοῦ παραπεσόντος μὲν ὤφθης θυγάτηρ, τοῦ Θεοῦ δὲ μήτηρ τοῦ ἀνακαινίσαντός μου τὴν οὐσίαν.

a) Triod. pag. 68. col. 1. E. Θεοκυῆτορ παρθένε, ὡς τοῦ Ἀδὰμ κατὰ γένος θύγατερ, κατὰ χάριν δὲ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ γεννήτρια, ἡμὶ τὸν ἐξόριστον Ἐδὲμ νῦν ἀνακάλεσαι.

b) Octoech. pagg. 45. col. 2. A. et 53. col. 1. A. Χαῖρε θυγάτηρ Ἀδὰμ τοῦ φθαρέντος· χαῖρε ἡ μόνη θεόνυμφε, χαῖρε δι' ἧς ἡ φθορὰ ἐξωστράκισται, ἃ θεὸν κυήσασα· ὃν ἱκέτευε, ἁγνὴ, σωθῆναι πάντας ἡμᾶς.

c) Men. die II. Novembris Ode θ'. pag. 15. col. 2. E. Τὴν φύσιν ἀνεκαίνισας φθαρεῖσαν τοῦ προπάτορος, ὑπερφυῶς συλλαβοῦσα, καὶ ἀπειράνδρως τεκοῦσα τὸν πλάστην πάσης φύσεως· ὑφ' οὗ ῥωσθέντες ἤθλησαν χοροὶ μαρτύρων μέλποντές σε τῆς ἡμῶν σωτηρίας τὴν ἀπαρχὴν, Θεοτόκε.

Die XVII. Ode ε'. pag. 125. col. 1. B. Ὡραιώθης, παρθένε, τοῖς τῆς παρθενίας σου ἀχράντοις κάλλεσι, καὶ τῆς πρώτης Εὔας περιστειλας αἶσχος τὸ δύσμορφον, τὸν Χριστὸν τεκοῦσα περιβολὴν ἀθανασίας χαριζόμενον τοῖς σὲ γεραίρουσιν.

Die XXIII. Ode θ'. pag. 176. col. 2. E. Ἀδὰμ μὲν ἀπόγονος ὤφθης, τοῦ δὲ θεοῦ μήτηρ ἐδείχθης· σὺ γὰρ ἀπ' αἰῶνος ἐφάνης ἁγιωτέρα πάσης τῆς κτίσεως, εὐλογημένη πάναγνε.

tiam vero Christi Dei mater: habitaque contenti sermonis ratione; nihil desiderari accomodatius potest ad eam vindicandam distributionem, qua Virginem diximus *Adamo similem intra ambitum naturae, eidemque dissimilem intra fines ordinis ethici atque divini.*

1) In Virgine θεοτόκῳ aeque ac in Christo θεανθρώπῳ, accerni debet quod oculis subiectum est, quodque de ipsa creditur. Pro illius ratione, fuit τοῦ Ἀδὰμ θυγάτηρ, *Adami filia* humanaeque particeps naturae; pro alterius vero dignitate, fuit μήτηρ τοῦ θεοῦ τοῦ ἀνακαινίσαντος ἡμῶν τὴν οὐσίαν, *mater Dei nostram renovantis naturam*, et semper exors universalis ruinae.

2) *Lex oppositionis* omnino flagitat, ne ipsa quoque Virgo sententia damnationis periculo existimetur.

3) Si coniunctim spectes formulas, *salve corrupti Adami filia*, *et salve per quam corruptio expulsa est*; fateris oportet I. a participatione corruptionis Virginem eximi, proindeque II. non dici filiam Ἀδὰμ τοῦ φθαρέντος, *Adami corrupti*, nisi κατὰ γένος *secundum genus*, atque intra solum naturae ordinem.

4) Unde fit ut Virgo dicatur τῆς ἡμῶν σωτηρίας ἡ ἀπαρχή, *salutis nostrae primitiae?* Coniecturis non est opus, quum ipsa orationis series ostendat,

Digitized by Google

tuae, et primae Evae deformem obtexisti turpitudinem pariens Christum, qui stola immortalitatis illos cumulat qui te extollunt. Visa quidem es Adami proles, demonstrata autem [1]) Dei mater. Tu namque a seculo apparuisti sanctior [2]) omni creatura, o benedicta ac penitus innocentissima. »

1297. His autem vix quidpiam desiderari illustrius potest, quo Virgo originalis praevaricationis exsors, et intra ordinem ethicum atque divinum *protoparentibus omnīno dissimilis* adprobetur. De qua tamen dissimilitudine piaculum foret ea silentio praeterire quae docet [3]) Ephraemus, quaeque syriacae ecclesiae fidem ratamque sententiam patefaciunt. Is itaque fusa ad Deum lucis auctorem prece, orditur [a]) inquiens: « Illumina doctrina tua vocem dicentis et aurem audientis; illuminentur aures, quibus vox radii instar est, de mysterio oculorum. » Tum continuo subdit: « Agesis quum oculo debeat corpus suis bene compactum partibus suorum organorum nitorem, decorem actuum suorum, reliquorum sensuum ornatum, membrorumque venustatem; *ita manifestum est Mariam esse portam lucis: per ipsam namque illuminati sunt mundus eiusque ha-*

a) Serm. exeget. III. in Gen. III. 6. pag. 329. D-E. opp. syr. T. II.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

propterea hoc ipsam titulo insigniri quod corrupta numquam fuerit, et praeservationis privilegio salutem ferme ipsam praelibaverit.

1) Quare quum de Virgine sermo est, *utrumque* ob oculos haberi pariter debet, et quemadmodum illi, utpote quae fuerit *Adami proles*, naturae cum protoparentibus commercium tribuendum est; ita quodvis de illa commercium culpae denegandum, quod ea fuerit *Dei mater*.

2) His effertur innocentiae sanctitatisque praestantia cum dignitate divinae maternitatis conserta, quaeque eo longius a protoparentibus culpae reis Virginem seiungit, quo illam propius cum Deo iungit, arctiusque devincit.

3) Recenset Assemanus in biblioth. orient. T. I. pag. 90. n. 35. tres Ephraemi hymnos *de comparatione Evae et Mariae*, quique simul collecti habentur T. II. opp. syr. eiusdem Ephraemi, in sermone tertio ex iis qui *exegetici* in diversos Scripturae locos nuncupantur. Quae nos adducimus sunt ipse hymnus tertius, quem propterea paullo pressius reddidimus, ut Ephraemi animus splendidius innotesceret.

Digitized by Google

bitatores qui tenebris obvoluti erant per Evam malorum omnium caussam. » Utriusque autem Mariae et Evae mutuum explanans habitum pergit: « Similes sunt in mysteriis suis corpori, *cuius oculus alter occaecatus est et obscurus, alter vero limpidus est ac lucidus, totumque illuminat corpus.* Mundum iam respicito, duo in eo collocati sunt oculi. *Eva erat oculus eius sinister occaecatus, oculus eius dexter idemque lucidus Maria.* Per oculum qui tenebras contraxerat, mundus universus involutus est tenebris, in quibus palpantes homines in quodcumque incidissent scandalum, Deum putarunt. Scilicet mendacio veritatis nomen imposuere. Postquam vero dies illuxit per oculum alterum, perque caelestem lucem quae in eius habitavit sinu, conversi sunt ad poenitentiam, agnoveruntque salutis suae perditionem fuisse proprii capitis adinventiones. » Quemadmodum itaque *humanitas* ceu *corpus spectanda* proponitur, ita *Eva atque Maria* non aliter exhibentur *ac duo veluti oculi,* qui eidem corpori praesunt, et e quibus ipse corporis status atque conditio dependent, quum dictum [1]) verissime fuerit: *lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Duo autem oculi, Eva et Maria, referri possunt cum ad seipsos mutuo, tum ad corpus in quo fuerunt collocati. Si mutuo ad sese referantur, his maxime distant nominibus: I. *quod Maria fuerit oculus dexter, Eva sinister:* et II. *quod oculo sinistro occaecato morboque extincto, oculus contra dexter nihil detrimenti ceperit, suumque nitorem servarit.* Sin vero referantur ad corpus, totamque humanitatem, *caecitate oculi sinistri factum est, ut illud tenebresceret atque homines in caligine palparent; sed splendori dextri oculi referri in acceptis debet quod in eo lux caelestis habitarit, tenebrisque depulsis dies iterum emicarit.* Quis vero hisce auditis, continuo non intelligat sive nullum Virgini fuisse consortium cum protoparentibus culpa obstrictis, sive Virginem ad tenebricosam humanitatem numquam spectasse, sive ipsam credi filiam oportere auctoribus generis dissimilem, sive tandem fuisse penitus exsortem hereditariae labis, qua ipsius origines inficerentur?

1) Matth. VI. 22-23.

Digitized by Google

CAPUT III.

De habitu similitudinis et coniunctionis, quo ex maiorum fide vulgataque doctrina Virgo censeri debet cum iis sive conspicuis sive ultra conspectum positis arctissime vincta, quae originali innocentia eximiaque sanctitate commendantur. Expolitur coniunctio et similitudo cum iis quae conspicua sunt, atque ex ordine cum Virgine conferuntur Eva adhuc innoxia, consitus a Deo paradisus, terra nondum maledicto obnoxia, ac tandem ecclesia. Tum coniunctio et similitudo cum iis expolitur quae conspectum superant, cuiusmodi sunt angeli et Deus Trinitas. Ex omnium summa colligitur, fidem de immaculato Virginis conceptu cum christiana traditione penitissime cohaerere.

1298. Duplex patet ratio, qua Deiparae virginis origines ab hereditaria labe immunes solutaeque comprobentur. Quemadmodum enim immaculatus illius conceptus extra controversiam positus ostenditur, *si ipsa tum a quovis peccato, tum ab omnibus omnino peccatoribus, ipsisque protoparentibus transgressione reis funditus secreta penitusque divisa evincatur;* ita eodem pertinet argumentum, *quo cum iis habitu similitudinis nexa atque intime sociata demonstretur, quae quum originali puritate nituerint, nullum umquam culpae naevum subierunt.* Quod enim prior illa segregatio *negando* efficit, idipsum posterior similitudinis societatisque respectus *aiendo* confirmat. Quapropter expedito [1]) altero probationis genere, alterum adgredimur, et ne lato quidem ungue e vestigiis christianae traditionis deflectentes *ponimus, intimiorem quam dici cogitarive possit, credi oportere similitudinis consortiique respectum quo Virgo cum iis copulatur omnibus sive conspicuis sive ultra conspectum evectis, quae nullo umquam polluta naevo originalem nitorem prae se ferunt.* Quorum nomine ex aequo complectimur principio quidem *Evam nondum seductam, paradisum in Genesi descriptum, terram maledicti adhuc exsortem, ipsamque ecclesiam;* deinde vero *angelicos spiritus augustamque Trinitatem,* atque ex personis Trinitatis nominatim *Unigenitum nostra mortalitate indutum.* Profecto si quod mente praecepimus, verbisque non tam ex-

1) De hoc probationis genere disseruimus toto superiore capite, quod cum praesenti ad maiorem rei perspicuitatem opportunissime comparabitur.

Digitized by Google

pressimus quam adumbravimus, opere ipso exsequamur; me sane praeterit an expeti quidquam iure possit, quo immaculatus Virginis conceptus auctoritate christianae traditionis rite assertus luculenterque comprobatus videatur.

ARTICULUS I.

De respectu similitudinis et arctissimae copulationis, quo Virgo cum iis iuncta haberi debet quae quum ex sese sint conspicua, originali pulcritudine excellunt: ad eiusmodi classem spectant Eva innocens, consitus a Deo paradisus, terra nondum maledicto obnoxia, et ecclesia quae una est cum Christo caro: singuli quique respectus traditione maiorum explanantur, eademque immaculatus Virginis conceptus stabilitur.

1299. Si de characteribus quaeratur deque propriis veluti notis sermo sit, quae Evam ante ruinam haustumque serpentis virus luculentissime distinguebant; omnes facile ad hanc capitum summam revocantur. *Quod ipsa fuerit a Deo sic condita, ut in ipsa nihil nisi pulcherrimum sui auctoris opus apparuerit; quodque adeo tota fuerit pura, tota simplex, tota virgo, mater viventium, et nobilissimis gratiae muneribus locupletata.* Hi neque alii sunt colores, qui originalem Evae speciem, primamque eiusdem formam repraesentant. Eiusmodi autem colorum ne unus quidem est, qui ex doctrina christianae traditionis ad excitandam Virginis imaginem, eiusque effigiem depingendam non pertineat. Enimvero quemadmodum Eva ab ipso Deo condita nihil in se *primum* recepit, quod aliunde adscitum sui conditoris imaginem infuscaret; ita Virgo, si quid suo loco [1]) perfecimus, quum singulari Dei providentia *primum* exstitit, non alia praesetulit lineamenta quam quae propria forent operis originalis, suique auctoris imaginem exprimerent. Hinc illud quod Armeniorum ecclesia [2]), praeeunte Varidane, canit in hymno quo Deiparae genitores Ioachimus et Anna celebrantur: ▪ Qui ex non exstantibus mundum universum verbo creasti, hodie nova oeconomia in hominum gratiam *novi fundamenta mundi* in Anna iecisti. Ex terra sterili nobis hodie erupit laetum bonumque

1) Recoli debent quae doculmus nn. 1200. sqq. quaeque probant ita Virginem in suis exstitisse primordiis, ut in ipsam nihil ex fraude serpentis, et nihil ex protoparentum transgressione, prospiciente Deo, redundarit.

2) In brev. arm. pag. 741. T. III.

Digitized by Google

germen, lilium convallium, flos pratorum, unigenita Maria, eademque radix plantae immortalitatem afferentis. »

1300. Ad haec, quemadmodum Eva tota fuit pura, tota innocens, omnique ex parte virgo; ita geminis plane decoribus [1]) Deipara excelluit. Insigniter Ephraemus qui [a]) tertium ex sermonibus exegeticis in diversos Scripturae locos his omnino verbis auspicatur: « Ambae purae, ambae simplices Maria et Eva sibi ex adverso respondent, altera mortis nostrae, altera vitae nostrae caussa fuit. » Insigniter [2]) Tertullianus qui cum Eva innoxia Mariam contendens ait: « In *virginem* adhuc *Evam* irrepserat verbum aedificatorium [3]) mortis. *In virginem aeque* introducendum erat verbum exstructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem per eumdem sexum redigeretur in salutem. » Insigniter [b]) Epiphanius qui eamdem versans comparationem scribit: « Quoniam vero quum adhuc *virgo in hortis Eva* degeret, per contumaciam apud Deum offenderat; ideo vicissim obedientia gratiae propria manavit *ex Virgine,* postquam circumfusi corpore Verbi, sempiternaeque vitae de caelo est nuntiatus adventus. » Et insigniter Arator, qui eidem comparationi [4]) insistens ait:

» Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis,
» A nato firmata suo: mala criminis Evae
» *Virgo secunda* fugat: nulla est iniuria sexus.

Praeterea quemadmodum Eva tota pura, tota innocens, nullaque ex parte laesa, fuit pariter viventium mater, gratiaeque splendoribus venustissima enituit; ita iisdem radiis Maria refulsit, sibique dignitatem matris viventium suo merito vindicavit. Egregia sunt quae

a) Serm. III. exeget. in div. Script. locos pag. 327. A-B. opp. syr. T. II.
لقلم حنمنا لقلم هعتلهدا حدنمع له منا لمانعقد حهؤمعدا سبا تعلدا
وحدلي لمنا وتمنا +

b) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. §. XVIII. pag. 1050. D. opp. T. I. Καὶ ἐπειδὴ ἐκεῖ μὲν ἔτι οὖσα παρθένος ἡ Εὔα ἐν παραβάσει παρακοῆς γέγονε, πάλιν διὰ τῆς παρθένου γέγονεν ἡ ὑπακοὴ τῆς χάριτος, εὐαγγελισθείσης τῆς ἀπ' οὐρανοῦ καθόδου ἐνσάρκου παρουσίας, καὶ ζωῆς αἰωνίου.

1) In afferendis testimoniis parcior ero, quod plurima quum de typis disererem nn. 451. seqq. Virginem praesignantibus in medium adduxerim.

2) De carne Christi cap. XVII. pag. 321. A.

3) Ubi quum *virginitati* opponatur non *corruptela corporis*, sed *verbum aedificatorium mortis*, liquet virginitatem *de omnimoda integritate mentis iuxta et carnis* usurpari. Haec animadversio, quae crebro repeti debet, a nobis deinde plenius communicatur.

4) Histor. apost. lib. I. vv. 87-90. pag. 95. apud Gallandium T. XII.

Digitized by Google

huc spectantia habet [a]) Epiphanius de Deipara scribens: « Haec est quam adumbravit Eva, quae viventium mater quodam aenigmatis involucro nuncupatur. » Egregia quae [1]) scribit Pseudo-Ambrosius: « Per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam seducti ad terram, per Mariam elevati ad caelum; et ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti omnes esse ostendam: *in Eva tunc Maria inerat, per Mariam postea revelata est* [2]) *Eva.* » Egregia quae habet [b]) Georgius Cedrenus, ubi Adami et Evae nomina explanans inquit: « Adami vocabulum terram significat, Eva vitam. Nam ii reipsa nominibus quae eos terrenae ac carnalis vitae principes ad parentes denotant, respondent, sicut Iesus Christus novus Adamus, et ea de qua nullum experta virum ipse natus est, caelestis ac spiritalis vitae primordium et caussa sunt omnibus Dei filiis. » Egregia, quamquam nonnihil obscuriora quae in exsequiarum officio [c]) a Graecis frequentantur: « Qui prius Evam ex *Adami* costa primam omnium matrem efformavit, in illibato tuo utero carne circumdatur, o innocens, per quam mortis dissolvit potestatem. » Neque egregia minus videri debent quae [d]) Ephraemus in altero sermone exegetico [3]) in diversos Scripturae locos his ver-

a) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. §. XVIII. pag. 1050. A. opp. T. I. *Αὕτη ἐστὶν ἡ παρὰ μὲν τῇ Εὔᾳ σημαινομένη, δι' αἰνίγματος λαβοῦσα τὸ καλεῖσθαι μήτηρ ζώντων.*

b) Histor. compend. pag. 11. T. XXI. corp. scriptt. Hist. Byzant. *Ἀδὰμ δὲ ἑρμηνεύεται γῆϊνος, Εὔα δὲ ζωή· καὶ γὰρ αὐτοὶ τῆς γηΐνης καὶ σαρκικῆς ζωῆς ἀρχηγοὶ καὶ πατέρες τῷ ὄντι χρηματίζουσιν, ὥσπερ τῆς οὐρανίας καὶ πνευματικῆς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ὁ νέος Ἀδὰμ, καὶ ἡ ἀπειράνδρως αὐτὸν τεκοῦσα, ἀπαρχὴ καὶ αἰτία τοῖς πᾶσι τοῦ Θεοῦ τέκνοις εἰσίν.*

c) Euchol͏og. pag. 529. B. *Ὁ ἐκ πλευρᾶς διαπλάσας Εὔαν τὸ πρὶν τὴν ἡμῶν προμήτορα, ἐξ ἀχράντου σου γαστρὸς σάρκα περιβάλλεται, δι' ἧς τοῦ θανάτου τὴν ἰσχὺν, ἁγνὴ, διέλυσεν.*

d) Serm. II. exeget. in diver. Script. locos pag. 318. C-E. opp. syr. T. II.

ܘܒܬܪܐ ܕܩܕܝܡ ܕܒܚܘܒ ܠܟܠܐ ܩܢܘܗܝ ܐܬܡܟܟ ܕܚܘܐ ܠܗ ܚܒܠܐ ܗܘ ܘܒܚܒܠܐ
ܗܘܐ ܗܘ ܠܟܠܐ ܕܡܫܘܬ ܕܐܕܡ ܠܐܪܥܐ ܗܘܐ. ܚܘܐ ܐܟܡ ܘܩܢܐ ܕܡܕܢܚ ܡܫܒܚܐ ܩܐܡܐ
ܘܪܘܚܐ ܕܒܬܪ ܡܢ ܚܘܐ ܘܐܕܡ ܀

1) Serm. XLV. de primo Adam et secundo n. 5. pag. 460. D-E. ad calcem opp. Ambrosii.

2) Tamquam mater viventium. Quod supplendum esse, contextus docet, atque haec persuadent n. 4: « Haec mater humani generis dicitur, illa salutis. »

3) Memorat Assemanus in biblioth. orient. T. I. p. 91. n. 46. quinque Ephraemi hymnos de Adamo et Eva, illosque hoc ordine recenset. » 1. *Adam sublime elatus, humi abiectus est.* 2. *A diabolo incessimus in eo, quod nulla vi, nulla via investigare assequive possumus* 3. *Fratres Evae soboles, antiquae matris gesta audiamus.* 4. *Probrum feminae fuit, quum sit technarum fallaciarumque scatebra, sapientiaeque fontem Salomonem vicerit, ipsam nihilominus a serpente fuisse superatam.* 5.

Digitized by Google

bis complectitur: « Ut mysterium ac typus esset rei futurae costa ex illo *(Adamo)* desumpta est. Haec Eva fuit, praevaricationum origo; ac mox eiusmodi costa Adami murum subversura erat. Per Evam periit, per Mariam reflоruit gloria pulcra et desiderabilis, quae ab Eva et ab Adamo discesserat. »

1301. Una igitur atque eadem est *imago* innocentis adhuc Evae et Mariae, quique illam colores exhibent, hanc pariter repraesentant. Imago autem Evae serpentis astu nondum violatae originali fulgebat pulcritudine, puraque luce emicabat. Originali ergo pulcritudine, eademque nullo afflata culpae halitu ipsa quoque Mariae species atque imago resplenduit. Quam veritatem eo securius profitebimur, quo [1]) Epiphanius luculentioribus verbis confirmavit, quaecumque omnia praeclara et insignia in Scripturis de Eva memorantur, illa ipsa multo plenius multoque perfectius ad Mariam, cuius Eva typus et umbra fuit, pertinere. Sed Eva seposita, *ad deliciarum* veniamus *paradisum*, et huius cum Virgine similitudinis coniunctionisque respectus ad normam praescriptumque maiorum consideremus. In hymnis penes Coptos receptis [a]) legimus: « Salve rationalis paradisus Christi, qui propter Adamum primum hominem factus est Adam secundus. » Et iterum [b]) legimus: « Ave paradisus sanctus, rationalis; ave arbor vitae praeferens immortalitatem. » Similia penes Armenios occurrunt, qui chorum agente [2]) Nersete claiensi, canunt: « Tu novus Edem plantae rationalis, ex te novus prodiit Adam qui veterem refinxit. » Similia apud Syros, qui [c]) in primo nocturno feriae secundae sic habent: « In horto

a) Theotoch. pag. 102. tetrast. V.

Χερε πιπαραδεισος ηλογικον ητε πιχριστος: ϕη ετασψωπι ημαρσηατ ηδαδαμ, εοβε δαδαμ πιψορπ ηρωμι +

b) Ibid. pag. 206. tetrast. III.

Χερε πιπαραδεισος εθοταβ ηλογικον: Χερε πιψυχη ητε πωπε: ϕα †μετασμοτ +

c) Offic. Maronit. pag. 105.

حيدا سبا صعكه معصمه ٥٥ سنصطا . وامكي سنتا بكي ٥٥١ عنه
عنما معه +

Descendisti, o triumphator ad Adam eorum. » Ex hisce quinque hymnis componitur sermo quem laudavimus, et verba quae adduximus, ad primum pertinent.

1) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. §. XVIII. pag. 1060. A-B.

2) Lib. carminum, in carm. de nativit. Domini pag. 371.

Digitized by Google

novo adumbravit [1]) illam *(Virginem)* sapientissimus Salomon, e qua arbor vitae germinavit Dominus Iesus. » Et ad primam feriae quintae sic Virginem [a]) celebrant: « Salomon mare sapientiae te figura paradisi repraesentavit, o Virgo innocens, te e qua prodiit arbor vitae, cuius fructum mortui comedentes vitam receperunt. » Neque aliter Graeci, qui cum Ignatio et Iosepho hymnographis in Menaeis [b]) repetunt: « Celebremus rubum incombustum, rationalem paradisum, Evae restitutionem, magnumque totius mundi cimelium. Gratulemur impense Dei matri atque clamemus: salve altissime Dei throne, salve lucis nubes, salve paradise, per quam digni habiti sumus paradisi deliciis. » Missa facio quae [2]) in Octoecho eodem pertinentia reperiuntur, atque haec [c]) subiungo ex hymno in Christi nativitatem: « Adorna te, o Bethleem, omnibus reseratus est Eden. Adorna te, o Ephratha, quod lignum vitae ex Virgine in spelunca germinavit. Illius namque sinus apparuit spiritalis paradisus, in quo divinum germen, quod edentes vivamus, non vero uti Adam moriamur, Christus gignitur, qui lapsam pridem imaginem erexit, et nostrarum vicium factus est consors. »

1302. Haec ex ecclesiasticis desumpta libris praeclare cum iis conspirant, quae de eodem similitudinis habitu a patribus statuta

a) Ibid. pag. 344.

ﻫﻠﻠﻮﻳﺎ ﺑﻨﻔﺴﻨﺎ ﻭﺑﻘﻮﺗﻨﺎ ﺻﻠﻴﻨﺎ ﻟﻤﺴﻴﺤﻨﺎ . ﺣﺪﻳﻘﺔ ﻓﺮﺩﻭﺱ ﻭﺟﺪﻧﺎ ﻭﺃﻛﻠﻨﺎ ﻣﻦ ﺷﺠﺮﺓ ﺍﻟﺤﻴﺎﺓ
ﻭﺣﻴﻨﺌﺬ ﻋﺮﻓﻨﺎ ﺃﻧﻨﺎ ﻋﺮﺍﺓ ﻣﻦ ﺍﻟﻤﺠﺪ ﺍﻟﺬﻱ ﻛﺎﻥ ﻟﻨﺎ .

b) Men. die IV. Iunii ad Matutin. pag. 14. col. 1. E. Τιμήσωμεν βάτον τὴν ἀκατάφλεκτον, τὸν λογικὸν παράδεισον, τὴν τῆς Εὔας ἀνάκλησιν, τῆς οἰκουμένης πάσης τὸ μέγα κειμήλιον.

Die XXVII. Septembris Ode θ'. pag. 173. col. 1. C. Φωνὴν προσάξωμεν χαριστήριον τῇ τοῦ Θεοῦ μητρὶ παρθένῳ καὶ βοήσωμεν· χαῖρε θρόνε Θεοῦ ὑψηλότατε, χαῖρε φωτὸς νεφέλη, χαῖρε παράδεισε, δι' ἧς παραδείσου τῆς τρυφῆς κατηξιώθημεν.

c) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 129. Εἰς γενέθλια Χριστοῦ.

Ἑτοιμάζου, Βηθλεὲμ,
Ἤνοικται πᾶσιν ἡ Ἐδέμ.
Εὐτρεπίζου, Εὐφραθᾶ,
Ὅτι τὸ ξύλον τῆς ζωῆς
Ἐν τῷ σπηλαίῳ ἐξήνθησεν
Ἐκ τῆς παρθένου· παράδεισος
Καὶ γὰρ ἡ ἐκείνης γαστὴρ
Ἐδέχθη νοητῶς,
Ἐν ᾧ τὸ θεῖον φυτὸν,
Ἐξ οὗ φαγόντες ζήσομεν,
Οὐχὶ δὲ ὡς ὁ Ἀδὰμ τιθηνξόμεθα.
Χριστὸς γεννᾶται,
Τὴν πρὶν πεσοῦσαν ἀναστήσας
Εἰκόνα καὶ τρόπων μέτοχος.

1) Deprompta haec sunt ex hymno dodecasyllabo s. Iacobi sarugensis.

2) Octoech. pag. 50. col. 1. B.

Digitized by Google

novimus. Ex ipsis enim Dionysius alexandrinus postquam [a]) Virginem dixit *a pedibus usque ad caput benedictam*, mox [b]) subdit: « Qui e caelo descendit unigenitus Deus Verbum, gestatum est in utero, et genitum *ex paradiso virginali habente omnia.* » Atque inprimis habente originalem venustatem. Sequitur Proclus, qui enarrans evangelistae [1]) de Iosepho verba, *et non cognoscebat eam*, inter cetera [c]) scribit: « Non meminerat potuisse eam effici Dei templum, *quae ex mundo erat formata luto.* Latebat eum *ex virginali rursus paradiso* intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam. » Suffragatur [d]) Theodotus ancyranus coram ephesinis patribus exclamans: « O Virginem, quae ipsum vicit deliciarum paradisum! » Consentit Petrus Damiani, qui adductis Scripturae [2]) verbis, *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terrae, qui inde dividitur in quatuor capita*, continuo [3]) pergit: « Fluvius iste est Deus meus Iesus, qui *a duobus locis voluptatis* egreditur, ex utero Patris, ex utero Virginis. » Tum priori parte enarrata, ad alteram progressus [4]) ait: « Hic locum voluptatis uterum Mariae intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius deliciis Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris Cantico [5]) sic eructat: *quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens?* Numquid in angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Numquid in constellatione vel scintillatione stellarum, quarum aliae convertuntur in sanguinem, aliae cadunt de caelo, aliae in tenebras obscurantur? Numquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus. Numquid in aquis, ubi furens et tor-

a) Respons. ad q. X. Pauli samos. pag. 278. A. Ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς εὐλογημένην.

b) Ibid. pag. 278. B. Ὁ ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς μονογενὴς θεὸς λόγος ἐγεννήθη κυοφορηθεὶς ἐκ παρθενικοῦ παραδείσου ἔχοντος τὰ πάντα.

c) Orat. VI. de Virginis laud. §. VIII. pag. 637. A-B. apud Gallandium T. IX. Οὐκ ἐμνήσκετο, ὅτι ναὸς ἠδύνατο γενέσθαι θεοῦ, ἡ ἐκ τοῦ καθαροῦ (al. ἀγαθοῦ) πεπλασμένη πηλοῦ· οὐκ ἐγίνωσκεν, ὅτι ταῖς ἀχράντοις τοῦ δεσπότου χερσὶ ἐκ τοῦ παρθενικοῦ πάλιν πλάττεται παραδείσου ὁ δεύτερος Ἀδάμ.

d) Orat. in Domini nativit. §. I. pag. 440. A. apud Gallandium T. IX. Ὦ παρθένος, αὐτὸν νικήσασα τῆς Ἐδὲμ τὸν παράδεισον.

1) Matth. I. 25.
2) Gen. II. 10.
3) Serm. XI. de Virginis annunt. pag. 25. col. 1. E. opp. T. II.
4) Ibid. pag. 26. col. 2. A-C.
5) Cant. III. 6.

Digitized by Google

tuosus Leviathan immoratur; aut in terra, quae sub maledicto Adae spinas emittit et tribulos? *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* » Consentit et Hermannus monachus, cuius nobilissimam disputationem compendio referam. Agit [1]) *de beata Maria destinata ab aeterno, ut ad exsequutionem incarnationis concurreret,* atque ita [2]) orditur: « His de Christi nativitate passione ac resurrectione, nostraque redemptione breviter a Moyse praelibatis, rursus post operationem sex dierum de Tabernaculo in quo requievit, idest, de beatissima matre eius Domina nostra sancta Maria, dignam memoria protulit sententiam [3]) dicens: *plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* Hoc si solummodo de illo paradiso in quo positus est Adam ad litteram dictum intelligatur, mirum videtur quomodo a principio plantatus esse dicatur. Sed si figurate de Domina nostra dictum intelligatur, omnis quaestio solvitur. Plantaverat enim eam revera Dominus a principio, et quum ab ipso Filio eius in evangelio dicatur: *omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis eradicabitur;* liquet profecto quod illa quam plantavit, fixe et altius stabilita eradicari non potest. Plantaverat ergo eam Dominus a principio, quia [4]) *antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata erat, et ex antiquis antequam terra fieret,* immobiliter in praescientia sua Deus proposuerat et definierat per eius fructum reparare genus humanum. *Paradisum autem eam saepe vocat sancta ecclesia,* quum in eius laude illud Cantici canticorum decantat: *emissiones tuae, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Paradisus namque locus delitiarum interpretatur: et quis magis locus delitiarum intelligi potest, quam venter ille in quo panis angelorum et delitiae eorum novem mensibus reconditus mansit? *Plantaverat itaque Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat,* idest paraverat aulam regiam a principio, in qua poneret Filium suum, coaequalem sibi et coaeternum, cum hominem formaverat. Sed quomodo plantaverat, et qualem plantaverat hunc paradisum? *Plane talem, cui nulla deesset voluptatis caussa.* » Quod ut plùribus explicavit, tandem [5]) infert: « Quod vero dicitur, *et custodiret eum,* exposi-

1) Tract. de incarn. Domini cap. VII. pag. 388. col. 2. E. apud Gallandium T. XIV.
2) Ibid. pagg. 388. col. 2. E. et 389. col. 1. A-D.
3) Gen. II. 8.
4) Prov. VIII. 22.
5) Loc. cit. pag. 390. col. 1. C-D.

Digitized by Google

tione non indiget; quoniam *et prius quam* in beata Virgine incarnaretur, et *cum in ea* clausus fuit, et *postquam ex ea* natus est, *semper eam in omni sanctitate et munditie servavit.* ||

1303. Nihil itaque exploratius suffragatione maiorum qua Maria cum paradiso confertur, eidemque simillima celebratur. Uno namque omnium ore dicitur *paradisus rationalis spiritualisque paradisus, paradisus virginalis et sanctus, novusque novi Adami paradisus.* Atqui ea non est huiusmodi comparatio, a qua praerogativa originalis candoris seiungi qucat. Hanc enim exigit *propria vis similitudinis* quae non sinit, ut quidquam quod pollutum semel fuerit, cum paradiso contendatur. Hanc exigit quod additur, *Virginem fuisse paradiso deliciarum praestantiorem.* Atque hanc exigunt quae promuntur, sive ut similitudinis ratio explanetur, sive ut potior Virginis excellentia patefiat. Explanatur enim similitudinis ratio quum Virgo dicitur *paradisus a Deo plantatus, ut in eo secundus Adam habitaret.* Potior autem excellentia Virginis aperitur, quum eidem asseritur *quod fuerit paradisus habens omnia, nulla omnino carens voluptatis caussa, omnibus cumulatus deliciis, in omni sanctitate et munditie semper custoditus, et locus plane singularis quo Deus oblectetur.* Quid vero horum est quod sordes ferat, quodque originalem et numquam laesam puritatem non efflagitet?

1304. Quam pariter alia efflagitat comparatio neque minus perspicua, neque minori veterum consensione firmata. Est autem comparatio, qua Deipara *terrae simillima* perhibetur, *quum haec primum exstitit et ante quam divino maledicto percelleretur.* Huius comparationis testes quum numero sint plurimi, auctoritate praecellunt. Testes namque sunt Achaiae presbyteri, qui Andreae martyrium referentes, haec praeter cetera [a]) scribunt: « Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat homo primus, necesse erat ut [1]) ex immaculata Virgine nascerctur perfectus homo, quo filius

a) Acta s. Andreae pag. 250. apud Morcellium in kalend. eccles. constantinopolit. P. I. Καὶ ὅτι ἐξ ἀμώμου γῆς γέγονεν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος· ἀναγκαῖον ἦν, ἐξ ἀμώμου παρθένου κυηθῆναι τὸν τέλειον ἄνθρωπον, ἵνα ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, ὁ πρώην ποιήσας τὸν ἄνθρωπον, ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἣν ἀπώλεσαν οἱ ἄνθρωποι διὰ τοῦ Ἀδάμ, ἑτοιμάσῃ.

1) Ἄμωμον παρθένον, notat Morcellius, non plus hic esse putabat Wongus, quam ἀδιαλώβητον παρθένον, sive virum non expertam. At ipsa vox παρθένος tantumdem valet. Ipsa autem terrae virginis comparatio sanctam virginem Mariam nobis exhibet ab ipsa origine immaculatam; quippe terra illa, ex qua primus homo effictus, talis etiam tum erat, qualem paulo ante Deus esse iusserat, neque Adamo dictum fuerat Gen. III. 17. *maledicta terra in opere tuo.*

Digitized by Google

Dei qui ante condiderat hominem, vitam aeternam quam perdiderant homines per Adamum, repararet. » Testes sunt [1]) Irenaeus et [2]) Tertullianus, qui Mariam dicunt *terram illam virginem, e qua primus homo plasmatus fuit.* Testis semel ac rursum Athanasius, sive ubi [a]) ait: « Igitur utrumque nos intelligamus sub Christi nomine, videlicet divinum Verbum unitum ei qui ex Maria genitus est, in Maria. Etenim in huius utero Verbum sibi domum conformavit eodem modo, quo initio Adamum *de terra,* vel potius diviniori quadam ratione. » Sive ubi [b]) subdit: « Propterea Verbum Deus advenit, primique hominis conditor ut homo fieret, ad vitam homini dandam et iniquum hostem subvertendum: ac genitus est e Virgine humanam sibi formam *prima ex creatione* excitans: exhibita carne sine carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis in imagine novitatis. » Prima igitur creatio refulsit in Virgine, quae propterea originali excelluit puritate. Testes [3]) Cyrillus alexandrinus et [4]) Anastasius presbyter, qui *Verbum ex sola Virgine tamquam ex munda terra materiam fabricae sumpsisse* docent. Testis [c]) Andreas cretensis qui in rem nostram opportunissime scribit: « Quum enim generis redemptor novam nativitatem et reformationem sufficere priori voluisset, quemadmodum illic luto accepto ex virginea illibataque terra primum Adamum effecit; sic

a) Orat. V. pag. 322. E. Τὸ τοίνυν συναμφότερον τοῦμεν Χριστὸν λόγον τὸν θεῖον ἡνωμένον τῷ ἐκ Μαρίας, ἐν τῇ Μαρίᾳ· ἐν γὰρ τῇ ταύτης νηδύϊ ὁ λόγος ἑαυτῷ τὸν οἶκον ἐπλάσατο, ὃν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὸν Ἀδὰμ ἐκ τῆς γῆς· μᾶλλον δὲ θειοτέρως.

b) De salut. adventu Christi pag. 690. C. Διὰ τοῦτο ἦλθεν ὁ λόγος θεὸς ὤν, καὶ τοῦ πρώτου ἀνθρώπου δημιουργὸς γενέσθαι ἄνθρωπος, εἰς ζωοποίησιν μὲν τοῦ ἀνθρώπου, καθαίρεσιν δὲ τοῦ ἀρχαίου ἐχθροῦ, καὶ ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως, τὴν ἀνθρώπου μορφὴν ἑαυτῷ ἀναστησάμενος, ἐν ἐπιδείξει σαρκὸς δίχα σαρκικῶν θελημάτων, καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων ἐν εἰκόνι καινότητος.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 96. B-D. apud Gallandium T. XIII. Βουληθεὶς τοῦ γένους ἡ λυτρωτὴς νέαν ἀντεπιδείξασθαι τῆς προτέρας γέννησιν καὶ ἀνάπλασιν· ὥσπερ ἐκεῖ πρότερον ἐκ παρθενικῆς ἀνεπάφου γῆς πηλὸν ἀνελόμενος, τὸν πρῶτον Ἀδὰμ ἐπλαστούργησεν, οὕτω καὶ νῦν ἐνταῦθα τὴν οἰκείαν σάρκωσιν αὐτουργῶν, ἀντ' ἄλλης, ὡς ἂν εἴποιμεν, γῆς τὴν καθαράν τε καὶ ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον τῆς ὅλης φύσεως ἐκλεξάμενος, τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ἐν αὐτῇ καινοποιήσας νέος Ἀδὰμ, ὁ πλαστουργὸς τοῦ Ἀδὰμ ἐχρημάτισεν, ἵνα τὸν παλαιὸν ὁ πρόσφατος καὶ ὑπέρχρονος ἀνασώσηται.

1) Graeca Irenaei verba occurrunt in catena ab em. Mai edita pagg. 636. E. et 640. A. scriptt. vett. T. IX.
2) Advers. Iudaeos cap. XIII. pag. 199. A.
3) De incarnat. Domini cap. XXIII. pag. 62. apud Mai in nova pp. biblioth. T. II. et scriptt. vett. T. VIII. P. II. pag. 90.
4) Con. Monophysitas lib. IV. pag. 199. col. 2. A-B. apud Mai scriptt. vett. T. VII.

et heic modo suam ipse incarnationem operatus, pro alia terra, ut ita dicam, munda hac prorsusque immaculata, de natura tota electa Virgine, novoque modo quod est nostrum ex nobis in ea effecto, novus Adam Adami auctor evasit, ut recens ille et seculis antiquior salutem veteri afferret. » Testes patres francofordienses, qui [1]) in litteris anno DCCXCIV. ad Hispaniae episcopos missis, non solum Deiparam conferunt *cum terra virgine*, sed illam praeterea dicunt *meliorem terram, etiam animatam et immaculatam.* Testes sanctus Bruno carthusianorum institutor et Petrus blesensis, e quibus ille [2]) de Virgine ait: « Haec enim est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitae viam agnovimus. » Posterior [3]) vero scribit: « Natus est itaque filius Dei de Virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus homo Adam de terra virgine et inviolata. » Accedunt Rupertus abbas tuitiensis et Gerhohus praepositus richerspergensis, quorum prior sic [4]) habet: « Ineffabile est quod de carnis Christi generatione recte hic [5]) dictum intelligitur, *quia abscissus est de terra viventium.* De terra, inquam, non morientium sive mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt, sed terra viventium, idest, *de terra* [6]) *virgine* per sanctum vivificata Spiritum abscissus est. » Sed posterior [7]) enarrans verba [8]) psalmi, *benedixisti Domine terram tuam,* inquit: « Terram hanc benedictam a terra maledicta spinas et tribulos germinante segregatam visitasti proprio adventu tuo factus caro in utero virgineo, flos benedictus de terra benedicta, germinans fructus benedicti ventris. Magnifice itaque, Domine, visitasti terram, et mirifice inebriasti eam de torrente voluptatis tuae potando illam, quae de terra maledicta spinas et tribulos germinante, ad hoc fuit segregata ut germinaret Salvatorem. » Fuit igitur cur [9]) beatus Petrus Damiani de ipsa caneret:

1) Concil. T. IX. pag. 85.
2) In Ps. CI. pag. 400.
3) In fidei instr. ad Soldanum Iconii pag. 515.
4) Comm. in Isaiam lib. II. pag. 325.
5) Is. LIII. 8.
6) Terra igitur *virgo* non tam opponitur corporis contagio, quam maculae peccati.
7) Comm. in Ps. LXIV. apud Pezium anecdot. T. V. pag. 1211.
8) Ps. LXXXIV. 1.
9) Rhyth. de s. Virgine pag. 11. col. 2. B-C. opp. T. IV. Alia quae huc spectant, habentur in collectaneis in V. T. ex libris s. Petri Damiani cap. V. pag. 61., itemque in thesaur. hymnolog. T. II. pag. 186. *Tellus hominem, virgo virginem fudit primum, sic secundum Maria.* Ac rursum in libello de corona Virginis cap. XIX. pag. 424. in collect. pp. tolet. T. I.

Ave terra virginea,
Sive caelestis area
Gerens florem gratum.

Digitized by Google

» Hortus deliciarum,
» Odor suavitatum;
» Tu ager ille plenus
» Cui benedixit Deus
» Es et terra caelestis,
» Ferax lactis et mellis,
» Ex qua Veritas orta
» Tollit errorum dogma.

1305. Quas Deiparae laudationes uno ore repetunt et concordes frequentant Armenii et Graeci. Armeniorum namque hae sunt voces [1]) ex hymno Iacobi claiensis: « Tu, o Domina, es rationalis terra agerque purus a peccatorum spinis, quae sine semine protulisti germen caeleste, per quod panem vitae dedisti esurienti naturae nostrae. » A quibus ne minimum quidem Graecos dissidere, ex hisce [a]) quae subdimus, debet esse luculentum: « O terra, quae minime culta altorem universi germinasti, aperientem manum et divina virtute animal omne sua implentem benedictione, vivifico pane confirma corda nostra ex molesta criminum nostrorum satietate languescentia. Quae inculta germinasti caelestem spicam divina virtute alentem universa, recrea, o Virgo, miseram animam meam fame laborantem. Tu es prophetarum omnium multis insigne nominibus praeconium: Dei namque porta, urna aurea, terra sancta praemonstrata fuisti, o Virgo Dei sponsa, quae carne genuisti Iesum Christum patrum Deum et supergloriosum. » Ea igitur puritas tribuenda est Mariae, eaque innocentia deferenda, quae hinc quidem puritati innocentiaeque respondeat *terrae primitivae et nondum maledicto obnoxiae, terrae virginalis, incorruptae, inviolatae, mundae, sanctae, immaculatae, omnique ex parte immaculatae;* inde vero eam deceat *quae terra primigena melior celebratur, quaeque audit terra benedicta et ab illa segregata quae maledicti poenam sustinuit, terra caelestis et libera ab omni contagione peccati, terra a peccatorum spinis pura, terra quae primam exhibeat*

a) Offic. quadrag. Fer. III. Hebd. I. Ieiun. Ode β'. pag. 104. Ἡ ἀγεώργητος γῆ, ἡ βλαστήσασα τὸν τοῦ παντὸς τροφέα, τὸν ὑπανοίγοντα χεῖρα, καὶ εὐδοκίᾳ τῇ αὐτοῦ ἐμπιμπλῶντα πᾶν ζῶον ἰσχύϊ θείᾳ, στήριξον ἄρτῳ ζωτικῷ παρειμένας καρδίας τῷ κόρῳ τῶν δυσχερῶν ἡμῶν παραπτώσεων.

Fer. IV. Hebd. II. Ieiun. Ode ν'. pag. 182. Ἡ ἀγεωργήτως βλαστήσασα τὸν ἐπουράνιον στάχυν, τὸν διατρέφοντα θείᾳ δυναστείᾳ τὰ σύμπαντα, παρθένε, ἔμπλησον πεινῶσαν τὴν ταπεινήν ψυχήν μου.

Dom. Ieiun. III. Ode ς'. pag. 285. Τὸ πάντων προφητῶν πολυώνυμον σὺ ὑπάρχεις κήρυγμα· πύλη γὰρ θεοῦ, στάμνος χρυσῆ, γῆ ἁγία ἀνεδείχθης, παρθένε θεόνυμφε, κυήσασα ἐν σαρκὶ Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τῶν πατέρων θεόν, καὶ ὑπερένδοξον.

1) Hymn. in Deiparae nativit. qui legitur in breviar. arm. T. III. pag. 766.

Digitized by Google

creationem, et terra vivens atque inscia mortis quae hereditariam praevaricationem adsectatur. Sed hi sunt, vel penitus desunt colores, quibus originalis innocentia et nullo umquam polluta naevo depingatur. Quapropter in tuto est originalis innocentia Virginis, eiusque immaculatus conceptus, incolumi maiorum traditione, adduci in suspicionem nequit.

1306. Cui traditioni illustrandae atque expoliendae non leviter contulerit ad aliam similitudinem aliamque advertisse imaginem quae in priscis monimentis non infrequens occurrit. Itaque neminem prorsus inveniri puto, cui anceps et dubia sit omnimoda ecclesiae puritas eiusque originalis innocentia. Ipsa namque est [1]) virgo casta uni viro Christo desponsata: ipsa est [2]) gloriosa, neque maculam neque rugam habens aut aliquid huiusmodi: ipsa est [3]) corpus Christi eiusque caro: et ipsa est quae ex eius fluxit latere munda [4]) lavacro aquae et sanguinis purpura divinissime nobilitata. Quare in vetustis christianorum hymnis [5]) de ipsa canitur:

» Psallat ecclesia
» Mater illibata
» Et virgo sine ruga.

Et [6]) rursum:

» Christus enim desponsat hodie
» Matrem nostram, normam iustitiae,
» Quam de lacu traxit miseriae,
» Ecclesiam.
» In Spiritus sancti clementia
» Sponsa sponsi laetatur gratia,
» A reginis laudis cum gloria
» Felix dicta.
» Dos ut datur, crescit laetitia,
» Quae dos quanta! triplex potentia
» Caelum tangens terram et stygia
» Iudicia.
» Mira loquor, sed sana credere,
» Foederatam tam largo munere
» De proprio produxit latere
» Deus-homo.
» Formaretur ut sic ecclesia,
» Figuravit in pari gloria
» Adae costis formata femina
» Hostis Eva.
» Eva fuit noverca posteris,
» Haec est mater electa generis,
» Vitae portus, asylum miseris
» Et tutela.
» Pulcra, potens, partu mirabilis,
» Ut luna sol fulget spectabilis,
» Plus acie multo terribilis
» Ordinata.

1) II. Cor. XI. 2.
2) Ephes. V. 27.
3) Coloss. I. 18-24.
4) Ioh. XIX. 34. coll. Ephes. V. 26.
5) In dedicat. ecclesiae p. 323. apud Mone T. I.
6) In dedicat. eccles. pagg. 324-325. Ibidem.

Digitized by Google

» Multiplex et singularis, una, » Omnis aevi sexus una simul
» Generalis et individua, » Parit turmas.

Hinc [1]) Ambrosii verba: « Sancta ecclesia, in primordiis mundi desponsata in paradiso, praefigurata in diluvio. Ecclesia est tamquam femina Christo desponsata. » Atque hinc insigne [2]) Augustini effatum: « Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta quibus formetur ecclesia. »

1307. Iamvero neque pauca neque obscura sunt maiorum suffragia, quibus similitudinis habitus et arctissimae coniunctionis respectus Deiparam inter atque ecclesiam validissime stabilitur. Eiusmodi namque habitum intimumque respectum confirmant Hildebertus cenomanensis [3]), Hincmarus remensis [4]), Ambrosius Autpertus [5]), Alcuinus [6]), Procopius [7]), Hildephonsus toletanus [8]), Theodotus [9]) Ancyrae praesul, Augustinus [10]), Ambrosius [11]), et ne plures memorem [12]), Ephraemus. Sed quo iidem spectant, dum ecclesiam cum Deipara componunt, illasque coniunctas penitissima similitudine testantur? Non est praesentis operis cuncta persequi, vel singulos quosque comparationis modos ab iisdem propositos recensere; sed satis omnino fuerit principio quidem nonnulla generatim de descriptionibus monere, quibus ecclesia et Deipara spectandae obiiciuntur: mox vero aliqua in medium nominatim proferre, quae certum quemdam similitudinis modum eumque cum nostra hac investigatione cohaerentem propius declarent.

1308. Et ad descriptiones quod spectat, illud affirmari verissime potest, quidquid praeclari et quidquid illustris tam in Scripturis quam in christianis monimentis ad efferendam ecclesiae puritatem sanctitatemque adhibetur, idipsum pari splendore atque evidentia de puritate ac sanctitate Deiparae frequentari. Dicitur

1) In psal. CXVIII. num. 4. et de paradiso cap. XIV.

2) In evang. Ioh. I. 9. Accedunt quae scribit serm. CCCXXXVI. n. 5. et in Ioh. tract. CXX. n. 2.

3) Serm. de incarnat. pag. 504.

4) Carm. dogmat. ad b. Virginem vv. 17. seqq. apud Mai classic. auctt. T. V.

5) Serm. in Virginis purificat. n. 13. pag. 245. apud Martenium vett. scriptt. T. IX.

6) Serm. in hypapant. §. VI. pag. 385. apud Baluzium miscell. lib. I. T. I.

7) In Genes. III. pag. 188. apud Mai classic. auctt. T. VI.

8) De perpet. virginit. s. Mariae pag. 154. in collect. pp. tolet. T. I. Concinit Iulianus toletanus lib. I. antikeimenon interrogat. II. al. IV. pag. 154. ibid. T. II.

9) Orat. in Deipar. pag. 651.

10) Serm. CXXI. nn. 4-5. pag. 416. opp. T. V.

11) Exposit. in Luc. I. 22. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI. pag. 190.

12) Serm. I. de fide pag. 150. opp. syr. T. III.

Digitized by Google

ecclesia *munda?* Eodem titulo ornatur Deipara. Dicitur *pulcra, immaculata et rugarum labisque nescia?* Gemina ornamenta Deiparae tribuuntur. Dicitur [1]) *satanae telis impervia, contra inferni portas invicta, caelestis, Christoque sponso penitissime conserta?* Sed horum nihil de Deipara silentio praeteriri, centies ostendimus et disertissimis productis testimoniis plenissima in luce collocavimus. Si ergo adhibitae de ecclesia descriptiones eo pertinent, ut illam demonstrent immaculatam, et numquam peccato ac satanae obnoxiam; eaedem descriptiones de Deipara vicissim usurpatae idipsum efficient, illamque ab omni immunem peccati iugo damnationisque vinculo exhibebunt.

1309. Sed veniendum iam est ad ea quae polliciti sumus testimonia, quorum primum in acceptis Augustino referimus qui [2]) de utero virginali scribit: « Illic namque unigenitus Dei filius humanam sibi dignatus est coniungere naturam, ut sibi capiti immaculato immaculatam consociaret ecclesiam, quam Paulus apostolus [3]) virginem vocat non solas in ea considerans etiam corpore virgines, sed incorruptas omnium desiderans mentes. *Desponsavi enim vos,* inquit, *uni viro virginem castam exhibere Christo.* » Tum e vestigio [4]) infert: « Ecclesia ergo *imitans* Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, *mente tamen et mater est et virgo.* » Alibi [5]) fideles compellans ait: « Caput vestrum peperit Maria, vos ecclesia. Nam ipsa quoque et mater et virgo est, mater visceribus caritatis, *virgo integritate fidei et pietatis.* Populos parit, sed unius membra sunt, cuius est ipsa et coniunx; *etiam in hoc similitudinem gerens illius Virginis,* quia et in multis mater est unitatis. » Ubi vero de Christo [6]) loquitur, inquit: « Hic est speciosus forma prae filiis hominum, *sanctae* filius *Mariae, sanctae* sponsus *ecclesiae, quam suae genitrici similem reddidit:* nam et nobis eam matrem fecit, et virginem sibi custodit. Ad hanc quippe [7]) dicit Apostolus, *aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

1) Iuvat addere quae ad eamdem similitudinem expoliendam scribit auctor libri de corona b. Virginis cap. V. pag. 401. in collect. pp. tolet. T. I. inquiens: « Maria thesaurus et hortus benedictionis, *columna et firmamentum veritatis,* splendor et nitor gratiae, vena et venia indulgentiae. » Quibus Deiparam alloquens subdit: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione tui nulla invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. »

2) Serm. CXCI. in nativit. Domini VIII. n. 3. pag. 632. D-E. opp. T. V.

3) II. Cor. XI. 2.

4) Ibidem.

5) Serm. CXCII. n. 2. p. 624. A-B.

6) Serm. CXCV. n. 2. pag. 627. C-D.

7) II. Cor. XI. 2.

Digitized by Google

De qua rursus [1]) dicit, matrem nostram *non ancillam sed liberam*, cuius multi filii desertae magis quam eius quae habet virum. *Est ergo et ecclesiae sicut Mariae perpetua integritas, et incorrupta fecunditas.* » Quatuor itaque, doctore Augustino, rata esse fixaque debent, atque *inprimis Deiparam* ad innocentiam sanctitatemque quod spectat, *exemplar* fuisse ecclesiae, atque hanc illius *speciem et imaginem;* siquidem *ecclesia imitatur Domini matrem, eius gerit similitudinem, et ipsi similis a suo sponso reddita est. Praeterea* Deiparam iuxta atque ecclesiam credi oportere *sanctam, immaculatam, liberam, virginem. Ad haec,* utramque *virginem* celebrari non tam *corporis intacto pudore,* quam *mentis incorruptione et fidei pietatisque integritate. Tandem* eiusmodi ornamentorum esse nullum, quod Deiparam simul et ecclesiam *non semper decorarit ac porro* decorare pergat. Sed quidquid facilius est, quam cum his *originalem Deiparae turpitudinem* componere. Habitus ergo similitudinis et coniunctionis ecclesiam inter ac Deiparam, originalem huius innocentiam illaesumque conceptum plenissime persuadet.

1310. Cuius persuasionis veritatem suo suffragio tuentur Ambrosius Anspertus et Ambrosius mediolanensis, quorum prior mysterium [2]) expendens purificatae in templo Deiparae inquit: « Iamvero, dilectissimi, si quaeritur, quid mystice significatum fuerit in eo quod Redemptor noster a matre ex civitate propria in Ierusalem ad templum Domini portari se voluit, *invenimus ipsam gloriosam matrem et virginem figuram gessisse illius ecclesiae,* quae ex Iudaea in apostolis credidit. Quando enim *ecclesia non virgo,* cuius membra Apostolus [3]) affatur, dicens, *despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo?* Quando ipsa non mater, de qua per psalmistam [4]) dicitur, *mater Sion dicet, homo?* » Sequitur alter, qui asserta primum perpetua Deiparae virginitate, illico [5]) subdit: « Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium, discamus et mysterium. Vere desponsata, sed Virgo, *quia est ecclesiae typus, quae est immaculata* sed nupta. Concepit nos Virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta ab alio repleta, quia et singulae ecclesiae Spiritu quidem replentur, iun-

1) Gal. IV. 26-27.
2) Orat. in Deiparae purificat. pag. 226. col. 1.
3) II. Cor. XI. 2.
4) Ps. LXXXVI. 5.
5) Exposit. in Luc. I. 26. lib. II. n. 7. p. 1284.

guntur tamen temporali ad speciem sacerdoti. » Utrumque excipit a) Ephraemus, qui *margaritae* 1) nomine *fidem* designans, inter cetera ait: « Videre erat in ea *expressam ecclesiam, immaculatum eiusdem margaritae partum*, et huic insidentem filium Dei, *Filioque suo assidentem ipsius genitricem olim in nube ac caelo significatam*, unde lumen illud e lumine manans nobis illuxit. » Cum ecclesia igitur cohaeret 2) Deipara, et cum ea cohaeret *consortio perpetuae virginitatis et nitoris immaculati, quo splendens illi una cum filio pulcherrime insidet.* Quemadmodum vero *ecclesiae virginitas* nullam patitur corruptelam, ita *immaculatus eiusdem candor* nullos recepit naevos. Ergo vel Deiparae cum ecclesia consortium negandum est, vel immaculatus illius splendor et nullis umquam obductus tenebris concedendus. Quapropter ut omnia quae praemisimus, paucis perstringamus, sic tandem colligimus. Egregia quadam suffragatione maiorum, christianique no-

a) Serm. I. de fide pag. 150. D-F. opp. syr. T. III.

ܗܘ̈ܠܐ ܟܢܐ ܘܫܡܫܐ ܐܡ ܚܠܝܢܐ ܘܐܦ ܟܕ ܐܬܝ ܠܟ ܘܥܡܗ ܒܗ ܚܢܢ ܐܦ ܐܢܬ ܘܒܟܢܫܐ .
ܘܐܠܗܐ ܥܡܢ ܘܐܬܝ ܠܟ ܟܢܐ ܐܡܗ ܩܐܡ ܘ

1) Hymnus VII. *de margarita*, quae est ipsa *fides*, recenset Assemanus in biblioth. orient. T. I. pagg. 115-116. n. 81.

2) Splendida omnino sunt quae de similitudine Mariam inter et ecclesiam in Missali mozarabico usurpantur. In illo namque principio dicitur p. 39. col. 1. B. « Non petimus renovari nobis sicut in hac die *(dominicae nativitatis)* olim acta, est corporalis nativitas tua, sed petimus incorporari nobis invisibilem divinitatem tuam; quod praestitum est carnaliter sed singulariter tunc Mariae, nunc spiritualiter praestatur ecclesiae. » Tum subditur pag. 39. col. 2. C-D: « Factus est ancillae filius, dominus matris suae. Partus Mariae, fructus ecclesiae. Qui ab illa editur, ab ista suscipitur: qui per illam pusillus egreditur, per istam mirifice dilatatur. Illa salutem populis creavit, haec populos: illa utero vitam portavit, haec lavacro: in illius membris Christus infusus est, in istius aquis Christus indutus est. Per illam qui erat, nascitur; per istam qui perierat, invenitur. In illa redemptor gentium vivificatur, in ista gentes vivificantur. Per illam venit ut peccata tolleret, per istam tulit peccata propter quae venit. Per illam nos ploravit, per istam nos curavit: in illa infans, in ista gigas: ibi exulat, hic triumphat. Per illam crepundia gestavit, per istam regna subiecit. Illam parvuli iucunditate demulsit, istam sponsi credulitate despondit. Extant denique preciosi amoris incorrupta commercia. Dedit sponsus sponsae suae munera, aquas vivas, idest Christus ecclesiae, e quibus semel ad placendi meritum lavaretur. Dedit oleum laeticiae, ut odorifero unguento crismatis ungeretur. Vocavit eam ad mensam suam, adipe frumenti satiavit illam, vino suavitatis implevit, iusticiae imposuit ornamentum. Donavit deauratum virtutum varietate vestitum. Animam suam pro illa posuit, susceptae et calcatae mortis spolia in dotem ille regnaturus victor exhibuit: seipsum ille in cibo ac potu, indumentoque concessit. Promisit ei se illi daturum regnum aeternum. Ipsam pollicitus est statuendam in dexterae suae parte reginam. Concessit et ipsi quod concessum est genitrici, impleri non violari, parere non corrumpi, illi semel, isti semper, sedere tamquam sponsam in thalamo pulcritudinis, et multiplicare filios gremio pietatis. » Ceterum comparationem heic obiter indicatam inter Virginis uterum fontemque baptismatis nemo plenius illustrat Theophane nicaeno, qui propterea epist. III. pagg. 111. seqq. illum dicit τὸ μακαριώτατον χωρίον, τῆς θεοῦ πρὸς ἡμᾶς καταλλαγῆς καὶ ἀπορρήτου ἑνώσεως μάρτυρα· ὅτοι τὸν θεοδόχον γαστέρα, πηγὴν ὡς ὄντως ζωοποιὸν καὶ ἀναμορφωτικὴν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἀπὸ τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἀφθαρσίαν καὶ τὸ θεοειδὲς κάλλος: *beatissimum locum, nostrae cum Deo reconciliationis ineffabilisque unitatis testem, uterum nempe Dei hospitem, fontem vere vitalem atque vi pollentem reformandae naturae nostrae a corruptione ad incorruptionem, divinamque pulcritudinem.*

Digitized by Google

minis traditione monemur, eam puritatis excellentiam, eamque innocentiae speciem ac formam asseri Deiparae oportere, qua Eva adhuc innocens claruit, qua Eden nituit, qua terra primigena floruit, et qua splendet ac micat ecclesia. Sed his non alia respondet *puritas nisi originalis*, neque alia respondet *innocentiae forma nisi quae cuiusvis labis sit exsors*. Igitur ipsa quoque Deiparae puritas habenda est originalis, atque adeo huiusmodi, quam hereditaria praevaricatio non antecesserit.

ARTICULUS II.

Obiter de similitudinis habitu Deiparam inter et Iohannem Baptistam, deque praerogativa immaculati conceptus Deiparae asserenda: de duplici eodemque novo cognationis respectu, quorum alter Deiparam inter caelumque purissimam Dei sedem, et alter inter illam angelosque versatur: traditionis suffragia quae huc pertinent, quaeque Deiparae primordia cuiusvis nescia labis ostendunt.

1311. Verissima sunt quae sanctus Nicephorus byzantinus antistes his verbis [a]) complectitur: «Nos certe credimus et praedicamus, propter summam quae in eo est erga homines caritatem, divinum Verbum ut creaturam suam in antiquam ingenuitatem reponeret, primo quidem in sanctissimae matris vereque Deiparae utero habitans, carnem sine dubio nostram ex virgineis sanguinibus sumpsisse. Nam et ipsa Virgo homo erat, *a natura nostra nullatenus differens, sanctitate tantum ac puritate cunctos excedens.*» Verissima quae in eamdem mentem promit [b]) Theodorus studita inquiens: «*Ex iis quae supra nos sunt*, decora tua pie compre-

a) Antirrhet. II. adv. Constantinum Copronymum §. XVII. pag. 70. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. I. Ἡμεῖς γὰρ πιστεύκαμεν καὶ διαγγέλλομεν ὡς διὰ περιουσίαν φιλανθρωπίας, τὸ ἴδιον πλάσμα ἐπὶ τὴν ἀρχαίαν εὐγένειαν ὁ θεῖος λόγος ἀνακαλούμενος, πρῶτον μὲν ἐν τῇ νηδύϊ τῆς παναγίας μητρὸς καὶ ἀληθῶς θεοτόκου οἰκήσας, σάρκα ἀψευδῶς τὴν ἡμετέραν ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων προσέλαβεν· ἵνα καὶ αὐτὴ ἄνθρωπος καὶ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἀπαραλλάκτως οὖσα ἐτύγχανεν, ἁγιωσύνῃ δὲ καὶ καθαρότητι μόνον πάντων ὑπερέχουσα.

b) Orat. VI. in Deiparae dormit. §. II. pag. 56. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III. Ἐκ τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς τὰ περὶ σοῦ εὐσεβῶς διαλαμβάνοντες, παραχωροῦμεν σοὶ μόνῃ τὰ ὑπὲρ ἄνθρωπον.

Digitized by Google

hendentes, *uni tibi quae* superiora homini sunt concedimus.» Verissima quae in antiquo rhythmo, quo continetur *oratio devota ad Dominum Iesum et beatam Mariam matrem eius*, ita [1]) efferuntur:

» O *sanctorum sancte* mirabilis,
» Toti mundo desiderabilis,
» Homo potens et Deus humilis,
» Non est tibi nec erit similis,
» Deus meus.

» O *sanctarum sancta* dulcissima,
» Sola tanti partus dignissima,
» Ut de tua carne mundissima
» Nasceretur maiestas maxima,
» Homo Deus.

Et verissima quae sectione altera [2]) eo consilio disseruimus, ut suffragio maiorum traditionisque auctoritate efficeremus; tantam fuisse Deiparae innocentiam, tantumque sanctitatis splendorem ut *ipsa una* beatos prorsus omnes sanctosque viros longissime superarit. Neque vero mens nobis nunc est his prolixius insistere, aut haec uberius amplificare; sed propositam dumtaxat habemus singularem privamque similitudinis rationem, qua Deipara cum Praecursore contenditur. Hanc paucis expendemus, quidve ex ea pertinens ad praerogativam immaculati conceptus dependeat, quam brevissime enarrabimus.

1312. Itaque versat diligenter Bernardus hanc similitudinis rationem, et comprobata [3]) Baptistae in materno utero sanctificatione, sic [4]) pergit: « Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit *procul dubio* et mater Domini *ante sancta quam nata:* nec fallitur omnino sancta ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens.» Quibus non contentus [5]) addit: «Ego puto, *quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit*, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custoderet immunem.» Alibi [6]) vero sic habet: « Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus haec *(Deipara)* aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur. Quod *si originalem a parentibus maculam traxit*, sed minus a Ieremia sanctifi-

1) Inter opp. Bernardi T. V. p. 920. col. 2. B-C.
2) Sect. II. cap. VIII. artt. II. seqq. nn. 890. seqq.
3) Epist. CLXXIV. ad Canonicos lugdun. n. 4. pag. 170. opp. T. I.
4) Ibidem n. 5. E.
5) Ibid. n. 5. pag. 170. E-F.
6) Serm. II. in Mariae assumpt. n. 8. pag. 1006. E-F. opp. T. III.

Digitized by Google

catam in utero, aut *non magis* a Iohanne Spiritu-sancto repletam *credere prohibet pietas christiana:* nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur. Postremo quum omnimodis constet *ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam*, quippe cum et nunc in baptismate sola hanc maculam lavet gratia, et sola eam raserit olim petra circumcisionis: si, ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilo minus ab innocentissimo corde etiam poenitentia longe fuit. »

1313. E quibus mutuo collatis deprehendimus, rite ea intelligi non posse nisi accurate prius potestas definiatur duplicis formulae, quarum altera Deiparae tribuitur *copiosior sanctificationis benedictio*, et altera dicitur, *quod si originalem a parentibus maculam traxit*. Iamvero ad priorem explanandam formulam insigniter conducunt I. quae de immunitate Virginis a quavis actuali labe tantopere inculcantur: II. quae his verbis [1]) Bernardus complectitur: « *Quantum enim gratiae* in terris adepta est *prae ceteris*, tantum et in caelis obtinet *gloriae singularis*. » Et quae III. idem scribit [2]) inquiens: « Vere benedictus fructus ventris tui, in quo benedictae sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, *etsi differentius a ceteris*. » Posterioris autem formulae significationem aperiunt hinc quidem quae repetuntur de Virgine nullo umquam actuali naevo polluta; inde vero I. quae Bernardus [3]) tradit his verbis: « Proinde factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, *talem* sibi ex omnibus debuit deligere, *immo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram*. » Tum II. quae tradit [4]) inquiens: « Et quid mirum si Deus, qui mirabilis [5]) legitur et cernitur in sanctis suis, *mirabiliorem se exhibuit in matre sua?* » Ac postremo III. quae tum habet, quum [6]) discrimen Deiparae a fatuis [7]) virginibus explanans inquit: « Non sic mulier illa [8]) fortis, *quae serpentis caput contrivit*. Processit igitur gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut [9]) dicerent: *quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, ele-*

1) Serm. I. in Mariae assumpt. n. 4. p. 1002. E-F.
2) Hom. III. super *Missus est*, n. 5. pag. 751. F.
3) Hom. II. super *Missus est*, n. 1. p. 748. C-D.
4) Hom. I. super *Missus est*, n. 9. pag. 749. E-F.
5) Ps. LXVII. 36.
6) Serm II. in Mariae assumpt. n. 9. p. 1006. B-C.
7) Matth. XXV. 12.
8) Prov. XXXI. 18.
9) Cant. VI. 9.

Digitized by Google

cta ut sol? Clarius enim ceteris rutilabat, *quam repleverat oleo gratiae prae participibus suis*, Christus Iesus, Filius eius, Dominus noster. »

1314. Huiusmodi autem commentarii atque ductae ex ipsomet Bernardo explanationes non obscure demonstrant, per *copiosiorem sanctificationis benedictionem* exprimi I. *gratiam a Deipara in terris obtentam prae cunctis hominibus potiorem, gratiam singularem, consortium supernae largitatis a ceteris differentius, plenamque olei laetitiae participationem:* et II. exprimi *eiusmodi sanctificationem, e qua veluti e proprio fonte immunitas ab omni actuali culpa dimanavit.* Sed *copiosior sanctificationis benedictio* hisce distincta notis atque hisce insignita characteribus *sanctificationem* praesefert *originalem*, quae Deiparam *ab amittenda integritate et hereditaria transgressione contrahenda misericorditer praeservavit.* Cuius praeservationis argumentum *ex altera* quoque petitur *formula*, si ea tamen uti par est accipiatur. Scribit utique Bernardus, *quod si originalem a parentibus maculam traxit.* Sed I. loquutio est haec non *absoluta* verum *conditione affecta:* sed II. sumi potest de originali macula, quae *activam* ex viro atque ex muliere *conceptionem* adsectatur: et dubio procul III. sumi nequit de vera propriaque originis culpa quae *passivam* Virginis *conceptionem* polluerit; quum, auctore Bernardo, *Virgo contriverit serpentis caput*, et quum *talis a Deo condita fuerit, qualem et se ipse decere sciebat, et noverat placituram.* Deus ergo quem mirabilem credimus in Praecursore antea mundato quam e materno sinu nasceretur, *longe enituit mirabilior in matre*, quam [1]) propria filii pietate a contrahenda noxa praeservavit. Hinc Coptorum ecclesia de Deipara [a]) canit: « Sol enim, quo ipsa amicta est, is est Dominus noster Iesus Christus; *et luna quae sub pedibus eius cernitur, est Iohannes Baptista.* »

1315. Succedit [2]) beatus Petrus Damiani, vel [3]) quisquis sit

a) Theotoch. pag. 117. tetrast. VIII.

Πιρη γαρ ετεςχολϩ ⲁⲓⲱⲟϥ, πε πενβοειc Ιηcογc πιχριcτοc, ογοϩ πιοϩ ετϧα πεcβαλατϩ, πε Ιωαννηc πρεϥτωμc.

1) Ceterum de Bernardo eiusque doctrina inferius recurret disserendi locus.

2) Sermo XXIII. idemque I. in nativit. s. Iohannis Baptistae pagg. 56. seqq. opp. T. II.

3) Hunc ipsum sermonem refert Mabillonius inter opera Bernardi T. V. pagg. 668. seqq., deque eo sic habet: « Hic sermo recensetur inter opera Petri Damiani, tribuiturque Nicolao clarevallensi in bi-

Digitized by Google

alius vetustus auctor sermonis *in nativitate Baptistae*, qui Petro tribuitur, et in quo ubi recensentur Praecursoris dotes, haec altero loco [1]) memoratur: « Secundus honor est *sanctificatio in ventre matris*. Quicumque de massa praevaricatrice mundum ingredimur, longam restem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille qui peccatum non fecit, excipitur, quem virginalis thalamus, ignorante [2]) viro, terris effudit. Longe quippe aliter et dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto tota maiestate Virginem inundante atque mundante, superans usum carnis, naturae ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut peccatum nesciret qui peccata tollebat, ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, *neminem umquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, praeter Ieremiam et Iohannem Baptistam.* » Quibus haec e vestigio [3]) subiungit: « Quamquam et *de singulari Virgine nulla sit ambiguitas*, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, *sublimiore sanctificationis genere mundata sit*, utpote sacrarium illud in quo Deus Dei Filius carnem fuerat suscepturus. » Quodnam vero intelligemus *sublimius sanctificationis genus?* Illud ipsum quod Bernardus appellat *copiosiorem sanctificationis benedictionem, plenamque olei laetitiae participationem*. Et illud ipsum quod deferendum est *sacrario, in quo Deus Dei Filius carnem esset susceptturus*. Age iam atque tecum cogitando reputa, primordia Virginis fuisse originis labe vitiata. Profecto *sublimius sanctificationis genus*, idemque proprium *illius sacrarii in quo Deus Dei Filius carnem erat suscepturus*, in aliquam tandem recideret temporis maturitatem, eoque pertineret ut aliquanto celerius Maria soluta quam Iohannes liberatus videretur. Sed quis ferat hanc commentarii tenuitatem ab insita verborum potestate alienam, et a contextu sermonis dissidentem? Alienam ab insita verborum potestate, quae *qualitatem* sanctificationis non *tempus* praesefert: et dissonam a

bloth. patrum cisterc. et in cod. mss. Sed huic obstare videtur quod auctor n. 5. dicit, suo tempore *solius Christi et sancti Iohannis* nativitatis festivitatem in ecclesia receptam: quum tamen ex sancti Bernardi epistola LXXXVI. tum etiam ex epistola CLXXIV. ad canonicos lugdunenses constet, tum temporis *beatae Mariae nativitatem* fuisse solemnem; immo ipse Nicolaus pro ea sermonem habeat. Nisi forte quis dicat, illud de universali et antiquiori more seu ritu intelligendum esse. » Quam viri critici suspicionem nemo pluris ducat, neque facile cum ecclesiasticis monimentis conciliet.

1) Ibidem pag. 57. col. 1. B-D.

2) Utique *solus*, si spectetur conceptus ratio quae fuit *virginalis*, minime vero si beneficium quoque misericordis praeservationis consideretur.

3) Ibid. pag. 57. col. 1. C-E.

Digitized by Google

contextu sermonis, quum breve aliquod temporis intervallum non eiusmodi sit beneficium quod vel tantopere celebretur, vel Dei sacrarium Deique matrem a Dei servo eiusque praecursore uti par est secernat. *Sublimius* ergo *sanctificationis genus* ipsa fuit Virginis praeservatio, qua et redemptam ipsam credimus et mundatam, redemptam ne in servitutem caderet, et mundatam ne pro fixa universalique humanae propagationis lege peccati foeditate sordesceret.

1316. Quae quidem eo esse certiora putabimus, quo ab Anselmo et Bernardo toletano luculentius confirmantur. Anselmus enim [1]) principii loco statuit: « Omne quippe bonum, ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam; *et idem ipsum bonum multo excellentius humana natura recuperavit in Maria.* » Quod ut pluribus [2]) explanavit, postremo [3]) subdit: « Poterat ergo de massa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam personam sui susciperet, et homo integer esset et divinitati suae nihil minueret. Praedestinata fuit et praeordinata in hoc opus mirabile, et omnibus operibus Dei praestans et inenarrabile, Maria, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hoc est totius seculi illustratio et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab aeternae mortis interitu paventium ac sub eius praesidium confugientium tutum iuvamen atque redemptio. » Praemiserat [4]) autem: « Si igitur Ieremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus: et Iohannes Dominum in spiritu et virtute Eliae praecessurus, Spiritu sancto est ex utero matris repletus; *quis dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium, mox in suae conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione destitutum?* Testante vero Scriptura, *ubi Spiritus, ibi libertas*, a servitute igitur omnis peccati libera fuit, quae omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, *Spiritus sancti praesentia et operatione construebatur.* » Consentit [5]) Bernardus toletanus inquiens: « Ego quoque pia fide opinor, in utero matris tuae ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique et rationes et auctoritates inveniuntur ista

1) De Virginis concept. pag. 501. col. 1. D.
2) Ibid. pag. 501. col. 1. D-E. et col. 2. A-C.
3) Ibid. pag. 501. col. 2. C-E.
4) Ibid. pag. 500. col. 1. D-E.
5) In antiph. *Salve Regina*, serm. IV. n. 2. pag. 748. B-E.

Digitized by Google

stipulantes. Et quidem ratio sic: si alii in utero matris fuerunt sanctificati, *multo magis* tu mater Domini. Sed [1]) Ieremias et [2]) Iohannes alter sanctificatus, alter Spiritu sancto repletus in utero matris leguntur. Ergo et tu Maria genitrix Dei, *quae sola totam Spiritus sancti gratiam possedisti, quam alii habuere per partes.* Te benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam processerat maledictam. De te secretorum caelestium conscius Salomon [3]) dicit: *quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Aurora semper noctem sequitur, nox praecedit auroram. Quid autem est nox frigida et obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia? Tu ergo processisti ut aurora lucida et rubicunda, quia *superatis* [4])

1) Ierem. I. 5.
2) Luc. I. 15.
3) Cant. VI. 9.
4) Scite *superatis originalibus peccatis*, illis enim ne momento quidem temporis subiacuit, sed ut *quae sola totam Spiritus-sancti gratiam possideret*, de illis non secus triumphum retulit ac aurorae nitoribus tenebrae noctis vincantur. Placet vero nonnulla huic subiungere, quibus Thomas veterum doctrinae patrocinatur. Igitur quaestioni, utrum beata Virgo fuerit ante nativitatem sanctificata, principio ita occurrit in III. dist. III. q. I. a. I: « De Iohanne Baptista dicitur, Spiritu-sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. Sed *plus gratiae* collatum est beatae Virgini quam alicui sanctorum, ut in littera *(Magistri)* ex verbis Augustini dicitur; ergo beata Virgo adhuc in utero matris Spiritu-sancto repleta fuit; ergo et sanctificata. » Tum pergit: « Dicendum, quod beata Virgo ante nativitatem ex utero sanctificata fuit; quod colligi potest ex hoc *quod ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuit*, velut divinae Sapientiae mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sap. VII. Unde cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de Iohanne Baptista constat; non est dubitandum hoc *multo excellentius* matri Dei collatum fuisse. » Similia repetit ad Annibaldum in III. dist. III. q. unica. a. I. inquiens: « Dicendum, quod quamvis sanctificatio Virginis in utero expressa non legatur in Scripturis veteris et novi testamenti; tamen haberi potest ex his quae ibi leguntur, quia si sanctificati sunt et Iohannes et Ieremias qui Christum praenuntiaverunt, *multo magis* creditur sanctificata Virgo quae Christum genuit. » Neque aliter in S. III. p. q. XXVII. a. I: « Dicendum, quod de sanctificatione beatae Mariae, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica traditur, quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit. Sicut autem Augustinus in sermone de assumptione ipsius Virginis rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in caelum, quod tamen Scriptura non tradit; ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quod illa quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, *prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit*. Unde ut legitur Luc. I. angelus ei dixit: ave Maria gratia plena. Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum ut in utero sanctificarentur ... Unde rationabiliter creditur, quod beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur. » Et ibidem a. VI. ad 1: « Dicendum, quod beata Virgo *quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit*, quam Iohannes-Baptista et Ieremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. » Ergo propositiones sunt penes Thomam indubitatae: I. nullum gratiae donum ad sanctificationem spectans alicui purae creaturae esse tributum, quo Deipara caruerit: immo II. *multo magis, multoque excellentius* eo Deiparam nituisse: siquidem III. *ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuerit, plus gratiae ipsi quam alicui sanctorum fuerit collatum, et prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit, amplioremque sanctificationis gratiam obtinuerit:* huius porro excessus IV. inde peti normam oportere, quod una prae omnibus Virgo *selecta fuerit in Dei matrem atque in genitricem divinae Sapientiae, in quam nihil coinquinatum incurrit.* Quae sane omnia coniunctim considerata perspicue efficiunt, ita Deiparam fuisse in utero sanctificatam, ut numquam in eo nisi sancta et a quovis inquinamento libera apparuerit.

originalibus peccatis in utero matris, nata es lucida cognitione veritatis, et rubicunda amore virtutis. »

1317. Sed ad eum iam progredimur similitudinis habitum contemplandum, quo Deipara confertur [1]) *cum caelo*, eoque non aereo [2]) in quo nubes, imbres, ventique coguntur, neque [3]) sidereo quod omnia suo ambitu cingit; sed cum caelo, quod [4]) tertium Paulus nuncupat, quodque ob oculos habemus quum [a]) dicimus, *Pater noster qui es in caelis*. De qua quidem praestantissima similitudinis ratione testes sunt locupletes Graeci [b]) in Anthologio: « Te, o innocens Dei mater, tamquam *caelum* thronumque Dei omnes celebramus, quod ex te Iesus, qui veritas est, apparuerit. » Testes [c]) in Triodio: « Tu, o Virgo nescia thori, *vere* super terram apparuisti *caelum* maius altissimo polo; ex te namque sol iustitiae in mundo refulsit. » Testes [d]) in Paracletice: « *Caelum* nova specie super terram fulgens te, o Virgo, celebrarunt oculati gratiae testes, quod sinu tuo complexa sis Deum supercaelestem qui quod suscepit, caeleste reddidit. » Et testes in Menaeis, in quibus [e]), Theophane et Iosepho praecuntibus, sic habent: « Nunc, o Christe,

a) Matth. VI. 1. πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, אָבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם

b) Anthолog. in Acoluth. anonym. pag. 70. col. 2. B. Ὡς οὐρανὸν καὶ θρόνον σε Θεοῦ ἀνυμνοῦμεν πάντες, Θεοκυῆτορ ἁγνὴ, ὅτι ἐκ σοῦ ἐπεφάνη Ἰησοῦς, ἡ ἀλήθεια.

c) Triod. pag. 18. col. 2. B. Οὕτως σὺ ἐφάνης οὐρανὸς ἐπὶ τῆς γῆς μειζότερος τοῦ ἀνωτάτου πόλου, ἀνύμφευτε παρθένε· ἐκ σοῦ γὰρ ἀνέτειλεν ἥλιος ἐν τῷ κόσμῳ ὁ διασπόζων τῆς δικαιοσύνης.

d) Paraclit. pag. 350. col. 2. D. Οὐρανὸν ἐπὶ γῆς σε ἐκήρυξαν καινοφανῆ, παρθένε, οἱ αὐτόπται τῆς χάριτος, Θεὸν τὸν ἐπουράνιον ἐν γαστρί σου χωρήσασαν, οὐρανοῦντα τὸ πρόσλημμα.

e) Men. die Π. Septembris Ode γ'. pag. 16. col. 1. C., die XV. Ode δ'. pag. 107. col. 1. E. Ὡραϊσμένος ποικίλῃ φωτοχυσίᾳ ὁ οὐρανὸς ὁ ἔμψυχός σου τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων, Χριστὲ, παρθένος ἡ ἄχραντος νῦν ὡς Θεοτόκος δοξάζεται.

Die XXII. Septembris Ode ς'. pag. 139. col. 1. B-C. Οὐρανὸν ὁ τανύσας βουλήματι, ἄλλον οὐρανὸν ἐπὶ γῆς σε ἀνέδειξε, Θεογεννῆτορ δέσποινα, καὶ ἐκ σοῦ τοῖς ἐν σκότει ἀνέτειλεν.

1) Videsis omnino quae alia occasione hac de re disseruimus sect. III. art. III. nn. 680. seqq. quaeque ad tuendam immaculati conceptus dotem adduximus.

2) Quod maxime significatur formulis עוֹף הַשָּׁמַיִם et צִפּוֹר הַשָּׁמַיִם, in quibus Gen. I. 26. Ps. VIII. 9., Thren. IV. 19., Daniel. II. 38. vocibus עוֹף et צִפּוֹר additur שָׁמַיִם *caelum*, ea nimirum pars aëris in qua aves degunt.

3) Hinc phrasis οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ, *stellae caeli*, quae respondet hebraicae formulae Deut. I. 10., X. 22. Is. XIII. 10., XIV. 16. כּוֹכְבֵי הַשָּׁמַיִם

4) II. Cor. XII. 2. οὐρανὸς τρίτος.

Digitized by Google

immaculata Virgo, *caelum* nitens multiplici luminis copia et animatum tui qui es rex regum, tamquam Deipara glorificatur. Qui caelum voluntate extendit, te, o Dei genitrix ac Domina, *alterum caelum* super terram demonstravit, atque ex te in tenebris versantibus resplenduit. »

1318. Accedunt Copti, quibus solemne est Deiparam his laudum praeconiis [a]) celebrare: « Omnes caelorum ordines tuas promunt laudes, quia tu es *secundum caelum* quod est super terram. Maria est *caelum novum* super terram, atque ex ea ortus nobis est iustitiae sol. Facta es *secundum caelum* super terram, o Deipara, quia ex te nobis sol iustitiae apparuit. » Neque aliter Syri, quibus [b]) infrequens non est Mariam veluti *alterum et secundum caelum* extollere. Quare fulgentissimum syriacae ecclesiae astrum Ephraemus [c]) scribit: « Maria ergo hodie *caelum* pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. *Hanc solam* ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum. » Quo et haec pertinent Maximi taurinensis qui [f]) scribit: « Mariae ergo ute-

a) Theotoch. pag. 99. tetrast. IV.

Νιτατμα τηρογ ητε πιφηογι cεχω ητπεμακαριcμος : ze ηοο πε †μαgcπατ† ιφε , ετωοπ gιzεn πικαgι ✣

Ibid. pag. 117. tetrast. VI.

Θτε θαι τε Παρια †φε ιßερι ετgιzεn πικαgι : ετα πιρη ητε †μεθμηι : ωαι παπ εßολ ηθητc ✣

Ibid. pag. 132. tetrast. VI.

Αρεωωπι ηοτμαgcπατ† ιφε gιzεn πικαgι : ω †μαcπογ† : ze αqωαι παπ εßοληθητ† ηze πιρη ητε †αικεοcτπη ✣

b) Offic. Maronit. pagg. 117-457. • هٰذَا وَلَدَتْ

c) De diversis Serm. III. de laudibus Deiparae, pag. 607. A-B. opp. syr. T. III.

هٰذَا كِ مُدَبِّرُ مُعَمَّدَا . هٰذَا لِحَدَهُ لِلأُخْرَا : كُفَ هُوَ مِنْ تِسْعَا مُعَدَا :
لِلْهُمَّا صَدَّمَهُدَا . كُفَ أَخْرَا هُوَا وَكِ إِمْوَحِ فِ كَمْنُفَ لَا أَخْرَا كُفَ أَمَدَا كِ
لِحَمْدَا . وَكِ كُفَ تَهُوَا هُوَمَّا ✣

f) Serm. de nativit. Domini pag. 24. apud Mabillonium in mus. italic. T. I. P. II. Em. Mai pp. bibloth. T. I. P. I. pagg. 116-117. in adnotatione subiecta sermon. LVII. *de Susanna et senioribus*, quem depromptum ex antiquissimo codice litteris uncialibus scripto, suspicatur esse Augustini, monet in codice sermonem succedere de Martha et Maria (qui est CIV. in editione maurina), et continenter explanationem vulgatissimi penes Lucam cap. XI. 27. effati, quam describit. Sed ea explanatio, vix aliquot adiectis de-

Digitized by Google

rum, non uterum dixerim fuisse sed templum. Templum plane est, in quo habitat sanctum quidquid in caelo est: *nisi quod supra caelos aestimandum est*, ubi quasi in secretiore tabernaculo mysterium a divinitate disponitur, quemadmodum a pluribus ascendatur ad caelum. *Supra caelos plane aestimandus est uterus Mariae*, quia filium Dei gloriosiorem remisit ad caelum, quam de caelo descenderat. Inde enim ut pateretur, hinc reversus est ut regnaret: inde humiliatus descendit in hominem, hinc glorificatus ad Patrem ascendit. » Eodemque spectant quae Theodorus studita [1]) Praecursori adscribit, dum illum sic loquentem [2]) inducit: « Nemo id [3]) suspicetur, nam qui supra res omnes est, manetque in paterno sinu cum sancto Spiritu, clam prorsus omnibus igneis ministris suis, *quasi in aliud caelum* uterum ingressus semper virginis Mariae, manifestavit se mihi, atque haec talia tantaque edocuit. » Qua *caeli* appellatione denuo utitur, quum de Virgine assumpta [b]) inquit: « Hodie igitur [2]) *terrenum caelum* incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem aeternamque mansionem. » Atque hinc oratio penes Aethiopes [4]) recepta: « Servi tui hodie ministrantes, sacerdos, diaconus, omnesque ministri, populus, et ego pauper servus tuus et peccator, absolvamur per os Trinitatis sanctae, Patris, Filii et Spiritus-sancti, et beatae Mariae, *caeli secundi*, matris Dei. »

a) Orat. cit. §. X. pag. 42. Μὴ τοῦτο ὑποτοπήσῃς, ἀλλ' ὁ ἐπάνω πάντων ὤν, καὶ μένων ἐν τοῖς πατρῴοις κόλποις σὺν ἁγίῳ πνεύματι, λαθὼν ἁπλουστάτους ἅπαντας τοὺς πυρίνους λειτουργοὺς αὐτοῦ, ὡς ἐπ' ἄλλον οὐρανὸν εἰσπεπλευσὼς ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας, ἐνεφάνισεν ἑαυτὸν καὶ μεμυσταγώγηκέ μοι τὰ τηλικαῦτα.

b) Orat. VI. in Deiparae dormit. §. I. pagg. 54-55. ibid. Σήμερον τοιγαροῦν ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς τῷ τῆς ἀφθαρσίας περιβολαίῳ ἐλισσόμενος, ἐξαλλάττεται εἰς διαμονὴν τὴν βελτίονά τε καὶ μακραίωνα.

tractis mutatisque verbis, nihil praeterea est quam pars sermonis quem nos laudavimus, quique Maximo auctori tribuitur.

1) Orat. IV. in nativ. Praecursoris apud Mai in nova pp. biblioth. T. I. P. III. pagg. 33. seqq., ubi sapiens editor haec habet: « Orationem hanc exhibuerat latine tantummodo Combefisius in biblioth. concionat. T. VII., pag. 129. Nos nunc graece primum ex vaticano codice eruimus. Iam Combefisii interpretationem saepe libenter sequuti sumus, saepe etiam ab ea discessimus, tum ob alias causas, *tum quia Combefisius graecas dictiones non una vice prave omnino explicaverat*; id quod philhellenes vere a me dici comperient. » Immo verissime dicta cernimus, atque aegre omnino ferimus tot in ea biblioth. concionatoria latine tantum ab eo interprete fuisse edita, quem frequenter non intelligas, et cui merito diffidas.

2) Quod scilicet Praecursor in caelis fuerit, atque sum inde doctrinam retulerit.

3) Eadem appellatione *caeli terreni* ornatur Deipara in fragmento veteris graeci sermonis apud Petrum Lambecium in biblioth. caesar. lib. VIII. Tom. VIII. pag. 129.

4) Missa Aethiop. pag. 628. D. in max. pp. biblioth. T. XXVII.

Digitized by Google

1319. Insignissima igitur christiani nominis professione non secus Deipara celebratur ac ut *caelum, terrenum caelum, alterum secundumque caelum, caelum thronusque Dei, vere supra terram caelum, caelum maius altissimo polo, caelum nova specie super terram fulgens, caelum nitens multiplici luminis copia, et caelum prae caelis omnibus aestimandum.* Quid iamvero aut a caelo alienum magis quam labes et culpa, aut cum caelo et sanctissima Dei sede coniunctius quam originalis nitor et puritas impolluta? Quemadmodum ergo necesse est, ut eiusmodi nitor deferatur Deiparae, eiusque puritas credatur originalis; ita necesse est ut illius conceptus ab omni labe integer praedicetur.

1320. De qua integritate inde quoque argumentum ducitur omnino luculentum, quod Deipara non modo similitudinis habitu componatur cum *caelo,* verum etiam eodem habitu copuletur *cum angelis* sanctissimis caeli incolis, quique interdum [1]) *caeli* nomine designantur, uti quum de Christo [2]) dicitur ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος, *excelsior caelis,* idest, omnibus incolis caelestibus *factus.* Et hanc sane comparationem *universim* proponit Gregorius antiochenus [a]) de Virgine inquiens: « Salve, o puella, omnium laetitia, mater virgo, decora super omnes virgines, *caelestibus ordinibus eminentior,* Domina, omnium regina, generis humani gaudium. » Proponit Theodorus hierosolymitanus antistes, qui in epistola synodica lecta et probata in concilio nicaeno secundo, damnatum ab ephesinis patribus Nestorium [b]) docet « Quod non solum separavit unitas duas Christi naturas in duas subsistentias, verum etiam vocem qua Dei genitrix appellatur, maledictus abiurans, Christotocon hanc vocari nequissime sanxerit, quae vere Dei mater est,

a) Tragoed. Christ. pat. vv. 2594-2598. pag. 1354. inter opp. Gregorii nazianzeni T. II.

Χαῖρ', ὦ κόρη πάγχαρτε, μῆτερ παρθένε,
Κάλλιστα πασῶν παρθένων ὑπερτάτη,
Οὐρανιώνων ταγμάτων ὑπερτέρα,
Δέσποινα, παντάνασσα, χάρμα τοῦ γένους.

b) Concil. nic. II. act. III. pag. 1139. D-E. T. XII. Οὐ μόνον διαιρῶν τὰς ἑνωμένας δύο τοῦ Χριστοῦ φύσεις εἰς δύο ὑποστάσεις, ἀλλὰ καὶ τὴν, Θεοτόκος, φωνὴν ὁ κατάρατος ἐξομνύμενος, καὶ χριστοτόκον καλεῖσθαι νομοθετῶν ὁ παράνομος τὴν ὄντως θεομήτορα, καὶ πρὸ τοῦ τόκου καὶ μετὰ τόκον παρθένον, καὶ πάσης νοητῆς τε καὶ αἰσθητῆς ὑπερτέραν δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι δεδημιουργημένην φύσεως.

1) Apoc. XVIII. 20.

2) Hebr. VII. 26. coll. 1. 4. seqq.

Digitized by Google

et ante partum et post partum virgo, *atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturae gloria et claritate creata sublimior.*» Et ii quoque proponunt bene multi, quos [1]) alibi enumeravimus.

1321. Ut autem quo haec comparatio spectet, enucleatius perspiciatur, iuverit ad ea animum advertisse quae Anselmus [2]) his verbis exponit: « Denique omnis homo aut salvatur, aut damnatur: omnis autem homo qui salvatur, ad regnum caelorum admittitur; et omnis qui damnatur ab eo excluditur. Qui vero admittitur, provehitur ad similitudinem angelorum, *in quibus nullum umquam fuit aut erit peccatum.*» Audis id sibi angelicam puritatem vindicare, ut nullo umquam fuerit violata peccato? Si quis ergo cum angelis *puritate conferatur*, neque conferatur solum, verum etiam iisdem *puritate anteferatur;* is omnino immaculatus habeatur oportet, et cuiusvis tenuissimi licet naevi numquam non exsors. Atqui eiusmodi prorsus est comparatio, quae Deiparam inter atque angelos in maiorum libris monimentisque celebratur. Hanc enim celebrant [3]) vulgatus Chrysostomus et Pseudo-Gregorius neocaesariensis qui [a]) sic habet: « Missus est servus incorporeus ad Virginem immaculatam. Missus est *a peccato liber ad eam quae capax non erat corruptelae.*» Celebrat Georgius nicomediensis, qui [b]) angelos ita de Virgine loquentes exhibet: « O vasculum plenum gratia visum! O terrenam naturam suas ipsius rationes supergressam! O quae incomparabilibus

a) Serm. III. in Deiparae annuntiat. pag. 26. A. Ἀπεστάλη δοῦλος ἀσώματος πρὸς παρθένον ἀμόλυντον, ἀπεστάλη ὁ ἁμαρτίας ἐλεύθερος πρὸς τῆς φθορᾶς ἀνεπίδεκτον.

b) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1117. D-E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Ὦ χάριτος πλῆρες δοχεῖον φαινόμενον, ὦ γηρᾶς φύσεως τὰ οἰκεῖα ὑπεραναβάσης γνωρίσματα· ὦ ἀσυγκρίτως τὰ μέτρα ταύτης ὑπερνικώσης, ὦ οἵαν ἀπαρχὴν τῷ δημιουργῷ τῆς οἰκείας καρποφορίας ἡ ἀνθρωπεία φύσις προσῆξεν, οἵαν τὴν προσφορὰν ἀφιέρωσεν· ὄντως ἀξίαν θεοῦ, καὶ τῆς ἡμῶν μυσταγωγίας μυστικωτέραν· ἱερωτέραν τι καὶ καθαρωτέραν τῆς ἡμῶν καθαρότητος· καὶ γὰρ παραβαλλόμενον ταύτῃ τὸ ἡμῶν ἀνεπίμωμον, ἀποδεῖ πάντη τῆς ὁμοιότητος· μὴ συνεπαιρόμενον τῷ ὑπὲρ λόγον ταύτης ἁγίᾳ καὶ ἀῤῥυπώτῳ.

1) Sect. II. cap. VIII. artt. IV. seqq. nn. 342. seqq. Addantur Iohannes damascenus in hymne s. Nicolai Ode 5. p. 734. apud Mai spicileg. rom. T. IX., Hildephonsus toletanus de perp. virginit. s Mariae pagg. 147-154-155. in collect. pp. tolet. T. I., vulgatus Hildephonsus sermm. I. II. de Virginis assumpt. pagg. 834-850. ibidem, et auctor operis de corona Virginis capp. XI-XII-XXV. pagg. 411-412-433. ibidem, qui de Deipara loquens nunc ait: *tu omnes cedros et omnes qui sunt in paradiso Dei, praecellis sanctitate.* Nunc illam cum ebore comparans subdit: *tu es et tu candida fuisti, quia ab omni pollutione segregata: frigidissima, quia ab aestu carnalis concupiscentiae elongata: et grandis ideo diceris, quia si multa in creaturis magna sunt, nihil tamen tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei.* Et nunc de ipsa concludit: *vere non est simile opus in omni creatura compositum, quia istud ordines angelorum transcendit.*

2) De concept. Virg. et orig. peccat. cap. XXVIII. al. XXVII. pag. 106. col. 2. A-B.

3) Hom. in Deiparae annuntiat. pag. 796. B. inter opp. Chrysostomi T. II.

Digitized by Google

modis illius modos superavit! O quales suarum frugum primitias natura humana obtulit creatori! Qualem fecit oblationem! Deo plane dignam, nostroque ipsorum spiritali sacrificio ac oblatione spiritualiorem, *sacratiorem etiam ac puriorem nostra puritate.* Etenim ut *nostra innocentia* cum ea comparetur, *prorsus invenietur a similitudine deficere, ut eius sanctitatis et intaminatae munditiae excellentiam aequalibus modis minime assequatur.*» Celebrant [1]) Psellus et [2]) Eustathius thessalonicensis, qui hunc explanans [a]) Iohannis damasceni [3]) versum ex hymno pentecostali, Χαίροις ἅπασα μητροπάρθενον χλίος, inter cetera de Virgine ait: «Omnem laudem praestantia virtutis superasti, *secundum quam ipsis etiam caelestibus ordinibus superemines.*» Celebrat Theodorus studita qui Virginem alloquens [b]) ait: «Tu enim superemines, excedis, incomparabiliter superas altitudine sublimissimam quamlibet caeli partem: *sanctitatis quidem splendore lucem solis, meritorum iure angelorum dignitatem.*» Celebrat Petrus siculus, qui suam de Virgine fidem his verbis [c]) exponit: «Etenim hanc *secundam quidem post Deum, et primam*, non tempore dico sed gloria, *inter invisibiles omnes* visibilesque creaturas *credimus.*» Et infra [d]) haereticos coarguens scribit: «Si enim evangelicis apostolicisque monitis pareretis, nihil iam vos impediret quominus hanc quoque confiteremini, quod sit gloriosa et summe benedicta, haud sane Dea, *sed uni Deo inferior, omni*

a) In hymn. pentecost. Damasc. n. 215. pag. 355. apud Mai in spicileg. T. V. Πᾶν ἐγκώμιον ὑπεραναβέβηκας διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀρετῆς, καθ' ἣν καὶ τῶν οὐρανίων ταγμάτων ὑπέρκεισαι.

b) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 8. pag. 61. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III. Καὶ γὰρ ὑπερίσχυς, ὑπερβάλλεις, ὑπερτερεύεις ἀσυγκρίτως ἐν ὕψει καὶ μεγέθει τοῦ ἀνωτάτου πόλου, ἐν ἁγνείας λαμπρότητι τοῦ ἡλιακοῦ φάους, ἐν παῤῥησίᾳ οἰκειώσει τῆς ἀγγελικῆς ἀξίας.

c) Serm. II. adv. manich. n. 1. pag. 66. apud Mai in nova pp. biblioth. T. IV, P. II. Ἐστιδὴ ταύτην δευτέραν μὲν θεοῦ, οὐ χρονικῶς λέγω, τῇ δ' ὀξῃ δὲ, πρώτην πάντων ἀορατῶν τε καὶ ὁράτων κτισμάτων εἶναι πιστεύομεν.

d) Ibid. n. 6. pag. 71. Εἰ γὰρ πιεσθείητε ταῖς εὐαγγελικαῖς καὶ ἀποστολικαῖς παραινέσεσι, οὐδὲν τὸ κωλύσον ὑμᾶς καὶ ταύτην ὁμολογῆσαι ὡς ἐστὶ δεδοξασμένη καὶ ὑπευλογημένη, οὐ θεὸς, ἀλλὰ μόνου θεοῦ ἧττων, πάντων δὲ κτισμάτων ὑπέρ.

1) Orat. panegyric. in Deiparam apud Nicodemum in heortodrom. pag. 228.

2) De Eustathio sic habet em. Mai in praefat. ad T. V. spicileg. §. VI. pag. XXV: «Graeca certe ecclesia post illos primorum seculorum patres, parem Eustathio interpretem vix ullum habet, qui tantam sermonis graeci copiam, et theologicae facultatis rerumque variarum peritiam prae se ferat.»

3) Voces, μητροπάρθενον χλίος, interpretatur Eustathius χλίος μητέρων καὶ παρθένων.

autem creaturae superior. » Et [a]) rursum: « *Deus* alioqui Deiparae, uno Deo excepto, visibilia omnia et invisibilia *superat*, quantumvis gloriosa et eximia. » Celebrat tandem Sophronius senior, qui comparatione Deiparam inter atque angelos [1]) instituta inquit: « Nam angelorum quamvis celsior natura sit, *non tamen gratia maior, quia et ipsi gratuita gratia ne corruerent, sunt salvati.* » Hoc deinde probat, tum de Virgine [2]) pergit: « Credendum est, ipsam *ampliora promeruisse virtutum privilegia*, et percepisse gratiam ab angelis etiam collaudatam. Hinc et Maria *cunctis tanto venerabilior, quanto gratiosior:* et quanto virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tanto clarior resultat in gloria. »

1322. Ecquaenam igitur Virginis notio ex hac cum angelis comparatione informari animo debet? Aut quae qualisve eius innocentia ac puritas existimanda est? Talis nimirum existimari debet, qualis suapte sponte ex descriptione dimanat, qua Virgo spectanda obiicitur I. *ut quae eminentior sit caelestibus ordinibus, illis virtute superemineat, splendore lucem solis et meritis angelorum superet dignitatem, ac supra ipsos omnes longissime* [3]) *excellat:* II. *ut quae prae angelis a peccato liberis, incapax fuerit corruptionis:* III. *ut quae gratiam ea largiorem consequuta sit, qua angelos donatos novimus:* IV. *ut quae sacratior et purior fuerit angelica puritate:* et V. *ut quae tanta munditie excelluerit, ut ipsum quoque angelicum nitorem superarit.* Haec autem iuncta simul et

a) Ibid. n. 9. pag. 73. Καίτοι τὰ τῆς τοῦ Θεοῦ μητρὸς ὑπὲρ πάντα εἰσὶ τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, πλὴν μόνου Θεοῦ, ἐνδοξότερά τε καὶ ἐξαισιώτερα.

1) Ad Paulam et Eustoch. de Virginis assumpt. pag. 106. A. inter opp. Hieronymi T. XI.

2) Ibid. pag. 106. B-C.

3) E re esse duco insignem adiicere Catharini disputationem ex lib. III. pro imm. Virginis conceptu pagg. 85-86., cum iis quae versamus penitissime cohaerentem. Ille igitur sic habet: «Honorem, qui summis angelis debebatur, etiam attinere ad huius rei persuasionem non dubito. Debebatur autem illis hic honor (si recto iudicio censere volumus) ut non praeferretur eis omnibus ulla persona aliquando ullo peccato contaminata, quum ipsi perpetua puritate nituissent. Non est autem dubium iam ecclesiae, quod haec beatissima Virgo praelata est cunctis agminibus et ordinibus angelorum, quod (ut sapienter dixit Hieronymus) de nullo alio sanctorum fas est dicere. Quare si quovis umquam fuisset maculata delicto, et posset aliquod murmur esse in caelo, iure optimo data esset angelis multa conquerendi occasio, quod eam sibi praepositam viderent, et ut reginam veneraudam, quam tamen et peccato et diabolo aliquando subditam considerarent: quin et ipsa Virgo nonnullo humili pudore perfunderetur, dum se impuram aliquando fuisse conspiceret, et beatos illos spiritus perpetua puritate nituisse: qua certe indecentia offuscaretur gloria paradisi. Alioquin ubi illae omnium sanctorum voces? et Bernardi et Thomae et Augustini et Hieronymi et aliorum, quod Maria superavit angelos puritate? Thomas declarat tum quantum ad operationem boni, tum etiam quantum ad evitationem mali et peccati. Sed aiunt *intensive*, non *extensive*. Sed cur non etiam *extensive*? Quis dubit perfectam innocentiam et puritatem, ac non simul perpetuam? »

Digitized by Google

in unam prope summam coacta evidentissime ostendunt, innocentiam Virginis dici oportere originalem, et multo eam magis a casu praeservatam fuisse per gratiam, quam eiusdem beneficio angeli in accepta rectitudine perseverarint. Quapropter insigni quadam maiorum testificatione confirmatur, quod Theodorus hierosolymitanus praesul docuit: *Deiparam gloria et claritate omni sensibili et intelligibili natura creatam fuisse sublimiorem.*

ARTICULUS III.

Similitudinis habitus Deum inter ac Deiparam quod ad puritatem sanctitatemque pertinet declaratur proposito multiplici epithetorum consortio, negantium et affirmantium, positivorum et superlativorum, propriorum et eorum quae comparatione aut metaphora efferuntur: quam intime cum his cohaereat praerogativa immaculati conceptus.

1323. Intestino nexu, quo res ipsae vinciuntur, tacite monemur, ut considerata traditione maiorum *de habitu similitudinis inter puritatem Virginis puritatemque angelorum*, immo *de habitu praestantiae qua Virginis puritas angelorum innocentiam superavit*, altius progressi *ad similem cognationis respectum Deum inter atque Deiparam* mentis oculos dirigamus. Equidem non me latet, divinam sanctitatem quavis esse comparatione excelsiorem: neque me latet, Patrem luminum [1]), *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*, tanta puritate splendere ut nullius creaturae nitor illa non obscuretur; sed neminem pariter latere debet, eam esse supremi numinis bonitatem ut cum conditis a se naturis ea voluerit multipliciter *communicata*, quibus ipsum *ex sese* atque *infinita perfectione* potitur. Quare quum adduci in controversiam nequeat placuisse Deo, ut non angeli modo verum etiam humani generis auctores *originali innocentia* et puritate nullo polluta naevo ditescerent; quaeri non iniuria potest, *an non pari benevolentia prosequutus ipse Deiparam, eodem beneficio originalis innocentiae puritatisque immaculatae eam quoque locupletarit.* Ac profecto dum mecum memoria recolo quae insigni adeo consensione a maioribus tradita accepimus, *prae omnibus omnino crea-*

1) Iacob. I. 17.

Digitized by Google

turis dilectam a Deo fuisse Deiparam, uberioribus cumulatam gratiis, et eo usque benedictam ut merito suo superbenedicta censeatur; vix aut ne vix quidem ambigi posse existimo, *utrum ipsa eiusmodi innocentiae sanctitatisque munus acceperit, quo* [1]) *et angelos et protoparentes auctos minime dubitamus.* Verum neque haec mihi proposita nunc sunt, neque in his immorari decrevi; sed quum alio spectem, alio etiam ex capite praerogativam immaculati conceptus traditione maiorum comprobandam suscipio. Hac itaque utor inferendi colligendique ratione, quae se mihi evidentia et gravitate inprimis commendat.

1324. Aut nullus aut vix certe ullus excogitari modus potest *ad originalem puritatem significandam* eo accommodatior, qui tum adhibetur, quum de Deo deque creatura aliqua sermo ita instituitur, ut de hac *aeque* ac de illo *eadem omnino apposita sive negantia et labes omnes excludentia, sive affirmantia et sanctitatem innocentiamque praeferentia, simul atque coniunctim usurpantur.* Quamquam enim infinitum plane intervallum, quo Deus a creatura quavis seiungitur, non ferat ut eadem apposita eodem sensu de Deo deque creatura sumantur; nihilominus *ipsa appositorum communio* persuadet I. creaturam, cui illa tribuuntur, ad singulare quoddam divinae puritatis sanctitatisque consortium fuisse provectam: et II. quamvis culpae labem ab illius puritate, ut quae divinam quodammodo repraesentet, esse omnino alienissimam. *Iamvero insigniora epitheta ad puritatem sanctitatemque pertinentia maiorum usu usurpata sic novimus, ut de Deo atque Deipara simul et coniunctim frequententur.* Ut enim ab illis ordiar quae *negantia* [2]) audiunt, quum tria prae ceteris excellant, ἄμωμον, ἄχραντον, ἄφθαρτον, *immaculatum, intemeratum, incorruptum,* ne unum quidem ex iis est quod eo quem praediximus modo non adhibeatur. Ita namque τὸ ἄμωμον *immaculatum* a vulgato Origene [3]) adhibetur, a quo Virgo

1) De angelis scribit Thomas in S. I. p. q. LXXII. a. III: *tenendum et magis dictis sanctorum consonum esse, quod fuerint creati in gratia gratum faciente.* De primo autem homine sic habet ibidem q. C. a. I: *quod fuerit conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit.* Et rursum: *de primo homine supra diximus, quod fuit cum gratia conditus.* Sed nullum gratiae sanctificantis decus sive angelis sive hominibus collatum scimus, quo Virgo fuerit destituta, quae secundum Christum ad Deum maxime accedit, quia in I. dist. XLIV. q. I. a. III. *quidlibet quanto nobiliori comparatione in Deum refertur, nobilius est.*

2) Cf. sect. II. cap. I. nn. 74. seqq.

3) Hom. I. ex decem in diversos Matthaei et Johannis locos, pag. 274. col. 1. E. In adducendis testimoniis non ero multus, quum plurima allata iam fuerint, et magno numero in altera sectione reperiantur.

Digitized by Google

celebratur *mater digna Deo, immaculata sancti immaculati.* Itemque ab antiquo auctore [1]) libri *de assumptione beatae Mariae virginis,* qui scribit ab Unigenito Dei susceptam *naturam immaculatam de corpore immaculato.* Ita adhibetur τὸ ἄχραντον *intemeratum* a Basilio seleuciensi, qui [a]) *purum et intemeratum* Unigenitum *cum intemerata matre* coniungit. A Leontio [2]) episcopo Neapolis Cypri et [b]) ab Iohanne damasceno qui Virginem salutans ait: « Ave *intemerata* quae *intemeratum* Verbum genuisti. » Et a vulgato Ambrosio qui de Filio unigenito [3]) scribit: « Videamus igitur hic *sol* noster novus quo fonte nascatur. Sicut est verum, Deo oritur auctore: divinitatis ergo est filius, *divinitatis* inquam *incorruptae, integrae, illibatae.* Intelligo plane mysterium; ideo enim secunda nativitas *per immaculatam Mariam,* quia prior *per divinitatem* constiterat *illibata,* ut cui prior nativitas *gloriosa* exstitit, eius secunda *contumeliosa* non foret: hoc est, ut quemadmodum *virgo* illum *divinitas* ediderat, ita eum et *virgo Maria* generaret. » Atque ita adhibetur τὸ ἄφθαρτον καὶ ἄφθορον *incorruptum* [c]) a Pseudo-Chrysostomo, ubi ait: « Dicere ausim, nec dicendo aberrabo, etiam sursum virginem naturam genuisse: pura namque et *incorrupta* est deitatis substantia, et in terra Virgo *incorrupta* peperit *incorruptum.* » Ab hierosolymitano Sophronio qui [d]) canit: « Ex te Dei sapientia sibimetipsi domum aedificans ineffabili sui demissione incarnata est, o Virgo thori nescia; tu namque sola ex omnibus generationibus electa es

a) Orat. in Deiparam, pag. 687. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὁ καθαρὸς καὶ ἄχραντος μετὰ τῆς ἀχράντου καὶ ἀπειρογάμου παρθένου καὶ μητρός.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. Χαῖρε ἄχραντε, ἡ τὸν ἄχραντον λόγον γεννήσασα.

c) Serm. con. haeret. et in Deiparam, n. 1. pag. 238. E. inter opp. Chrysost. T. VIII. P. II. Τολμῶ γὰρ εἰπεῖν, ὅπερ λέγω, οὐ σφάλλομαι· ὅτι καὶ ἄνω παρθένος ἐγέννησε φύσις· καθαρὰ γάρ ἐστι καὶ ἄφθορος ἡ τῆς θεότητος οὐσία· καὶ κάτω παρθένος ἔτεκεν ἄφθορος ἄφθορον.

d) Triod. pag. 142. B. apud Mai in spicileg. T. IV. Ἐκ σοῦ τοῦ θεοῦ ἡ σοφία οἶκον ἑαυτῇ δομησαμένη ἀπορρήτῳ συγκαταβάσει, κόρη ἀπειρόγαμε· σὺ γὰρ μόνη πάντων γενεῶν ἐκλέλεξαι ἄφθαρτος ἀφθάρτου εἰς κατοικίαν λόγου.

Ibid. pag. 180. C. Ὁ πᾶσι τὸ εἶναι παρασχών, αἰτίαν ἴσχυσέ σε τῆς σαρκώσεως, καὶ προελήλυθεν ἄφθορος ἐξ ἀφθόρου τῆς γαστρός σου ὁ ἀφθαρσίαν τοῖς νεκροῖς ἐμπνέων.

1) Lib. de Virginis assumpt. pag. 729. E-F. inter opp. Augustini T. VI.

2) Orat. in Symeonem, pag. 209. col. 1. C-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI.

3) In app. ad opp. Ambrosii serm. VI. de nat. Domini IV. n. 7. pag. 399.

Digitized by Google

incorrupta in habitationem Verbi *incorrupti*. Qui omnibus impertiit ut sint, te suae incarnationis caussam habuit, et *incorruptus ex incorrupto* sinu tuo prodiit, qui mortuis incorruptionem inspirat.» Et ab Amphilochio iconiensi, cuius haec sunt [a]) verba: «Virgo enim *incorrupta incorruptam* lucernam corporali ratione concipiet.» Quis iamvero *eiusmodi appositorum consortio* vehementer non percellatur? Aut quis propriis cernens oculis Deiparam una cum Deo iisdem titulis culpam omnem amandantibus honestari, et tam arcte cum Deo coniungi, ut non ipsa minus dicatur *immaculata, intemerata, incorrupta*, quam ille *immaculatus, intemeratus, incorruptus* celebretur; ausit vel tenuissimo culpae naevo infuscatam Virginem arbitrari? Iure ergo vetustus auctor [1]) sermonis in natalem Domini Augustino tributi Deiparam compellavit inquiens: «Ede *inculpabilis femina inviolabilem virum*, et sic et feminam salvabis et virum.» Alterum succedit consortium, illudque affirmantibus significatum epithetis, quibus ubi Deus dicitur *purus*, Deipara vocatur *pura*, et ubi Deus audit *pulcher, innocens, sanctus, iustus, bonus, beatus ac benedictus*, Deipara quoque *iisdem ornamentis* decoratur. Ex plurimis autem quae huc pertinent maiorum testimoniis, nonnisi paucissima delibabo. Itaque [b]) Iosephus sic habet: «O sola Virgo, *purum* Verbum te quippe *puram* incorruptamque dilexit, atque ex te, o puella, incarnatus hominem reformavit.» Et [c]) rursum: «In te, o puella, utpote *pura* habitavit *purum* Verbum praeelectum ut per te hominum labes mundaret.» Alibi vero Deiparam salutat [d]) inquiens: «Utpote *pulcra, venusta* et puritate circumfulgens Verbum *pulcritudine venustum* carne induisti atque in lucem edidisti.» Audiatur iam qui Gregorii

a) Hom. in Christi nat. n. 2. pag. 464. apud Gallandium T. VI. Παρθένος γὰρ ἄφθαρτος ἀποκύησε σωματικῶς τὸν λύχνον τὸν ἄφθαρτον.

b) Men. die XVII. Iulii Ode ζ'. pag. 86. col. 2. E. Παρθένε μόνη, ὡς καθαρά σε ἀδιάφθορον λόγος καθαρὸς ἠγάπησε, καὶ ἐκ σοῦ ἐνεσκήνωτο σαρκούμενος, κόρη, τὸν ἄνθρωπον.

c) Men. die XVI. Octobris Ode ζ'. pag. 99. col. 1. C. Ὡς καθαρά σε ὁ καθαρὸς λόγος κατέφησε, κόρη, διὰ σοῦ καθάραι τοὺς μολυσμοὺς τῶν ἀνθρώπων προειλόμενος.

d) Men. die XIII. Ianuarii Ode ε'. pag. 113. col. 2. E. Ὡς καλὴ, ὡς ὡραία, ὡς τῇ καθαρότητι περιαστράπτουσα τὸν ὡραῖον κάλλει ἐσωμάτωσας λόγον καὶ τίτοκας.

1) Serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 4. p. 154. B. inter opp. Augustini T. V.

by Google

neocaesariensis nomine citari solet, quique de Virgine [a]) ait: « Tecum divina gratia habitationem elegit, cum *speciosa speciosus* forma prae filiis hominum, cum inviolata qui sanctificat universa. » Audiantur [i]) Chrysippus hierosolymitanus et [b]) Iohannes monachus qui scribit: « O Virgo mater intemerata, utpote *pulcra pulcrum* peperisti. » Audiatur [c]) Theophanes qui Virginem his verbis alloquitur: « O undequaque innocens *pulcra* effecta es, ut quae pepereris *pulcrum* supra omnes mortales Filium et Verbum Patris. » Hinc quod in Latinorum hymnis [2]) legimus:

» *Speciosa* parit Virgo virginum
» *Speciosum* prae filiis hominum.
» Gaudium!
» Mater incorrupta genuit,
» Felix vere, quia Deo placuit.

1325. De aliis vero epithetis testes sunt [d]) Cyrillus hierosolymitanus inquiens: « Decebat enim eum qui *innocentissimus* est et innocentiae magister, *ex innocentibus* prodire thalamis. » Gregorius antiochenus qui haec tribuit [e]) Deiparae Filium alloquenti: « Te enim Pater generat semper *incorrupte*, ego autem te genui *semper innocens*. » Graeci [f]) in Paracletice: « Domina *sancta* quae *sanctis-*

a) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 12. C-D. Μετὰ σοῦ ἡ θεία χάρις ἐσκήνωσεν, μετὰ τῆς ὡραίας ὁ ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, μετὰ τῆς ἀμιάντου ὁ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα.

b) Men. die XII. Augusti Ode δ'. pag. 69. col. 1. D. Ὡς ὡραία ἀπεκύησας τὸν ὡραῖον, παρθενομῆτορ ἄχραντε.

c) Men. die III. Septembris Ode γ'. pag. 23. col. 2. B. Ὡραιώθης, πάναγνε, τὸν ὑπὲρ πάντας ὡραῖον τοὺς γηγενεῖς τεκοῦσα υἱὸν καὶ λόγον τοῦ πατρός.

d) Catech. XII. §. XXV. pag. 176. B. Ἔπρεπε γαρ τῷ ἁγνοτάτῳ, καὶ διδασκάλῳ τῆς ἁγνείας, ἐξ ἁγνῶν ἐξελήλυθέναι παστάδων.

e) Tragoed. Christ. pat. vv. 1542-1544. pag. 1296. inter opp. Gregorii nazianzeni T. II.

Σὶ γὰρ πατὴρ γεννᾷ μὲν ἀῤῥεύστως ἀεί·
Ἐγὼ δ' ἔτικτον σ' αὖθις ἀγνεύουσ' ἀεί.

f) Paraclit. pag. 297. col. 1. E. Ἁγία δίκαιε τὸν ὑπεράγιον ἡ κυήσασα λόγον, ἁγιασμὸν τῇ ψυχῇ μου δώρησαι.

Ibid. pag. 391. col. 1. A-B. Ἁγία θεοτόκε, ἡ τὸν ἅγιον λόγον ἀποτικτοῦσα σαρκὶ ἀναπαυόμενον ἐν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, ἁγίασόν μου τὸν νοῦν.

1) Orat. in Deiparam pag. 425. A-B. in bibioth. graeco-lat. T. II.

2) Apud Mone, lateinische Hymnen des Mittelalters pag. 56. Simillima habentur in Graecorum Triodio pag. 248. col. 2. B-C.

simum peperisti Verbum, animam meam sanctitate dona. *Sancta* Deipara quae carne genuisti *sanctum* Verbum, quod in sanctis omnibus conquiescit, mentem meam sanctifica.» Iosephus [1]) hymnographus et [a]) Iohannes damascenus, qui in nativitate Deiparae cunctis adesse laetitiae caussam docet, tum interrogans pergit: «Quid ita? Quod Deo Iacob tabernaculum manifestatum est: quod locus *sanctus sanctissimo* Verbo ostensus est.» Sophronius et Hippolytus, e quibus ille [b]) exclamat: «O *sancta* et penitus immaculata, quae *sanctum* peperisti in sanctis conquiescentem.» Alter vero [c]) scribit: «Dei Verbum quum esset carnis expers *sanctam* carnem ex *sancta* Virgine induit.» Lactantius [2]) qui sic habet: «Descendens itaque de caelo *sanctus* ille Spiritus Dei, *sanctam* Virginem cuius utero se insinuaret, elegit.» Anselmus qui ut de Christo [3]) probet, *quod natus de Virgine pro originali peccato habuerit originalem iustitiam* inquit: «Quamobrem quoniam de *iusto* Patre secundum divinam, et de *iusta* matre secundum humanam naturam, *iustus* ab ipsa origine, ut ita dictum sit, natus est; non incongrue pro originali iniustitia quam omnes alii filii Adae habent, a sua origine iustitiam originalem habere dicendus est.» Graecorum ecclesia [4]) in Menaeis, in [5]) Triodio et [d]) in Euchologio, ubi in Officio communis supplicationis Deiparam sic exorat: «Corpore et anima laborantem divina visitatione curaque tua me solare, o sola Dei mater, ut *bona bonum* enixa.» Iohannes damascenus [e]) qui fusas ad Virginem preces his verbis absolvit: «Tu itaque, *bona* Domina, *boni*

a) Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 850. D. Διὰ τί; ὅτι σκήνωμα τῷ θεῷ Ἰακὼβ πεφανέρωται· ὅτι τόπος ἅγιος τῷ παναγίῳ λόγῳ ὑποδέδεικται.

b) Triod. pag. 212. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Ἁγία παράμωμε τὸν ἐν ἁγίοις ἅγιον ἐπαναπαύμενον τεκοῦσα.

c) Demonstrat. de Christo et Antichrist. §. IV. pag. 419. apud Gallandium Tom. II. Ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἄσαρκος ὢν, ἐνεδύσατο τὴν ἁγίαν σάρκα ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου.

d) Euchолog. in offic. comm. supplicat. Ode α'. pag. 855. E. Νοσοῦντα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, ἐπισκοπῆς θείας καὶ προνοίας τῆς παρὰ σοῦ ἀξίωσον, μόνη θεομῆτορ, ὡς ἀγαθὴ ἀγαθοῦ τε λοχεύτρια.

e) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 867. E. Σὺ δὲ ἱκέτευε ἡμᾶς, ἀγαθὴ δέσποινα, ἀγαθοῦ δεσπότου λοχεύτρια, ἄγοις τε καὶ φέροις τὰ καθ' ἡμᾶς ὅπου βούλοιο.

1) Men. die XIX. Augusti Ode ν'. pag. 110. col. 1. D-E.

2) Div. institutt. lib. IV. cap. XII.

3) De concept. Virg. et orig. peccat. cap. XX. pag. 108. col. 1. E.

4) Men. die XVI. Aprilis Ode ε'. pag. 66. col. 2. D.

5) Triod. pag. 54. col. 1. D-E.

Digitized by Google

Domini parens, nos velim inspicias, resque nostras arbitrio tuo regas ac modereris. » Et canone [a]) in sanctum Basilium: « Nunc te, o undequaque innocens, omnes generationes generationum *beatam* celebrant ut quae *beata* sis; solus enim *beatus* Dominus qui me a daemonum tyrannide liberavit, per te hominum amator apparuit. » Canone autem in sanctum Osium [b]) scribit: « *Benedictus* fructus *benedicti* ventris tui, quem benedicunt caelorum virtutes, mortaliumque ordines, ut qui, *o benedicta*, nos ab originali maledicto liberavit. » Unde [1]) Anselmus beneficiis divinae dispensationis enumeratis concludit: « Haec tanta bona per *benedictum* fructum *benedicti* ventris *benedictae* Mariae provenerunt. »

1326. Qua ego solemni apud maiores nostros loquendi ratione, et penitissimo Deiparae cum Deo consortio ita commoveor, ut quidvis mihi facilius persuadeam, quam quod illius primordia ullo fuerint peccati naevo maculata. Et re sane vera non solum Deipara una cum Deo Patre eiusque Unigenito *iisdem affirmantibus* celebratur *appositis:* neque solum quippe *pura, pulcra, venusta, speciosa, innocens, sancta, iusta, bona, beata, benedicta* nunc cum Deo Patre, et nunc cum Unigenito *puro, pulcro, venusto, specioso, innocenti, sancto, iusto, bono, beato, benedicto* penitissime devincitur; sed praeterea I. declaratur, *ex hac puritatis, pulcritudinis, venustatis, innocentiae, sanctitatis, iustitiae, bonitatis, beatitudinis et benedictionis similitudine* repetendum esse, quod ipsa prae omnibus una selecta fuerit ut unum eumdemque cum aeterno Patre Filium gigneret, et cum ipso *naturali vinculo* uniretur. Similia enim, uti [2]) Emmanuel Paleologus scite animadvertit, se mu-

a) Can. in s. Basilium Ode ε'. pag. 736. apud Mai in spicileg. rom. T. IX. Νῦν σὲ πάναγνε, πᾶσαι γενεαὶ γενεῶν μακαρίζουσι μακαρίαν οὖσαν· ὁ μακάριος μόνος δέσποτης γὰρ κατὰ δυναστείας δαιμονικῆς ῥύομένός με, διὰ σοῦ φιλάνθρωπος ἐπέφανεν.

b) Men. die I. Septembris Ode ζ'. pag. 11. col. 1. A. Εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς εὐλογημένης γαστρός σου, ὃν εὐλογοῦσιν οὐρανῶν αἱ δυνάμεις, βροτῶν τε συστήματα, ὡς ἡμᾶς λυτρωσάμενον τῆς κατάρας τῆς ἀρχαίας, εὐλογημένε.

1) Orat. LI. ad Deiparam, pag. 381. col. 1. C-D.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 76. apud Moraccium in Caesaribus marianis, ubi Paleologus mulieri exclamanti, *beatus venter qui te portavit*, ita Christum respondentem induxit: « O mulier, quae beatam praedicas, vere beatam oportebat matrem esse mihi illam, cuius anima incredibili pulcritudine esset ornata, et qualem nulla umquam habuere tempora. Itaque praevio in ipsa summo candore ob eximiam animi integritatem sublimitatemque ac modestiam, subsequutum est ut mea fieret mater, factumque est ut ad lucem quae eius anima inhabitabat, me lucem insuper acquireret omnium luminum creatricem. *Amant enim omnia quae affinitate coniuncta sunt, accedere ad affinia.* »

tuo petunt et ad mutuam unionem societatemque feruntur. Tum II. declaratur, *eadem similitudine* factum esse, *ut Deipara medium foret universalis omnium reparationis, perque ipsam, utpote benedictam, Adami posteritas ab originali maledicto solveretur.* Quid porro horum est, quod a Deipara *originalem corruptelam* non amandet, quodque ipsam *originali innocentia* insignem non demonstret? Omnia et singula huc pertinent, et omnia atque singula neganda sunt, ut Virgo praerogativa originalis innocentiae destituta censeatur.

1327. Immo negari pariter debent quae tum etiam maiores nostri sua testificatione confirmant, quum *puritatis sanctitatisque consortium Deum inter ac Deiparam iisdem adhibitis superlativis appositis,* splendide patefaciunt. Quod quidem patefaciunt Graeci [a]) in Paracletice his verbis: « *Sanctissima sanctissimum* Verbum ex seipsa progerminans in sanctam crucem elevatum mortalesque sanctificans ubi conspexit, lacrymabatur. » Andreas cretensis qui [b]) de oblata in templo Deipara scribit: « Tunc sane tunc temporis patuerunt sancta sanctorum, *sancti* matre *sanctissima* intra adyta sinu recepta. » Theophanes [c]) qui Virginem celebrans ait: « O penitus immaculata, *purissimum* Dei Verbum te solam inveniens *purissimam,* ex tuo sinu editus mundat, o Dei sponsa, fideles a labe quae nobis ex malorum intemperie adhaesit. » Nicetas paphlago qui [d]) de Ioachimo Deiparae genitore inquit: « Qui enim *sanctissimi* Spiritus *sanctissimum* cimelium esset *geniturus,* decebat eiusdem Spiritus divinis afflatibus primum repletum sacro spiritalique desiderio ad conceptum confoveri. » Et [1]) Thomas vercellensis qui de divinis

a) Paraclit. pag. 360. col. 1. B. Ἡ παναγία παράγιον λόγον, τὸν ἐξ αὐτῆς ἀνατείλαντα ἐν τῷ ἁγίῳ σταυρῷ ἀνυψούμενον, καὶ καθαγιάζοντα τοὺς βροτοὺς ὁρῶσα, ὠδύρετο.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 98. B. apud Gallandium T. XIII. Τότε δὴ τότε, τὰ τῶν ἁγίων ἀνεῴγνυντο ἅγια, τὴν παναγίαν τοῦ ἁγίου μητέρα εἴσω τῶν ἀδύτων ἐγκολπωσάμενα.

c) Men. die IX. Iulii Ode ζ'. pag. 42. col. 1. E. Καθαρωτάτην μόνην σε εὑρών, παράμωμε, λόγος καθαρώτατος Θεοῦ, σοῦ ἐκ γαστρὸς ἀποτεχθεὶς πιστοὺς καθαίρει μολυσμοῦ, Θεόνυμφε, προσγενομένου ἡμῶν ἐξ ἀπρασίας κακῶν.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 437. A. apud Combefisium Auctar. T. III. Τὸν γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος μέλλοντα τὸ ἁγιώτατον κειμήλιον ἐκτεκεῖν, ἔδει τοῦ πνεύματος αὐτοῦ πρῶτον τῶν θείων πληρούμενον ἐνεργειῶν, ἐξ ἱερᾶς τε καὶ πνευματικῆς πρὸς τὴν κύησιν διαθερμανθῆναι προθυμίας.

1) Comm. in Cantic. cantic. pag. 690. B. apud Pezium in thes. anecdot. noviss. T. II. P. I.

Digitized by Google

agens muneribus ait: « Talia nobis *superdulcissimus* Crucifixus meritis et intercessionibus *supersuavissimae* matris suae Mariae, et omnium caelestium catervarum concedat. » Commemoratis huc usque appositis alia addi debent *eodem* pertinentia, et quae sicuti *potestate significandi* prioribus respondent, ita vades testesque habent [a]) Theophanem qui Deiparam invocat inquiens: « O Virgo innocens, *sancta sanctorum* quae *sanctum sanctorum* peperisti, Christum sanctificantem omnes, omniumque redemptorem; propterea te reginam mundique dominam, ut quae universitatis creatorem genueris, magnificamus. » Iohannem damascenum qui Deiparam his laudum encomiis [b]) prosequitur. « O puella undequaque sancta, tu genita es *angelis sanctior*, ut quae *sanctum ipsis sanctis* peperisti, propter misericordiam citra labem effectum quod nos mortales sumus. » Iosephum qui de Virgine [c]) scribit: « Qui *solus purus*, qui solus Dominus quum te, o penitus immaculata, *solam* agnoverit *omni creatura puriorem*, ex tuis innocentibus sanguinibus incarnatus est. » Itemque [1]) auctorem epistolae de conceptione beatae Mariae qui sic habet: « Pulcre et digne dominationem super ceteros sanctos illa debet habere, per quam omnes sancti sanctificantur: dicitur enim Christus *sanctorum sanctus*, et ipsa *sanctorum sancta*. » Huic appositorum classi quae *comparatione* continentur, alteram subiungo plane geminam, iisque coalescentem quae *excessum* praeseferunt. Horum vero auctores sunt Graeci [d]) in Paracletice: « O *supersancta*, quae Deum *supersanctum* Verbum peperisti, universos sanctifica qui te fide glorificant. » Ibidem [e]) in

a) Men. die XIII. Augusti Odo ε'. pag. 50. col. 2. C-D. Ἁγίων ἁγία, παρθένε ἁγνὴ, τῶν ἁγίων τὸν ἅγιον τέτοκας, τὸν πάντας ἁγιάζοντα Χριστὸν τὸν λυτρωτήν· διὸ σε βασιλίδα καὶ δέσποιναν τοῦ κόσμου, ὡς τεκοῦσαν τὸν κτίστην τῶν ποιημάτων μεγαλύνομεν.

b) Men. die XXIX. Augusti Ode ε'. pag. 161. col. 2. E. Ἁγιωτέρα πέφυκας τῶν ἀγγέλων κυήσασα, κόρη παναγία, τὸν ἁγίοις ἅγιον, δι' οἶκτον γενόμενον ὅπερ ἐσμὲν ἀφέρτως βροτοί.

c) Men. die XIV. Iulii Ode γ'. pag. 71. col. 2. E. Ὁ μόνος καθαρὸς, ὁ μόνος κύριός σε μόνην ὡς ἔγνω καθαρωτέραν πάσης κτίσεως, πανάμωμε, ἐξ ἀγνῶν σου αἱμάτων σεσωμάτωται.

d) Paraclit. pag. 203. col. 2. C-D. Ὑπεραγία, ἡ θεὸν ὑπεράγιον λόγον ἀποκύσασα, ἁγίασον ἅπαντας τοὺς πίστει σὲ δοξάζοντας.

e) Euchiolog. in offic. pro infirmis a spiritibus immundis obsess. Ode θ'. pag. 727. E. Ὑπεραγία παρθένε, μετὰ τῶν ἀσωμάτων λειτουργῶν καὶ ἁγίων ἀγγέλων, ἀποστόλων,

1) Epist. de concept beatae Mariae pag. 507. col. 1. A. inter opp. Anselmi.

Euchologio: « *Supersancta* Virgo, cum ministris incorporeis *sanctisque* angelis, cum apostolis, prophetis, martyribus et sanctis universis solum Deum *superbonum* exora, ut hac infirmitate servus tuus liberetur. » Et [a]) in Officio funereo: « *Optima* Domina *optimum* Verbum ex te natum deprecare, ut indemnatum in iudicio famulum tuum renunciet. » Ac postremo [b]) Iosephus qui sic Virginem exorat: « O *supersancta* quae *supersanctum* genuisti Verbum, sanctifica animas et corpora omnium nostrum qui te omni ex parte immaculatam celebramus. »

1328. Huc igitur redit *consortii* habitus Deum inter, ac Deiparam iisdem expressus appositis: *est ille sanctissimus, haec laudatur sanctissima: est ille purissimus, haec laudatur purissima: est ille supersuavis, haec laudatur superdulcissima: est ille supersanctus, haec laudatur supersancta: est ille superbonus, haec laudatur superbona: est ille sanctus sanctorum, haec laudatur sancta sanctorum: est ille solus purus, et haec sola omnibus purior creaturis laudatur.* Atqui eiusmodi consertus habitus omnino singularis ac prope incredibilis non minus sibi vindicat, ut Deipara summo creatam sanctitatis puritatisque apice aucta censeatur, quam ut ipsa ab omni labe integra et nullius conscia maculae ex maiorum suffragio apertaque testificatione depraedicetur. Eo vel magis quod referri alio nequeat Deiparae cum Deo consortium, quod *vocabulis metaphoricis* iisdemque *communiter* adhibitis significatur. Alio enim referri nequit consortium quod tum exprimitur, quum [c]) in Menaeis, in [1]) Paracletice, in [2]) Octoecho, in [3]) Sophronii Triodio,

προφητῶν, μαρτύρων καὶ ὁσίων ἁπάντων, τὸν μόνον ὑπεράγαθον θεὸν ἱκετεύσωσιν ῥυσθῆναι κακώσεως τὸν δοῦλόν σου.

a) Ibid. in offic. funereo Ode δ'. pag. 584. B. Ὑπεράγαθε δέσποινα, λόγον ὑπεράγαθον ὃν ἐκύησας, ἱκετεύσωσι, τὸν οἰκέτην σου ἐν τῇ κρίσει δεῖξαι ἀκατάκριτον.

b) Men. die XIII. Ianuarii Ode γ'. pag. 113. col. 1. B. Ὑπεραγία ὑπεράγιον λόγον κυήσασα, καθαγίασον ἡμῶν καὶ τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα τῶν μακαριζόντων σε τὴν παναμώμητον.

c) Men. die IX. Octobris ad Vesper. pag. 48. col. 2. B-E, die III. Novembris ad Matut. pag. 19. col. 1. E. et die X. ad Vesper. pag. 69. col. 1. B. Τὸν ἴδιον ἄρνα ἡ ἀμνὰς καὶ ἄμωμος δέσποινα ἐν τῷ σταυρῷ, ὡς ἑώρακεν εἶδος οὐκ ἔχοντα, οὐδὲ κάλλος, οἴμοι, θρηνῳδοῦσα ἔλεγε.

1) Paraclit. p. 101. col. 2. C., 135. col. 1. E., 247. col. 2. D. et 395. col. 2. E. Alia neque pauca testimonia similibus concepta verbis occurrunt sect. II. cap. IX. art. IV. nn. 384. seqq.

2) Octoech. pag. 63. col. 1. A.

3) Triod. pag. 189. A. apud Mai spicileg. T. IV.

Digitized by Google

et [a]) in orationibus Georgii nicomediensis Deipara atque ex ea incarnatus Dei Filius his verbis copulantur: « *Agna* et immaculata Domina ut vidit in cruce proprium *agnum* non habentem speciem neque decus, eheu mihi! gemebunda dixit. Hodie *agnâ* immaculata, ceu acceptabilis hostia offertur in templo, ex qua ortus [1]) ille *agnus* Dei abstulit peccatum mundi. » Alio referri nequit consortium quod his verbis [b]) spectandum proponitur: « Ave *astrum soli simile*. Ave, o immaculatissima, bonorum omnium caussa. » Quibus haec [2]) ex Latinorum hymnis respondent:

» Lucet *sol de sidere*,
» Oriens [3]) de vespere,
» Nesciens occidere.

» *Stella solem* protulit,
» Sol salutem contulit,
» Nihil tamen abstulit
» Ex Virgine.

Quare Gerhohus reicherspergensis [4]) enarrans verba [5]) psalmi, *in sole posuit tabernaculum suum*, scribit: « Rex noster adveniens Christus pro nobis pugnaturus *in sole posuit tabernaculum suum*, quia carnis assumptae tabernaculum posuit *in sole*, idest, *in Maria virgine*, quae sol non inconvenienter dicitur, eo quod sola inter mulieres singulari benedictione resplendeat, siquidem nec prima similem visa est nec habere sequentem: sicut sol iste materialis dicitur, eo quod solus lucere videatur. » Neque alio referre licet consortium, quod tum exprimit [6]) beatus Petrus Damiani quum adductis [7]) Scripturae verbis, *fluvius egrediebatur de loco voluptatis*, continenter ait: « Fluvius iste est Deus meus Iesus, qui *a duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, ex utero Virginis*. » Sed quaenam cum his nexa sic sunt, ut ab iis divelli nullo pacto

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1090. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Σήμερον ἡ ἄσπιλος ἀμνὰς, ἀς ὄντως ἱερεῖον τῷ ναῷ προσφέρεται, ἐξ ἧς ὁ τοῦ Θεοῦ ἀμνὸς προσλαθὼν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀφίλετο.

b) Men. die XV. Ianuarii ad Vesper. pag. 119. col. 1. C-D. Χαῖρε ἡλιόμορφος ἀστήρ· χαῖρε ἡ αἰτία ἁπάντων καλῶν, πανάμωμε.

1) Ioh. I. 29.

2) Apud Mone lateinische Hymnen, pagg. 59-66. Eadem imagine matris filiique consortium repraesentat sanctus Odilo in serm. de nativit. Mariae p. 621. apud Martenium anecdot. T. V.

3) Sicuti *sol* est Christus, *sidus* Maria; ita *oriens* est novum, *vesper* autem vetus testamentum. Quae subduntur, *nesciens occidere* cum iis conferenda sunt quae leguntur Matth. XXIV. 35.

4) In Ps. XVIII. pag. 270. B-D. edit. Pezii.

5) Ps. XVIII. 6.

6) Serm. XI. in Deiparae annunt. pag. 25. col. 1. E. opp. T. II.

7) Gen. II. 10.

Digitized by Google

queant? Videlicet nexum I. est, quod [1]) sicuti agnus immaculatus cuiusvis expers fuit labis, *ita cuiusvis nescia fuit culpae agna immaculata.* Nexum II. est, quod sicuti increatus sol iustitiae nullis umquam umbris decolorari potuit, *ita sidus* e quo ille secundum humanam naturam effulsit, *quodque sui splendoris praestantia sol creatus merito nuncupatur, nullis umquam fuit tenebris obductus.* Et nexum III. est, quod sicuti paternus voluptatis locus nihil in se nisi iucundum ac suave recepit, *ita maternus voluptatis locus nullis umquam peccatorum spinis inhorruit.* Quamobrem eadem maiorum traditione, *qua communi epithetorum et imaginum usu multiplex Deiparae cum Deo puritatis sanctitatisque consortium explicatur, illius quoque puritas cuiusvis semper exsors labis et origo penitus immaculata luculentissime continetur.*

ARTICULUS IV.

De eodem Deiparae cum Deo consortio aliis neque minus perspicuis dicendi modis usuque maiorum receptis significato: nonnulli enumerantur, iique inprimis quibus Deipara audit caelestis, divina, divinissima, Deo persimilis, Dei imago eiusque forma ad vivum expressa. Quam apte cum his cohaereat praerogativa integri a labe conceptus, et quantopere ab his abhorreant Deiparae origines hereditaria culpa maculatae.

1329. Quo creatae naturae *ex sese* neque splendidae neque locupletes ad fontem totius lucis, originemque totius perfectionis propius accedunt; eo refulgent nitidius, ditescunt copiosius, et bonorum iuxta appellationumque commercio cum Deo penitius co-

1) Atque illud pariter nexum est quod Thomas docet ubi quaerit in S. III. p. q. XXV. a. V., *utrum mater Christi sit adoranda adoratione latriae.* Principio enim de more refert quae affirmanti sententiae patrocinari videbantur, inquiens: «Videtur idem honor esse exhibendus matri regis et regi, unde dicitur II. Reg. II. quod positus est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius. Et Augustinus dicit in serm. de assumptione, thronus Dei et thalamus Domini caeli atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi est ipse. Praeterea Damascenus dicit in IV. libro, quod honor matris refertur ad Filium.» Tum rem definiens pergit: «Dicendum, quod quia latria soli Deo debetur, nulli creaturae debetur latria. Cum igitur beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur adoratio latriae, sed eolum veneratio duliae, *eminentius tamen quam ceteris creaturis*, inquantum ipsa est mater Dei: et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, *sed hyperdulia.*» Propemodum diceretur, ratio cultus proportione respondeat oportet dignitati, sanctitati et eius qui colitur consortio cum Deo. Uni autem Deiparae prae creaturis universis defertur *hyperdulia*. Igitur eiusdem dignitas, sanctitas et cum Deo sanctissimo consortium credi eiusmodi debet, quod nulli alteri creaturae conveniat. Atqui constare sibi haec praerogativa non posset, si Deipara fuisset prius maculata quam sancta, et prius Dei inimica quam eiusdem genitrix.

Digitized by Google

pulantur. Quum igitur una semper fuerit christiani nominis sententia, nullam omnino ex creatis naturis aut sublimius Deipara fuisse provectam, aut ipsa longius ab humana imbecillitate seiunctam; est profecto cur illius cum Deo consortium novis titulis auctum, novisque amplificatum nominibus existimemus. Et testes sane adsunt iique nobilissimi, qui huiusmodi amplificationem confirmant, et Deiparam praeclaris *divinae* atque *caelestis* [1]) appellationibus exornant. Tales vero sunt Theodotus ancyranus, qui miraculum [a]) suspiciens Verbi incarnati et verissimi θεανθρώπου, ait: « Huiusmodi mirabilia nobis semper *divina* Virgo mater in sanctis suis splendoribus adducit; penes ipsam namque est [2]) fons vitae. » Iohannes damascenus, cui [b]) satis haud est Deiparam vocasse *caelum ex terrena natura conditum*, sed praeterea addit: « Et vere caelum hoc est illo *longe divinius* ac stupendum magis. » Hinc [c]) recensitis malis ex originali praevaricatione derivatis, sermone ad Virginem converso inquit: « Abhorrent haec alienaque omnino sunt *a deifera* illa anima et carne. » Sophronius hierosolymitanus, quo [d]) auctore Gabriel sic Deiparam magnifice compellavit: « Tu *divinam* sortita mentem, prolem divinitus edes, quam prolem Iesum vocabis, quoniam populum servabit. » Bernardus qui [3]) primum scribit, *inviolata, integra et casta Mariae viscera, tamquam pascua aeterni viroris florem protulere;* tum [4]) exclamat: « O Virgo, virga sublimis in quam sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. O *vere caelestis* planta pre-

a) Orat. in Deiparam et Symeon. n. 4. pag. 461. A. apud Gallandium T. IX. Τοιαῦτα παράδοξα ἀεὶ ἡμῖν ἡ θεία μητροπάρθενος ἐν ἁγίαις αὐτῆς ἐπιλάμψεσι προσκομίζεται· παρ' αὐτῇ γὰρ πηγὴ ζωῆς.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 842. E. Καὶ ὄντως οὗτος ἐκείνου πολὺ θειότερος καὶ παραδοξότερος.

c) Orat. II. in Deiparae dormit. §. III. pag. 870. E. Ἀλλότρια ταῦτα, καὶ πάντη ξένα τῆς θεοφόρου ψυχῆς καὶ σώματος.

d) Anacreont. in Deiparae annuntiat. vv. 64-68. apud Mai in spicileg. T. IV.

Νόον ἔνθεον λαχοῦσα
Γόνον ἐνθέως λοχεύσεις,
Γόνον ὃν καλεῖς Ἰησοῦν,
Ὅτι τὸν λεὼν σώσει.

1) Iuverit contulisse quae scripsimus sect. II. cap. VIII. art. VI. nn. 384. seqq.

2) Ps. XXXV. 10.

3) Serm. II. in adventu Domini n. 4. pag. 729. A. opp. T. III.

4) Ibidem.

Digitized by Google

tiosior cunctis, sanctior universis! » Hinc Thomas vercellensis [1]) Virginem nuncupat *deificam*, et Theophanes de ipsa [a]) canit: « Divinitus acti Deiparae parentes susceperunt [2]) *caeleste* donum Deo dignum, currum ipsis Cherubim superiorem, Verbi et creatoris genitricem. » Iohannes vero Geometra [b]) sic habet: « Salve maiorum decus, iampridem promissa gratia, facundus cantus; ex te [3]) *divinissima* beatorum omnium gloriatio. »

1330. Tantum itaque est Deiparae cum Deo consortium, tanta societas ac prope cognatio, ut propriis Dei appellationibus honestetur atque idcirco dicatur *caelestis et vere caelestis, divina et vere divina ac divinissima, deifica et divinam sortita mentem, nec non deifero animo et deifero corpore insignis atque praeclara*. Quis porro cum his vinciat atque societ originalis transgressionis labem, et humanae praevaricationis sordes et maculas? Nemo plane. Quo enim Deipara sublimius ad Deum evehitur, eo ab humana corruptela longius separatur. Ad Deum vero eo usque evecta ipsam credimus, ut usurpatis maiorum vocibus illam salutemus *caelestem, divinam et divinissimam*. Superest igitur ut funditus exsors humanae contaminationis videatur. De qua Cyrillus alexandrinus [c]) dis-

a) Men. die VIII. Septembris Ode ϛ'. pag. 61. col. 1. A. Ἐδέξατο οὐράνιον δῶρον ἀξιόθεον τῆς Θεομήτορος οἱ Θεόφρονες γεννήτορες, αὐτῶν τῶν Χερουβὶμ ὑπερτέρων ὄχημα, τὴν τοῦ λόγου καὶ κτίστου λοχεύτριαν.

b) Hymn. II. in Deiparam vv. 7-9. pag. 438. C-D. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε φάτις προγόνων, χάρις ἔκπαλαι, εὔλαλε μολπὴ,
Ἐκ σέο θειοτάτης εὖχος ὅλων μακάρων.

c) Comm. in Luc. II. pag. 133. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. II. Ἑαυτὸν οὖν ἄρα προσκυνόμενον ὁ Χριστὸς καθ' ἕνα καιρὸν ὁμοῦ τοῖς τύποις τὴν ἀλήθειαν εἰς ὁσμὴν εὐωδίας, ἵν' ἡμᾶς δι' ἑαυτοῦ προσαγάγῃ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, λύσῃ τε οὕτω τὴν ἐφ' ἡμᾶς γενομένην ἀποστροφὴν, διά τε τὴν ἐν Ἀδὰμ παράβασιν, καὶ τὴν κατὰ πάντων ἡμῶν τυραννήσασαν ἁμαρτίαν· καὶ οὕτως ἐπισκοπῆς ἀξιώσῃ τῆς πατρικῆς· ἡμεῖς γὰρ ἦμεν οἱ πάλαι βοῶντες, ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμὲ, καὶ ἐλέησόν με, ὡς ὁ ψάλλων φησίν· ὀφθαλμοὶ γάρ, φησι, κυρίου ἐπὶ δικαίους· οὐ γὰρ ἐπιβλέπει κύριος τοὺς ταῖς ἁμαρτίαις ἐσχομένους, ἀλλ' ἐπὶ τὸν πρᾷον καὶ ἡσύχιον καὶ τρέμοντα αὐτοῦ τοὺς θείους λόγους· ἔδει οὖν καθαρθῆναι πρότερον ἡμᾶς, καὶ οὕτως ἀξιωθῆναι θεοῦ ἐπιφοίτου· κεκερδήκαμεν καὶ τοῦτο διὰ τοῦ πάντων σωτῆρος Χριστοῦ γεννωμένου ἐκ γυναικὸς, καὶ γενομένου ὑπὸ νόμον.

1) Comm. in Cantic. pag. 588. D. apud Pezium in thesaur. anecdot. T. II. P. I.

2) Iosephus in Menaeis die XI. Ianuarii Ode ε'. pag. 103. col. 1. B. illam vocat διοπτεύσαν καλλονὴν ἱεραίζομένην θειότητος, *dominam deitatis pulcritudinibus venustam*, quod ipsa peperierit τὸν καλλονιὸν λόγον *Verbum totius pulcritudinis auctorem*. Ceterum appellatio *diae et divinae* facta Virgini occurrit quoque in thesaur. hymnolog. T. I. pag. 345.

3) Hymno V. v. 6. p. 444. A. Virgo dicitur ἔνθεος

serens ait: « Semet ergo Christus obtulit, typum simul et veritatem, in odorem suavitatis, ut nos per seipsum Deo Patri offerret, *et nostram ab eo aversionem dissolveret, quae ob factam in Adamo transgressionem evenerat, et ob peccati in nos omnes tyrannidem;* atque ita Patris respectu nos dignos efficeret. Nos enim sumus qui ab antiquo clamamus, *respice in me et miserere mei,* ut ait [1]) psalmista. Non enim respicit Dominus peccatis deditos, sed [2]) mitem et quietum et divinos sermones metuentem. Oportuit igitur nos ante purgari, atque ita divina inspectione dignos reddi. Id autem consequuti sumus per universalem servatorem Christum ex muliere natum, factum sub lege. » Et consequuti praeterea sumus quod Irenaeus [3]) significat inquiens: « Christum recapitulasse et in compendio nobis salutem praestitisse; *ut quod perdideramus in Adam, idest secundum imaginem et similitudinem esse Dei,* hoc in Christo Iesu reciperemus. » Verissimum namque est quod Paulinus nolanus [4]) cecinit:

» Ut mihi per Christum *caelestis imago* rediret,
» Qui cruce terrenum se spoliavit Adam.

1331. Porro quoties de Virgine maiores nostri sermonem habent, toties ea tradunt *quae cum amissa divinae imaginis similitudinisque venustate componi nequeunt, quaeque vicissim originalem imaginis nitorem Deiparae inhaesisse perspicue satis ostendunt.* Atque huc sane pleraque ex iis faciunt quae nuper attulimus, tum illa faciunt quae Iohannes damascenus semel iterumque confirmat. Virginem namque [a]) compellans ait: « O femina regis David filia, Deique omnium regis mater! *O divinum animatumque simulacrum, cuius pulcritudine conditor* [5]) *Deus delectatus est.* » Alibi vero [b]) scribit: « Salve flos prae cunctis tinctorum coloribus varium omni

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. D. Ὦ θῆλυ θύγατερ τοῦ βασιλέως Δαβὶδ, καὶ μήτηρ τοῦ παμβασιλέως θεοῦ· ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα, ἐφ' ᾧ ὁ δημιουργὸς εὐφράνθη θεός.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 855. C. Χαῖρε ἄνθος, τὸ πάσης ἀνθοβαφικῆς χροίας ποικιλώτερον ἐξ ἀρετῆς ἁπάσης ἥδυσμα, ἐξ ἧς ἄνεσιν ἄνθος ὁμοίῳ ὅμοιον κατὰ μητρικὴν ἐμφέρειαν, ἐφ' ᾧ ἐπτὰ τὰ ἀναπαύόμενα πνεύματα, ὡς ὁ λόγος.

1) Ps. XXIV. 16.
2) Ps. XXXIII. 16.
3) Con. haeres. lib. III. cap. XVIII-XX. et lib. V. cap. I.
4) In panegyrico Calsi.
5) Pulcritudo igitur Virginis ea fuit quae non consequeretur deformitatem, *sed ipsam comitaretur creationem*, quaque delectatus est Deus δημιουργὸς *conditor*, nos a contracta labe mundans, et pulcritudine induens.

Digitized by Google

virtute condimentum, *ex qua flos flori similis matrem exacte* [1] *referens consurgit*, super quem ut [2] Scriptura dicit, septem spiritus requiescunt. » Ad quam similitudinem illustrandam egregie conducunt quae Iacobus monachus habet non modo quum Deiparam [a] appellat *solam eleganti et incomprehensibili decore fulgentem;* verum multo magis quum illius meminit [b] tamquam *praeditae sincera specie*, tamquam [c] *ingenui germinis totius generis*, tamquam [d] *virentis floris naturae*, tamquam [e] *exhilaratae symbolis sempiterni gaudii*, tamquam [f] *recondentis bonorum thesauros, divitiasque benedictionis*, et tamquam eius [g] *cuius primum quidem videntes obstupescunt pulcritudinem divinam quamdam formam referentem*. Itemque conducunt quae vulgatus [3] Hildephonsus toletanus et [4] Fulbertus carnotensis iisdem prope concepta verbis de Virgine scribunt: « Sed quid dicam pauper ingenio, quum de te quidquid dixero, minor laus est quam dignitas tua meretur? Si caelum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, praecellis. Si formam *Dei* appellem, digna exsistis. Si Dominam angelorum vocitem, per omnia esse probaris. » Neque luculenter minus conducunt sive haec [5] Eckberti schonaugiensis: « Tu *pulcra ut luna* [6] diceris, eique non immerito compararis. Illa enim omnium astrorum sola soli simil-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1274. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὴν *μόνην* ἀστείῳ καὶ ἀσυγκρίτῳ καταλαμπομένην κάλλει.

b) Ibid. Τῆς τὴν ἀνόθευτον περικειμένης ὡραιότητα.

c) Ibid. Τοῦ εὐγενοῦς τοῦ γένους βλαστήματος.

d) Ibid. Τῆς εὐθαλοῦς παραφυάδος τῆς φύσεως.

e) Ibid. Τῆς τοῖς συμβόλοις τῆς ἀϊδιαδόχου φαιδρυνομένης χαρᾶς.

f) Ibid. Τῆς τοὺς θησαυροὺς τῶν ἀγαθῶν, καὶ τὸν τῆς εὐλογίας ταμιευσαμένης πλοῦτον.

g) Ibid. Καταπλήττονται μὲν πρῶτον τῷ θειοειδεῖ ταύτης οἱ ὁρῶντες κάλλει.

1) Nihil evidentius non tam de similitudine agi naturae ambitu comprehensa, quam de ea quae ex virtutibus donisque Spiritus efflorescens, ad ordinem pertinet supernaturalem ac divinum. Igitur θεοτόκος et θεάνθρωπος arctissimo similitudinis vinculo intra ordinem supernaturalem ac divinum manifestissime copulantur. Refulsit autem θεάνθρωπος pulcritudine originali. Liquet ergo quid de θεοτόκῳ affirmari debeat. Quod rursum liquet si ea considerentur quae habet Thomas in S. III. p. q. XXVII. a. II. ad secundum, dummodo tamen illa legantur quemadmodum a Peruzzino referuntur et legi a veteribus solebant. Sic enim habent: « Hoc signatur Iob. III. ubi de nocte originalis peccati dicitur, *expectet lucem et non videat, nec ortum surgentis aurorae*. Expectet scilicet culpa originalis lucem, scilicet Christum, et non videat, scilicet contaminatum: nec ortum surgentis aurorae, scilicet conceptionis beatae Virginis de qua dici potest, *in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.* »

2) Is. XI. 1. seqq.

3) Serm. VIII. de Virginis assumpt. pag. 682. col. 1. A-C. apud Combefisium in biblioth. conc. T. VII.

4) Serm. de Virginis assumpt. pag. 660. col. 2. A-B.

5) Serm. panegyric. in Deiparam n. 5. pag. 702. D-E. inter opp. Bernardi T. V.

6) Cant. VI. 9.

Digitized by Google

lima et candore venusta argenteo ceteris in caelo praemicat sideribus; *tu veri solis imago expressissima* inter millia astrorum Deo assistentium in caelo gloriosa praefulges. » Sive haec [1]) Anselmi lucensis: « Omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis; sedes sapientiae, fluvius clementiae, *radius deitatis*, nec est qui se abscondat a calore tuo. »

1332. Iamvero nemo est qui non continuo intelligat, *originalem divinae imaginis venustatem* tribui illi oportere quae fuerit, quaeque suo merito celebretur *ingenuum totius generis germen*, atque adeo numquam vinculis servitutis obstrictum: *illustris sincera specie: decora pulcritudine quae divinam formam retulerit: veri solis expressissima imago: radius divinitatis: forma Dei, atque ex ipsa sui molitione divinum animatumque simulacrum.* Hi autem sunt tituli, quibus praeclara maiorum consensione Deipara insignitur: atque haec sunt elogia, quibus illius cum Deo societas, intimumque similitudinis consortium magnificentissime commendantur. Quapropter neque nova neque prius inaudita, sed vetusta christianoque usu recepta protulit Isidorus thessalonicensis de nata Virgine [2]) scribens: « Quid enim e rebus conditis fiat assimile *admirando huic divinae artis operi*, cuius specie captus fuit et ipse conditor, et *summa illud sibi cognatione coniunxit?* Matrem enim, rem omni admiratione maiorem, sibi illam praeparavit, existimans ostendi aliter satis non posse *purissimae maiestatem*, nisi cum ea ipsi intercederet prima omnium necessitudo, materna inquam, qua nihil coniunctius apud homines aut honorabilius esse scimus. Quod vero nostrae particeps fuerit et ipsa formae, sane ob nihil aliud factum hoc dixerim, quam ut sanctificatio decusque formaretur eorum, quibuscum illi natura communis est: ut sicuti [3]) conformes facti sumus similitudini *beatae illius divinaeque imaginis*, ita et gratiarum fieremus participes. Hoc igitur eximium supra vires naturae opus, *mira novitate decorum simulacrum*, quod eo gloriae pervenit ut Deo dignum construeretur aureum habitaculum, hodie natum celebramus. » Quibus haec [4]) consona sunt: « Fuit enimvero precum timorisque Dei fructus hic salutaris foetus, *qui Dei digito ineffabilibus gratiarum formis depictus et exornatus est.* Edita porro

1) Meditat. in antiph. *Salve regina*, n. 6. pag. 751. C-D. inter opp. Bernardi T. V. edit. Maraccii.
2) Orat. in Deiparae virginis nativit. pagg. 5-6.
3) Rom. VIII.
4) Ibid. pag. 18.

Digitized by Google

hac lucidissima divinaque imagine, desiit quoque Anna liberos parere. » Tum haec, quibus commorationem Virginis in templo [1]) extollens ait: « Ego vero et mysticam secretissimamque illam Virginis in sacrario mansionem, Salvatoris et Filii eius referre imaginem arbitror. Sicut enim Dominus, ut homo ex ea factus, versabatur inter homines atque ab iis videbatur, sed uti Deus nec videbatur, nec ullum ipsi erat cum hominibus commercium; ita etiam quae [2]) magnalia Potentis experta est, et videbatur et non videbatur. Neque ut ex hominibus nata nostrique generis, per triennium visa est multis, et egressa a templo usque ad migrationem in caelos: ut vero nobis ob virtutem novamque animae pulcritudinem excelsior, atque ut ita dicam, velut [3]) *terrestris Deus*, multorum fugit adspectum, ut esset [4]) *expresse imago nati ex ea Dei* invisibilis et visibilis. » Atque haec tandem quibus [5]) Deiparam appellat *imaginem supra alias regia maiestate fulgentem et splendide relucentem inter cognatos coeno infectos.*

1) Orat. in Deiparae praesentat. pagg. 48-49.

2) Luc. I. 49.

3) Insignitur aliquando Deipara *Dei Deaeque* appellatione, non quod in ipsa ex sese aut ex hypostatica unitione vere fuerit *deitas*; sed quod ampliorem divinae gratiae participationem, intimiorem cum Deo societatem, et pleniorem prae quavis creatura cum Deo similitudinem obtinuerit. Hinc Isidorus suam mentem aperit scribens: « Dico autem Virginis praerogativas nec percipi animo nec effarri verbis posse, quum ad ipsum Deum accedant, non tamen parem Deo efficiant; adeo ut si nobiscum conferatur ob niniam virtutis eminentiam Virgo vocanda sit Deus, sin autem conferatur cum Deo, sit quod est, scilicet homo. » Atque hinc Albertus magnus in Mariali super *Missus est*, cap. CXCV. postquam Virginem *deam dearum* nuncupavit, et auctoritate Pseudo-Dionysii ostendit, in sacris eloquiis vocari deos non modo supercaelestes nuncios, verum etiam amantissimos Dei mirabilesque viros, continuo subdit: « Quum ergo beata Virgo sit Dei amantissima et mirabilissima, et ad divinas illuminationes omnibus aliis creaturis improportionabiliter plus extensa, ipsa potissime vocabitur *dea dearum*. » Ceterum hac de re audiendi sunt Petrus Canisius de Deipara lib. V. cap. XII., Iustinus miechoviensis diss. CCLXV-CCCLI. in litanias lauretanas, et Hippolytus Maraccius in notis ad Isidori mariale subiectis pagg. 186-196.

4) Blosius inter dicta patrum cap. V. haec refert ex veteri anonymo: « Maria in potestate, sapientia, dilectione et cunctis charismatibus, donis, perfectionibus atque excellentiis super omnes creaturas benedicta, Filio suo Redemptori nostro *quam simillima et proxima est.* » Consentit Hugo Victorinus T. III. collect. III. de Verbo incarnato scribens: « *Talis* ergo agnus, *qualis* mater agni: *ex munda mundus:* ex virgine incorruptus. » Neque aliter eiusdem cognominis Riccardus, qui exposit. in Cant. cap. XXXIX. ait: « Maria *singulariter species Christi prae omnibus speciosa*, Christoque *simillima:* non solum speciem Christi ipsa habens, sed etiam in aliis hanc restituens. »

5) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 67.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Triplex antithesis Deum inter illosque omnes qui hereditaria infecti labe concipiuntur: huic ex adverso respondens triplex synthesis qua Virgo cum Deo copulata perhibetur: singula quaeque maiorum suffragiis stabiliuntur: difficultati occurritur, et decus immaculati conceptus Deiparae vindicatur.

1333. Ex appellationibus omnino plurimis, quae incredibilem Dei adversus pios sanctosque homines benevolentiam patefaciunt, nullam in sacris eloquiis, christianaeque traditionis monimentis reperire facile licet quae iis praecellat, quibus Deus illorum *amicus, sponsus* ac *pater* nuncupatur. Ecquid enim hisce si *dignitatem* consideres, *excelsius*, si *ad fructum* attendas, *suavius*, et si *coniunctionem* spectes, *intimius?* Nihil adeo pronum esse cuique debet quam animo assequi, quae quantave *originali transgressione* edita fuerit strages, et quae quantave in pessum iverint bona ac mala vicissim successerint. Quotquot enim ea transgressione obligati materno sinu foventur, rei omnes sunt *abruptae amicitiae, violatae fidelitatis* et *paterni obsequii procaciter conculcati*. Quare quin cum Deo *pretiosissima amicitiae, connubii et filiationis societate* copulentur, *triplici* ab ipso numquam satis dolenda *antithesi* separantur. Quum enim esse deberent *Dei amici*, sunt *eidem inimici:* quum esse deberent *connubii foedere* cum Deo devincti, sunt *adulteri* et *divortio repudiati:* et quum esse deberent *adoptione filii, sunt filii irae, maledicti et mortis*. Quae quum sint non minus explorata quam penes omnes certissima, occasionem nobis praebent investigandi, *utrum ad ipsam etiam Virginem quod attinet, triplex eiusmodi cum Deo antithesis probari queat*. Et probari utique oporteret, si ipsa quoque una cum reliqua praevaricantis Adami posteritate hereditariam labem contraxisset. Sunt enim haec tam intime conserta, ut ne cogitatione quidem divelli ab invicem possint. At vero concors est maiorum fides et unanimis christianae traditionis doctrina, non modo *eas antitheses* toto ut aiunt caelo a Virgine abhorrere, sed illi contra *tres cum Deo syntheses* perfectissime convenire, quibus tamquam *Dei amica, Dei filia, Deique sponsa* splendidissime celebratur.

1334. Et *de priori* quidem *cum Deo synthesi* et amicitiae propinquitatisque copulatione, disertissima sunt quae suis opportune [1]) locis deprompsimus, quaeque his [2]) ex Octoecho sumptis continentur: « Quum tamquam mater intelligibiles ordines superaveris et *Dei amica* fueris, benedicimus, o benedicta Virgo, partum tuum et in omnia secula superexaltamus. Quaenam haec *vere Deo propinqua*, ut quae universos angelorum ordines supergressa est? Illa sola, quae tamquam mater omnipotentis pulcritudine virginitatis refulget. » Venio *ad alteram synthesim*, de qua [3]) speciminis gratia dignissimi sunt qui ex ordine audiantur Iacobus monachus qui singularem parentum Deiparae excellentiam ostensurus [b]) inquit: « Quemadmodum enim nata puella, uno excepto creatore, *quod est supremum consequuta est;* ita hi quoque incomparabilem decoris praestantiam sortiti universos parentes superant. » Tum [c]) vestigio [c]) pergit: « *Edita* igitur *Dei filia*, Anna tribus convocat. » Tarasius episcopus byzantinus qui [4]) ad sobolem respiciens Ioachimo atque Annae divinitus promissam ait: « Quum enim dicta perspicuum rei exitum habuissent, *et immaculata Deique filia* ex iustis Ioachimo et Anna fuisset *progenita*, hi sedulo operam posuerunt ut liberarent promissi fidem. » Tum [e]) Annam inducit ita exclamantem: « Exsurgite virgines ferentes lampades, et immaculatam Vir-

a) Octoech. pag. 19. col. 1. C-D. Ἡ τάξις τὰς νοερὰς οἷα μήτηρ ὑπεράρασα, καὶ πλησίον θεοῦ χρηματίσασα, ὑλογοῦμεν, ὑλογημένη παρθένε, τὸν τόκον σου καὶ ὑπερυψοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Ibid. pag. 24. col. 1. C. Τίς αὕτη ἡ ὄντως πλησίον τοῦ Θεοῦ, ὡς ὑπερβᾶσα ἅπαντα τὰ τῶν ἀγγέλων τάγματα; ἡ μόνη ἐν τῷ κάλλει τῆς παρθενίας, οἷα μήτηρ λάμπουσα τοῦ παντοκράτορος.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1256. B. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὥσπερ γὰρ ἡ τυχθεῖσα τὸ ἀνώτατον, πλὴν τοῦ δημιουργοῦ, ἀπέλιπεν· οὕτω καὶ οὗτοι τὸ τοῦ κλέους ἀσύγκριτον παρὰ τοὺς τεκόντας ἀπεκληρώσαντο.

c) Ibid. pag. 1256. B-C. Τυχθείσης τοίνυν τῆς Θεοπαιδος, ἡ Ἄννα τὰς φυλὰς συνεκάλειτο.

d) Orat. in Deiparae praesentat. Τῶν γὰρ ῥημάτων διὰ πραγμάτων εἰς τοὐμφανὲς ἐλθόντων, καὶ τῆς ἀμώμου καὶ Θεοπαιδος κόρης ἐκ τῶν δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης γεγεννημένης, καὶ τὰς ὑποσχέσεις αὐτῶν ἐκπληρῶσαι ἐσπουδακότων.

e) Ibidem. Ἐξάρξατε παρθένοι λαμπαδηφόροι, καὶ προπορεύεσθε ἔμπροσθεν τῆς ἀμιάντου παρθένου καὶ Θεοπαιδος.

1) Sect. II. cap. VIII. art. VI. nn. 154. seqq. et sect. IV.

2) Specimnis enim loco haberi debent quae subdimus, quum plura a nobis fuerint nn. 367. seqq. iam allata.

Digitized by Google

ginem *Deique filiam* praeite.» Vetustus auctor libri *de ortu et obitu patrum*, qui sic [1]) habet: « Maria, quae interpretatur Domina, Iesse virga, *rosa sine spina*, feminarum regina, Salvatoris sponsa, *Dei vivi filia*. » Andreas cretensis qui natalem [a]) celebrans Virginis diem inquit: « Omnia igitur hodie exsultent, gestiatque natura, quoniam misertus est Dominus populi sui, erecto nobis cornu [2]) salutis in domo David pueri sui, hac superimmaculata et viri nescia Virgine, ex qua Christus gentium salus et exspectatio. Steriles celeriter accurrant, quae enim sine filiis et sterilis erat, *Dei filiam* Virginem suscepit prolem. » Sophronius hierosolymitanus qui ad efferendas Virginis laudes linguam postulat humana facundiorem, tum [b]) subdit: « Arduum namque vere est humanae linguae, *o Dei filia*, tuum canere partum divinitus mortalibus manifestatum. » Itemque Dionysius alexandrinus qui [c]) eamdem sententiam loquutione paullo quidem diversa sed aeque splendida proponit inquiens: « Una autem et sola Virgo *filia vitae* genuit Verbum vivens et per se subsistens, increatum et creaturam. »

1335. His porro testibus succedunt latini hymnologi, penes quos [3]) legimus:

» Audi mirabilia,
» Patrem parit *filia*,
» Natura renovatur.
» Verum est, mirum est,
» Nihil mirabilius.
» *Propriae filiae*
» Pater fit filius.
» Mater haec est *filia*,
» Pater hic est natus;
» Quis audivit talia?

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 94. D-E. apud Gallandium T. XIII. Οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω τὰ σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω· ὅτι ἠλέησε κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ, ἐγείρας κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, τὴν ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον καὶ ἄνανδρον, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς, ἡ σωτηρία τῶν ἐθνῶν, καὶ ἡ προσδοκία· στεῖρα συντόνως τρέχέτωσαν· ἡ γὰρ ἄπαις καὶ στεῖρα τὴν θεόπαιδα παρθένον ἐπαιδοποίησε.

b) Anacreont. I. in Deiparae annuntiat. vv. 5-9. pag. 49. apud Mai spicileg. T. IV.

Βροτὴν λέγειν γὰρ ὄντως
Σφαλερὸν πέφυκε γλῶττη,
Θεόπαις, τὴν λοχείην
Θεόθεν βροτοῖς φανεῖσαν.

c) Epist. con. Paulum samosat. pag. 212. B. Μία δὲ μόνη παρθένος θυγάτηρ ζωῆς ἐγέννησε τὸν ζῶντα λόγον, καὶ ἐνυπόστατον, τὸν ἄκτιστον καὶ δημιουργόν.

1) De ortu et obitu patrum n. 86. pag. 386. inter opp. Isidori hispalensis T. VII.

2) Luc. I. 69.

3) Apud Maracciam ad calcem Marialis Isidori thessalonicensis, et apud Mone lateinische Hymnen T. I. pagg. 57-58-59-62-66-249.

Digitized by Google

» Pater matris hodie
» Filius fit *filiae*,
» Gratia fit gratiae.
» Mirum est, verum est,
» Virgo parit Maria,
» Proprii filii
» Mater fit filia.
» Virgine de regia
» Summi regis *filia*,
» Plena datur gratia.

» Puella nobilis, comes humilium,
» Magistra humilis, et dux nobilium,
» Regina gloriae, *regis et filia*,
» Sed *regis filiae ab intus* gloria,
» Iam mittit praemium *haec Dei filia*,
» Ad Dei filium, nardum et crocum:
» Haec misso nuncio in caeli solium
» De caeli solio eduxit nuncium.

Succedunt et Graeci in [1]) Paracletice, in Anthologio, in Octoecho atque in Menaeis. Ex plurimis quae colligi possent, pauca decerpam, atque haec imprimis quae [a]) Germano debentur: «Ineffabile angelis et hominibus ostentum, et mirabile a seculo praenunciatum mysterium, hodie in utero prudentis Annae gignitur Maria *Dei filia*, adornata in habitaculum regis seculorum, et in reparationem generis nostri. Hodie vincula sterilitatis solvuntur; Deus enim Ioachimum atque Annam exaudiens perspicue contra spem pollicetur fore ut iidem gignant *Dei filiam*.» Haec deinde [b]) ex Constantino: «Laudo immensam tuam misericordiam, creator meus, quod temetipsum eo usque exinaniveris ut gestares ac servares corruptam mortalium naturam, et Deus quum sis, sustineris *ex innocente Dei filia* ad mei similitudinem fieri, et ultro ad in-

a) Antholog. die IX. Decembris pag. 180. col. 1. D. Τὸ ἀπόῤῥητον τοῖς ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις μεγαλεῖον, καὶ ἀπ' αἰῶνος χρησμοδοτούμενον· μυστήριον παράδοξον, σήμερον ἐν ταῖς λαγόσι τῆς σώφρονος Ἄννης βρεφουργεῖται Μαρία ἡ Θεόπαις, ἑτοιμαζομένη εἰς κατοικίαν τοῦ παμβασιλέως τῶν αἰώνων, καὶ εἰς ἀνάπλασιν τοῦ γένους ἡμῶν.

Ibid. pag. 180. col. 2. D-E. Σήμερον τῆς ἀτεκνίας δεσμὰ διαλύονται· τοῦ Ἰωακεὶμ γὰρ καὶ τῆς Ἄννης εἰσακούων θεὸς, παρ' ἐλπίδα τεκεῖν αὐτοὺς σαφῶς ὑπισχνεῖται θεόπαιδα.

b) Octoech. pag. 55. col. 1. D-E. Ὑμνῶ σου τὸ ἀμέτρητον ἔλεος, ποιητά μου, ὅτι σαυτὸν ἐκένωσας τοῦ φορέσαι καὶ σῶσαι φύσιν βροτῶν κακωθεῖσαν, καὶ θεὸς ὢν ἰσχυρὸς ἐκ τῆς ἁγνῆς Θεόπαιδος κατ' ἐμὲ τοῦ γενέσθαι, καὶ κατελθεῖν μέχρις ᾅδου θέλων με σωθῆναι.

1) Paraclit. pag. 427. col. 1. A.

Digitized by Google

fernum descendere ut mihi salutem conciliares. » Tum haec [a]) ex Iohanne damasceno: « Qui adumbratas aenigmatum caligines dissipasti, et adventu veritatis *per Dei filiam* [1]) credentium corda illuminasti, nos etiam luce tua, o Christe, in viam rectam dirige. » Haec rursum [b]) ex Georgio nicomediensi: « Ex iustis Ioachimo et Anna prodiit promissionis fructus, *Dei filia* Maria, et veluti acceptum thymiama adhuc tenella in sanctum inducitur templum, ut sancta in sanctis habitet. » Atque haec tandem [c]) ex Leone magistro: « Primitias vere acceptas sapiens Ioachim una cum Anna illi obtulerunt qui dignatus est eisdem impertiri divinum fructum, *Dei filiam* [2]), puellam Mariam, per quam tristitiae debitum splendide solutum est; quam pie laetantes celebremus, ipsa namque conciliatrix gaudii mundo universo effecta est. »

1336. Iam *de tertia synthesi* omnino praeclara sunt quae habent Iohannes Geometra qui de Virgine [d]) canit: « Salve quae invia adis, et sola penetras inaccessa, ut *sponsa* [3]) in abscondita sponsi penetralia admissa. » Fulbertus carnotensis qui [4]) laudaturus Deiparam, sic orditur: « Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, quum etsi omnium nostrum membra ver-

a) Men. die VIII. Septembris Ode ε'. pag. 60. col. 1. E. Ὁ σκιαγράφον ἀχλὺν αἰνιγμάτων σκεδάσας, καὶ τῶν πιστῶν ἐκβάσει τῆς ἀληθείας διὰ τῆς θεόπαιδος καταυγάσας τὰς καρδίας, καὶ ἡμᾶς τῷ φωτί σου, Χριστὲ, καθοδήγησον.

b) Men. die XXI. Novembris pag. 160. col. 1. E. Ἐκ τῶν δικαίων προῆλθεν Ἰωακεὶμ καὶ τῆς Ἄννης ἐπαγγελίας ὁ καρπὸς, ἡ θεόπαις Μαρία, καὶ ὡς θυμίαμα δεκτὸν, σαρκὶ νηπιάζουσα προσφέρεται ἱερῷ ἐν ἁγίῳ, ὡς ἁγία εἰς τὰ ἅγια οἰκεῖν.

c) Ibid. die XXII. pag. 161. col. 2. C-D. Ὄντως ἀπαρχὴν εὐπρόσδεκτον Ἰωακεὶμ ὁ σοφὸς σὺν τῇ Ἄννῃ προσήνεγκαν τῷ καταξιώσαντι θεῖον δοῦναι καρπὸν αὐτοῖς, τὴν θεόπαιδα, κόρην Μαρίαν, σαφῶς δι' ἧς τῆς λύπης ἐλύθη ὄφλημα· ἣν ἀνυμνήσωμεν εὐσεβῶς γηθόμενοι· τῆς γὰρ χαρᾶς πρόξενος γεγένηται παντὶ τῷ κόσμῳ αὐτή.

d) Hymn. II. in Deiparam vv. 27-29. pag. 439. A. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε βατεῖε' ἀβάτων, ἀδύτων δίφτρια μούνη,
Νυμφίου ἐς νύμφη κρυπταδίων μεγάρων.

1) Hinc eodem die pag. 67. col. 1. D. his verbis Ioachimus et Anna salutantur: Οἱ διὰ τῆς θεόπαιδος καὶ παναγίου Μαρίας προπάτορες Χριστοῦ χρηματίσαντες προσβεύσατε ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. *Qui* per Dei filiam *et innocentissimam Mariam progenitores Christi effecti estis, pro animabus nostris preces pendite.*

2) Gemina plane formula Iosephus in Menaeis die XXIV. Martii pag. 100. col. 2. B. scribit: Φωτοφόρον παλάτιον ἡτοιμάσθη σοι, δέσποτα, ἡ πηδὴ ἡ ἄφθορος τῆς θεοπαίδος. *Luciferum palatium, o Domine, adornatum tibi est, sinus incorruptus* filiae Dei.

3) Eodem titulo Iohannes ornat Deiparam in catena Nicetae diaconi apud Mai scriptt. vett. T. IX. pag. 630.

4) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 660. col. 1. C-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

terentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior caelo est de qua loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Haec est enim quae *sola* meruit mater et *sponsa* vocari. Haec primae matris damna resolvit, haec homini perdito redemptionem adduxit. » Leo sapiens idemque Augustus qui [a]) Virginem compellat inquiens: « Ave paradise, cuius fructum edentes insitam nobis et interitus effectricem rubiginem abiecimus, et ad floridam seniique expertem formam traducti sumus. Num, *o immaculata sponsa*, dabis ut ad pertexenda praeconia tua adducamus ea quae Pater, velut nuptiarum tuarum arrhabonem, per Spiritus sancti interpretes et internuncios donavit? » Modestus hierosolymitanus qui de exaltata in caelum Virgine [b]) scribit: « In caelestem thalamum ingressa est illa, quae facta est *gloriosissima sponsa* unionis hypostaticae duarum naturarum Christi veri sponsi caelestis, cuius admirandam desiderant pulcritudinem sanctae omnes caelorum potestates. » Consentit [c]) vulgatus Epiphanius inquiens: « Sancta enim Deipara virgo Maria est *sponsa Trinitatis*, et dispensationis plane arcanus thesaurus. » Consentit auctor sermonis de assumptione Maximo taurinensi tributi, quique relatis ad Virginem aliquot Scripturarum oraculis [1]) subdit: « Videamus itaque quae sit haec Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quae *tam speciosa*, quam Dominus elegit *sponsam*. » Atque ipse etiam consentit Ephraemus qui [d]) natum Christum his verbis alloquitur:

a) Orat. VII. in Deiparae annuntiat. pag. 384. A-B. edit. Gretseri. Χαῖρε παράδεισε, οὗ τῷ καρπῷ τραφέντες τὸν προσφυέντα ἡμῖν φθοροποιὸν ἰὸν ἀπεπτύσαμεν, πρὸς ἀνθρὰν δὲ καὶ ἀγήρῳ ἰδέαν μετεσκευάσθημεν· βουληθείης ἂν ἡμῖν ἐπιτρέψειν, ἄμωμε νύμφη, τῶν σῶν μνήστρων, ἃ ὁ πατὴρ διὰ τῶν ὑποφητῶν τοῦ πνεύματος ἐχαρίσατο εἰς ἐργασίαν τῆς εὐφημίας λαβόντας ἀποχρήσασθαι;

b) Encom. in Deiparam §. III. pag. 16. Εἰς τὸν οὐράνιον νυμφῶνα εἰσῆλθεν ἡ γενομένη πανένδοξος νυμφὼν τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως τῶν φύσεων Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἐπουρανίου νυμφίου, οὗ ἐφίενται τῆς ὑπερφυοῦς ὡραιότητος πᾶσαι αἱ ἁγίαι δυνάμεις τῶν οὐρανῶν.

c) Orat. de Virginis laudibus pag. 292. C. inter opp. Epiphanii T. II. Τριάδος γὰρ νύμφη ὑπάρχει ἡ ἁγία θεοτόκος κόρη Μαρία, τὸ πανάρρητον τῆς οἰκονομίας μυστήριον.

d) Serm. XI. in nat. Domini pag. 420. E-F. opp. syr. T. II.

ܟ ܕܢܛܥܐ ܗܘ ܘܐܫܬܡܗܕ ܐܢܬ ܟܘ . ܘܟܠܗܘ ܫܒܚ ܠܐ ܡܠܟܐ ܕܟܠ ܐܠܗܐ .
ܬܟܠܐ ܘܐܡܐ ܥܡ ܒܢܐ ܟܘ . ܐܠܐ ܫܒܚ ܠܐ ܐܢܐ ܟܕ ܘܒܟܗܐ . ܐܡܪ ܠܐ ܕܟܠ ܐܠܗܐ
ܥܠ ܘܐܡܐ ܩܠ . ܟܐ ܟܕ ܐܡܪ ܐܡܪ ܠܐ ܕܟܠ . ܐܡܪ ܠܐ ܕܟܠ . ܐܡܪ ܠܐ ܕܟܠ . ܟܟܠ

1) Serm. XII, pag. 45. B-C. in spp. ad opp. Maximi.

Digitized by Google

« Hominis filius non es, ut communi stylo persequar laudes tuas: conceptus tuus novus est, prodigium est nativitas tua. Ecquis nisi tuo affletur Spiritu, de te loquatur? Me proinde novus dicendi ardor inflammat, qualis prophetarum mentes. Quem autem te esse praedicem? Extraneum ne dicam, qui unus ex nobis factus es? Filium ne appellem, fratrem, *sponsum* aut Dominum, qui [1]) matri tuae per aquam alium filium genuisti? Equidem sum soror tua, quo amborum nostrum proavus est David, et quo te concepi, etiam mater, *sponsa* quoque [2]) per tuam sanctitatem. »

1337. Quare in Euchologio [a]) dicitur: « Omnis fidelium lingua tibi acclamat, beatumque celebrat intemeratum tuum partum, o Maria *Dei sponsa*. » Similia dicuntur [b]) in Paracletice: « Apparuisti intelligibilis porta Orientis ex alto, qui super terram ex te, *o Dei sponsa*, hominibus refulsit. Ceu vestibus aureis deaurata virtutibus et Spiritus gratiis, o innocentissima, tamquam *sponsa Patris* venusta vere Dei mater ostensa es. » Et similia in Latinorum hymnis [3]) repetuntur:

» Te nunc suppliciter, sancta Theotocos,
» Regis perpetui *sponsaque* poscimus,
» Ut nos semper ubique
» Miti munere protegas.

» Iesu Christi mater,
» Virga stirpis Iesse
» *Sponsa Deo digna*,
» Salve salus nostra.

» *O sponsa Christi fulgida*,
» Regina caeli inclyta,
» Virgo prudentissima,
» Et mater Dei intacta.

لأمّه مُجدا لسُنا مع كُه مُتْا. سُكُا انُا كُسْ مع شُه وُمْبِ وُاكُا هه وُلاوُمِ. أُعُا
انُا لأُد صلها كُهُو هُمْضُنا انُا صلها هُوبُهو +

a) Eucholog. in offic. aquae benedictae minoris pag. 412. C. Γλῶσσα πᾶσα τύφημεῖ καὶ μακαρίζει καὶ δοξάζει τὸν ἄχραντον τόκον σου τῶν ὀρθοδόξων, Μαρία Θεόνυμφε.

b) Paraclit. pag. 206. col. 1. C. Πύλη ἐφάνης νοητὴ τῆς ἀνατολῆς τῆς ἐξ ὕψους, ἐπιφανεῖσης ἐπὶ γῆς τοῖς ἀνθρώποις ἐκ σοῦ, Θεονύμφευτε.

Ibid. pag. 357. col. 2. C-D. Κρουστοῖς κεχρυσωμένη ὡς χρυσοῖς ταῖς ἀρεταῖς καὶ ταῖς τοῦ πνεύματος χάρισι, πάναγνε, ὡς νύμφη τοῦ πατρὸς ὡραϊσθεῖσα ἀληθῶς ἐδείχθης μήτηρ Θεοῦ.

1) Recepta interpretatio sic habet, *qui matrem meam per aquam generationis regenerasti!* Sed ea plane a textu dissidet.

2) Idest *tuae sanctitatis consortio*, quae illa cuncta expressit interpres his verbis: *postquam tua sanctificata sum gratia.*

3) Thesaur. hymnolog. T. I. pagg. 246-263-277-340.

Digitized by Google

» Gaude *sponsa cara Dei*,
» Nam ut lux clara diei
» Solis datur lumine;
» Sic tu facis orbem vere
» Tuae pacis resplendere
» Lucis plenitudine.

1338. Sed quorsum haec, erunt qui reponant, ad praerogativam quod pertinet immaculati conceptus? Consequens ne est, ut immaculatae habeantur illius origines quae *Dei amica et propinqua* dicitur, quaeque *Dei filia atque sponsa* salutatur? Nihil profecto minus, quando horum decorum nullum est quo pii iustique omnes iure optimo non exornentur. Quasi vero aut haec adeo impervia essent et exquisita, ut ego illa nesciverim; aut illa probe cognoscens, ineptus adeo fuerim ut seiuncta nulloque affinitatis vinculo nexa copularim. Itaque posco ac vero etiam efflagito, ut insequentes accuratae interpretationis leges memoria reputentur: ut I. memoria reputetur, in definienda appositorum significatione haberi rationem oportere *subiecti* cui illa tribuuntur, et harmonicae singulorum acceptioni studendum sic esse, ut singula quaeque non divisim sed una cum aliis spectata explanentur. Ut II. memoria reputetur, negligi non posse privum singularemque loquendi modum, si qui forte adhibeatur. Ut III. memoria reputetur, ex orationis ductu atque serie germanam singulorum incisorum enarrationem *inprimis* pendere. Ut tandem IV. memoria reputetur, *infinitas formulas ex circumscriptis* et *minus perspicuas ex lucidioribus* intelligi debere atque intellecta explanari. Si ad eiusmodi normas, quae indubiae sunt, eorum quae adduximus, interpretatio exigatur; mihi omnino persuasum est non modo obiectam difficultatem funditus dilui, verum etiam praerogativam immaculati conceptus ingniter vindicari.

1339. Enimvero *prior norma* praecipit, ut in definienda appositorum potestate ratio habeatur *subiecti* cui deferuntur, et ut singula quaeque non aliter sumantur ac *omnium harmonia et concentus* postulant. Cuiusmodi autem est *subiectum*, quod in productis testimoniis nominatur *amica et propinqua Dei*, *Dei filia*, *Deique sponsa*? Et cuiusmodi sunt reliqua, quae ex unanimi maiorum traditione de eodem comperta habemus atque explorata? Subiectum est *Deipara*, creaturarum omnium excelsissima, altera secun-

Digitized by Googl

dum Deum, et de qua Isidorus thessalonicensis verissime [1]) scripsit: « Nascitur ergo sacratissima haec *pulcritudo* expressissime Deum referens et summe deiforme speculum, splendor divinitus micans, iubar Deum oblectans, formositas Deum decens, et sponsa et filia Deo reservata Maria. » Cetera vero quae ex fide maiorum de Virgine profitemur, sunt eo usque insignia, ut neque cogitatione comprehendi neque verbis efferri pro dignitate queant. Unde [a]) Tarasius Deiparam nuncupavit *pretiosum Trinitatis cimelium*. Quum igitur hinc quidem *praestantia subiecti* nullam ferat cum creatis naturis aequalitatis comparationem, inde vero *reliqua eiusdem ornamenta* candore nivem et lucem splendore vincant; nemo prorsus non immemor officii quod interpres gerit, titulos appellationesque *amicae et propinquae Dei, Dei filiae, Deique sponsae* factas Deiparae, vulgata quadam communique cum ceteris Adami filiis significatione accipi posse arbitretur. Intelligantur itaque oportet priva eximiaque potestate. Qua quidem potestate acceptae non obscure demonstrant, amicitiam Deiparae non successisse inimicitiae, connubium non successisse adulterio, et filiationem adoptivam non successisse irae et maledicto.

1340. Progredior *ad alteram normam* quae exigit, ne singulares negligantur loquendi modi, siquos forte usurpatos constiterit. Atqui pleraque omnia prolata in medium suffragia ostendunt, non quovis tandem modo eoque communi appellari Virginem consuevisse *Dei amicam et propinquam, Dei filiam et sponsam;* verum haec nomina haud secus illi fuisse tributa ac si eiusdem *propria privaque* forent, et quibus ipsa distingueretur. Absolute enim nulloque praeterea adiecto nomine dicitur *amica Dei et propinqua, Dei Filia et sponsa*. Nihil ergo evidentius, quam praestantissimo quodam sensu hosce titulos fuisse eidem delatos: et nihil evidentius quam ad huiusce sensus amussim scripsisse [2]) Isidorum thessalonicensem: « Hinc etiam audeat quispiam eximium illud de ea pronunciare, quod lingua tonitrui fragore [3]) personans dixit, vidimus gloriam eius quasi gloriam *unigenitae* Dei matris, plenae gratiae et verita-

a) Orat. in Deiparae praesent. Τὸ τῆς τριάδος κειμήλιον.

1) Orat. II. in Deiparae praesent. pag. 34. edit. Maraccii.
2) Orat. I. in Virginis Deiparae nativitate pag. 13. editio Maraccii.
3) Ioh. I. 14.

Digitized by Google

tis. » Quis vero cum huiusmodi sensu coniungat inimicitiam quae amicitiam praeverterit, adulterium quod connubium praeoccuparit, et ira ac maledictum quae adoptionis benevolentiam praeiverint?

1341. Sed dicendum iam est *de tertia lege*, qua praescribitur ut in aliorum dictis sententiisque interpretandis ob oculos semper habeatur *sermonis ductus orationisque contextus*. Porro si de titulis agatur *amicae Dei*, *Deique propinquae*, non his dumtaxat ornatur Deipara, sed insuper audit *vere Dei propinqua Deique amica, et universis angelorum ordinibus potior atque excelsior*. Sin autem de appellatione sermo sit, qua Virgo *Dei filia* nuncupari consuevit, en quae testimoniorum adiuncta contextusque repraesentant. I. Sic *Dei filia* dicitur Virgo, ut coniunctim dicatur *innocens Dei filia, propria Dei filia, veraeque primitiae caelo gratissimae*. II. Sic *Dei filia* dicitur Virgo, ut coniunctim dicatur *edita in lucem Dei filia, genita Dei filia, in parentum utero progenita Dei filia, superimmaculata et rosa sine spinis*. Hinc III. sic *Dei filia* dicitur Virgo, ut coniunctim dicatur *una et sola Virgo filia vitae, in utero adornata in Dei habitaculum, communemque reparationem, cornu salutis caelitus erectum, et id consequuta quod secundum Deum maximum est ac supremum*.

Reliquus est tertius titulus, quo Virgo *Dei sponsa* celebratur, atque ita spectanda exhibetur ut I. sit *sponsa fulgida, sponsa immaculata, sponsa cara Deo, innocentissima Patris sponsa, sponsa gloriosissima et sponsa Deo digna*. Deinde vero II. ut sit *sponsa quae sola penetrat inaccessa, quae sola meruit ut sponsa vocaretur, eo usque speciosa ut propterea fuerit in sponsàm cooptata*, paucis *altior caelo et abyssis profundior*. Iamvero I. quisque intelligit *horum summam* uni Deiparae convenire, illamque proinde significatione *non communi sed propria, non vulgari sed exquisita* Dei amicam, filiam, sponsamque celebrari. Quisque II. intelligit *horum summa* contineri, Deiparam *ab ipsis primordiis* Dei amicam, filiam et iucundissimam sponsam exstitisse. Quare III. quisque intelligit, ad Deiparam quod pertinet nullum umquam [1]) *inimicitiae, divortio, irae ac maledicto* aditum patuisse.

1) Libet heic aliquot proferre sequioris quidem aetatis scriptores, sed pietatis scientiaeque celebritate florentes, quique maiorum voces sententiasque repetierunt. Atque inprimis libet proferre utrumque Bernardinum senensem et de Busto, quorum ille T. II. serm. LI. cap. III. scribit: « Congruebat ut illa quae placuit Altissimo ita ut fieret *illius sponsa*, sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne. » Alter vero serm. II. de concept. P. III. ait: « Indubitanter tenendum, quod Deus *dilectam sponsam suam*

Digitized by Google

1342. Atque haec omnia splendidiori etiam luce enitebunt, si *ad quartam ex propositis interpretandi legibus animum adverterimus*, quam vir immortalis ingenii Onuphrius Panvinius in altero libro *de Basilica vaticana* expressit scribens: *accuratam et expressam rerum cognitionem ex multorum locorum collatione, ex mutua singulorum veterum auctorum examinatione facile haberi posse, ut quod auctores ipsi singillatim tacent, coniuncti aperiant*. Et auctores

ante creationem mundi electam ab omni peccati turpitudine praeservavit. Quis enim est hominum, qui si posset sponsam suam facere, illam non absque omni macula procrearet?» Et serm. VII. P. I. paullo uberius inquit: «Decens fuit et consonum rationi, ut *sponsa castissima Dei* numquam careret gratia sui sponsi, sed semper iungeretur illi glutino caritatis, ita ut ne per momentum quidem inter ipsam et sponsum inimicitia contraheretur nec divortium fieret. Si autem in peccato originali fuisset benedicta Virgo concepta, pro illo tunc non fuisset eius amica sed inimica, et a sponso suo divertisset et separata fuisset. Sed inter ipsam et Deum semper fuit amicitia et dilectio. Unde ipsa inquit Cant. VI. *ego dilecto meo, et dilectus meus mihi*, scilicet coniunctus est et semper fuit unitus. Ergo sine peccato concepta fuit.» Antiquus sententiarum enarrator Marsilius lib. II. q. XX. a. III. sic habet: «Sponsa in aliqua sui parte debet esse tota pulcra, et non esset hoc in aliqua parte, nisi Virgo ab originali fuisset praeservata. Ergo. Minor patet, quia si fuisset aliquo tempore sub peccato originali, tunc illo tempore fuisset maculata. Ergo non esset sponsa tota pulcra in Virgine nec in Christo: quia ille est sponsus, et licet sit candidus et rubicundus et totus desiderabilis Cant. V., tamen haec non est pulcritudo sponsae sed sponsi, nec in aliquo alio, quia omnes alii rei sunt peccati actualis vel originalis, et sic nusquam esset sponsa tota pulcra.» Hinc Bonaventura in IV. dist. III. a. III. q. I. «Congruum fuit, ut illa quae placuit Altissimo adeo ut fieret sponsa et mater filii Dei unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.» Atque hinc in veteri Officio de immaculata conceptione apud Balinghem in Parnasso mariano pag. 38. canitur.

» Ab aeterno Dominus — » Terram, pontum, aethera:
» Te praeordinavit — » In pulcram ornavit
» Matrem unigeniti — » Sibi sponsam, in qua
» Verbi, quod creavit — » Adam non peccavit.

Nemo ergo miretur dum Catharinum audit in disput. pro veritate imm. concept. lib. testim. VI. ita disserentem: «Nemo nescire debet quod in Scripturis sanctis inter multas quae ibi commemorantur adolescentulas et concubinas regis, imo etiam reginas, una est ipsius regis Christi primaria sponsa electa et praelecta, quod de Maria procul dubio intelligitur, sicut et canit ecclesia. Nam propter illius excellentiam declarandam scriptum est, sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae, adolescentularum non est numerus: una est columba mea, perfecta mea. Nulli autem nisi supra modum austero homini potest videri decens, quod summus et primarius rex voluerit sibi adoptare in sponsam talem, scilicet primam et primariam eam de qua dici aliquando posset vel pro aliquo momento, quod sub hostis et adulteri potestate fuerit, et ita sub ira sua et Patris sui maximi et altissimi regis; quum praesertim potuerit ipse ac noverit, si modo voluerit, eam praeripere ac praeservare sibi, ne in hosticam manum dimitteretur. Obsecro discamus hoc saltem a prudentia seculi, nec minoris benignitatis ac prudentiae faciamus Deum. Si enim quaeratur sponsa cuipiam magni regis filio, qui speciosus ipse fuerit prae filiis hominum, aut ipse filius sibi ipse eam quaerat, imo (ut aptior parabola fiat) si detur ipsi filio eligendi facultas, quia potius et condendi et componendi potestas unam aliquam pro voto; an quaeso talem eliget aut sibi condet, quam comprehendi ab hoste et violari patiatur, quam tamen prius potuerit ipse ac meruerit servare? Profecto austerus nimis necesse sit qui hoc fateatur: indecentissimum enim est hoc in sponsa primaria. Foedissime enim claudicarent hae nuptiae, neque enim sponso esset sponsa conveniens, quem iam speciosum facimus prae filiis hominum. Quod vero post unam hanc primariam penitus illibatam, alias habeat secundario sive ancillas sive concubinas, redemptas tamen et ab hostium manu ereptas, atque ideo non penitus intactas, nihil absurdum est: nullus enim vituperio dederit, modo illa una prima ac praecipua servata sit illi, ut prorsus illibata, intacta, immaculata fuerit. Quid ergo? Prudentiores erunt filii seculi in generatione sua, non dico, quam filii lucis (hoc enim per socordiam nostram saepe contingit), sed dico quam ipsa lux? Ipsa inquam lux aeterna et sapientia vera, unde omnis sapit quicumque sapit? Absit. Quis enim dicere hoc potest sine blasphemia? Ergo speciosissimus omnium sponsus, et sapientissimus et omnipotentissimus rex non talem sibi potius adoptaverit sponsam, (ut Hieronymi utar verbis) etiam condiderit ac servaverit, qualem sibi omnino convenire praevideret, scilicet perpetuo sponsam, intemeratam, incorruptam penitus mente et corpore, et cum qua nullum umquam potuerit intervenire dissidium? Qui hoc negaverit, male affectus sit prorsus necesse est.»

Digitized by Google

sane non desunt qui luculenter edicant, nunc quidem *unam solamque Virginem esse Dei filiam et sponsam*, nunc vero *unam solamque Virginem ab ipsa nativitate, ab ipsis primordiis, ab ipso conceptu, atque adeo semper fuisse Dei amicam, filiam et sponsam.* Qui primum edixerint, nonnullos iam audivimus, quibus addendi sunt [a]) Theophanes qui ait: « Vere inexplicabilis conceptus, ineffabilis et incomprehensus partus tuus, *o sola Dei sponsa*, ab omnibus fidelibus et cognoscitur et creditur. » Iosephus qui [b]) scribit: « Exsultate piorum omnium corda in dormitione *solius filiae Dei*, cuius incessanti prece servamini. » Georgius nicomediensis qui [c]) Virginem salutat inquiens: « Salve, *o sola Dei sponsa*, quae incorrupto partu tuo extinxisti germina omnia peccati, et mundo fontem semper viventem effudisti, mortalium salutem. » Iohannes damascenus [d]) qui Virginem his verbis alloquitur: « Adam iampridem morti obnoxius per germen tuum, *o sola Dei sponsa*, nunc liberatur; vere namque, o innocens, vitam subsistentem secundum hypostasim cum carne unitam super naturam et rationem peperisti. » Hinc universa Graecorum ecclesia [e]) in Paracletice canit: « Ave corrupti Adami filia, ave *sola Dei sponsa*, ave per quam corruptio expulsa est. » Atque hinc Leo Augustus proprias commemorans Virginis dotes [f]) scribit: « *Multae filiae* fecerunt potentiam, *multae possederunt* divitias; at *maior omnibus* est quae apud

a) Antholog. die VII. Ianuarii Ode ϛ'. pag. 321. col. 1. A. Ἀπερμήνευτος ὄντως ἡ σύλληψις, ἄφραστος ὁ τόκος σου καὶ ἀκατάληπτος πᾶσι πιστοῖς γνωρίζεται καὶ πιστεύεται, μόνη Θεόνυμφε.

b) Ibid. die XV. Augusti Ode θ'. pag. 524. col. 1. E. Σκιρτήσατε καρδίαι πάντων εὐσεβούντων ἐν τῇ κοιμήσει τῆς μόνης θεόπαιδος, τῇ ἀκοιμήτῳ πρεσβείᾳ ταύτης σωζόμεναι.

c) Octoech. pag. 58. col. 2. B. Χαίροις ἡ ἀφανίσασα βλαστήματα ἅπαντα τῆς ἁμαρτίας, καὶ κόσμῳ πηγὴν ἀείζωον βλύσασα, βροτοῖς σωτηρίαν, τῷ ἀφθάρτῳ τοκετῷ σου, μόνη Θεόνυμφε.

d) Men. die VII. Octobris Ode γ'. pag. 39. col. 1. B-C. Θανάτῳ κρατούμενος τὸ πρὶν Ἀδὰμ νῦν ἐλευθέρωται τῇ σῇ γεννήσει, μόνη Θεόνυμφε· ζωὴν γὰρ ὄντως τὴν ὑπόστατον ἐνωθεῖσαν σώματι, ἁγνὴ, καθ' ὑπόστασιν, ὑπὲρ φύσιν καὶ λόγον ἐκύησας.

e) Paraclit. pag. 328. col. 1. B. Χαῖρε θυγάτηρ Ἀδὰμ τοῦ φθαρέντος· χαῖρε ἡ μόνη Θεόνυμφος· χαῖρε δι' ἧς ἡ φθορὰ ἐξωστράκισται.

f) Orat. VI. in Deiparae dormit. pag. 370. edit. Gretseri. Πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν, πολλαὶ ἐκτήσαντο πλοῦτον· κρατεῖ δ' ἁπασῶν ἡ παρὰ πάντας ὑπερδεδοξασμένη· οὐκοῦν ἐν τῷ κάλλει αὐτῆς ψυδομένη ἀρίστεια· διὰ τοῦτο καταστὰς εἰς ἀρίστειαν αὐτῆς ὁ Θεὸς, ἐκ πασῶν γενεῶν μητέρα ἐκλέγεται, καὶ τῶν ἐκείνης αἱμάτων μορφοποιούμενος, εἰς τὸ ἀρχαῖον τὴν διαῤῥυεῖσαν τοῦ πλάσματος ἀνακαινίζει μορφήν.

Digitized by Google

omnes celebratur. Nec inest in pulcritudine eius [1]) fallax gratia. Quamobrem Deus specie illa et pulcritudine captus, ex omnibus *hanc unam* sibi matrem elegit, et sanguine eius formatus in pristinum statum dilapsam dissolutamque figmenti sui formam restituit. » De qua praeteriri nullatenus debent quae Rupertus tuitiensis [2]) Canticum enarrans his verbis complectitur: « De calceamentis hic agitur non corporis sed spiritus, in quo discalceatum esse vel discalceatam, summa est ignobilitas et plusquam servilis egestas. Idcirco *ancillae* calcaneum serpens momordit. Tu autem, *o filia principis*, bene calceata, caput serpentis contrivisti. » Duplex itaque, idemque non leve sed maximum omnino discrimen Evam inter ac Deiparam exsistit: illa enim peccando effecta est *ancilla*, et ingenuam filiae libertatem amisit, haec peccati semper exsors, *filia principis* est et salutatur: illa morsu serpentis laesa fuit, sed haec *bene calceata* et praeservante gratia munita *caput serpentis contrivit*.

1343. Ad nobilissimum autem illorum coetum qui *alterum* edixerunt, quique Virginem *ab ipsa nativitate, ab ipsis primordiis, ipsoque conceptu* Dei amicam, filiam, sponsamque celebrarunt, unanimes accedunt [a]) Anatolius inquiens: « Quis sonus auditur exsultantium? Ioachim et Anna mystice panegyrim agitant, et nobiscum, dicunt, Adamus atque Eva hodie gratulamini: nobis enim datus est splendidissimus fructus *Dei filia* Maria, quae paradisum antiqua transgressione clausum omnibus aperiat. » Stephanus hagiopolita cuius haec [b]) sunt verba: « Hodie sterilis Anna edit *Dei filiam* ex omnibus generationibus praeelectam in habitaculum omnium regis, creatoris, Christi Dei; per quam mortales reformati sumus, et ex corruptione ad sempiternam vitam renovati. » Theodotus ancyranus qui Virginem cum Eva conferens [2]) scribit; « Pro ea quae

a) Men. die VIII. Septembris pag. 57. col. 1. C. Τίς ὁ ἦχος τῶν ἑορταζόντων γίνεται; Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα πανηγυρίζει μυστικῶς, συγχάρητέ μοι λέγοντες, Ἀδὰμ καὶ Εὔα, σήμερον· ὅτι τοῖς πάλαι παραβάσει κλεισασι παράδεισον, καρπὸς εὐκλεέστατος ἡμῖν ἐδόθη ἡ Θεόπαις Μαρία ἀνοίγουσα τοῦτοις πᾶσι τὴν εἴσοδον.

b) Ibid. pag. 56. col. 1. A. Σήμερον ἡ στεῖρα Ἄννα τίκτει Θεόπαιδα, τὴν ἐκ πασῶν τῶν γενεῶν προεκλεχθεῖσαν εἰς κατοίκησιν τῷ παμβασιλεῖ καὶ κτίστῃ Χριστῷ τῷ θεῷ· δι' ἧς ἀνεπλάσθημεν οἱ γηγενεῖς, καὶ ἀνεκαινίσθημεν ἐκ τῆς φθορᾶς πρὸς ζωὴν τὴν ἄληκτον.

1) Et quomodo inesset, quum ea dicatur p. 359. ἡ μόνη κεχαριτωμένη, *sola plena gratia?*

2) In Cant. lib. VI. cap. VII.

3) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. B-D. apud Gallandium T. IX.

Digitized by Google

ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, *Deo gratissima* ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligitur, *quae necdum nata auctori Deo consecrata sit,* animo divina sapiens, *Deo corde nupta,* tota pulcra. » Nicetas paphlago, cui [a]) satis non est de Virgine quum in lucem primum ederetur scribere, *hodie veluti luna plena ex materno prodit thalamo;* sed insuper [b]) addit: « Quod futurum erat, ut nedum Dei mater audiret, sed et *filia* secundum spiritum adoptionis filiorum; idcirco etiam *conceptio statim nova,* eiusque in vitam ingressus mira extra usum ratione, quo videlicet ex minoribus ad maiorum fidem viam illi complanaret. » Et Petrus chrysologus qui de annuntiata ab angelo Deipara [1]) ait: « Pervolat *ad sponsam* festinus interpres, ut *a Dei sponsa* humanae desponsationis arceat et suspendat affectum, neque auferat ab Ioseph Virginem, sed *reddat* Christo, *cui est in utero pignorata cum fieret.* Christus ergo *suam sponsam recipit,* non praeripit alienam: nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in uno corpore creaturam. » Quibus haec apprime [2]) respondent: « Concepit Virgo, Virgo peperit: non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quidquid est humani pudoris excusat. Aut quae ibi verecundiae laesio, *ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium?* »

1344. Quare integrum nobis est sic tandem absolvere. Fieri nullatenus potest ut in unum coeant hinc *origines hereditaria labe corruptae,* inde *triplex eademque perpetua cum Deo synthesis amicitiae, connubii et adoptivae filiationis.* Atqui praeclara traditione maiorum edocemur, Deiparam triplici eademque perpetua synthesi amicitiae, connubii et adoptivae filiationis fuisse cum Deo copulatam. Eadem igitur traditione maiorum sicuti quodvis ab ipsa originale contagium arcetur, ita ipsius primordia integra et immaculata celebrantur.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 440. D. apud Combefisium Auctar. T. III. Σήμερον οἵα σελήνη πλησιφαὴς τῶν θαλάμων ἐξανατέλλει τῶν μητρικῶν.

b) Ibid. pag. 438. A-B. Ἐπειδὴ οὖν ἤμελλεν, οὐ μήτηρ μόνον χρηματίσειν θεοῦ, ἀλλὰ καὶ θυγάτηρ κατὰ πνεῦμα υἱοθεσίας· διὰ τοῦτο καὶ ἡ σύλληψις εὐθὺς ἔσται, καὶ ἡ πρὸς τὸν βίον αὐτῆς εἴσοδος καινοπρεπής· διὰ τῶν ἡττόνων πρὸς τὴν τῶν μειζόνων αὐτὴν ὁδοποιοῦσα πίστιν.

1) Serm. CXL. de Virginis annunt. pag. 260. col. 2. B-C.

2) Serm. CXLVIII. de incarnat. Sacramento pag. 311. A.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Duplex habitus quo secundus et caelestis Adam ad priorem terrenumque refertur: utriusque ratio explanatur, tum secundus Adam ac beatissima eiusdem genitrix mutuo componuntur: insigniora parallelismi capita memorantur, et praeclara maiorum traditione asseruntur: ex omnium summa colligitur, simillimum esse respectum quo secundus Adam eiusque genitrix cum priore Adamo cohaerent: splendidissima demonstratio immaculati conceptus, quae ex his intime pendet suaque sponte dimanat.

1345. Dum simul contendo quae Lucas quaeque Paulus *de primo deque secundo Adamo* litteris consignarunt, animum illico subit *duplex relatio* qua mutuo ipsi cohaerent, sibique mirifico quodam modo respondent. Et priorem quidem relationem, illamque *naturae ambitu* circumscriptam sistit spectandamque Lucas proponit, quum genealogiam texens Unigeniti [a]) *secundum carnem*, multiplices illius gradus ac prope catenae annulos concludit [b]) inquiens: « Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, ... *qui fuit Adam.* » Quibus verbis luculentius nihil esse in votis potest, quo *naturae et propagationis vinculum* inter utrumque [1]) Adamum comprobetur. Hanc autem naturae relationem altera excipit, eaque nobiliori contenta ordine, et ab Apostolo praeclarissima oratione expressa ubi [c])

a) Rom. I. 3. κατὰ σάρκα, qua formula Paulus alteram illamque divinam Christi naturam adsignificat.

b) Luc. III. 23-38. Καὶ αὐτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος· ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλὶ, . . . τοῦ Ἀδάμ.

c) Rom. V. 15-19. Ἀλλ' οὐχ [2]) ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα· εἰ γὰρ

1) De qua loquendi ratione ex Paulo desumpta legi debent quae traduntur Rom. V. 14. coll. 1. Cor. XV. 47.

2) Quorum haec mihi videtur opportuna paraphrasis. « Verum non sicuti se habet damnum quod humano generi intulit Adamus, ita se quoque habet divinae gratiae donum quod homines per Christum consequuntur. Nullatenus par est utriusque ratio. Etenim si per unius illius hominis lapsum tota hominum multitudo morti succubuit, et culpa illius in omnium detrimentum cessit; multo sane uberius Dei amor indeque profectum gratiae beneficium in omnes homines dimanavit per gratiam unius hominis Iesu Christi: neque eadem mensura nocuit Adamus qua profuit Christus, verum multo hic magis profuit quam ille nocuerit: causa enim condemnationis nostrae fuit unius peccati reatus, gratuitum vero illud donum par est ad iustificationem impertiendam ex multis peccatis. Non est omnino par ratio doni et delicti. Si enim unius illius hominis lapsu mors per illum unum regnavit, illi contra qui in dies participant abundantiam divini amoris atque ex eo profectum iustitiae donum, hi multo magis, destructa morte, vita potiti regnabunt per unum illum Iesum Christum. Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortiferam, ita quoque unum

Digitized by Google

ait: « Sed non sicut delictum ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. »

1346. Quare instituta utriusque Adami comparatio demonstrat, *duplici* illam *relatione* potissimum contineri, altera *naturalis similitudinis*, qua secundus Adam consors est humanae naturae a primo acceptae, et propter quam factus dicitur [1]) particeps carnis et sanguinis, in omnibus assimilatus [2]) fratribus, hominis [3]) filius, et missus [4]) in similitudine carnis peccati. Succedit altera *supernaturalis similitudinis*, quam Paulus compendio innuit de Adamo praevaricante scribens, *qui est forma* [5]) *futuri*. Quae ut paullo explanetur articulatius, iuverit animadvertisse, esse illam quidem *similitudinis rationem*, sed I. prae ordine ethico et supernaturali vitae et mortis, iustitiae et iniquitatis, obedientiae et transgressionis. Sed II. prae ordine opposito, quemadmodum vita opponitur morti, iustitia iniquitati et obedientia transgressioni. Sed III. non citra excessum, quo secundus Adam illatis per priorem damnis consuluit. Etenim [6]) *non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto* [7]) *multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in* τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε. Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα, τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα· τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες, ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα· οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς.

recte factum hominibus omnibus cessit in iustificationem, quae ad assequendam aeternam vitam perducat. »

1) Hebr. II. 14.
2) Hebr. II. 17.
3) Matth. VIII. 12., IX. 6. etc.
4) Rom. VIII. 3.
5) Rom. V. 14.
6) Rom. V. 15.
7) Ibidem.

Digitized by Google

gratia unius hominis Iesu Christi [1]) *in plures abundavit*. Sed tandem IV. eiusmodi, qua factum sit ut secundus Adam [2]) innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus quin ullo delicti commercio cum priore coniungeretur, illius contra [3]) peccatum tolleret, et [4]) factus obediens usque ad mortem subversum iustitiae sanctitatisque ordinem restitueret.

1347. Iamvero penitissima cum secundo Adamo Virginis copulatio ex sese eo pertinet, ut eiusdem cum priore consortium formam speciemque praeferat illi simillimam, quo utrumque Adamum mutuo cohaerere profitemur. Non est cur pluribus in praesentia disseram de huius copulationis origine, quam plus semel explanavi, quamque Matthaeus reserat inquiens: « Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*. » Divina scilicet maternitas illius nexus caussa est atque origo, quo θεοτόκος et ἀειπάρθενος arctissime devinciuntur. Neque pariter est cur singula persequar, sive quibus haec certissima societas constat, sive quae ex hac ipsa societate dimanant. Etenim praeter quam quod innumera sint, plura iam vel obiter attigimus, vel iusta tractatione explanavimus. Quare tacitus praeteribo quae habet [5]) Theodotus ancyranus inquiens: « *Sanctum* [6]) enim quod *ex sancta* natum est, sanctum ac omnium Dominus sanctorum, sanctum et cuius est ut sanctitatem impertiat, *eximium* quod *ex eximia* nascitur, *inexplicabile* quod *ex inexplicabili* prodit, *Filius* [7]) *Altissimi* qui *ex altissima* oritur. » Tacitus praeteribo quae [8]) in hymnologia utriusque ecclesiae graecae et latinae frequentata Virginem ceu *Dominam* et *Reginam* cum Christo *Domino* et *Rege* coniungunt. Quo et haec spectant [9]) ex veteri quadragesimali Officio: « *Dominatrix omnium creaturarum Domina*, ut quae *Dominum* peperisti, eripe me e fraudulenti et unici hostis servitute. » Atque haec item quibus [9]) Venantius Fortunatus Deiparae gloriam ac triumphum celebrat:

a) Offic. quadrag. Fer. IV. hebd. I. ieiun. Ode γ'. pag. 112. et Fer. II. hebd. II. p. 165. Δεσπόζουσα ἁπάντων τῶν ποιημάτων δέσποινα, ὡς τὸν δεσπότην τέξασα, τῆς δουλείας με ἐλευθέρωσον τοῦ ὀλέθρου καὶ μόνου πολυμήτορος.

1) Rom. V. 15.
2) I. Cor. XV. 45., Hebr. VII. 26.
3) Ioh. I. 29.
4) Philipp. II. 8.
5) Orat. in Christi nativit. §. XII. pag. 476. C. apud Galiandium T. IX.
6) Luc. I. 35.
7) Luc. I. 32.
8) Videsis nn. 1164. seqq.
9) Opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. pag. 265., qui-

» Conderis in solio felix *regina* superbo,
Cingeris et niveis lactea Virgo choris.
» Nobile nobilior circumsistente senatu,
Consulibus celsis celsior ipsa sedes.
» Sic iuxta *genitum regem regina* perennem,
Ornata ex partu, mater opima, tuo.

Neque iis diutius immorabor, quibus Θεοτόκος et Θιάνθρωπος mutuo componuntur, sive [1]) uti *lilium* et *rosa* his verbis:

» Orto Dei filio — » Ut *rosa de lilio*
» Virgine de pura — » Stupescit natura.

Sive [2]) *flos et virgula* cum *virgula* et *flore* ubi dicitur:

» Dies est laetitiae,
» Nam processit hodie
» Christus rex de Virgine
» Sine viro:
» *Virgula de flore*,
» *De virgula flos*
» Modo miro.

1348. Haec aliaque sponte omittam, iisque memet cognationis societatisque nexibus continebo, qui sin minus singuli seorsum, omnes saltem coniunctim certissime ostendant luculenterque persuadeant: I. Virginem habitu illi simillimo ad priorem Adamum referri, quo cum eo secundus Adam cohaeret, adeo ut sicuti per Evam ex Adamo pernicies omnis profecta est, ita ex Christo per Mariam salus omnis atque vita dimanarint. Deinde vero II. fieri nullatenus potuisse, ut Virgo participatione praevaricationis et culpae cum principio humani generis consereretur. Ne autem copia rerum confusionem gignat, claritatemque perturbet, in id sedulus incumbam ut propriis distinctisque articulis eos complectar qui ad rem faciunt similitudinis societatisque habitus, quibus Mater cum Filio et Θεοτόκος cum Θιανθρώπῳ devincitur.

bus similia adde ex Anselmo pagg. 303. col. 1., 304. col. 2., et 306. col. 3., itemque ex thesaur. hymnolog. T. I. pagg. 277-338. et T. II. pag. 165.

»Veni praecelsa *domina* — »Aegras mentes illumina.
»Maria, tu nos visita, — »Per sacras vitae numina.
»Veni *regina* gentium, — »Rege quodcumque devium,
»Dele flammas reatuum, — »Da vitam innocentium,

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 331.
2) Apud Mone latein. Hymnen T. II. pag. 65.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Sex enumerantur Christi τοῦ θεανθρώπου dotes, quibus ipse est creditusque Unigenitus, ille in quo sibi Pater complacet, locuples divinitatis plenitudine, gratia et veritate plenus, Oriens atque caelis excelsior ac sublimior: aperitur Virginis τῆς θεοτόκου consortium, atque ex eo pendens immaculati conceptus praerogativa illustratur.

1349. Quum infinita sint ornamenta Christi θεανθρώπου, nulli secundum censeri illud debet quo is est ac celebratur [a]) *unigenitus filius*, *unigenitus* [b]) *filius Dei* et [c]) *unigenitus a Patre*. Cum hoc alterum consentit ea summi Patris voce significatum qua [d]) dixit: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. At vero tanta est Virginis cum Christo societas, et eo usque intimus consortii habitus, ut suffragatione maiorum ipsi etiam, ea qua fieri ratione potest, utrumque decus tribuatur. Et *unigenitae* quidem decus tribuitur, sive quum verbis significandi potestate aequipollentibus [1]) nuncupatur *una atque sola filia Dei*, sive quum diserte ac ἰσοτίμως *unigenita* dicitur non modo [2]) ab Isidoro thessalonicensi et [3]) a Georgio nicomediensi, verum etiam ab Iohanne damasceno, qui [e]) de assumpto Deiparae corpore ait: «Christus autem, utpote *unigenitae* filius in iucundissimos caelos recepit cimelium maternae virginitatis, thesaurum thesaurorum omnium pretiosissimum.» Sed alterum quoque

a) Ioh. I. 18. Ὁ μονογενὴς υἱός.

b) Ioh. III. 16-18. coll. I. Ioh. IV. 9. Ὁ μονογενὴς υἱὸς θεοῦ.

c) Ioh. I. 19. Ὁ μονογενὴς παρὰ πατρός.

d) Matth. III. 17. coll. XIII. 8. Luc. IX. 35. XX. 13. Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

e) Apud Nicodemum in heortodrom. pag. 661. Ὁ Χριστὸς δὲ ὑπεδέχθη ἀσμενέστατα εἰς τὰ οὐράνια, ὡς υἱὸς τῆς μονογενῆς, τὸ τῆς παρθενίας τῆς μητρὸς τὸ κειμήλιον, τὸν θησαυρὸν τὸν τιμιώτατον πάντων τῶν θησαυρῶν.

1) Videsis nn. 1349. seqq. Huc autem et ea pertinent quibus Virgo *antonomastice* dicitur *filia*, cuiusmodi plura occurrunt apud Mone in hymnis lat. medii aevi pagg. 33-75-77-81-85-91. T. II. Speciminis gratia habeantur quae subdo ex pag. 95.

» Regina nobilis, *filia* filii,
» Rosae consimilis et flori lilii,
» Refove flebilem laete consilii
» Rogitem per vias huius exilii.
» Iesse tu congrue vocata virgula,
» Immarcescibilis et sine macula,
» Iesum dans floridum, qui regit secula,
» Ipsi tu suggerus ut laxet vincula.

2) Orat. in Deiparae nativit. p. 18. edit. Maraccii.

3) Orat. II. in concept. s. Annae pag. 1038. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I.

Digitized by Google

decus eidem tribui, praeclare testantur quae toties a maioribus accepimus, unam ex omnibus generationibus exstitisse Virginem quae insita venustate Dei amorem pellexerit et in qua sibi Deus suavissime complacuerit: tum quae unanimes scribunt [1]) Georgius nicomediensis et Iacobus monachus qui commemoratis Deiparae ornamentis [a]) pergit: «Haec rex concupiscit. Delectatur innocentiae pulcritudine, illibatae namque puritatis amator est. *Unam* quippe *illam universis impensius* amat, utpote illius apice et fastigio praeditam.» Consentiunt hinc [2]) Bernardus et [3]) vulgatus Maximus taurinensis, inde [4]) Iohannes damascenus et Tarasius constantinopolitanus qui Virginem compellans [b]) ait: «Ave *Patris beneplacitum*, per quam ad ultimos terrae fines Dei cognitio manavit: ave Filii domicilium, de qua ille carne indutus prodivit: ave sancti Spiritus habitaculum ineffabile.»

1350. Utramque dotem excipiunt tertia et quarta, e quibus illam effert [c]) Apostolus de Christo θεανθρώπῳ scribens: «Quia in ipso inhabitat *omnis plenitudo divinitatis* corporaliter.» Hanc vero [d]) Iohannes proponit, a quo Verbum caro factum dicitur *plenum gratiae et veritatis*. Neutra autem ex his est, quam in Deiparam suffragio maiorum collatam non reperiamus. Missis enim iis quae a nobis iam adducta meminimus, priorem in Deiparam collatam reperimus penes Matthaeum cantacuzenum, qui [e]) in commentario ad verba Cantici, *et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*, sic [f]) ha-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1270. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἐπιτρέπει ταῦτα ὁ βασιλεύς· ἐπιτρέπεται ταῖς τῆς ἁγνείας ὡραιότησιν· ἐραστὴς γὰρ τῆς ἀθηγοῦς καθέστηκεν καθαρότητος ὡραιότητος· καὶ γὰρ ταύτης μᾶλλον ἐρᾷ μόνης, ὡς τῷ ἀκροτάτῳ ἐκείνης κεκοσμημένης.

b) Orat. in Deiparae praesentat. Χαῖρε τοῦ πατρὸς ἡ εὐδοκία, δι' ἧς τὰ πέρατα ἐγνάσθη θεογνωσία· χαῖρε τοῦ υἱοῦ ἡ κατοίκησις, ἐν ᾗ ὁ σαρκοφόρος προελήλυθε· χαῖρε τοῦ ἁγίου πνεύματος κατοικητήριον ἄῤῥητον.

c) Coloss. I. 19. coll. II. 9. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

d) Ioh. I. 14. Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

e) Cant. IV. 10. Καὶ ὀσμὴ ἱματιῶν σου ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα.

f) Comm. in h. l. pag. 32. D. Ἤγουν, ἡ ἐνοικήσασά σοι τοῦ παναγίου πνεύματος χάρις, ὑπὲρ πᾶσαν οὖσα τυγχάνει πνευματικὴν εὐσέβειαν· οὐδὲ γὰρ οὕτως ἐν αὐτῇ τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ἐνοικῆσαι εὐδόκησεν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἑτέροις ἐνοικεῖ, ὡς ἔχει τό· ἐνοικήσω

1) Orat. VI. in Deiparae praesentat. pag. 1131. C. apud Combefisium Auctar. T. I.

2) Super *Missus est*, hom. I.

3) In app. ad opp. Maximi serm. XI. pag. 44. C-D. et serm. XXII. pag. 46. B-C.

4) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. p. 847. C-E.

Digitized by Google

bet: «Idest gratia sanctissimi Spiritus quae habitat in te, omnem exsuperat spirantem fragrantiam. Non enim sic in ipsa *plenitudo divinitatis* habitare voluit quemadmodum in ceteris aliis inhabitat, sicut [1]) scriptum est, *habitabo in eis et inambulabo;* sed supra omnem cogitationem, sancta ex ea assumpta carne, in unam unitus personam Virginis Deique filius.» Itemque [2]) penes veterem in Alcuini homiliario auctorem, qui Iosephum his verbis alloquitur: «Accipe ergo eam sicut commendatum caelestem thesaurum, *ut deitatis divitias*, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut regis sponsi caelestis domum immaculatam.» De posteriore vero insignissima sunt, quae [3]) enarrantes appositum κιχαριτωμένη in medium prompsimus, quaeque tradunt [4]) Andreas cretensis et [5]) vulgatus Augustinus inquiens: «Talem [6]) hanc evangelista monstravit, talem angelus caelorum maior reperit, talem Spiritus sanctus, Pater et Filius elegit et praeelegit ante mundi constitutionem, ut mater Dei aeterni, *plena omni gratia et veritate* esset, ut nemo sit qui se abscondat a calore sanctitatis et misericordiae eius.»

1351. Quinta consequitur dos eaque non minus splendida, et a Zacharia tum [a]) expressa quum cecinit: «Qui visitavit nos *Oriens* ex alto.» Nemo enim diffiteri potest, ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, *Orientem ex alto* Christum [7]) vocari, qui in has terras de caelo [8]) venit eximio Dei beneficio hominibus concessus. Sed ut ea seponam quae habet [9]) Pseudo-Gregorius neocaesariensis, et ne quid de iis dicam quae

ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω· ἀλλ' ὑπὲρ πάντα νοῦν, καθ' ὑπόστασιν ἑνώθη, τῇ ἐξ αὐτῆς προσληφθείσῃ ἁγίᾳ σαρκὶ, τοῦ ταύτης υἱοῦ καὶ θεοῦ.

a) Luc. I. 78. Ἐν οἷς ἐπισκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

1) I. Cor. VI. 16.

2) Homiliar. Alcuin. hom. in vigilia nativit. Domini pag. 51. col. 2. A-B.

3) Cf. nn. 1072. seqq.

4) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 105. C. apud Galiandium T. XIII.

5) Serm. CXCIV. de assumpt. Virginis n. 3. pag. 453. apud Mai in nov. pp. bibioth. T. I.

6) Ideat *in qua nihil nisi sanctum et iustum* inveniri *potuerit.*

7) Quamquam Christus videri queat dictus ἀνατολὴ *Oriens*, quod non infrequenter cum φῶς τοῦ κόσμου *lumen mundi* repraesentetur; nihil tamen impedit quominus eodem sensu ipsum vocatum ἀνατολὴν censeamus, quo Ierem. XXIII. 5. dicitur, ἀναστήσω τῷ Δαβὶδ ἀνατολὴν δικαίαν, צֶמַח צַדִּיק *suscitabo Davidi germen iustum*, et quo צֶמַח *germen* ab Alexandrinis crebro vertitur ἀνατολή ab ἀνατέλλειν *progerminare*, unde ἀνατολή *de surculo ex radice arboris propullulante*, atque hinc *de prole* usurpatur.

8) Ioh. III. 31.

9) Orat. 1. in Deiparae annuntiat. pag. 12. D. ubi Virgo audit τοῦ νοητοῦ ἡλίου ἀνατολή, *intelligibilis solis Oriens.*

Digitized by Google

Graeci [1]) in Paracletice frequentant; Iosephus hymnographus [a]) ita canit: « *Oriens* solis qui ante Luciferum coruscavit, facta es, o immaculata, per quem illi qui in tenebris malorum versabantur, lucem viderunt. » Et [b]) rursum: « *Oriens* facta es solis iustitiae, o summe immaculata, quem pro illorum salute deprecare qui te sincere glorificant. » Dos igitur *Orientis* nomine designata, eo incolumi discrimine quod custodiri semper debet, Christo Θεανθρώπῳ et Virgini Θεοτόκῳ communis est.

1352. Cui pariter commune est alterum decus, quo Christus Θεάνθρωπος in hymno angelico [2]) dicitur *solus altissimus*, et a Paulo [c]) *excelsior caelis factus* praedicatur. Is namque est [d]) Theodotus ancyranus qui scribit: « Filius [4]) Altissimi qui *ex altissima* oritur. » Is est [d]) Georgius nicomediensis qui Virgini tribuit, *quod supremum gloriae apicem, uno creatore excepto, sortita sit*. Is est [e]) Germanus qui Virginem alloquens ait: « Tu enim *sola* Dei genitrix *altissima* super omnem terram. » Is est [f]) Iohannes damascenus qui exclamat: « O quomodo eam suscepit caelum, *quae caelos amplitudine superavit!* » Is est [g]) Tarasius qui Gabrielem imitatus inquit: « Ave sanctior Cherubim, ave gloriosior Seraphim, ave *caelo latior*, ave sole splendidior, ave luna micantior. » Atque is est [h])

a) Men. die V. Iunii Ode ε'. pag. 21. col. 1. A. Ἀνατολὴ ἡλίου πρὸ ἑωσφόρου ἐκλάμψαντος γέγονας, δι' οὗ φῶς οἱ ἐν σκότει, ἄχραντε, θεῶν ἐθεάσαντο.

b) Men. die XXVII. Septembris Ode ε'. pag. 173. col. 2. A. Ἀνατολὴ ἐδύσθης δικαιοσύνης ἡλίου, πανάμωμε· ὃν ἱκέτευε σῶσαι τοὺς εἰλικρινῶς σε δοξάζοντας.

c) Hebr. VII. 26. Καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γινόμενος.

d) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1087. A. apud Combefis. Auctar. T. I. Τὸ ἀνώτατον, πλὴν τοῦ δημιουργοῦ, τῆς δόξης ἀπέλαβεν.

e) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1419. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Σὺ γὰρ μόνη Θεοτόκος, ὑψηλοτάτη ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.

f) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XIII. pag. 867. A. Ὢ πῶς οὐρανὸς ὑπεδέξατο τὴν πλατυτέραν οὐρανῶν χρηματίσασαν;

g) Orat. in Deiparae praesent. Χαῖρε τῶν Χερουβὶμ ἁγιωτέρα· χαῖρε τῶν Σεραφὶμ ἐνδοξοτέρα· χαῖρε οὐρανοῦ πλατυτέρα· χαῖρε ἡλίου λαμπροτέρα· χαῖρε τῆς σελήνης φωτεινοτέρα.

h) Men. die XXII. Septembris Ode ς'. pag. 139. col. 1. C. Οὐρανὸν ὁ τανύσας βουλήματι, ἄλλον οὐρανὸν ἐπὶ γῆς σε ἀνέδειξε, θεογεννῆτορ δέσποινα, καὶ ἐκ σοῦ τοῖς ἐν σκότει ἀνέτειλεν.

1) Paraclit. pag. 820. col. 1. D. Ἀνατολὴ τοῦ ἡλίου τοῦ νοητοῦ, παρθένε, γέγονας ἐπὶ δυσμῶν τῆς καθ' ἡμᾶς γινομένου φύσεως. Oriens *solis intelligibilis tu fuisti, o Virgo, in occasu naturae nostrae.*

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pagg. 307. seqq.

3) Orat. in Christi nativit. §. XII. pag. 476. C. apud Gallandium T. IX.

4) Luc. I. 32.

Digitized by Google

Iosephus qui Virginem his elogiis prosequitur: » Qui voluntate caelum extendit, *alium caelum* in terra molitus est, te, o Domina Dei Genitrix, et ex te hominibus apparuit. *Caelum sublime* omnium regis Dei facta es, o undequaque immaculata, mundumque illius palatium et thalamus divina gratia coruscans. Tamquam *caelis latior* excepisti, o Virgo, in sinu tuo Verbum quod nulla re capi potest, et quod hominum genus ab omni angustia redemit. « Coniunctio itaque Virginis θεοτόκου cum Christo θεανθρώπῳ iis continetur capitibus quae neque esse splendidiora possunt, neque ab umbra vel tenuissimae labis remotiora. Nihil enim sive splendidius, sive a culpa remotius iis decorum titulis, quibus Christus θεάνθρωπος celebratur *Unigenitus, Patris beneplacitum, locuples plenitudine divinitatis, plenus gratia et veritate, Oriens ex alto, solus Altissimus atque excelsior caelis factus.* Atqui beatissima quoque Virgo θεοτόκος, ea ratione quae cadere in creatam naturam potest, suffragio maiorum dicitur I. *una et sola Dei filia ac plane unigenita:* dicitur II. *sola quae grata Deo fuerit, quae sibi impensiorem dilectionem conciliarit, et in qua una veluti in delicio sibi Deus placuerit:* dicitur III. *referta deitatis divitiis, cumulata sanctitate ac iustitia, et ipsa divinitatis plenitudine supra quam praecipi animo possit insignis*: dicitur IV. *plena gratia et veritate:* dicitur V. *oriens solis iustitiae, universisque Adami posteris caligine obrutis constantissime opponitur:* postremo dicitur VI. *sola altissima, et sola quae uti alterum novumque caelum condita, ipsis caelis amplior sit ac sublimior.* Parum ergo aut nihil prorsus videant necesse est, quibus neque tantae coniunctionis iubar sufficit, ut Deiparam a quavis labe solutam contemplentur. Immo parum aut nihil omnino videant necesse est, qui quum Paulum audiant de Christo θεανθρώπῳ [a]) affirmantem: » Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut [1]) in nomine Iesu *omne genu flectatur*

Die XXVII. Iunii Ode ϛ'. pag. 104. col. 2. D. Οὐρανὸς ὑψηλὸς ἐχρημάτισας τοῦ παμβασιλέως θεοῦ, παναμώμητε, καὶ καθαρὸν παλάτιον, καὶ παστὰς φωτινὴ θείᾳ χάριτι.

Die XXVI. Maii Ode ζ'. p. 102. col. 2. D. Ὡς πλατυτέρα οὖσα τῶν οὐρανῶν ἐν μήτρᾳ ἐδέξω λόγον τὸν ἀχώρητον, παρθένε, λυτρούμενον στενοχωρίας πάσης τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων.

a) Philipp. II. 9-10. Ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων.

1) Cf. Theodoriti commentarium ad h. l.

Digitized by Google

caelestium, terrestrium et infernorum; » eiusdem penitissimae coniunctionis perfusi luce, aut cultum *hyperduliae* [1]) impensum Deiparae damnent, aut non ultro haec probent quae [2]) Hildebertus cenomanensis scribit: « Nec frustra *consuevit* ecclesia intercessionem beatae Virginis *affectuosius ceteris* implorare, ita quod *audito eius nomine genua terrae affigat;* immo pro nominis reverentia, quasi mare confragosum sonent vota populorum. Prosternemur ergo singuli, prosternemur universi ad pedes beatae Virginis, quae hodie facta est splendidior astris, celsior angelis, ut eius intercessione videamus matrem cum prole, Filium et Patrem, qui est benedictus in secula. Amen. »

ARTICULUS II.

Praeclarus idemque multiplex similitudinis atque consortii habitus inter Christum hominem et Mariam genitricem: huius tam similitudinis quam consortii illustriora quaedam capita recensentur maiorumque suffragio comprobantur: quid aptum cum illis sit atque nexum, et quomodo praerogativa immaculati conceptus ex illis dependeat.

1353. Aliquot ex iis dotibus superiori articulo commemoratis, quae *ex sese* atque *infinite* Christo θεανθρώπῳ *veroque Deo* conveniunt, quasque ipse, ea qua fieri ratione poterat, sibi cum Virgine θεοτόκῳ voluit esse communes; ad alias iam gradum facimus, quae quum ad Christum *hominem* pertineant, eius cum Maria matre penitissimum societatis vinculum nova luce perfundunt. Principio itaque voces recolantur, quibus evangelica mulier admiratione stupens Christum compellavit [a]) inquiens: « Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti. » Beata nimirum extollitur Maria mater, quod Christum conceperit, conceptumque suo sinu foverit proprioque lacte paverit. Simillimum autem est laudis encomium, quod Ioachimo et Annae propterea defertur, quod ipsi Virginem genuerint genitamque nutrierint. Defertur enim ab Iacobo monacho qui [b])

a) Luc. XI. 27. *Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας.*
b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1267. B-D. apud Combefis. Auctar. T. I. *Μακάριος*

1) Videais Thomam in S. III. p. q. XXV. a. V.

2) Serm. I. in festo assumpt. pag. 526. D-E.

Digitized by Google

exclamat: « Beata domus quae spiritale tabernaculum produxit! *Ter beatum parentum decus*, qui gloriam illam quae *sola* est gloriosa, sortiti sunt! Benedictae manus, quae *universorum reginam* complexae sunt! » Defertur a Germano constantinopolitano et Iohanne damasceno, « quibus ille de Zacharia sacerdote Annam alloquente [a]) scribit: « Zacharias statim ita Annam alloquitur: benedicta radix tua, o penitus veneranda, *glorificatus uterus tuus*, viro amata. » Alter vero [b]) ait: « *O beatum Annae ventrem*, in quo tacitis incrementis ex eo auctus atque formatus fuit [1]) *foetus sanctissimus!* O uterum in quo animatum caelum caelorum amplitudine latius conceptum fuit! *O ubera* eius lactantia nutricem, a quo mundus alitur! O miraculorum miracula, et admirabilium admirabilia! » Defertur a Tarasio qui [c]) de Anna scribit: « Igitur licebat videre Annam divinitus afflatam exsultantem ac gestientem, et Virginem hisce verbis festivissime compellantem. Quis dixit, filia, te ex me prodituram, quae beata demonstrata es in generationes generationum? Quis te meas inter ulnas adspiciens lac sugentem non eum laudaverit, qui te dedit mihi fecunditatis et prolis experti? Quis intuens ubera lacte quod nondum emiserant iam redundantia non eum magnifice efferat, qui e duro silice aquae scatebras sitienti po-

ὁ οἶκος ὁ τὴν γαστὴν προσάξας σκηνήν· τρισμακάριον τὸ τῶν τεκόντων κλέος, ὡς τὴν μόνην δεδοξασμένων δόξαν· εὐλογημέναι αἱ χεῖρες, αἱ τῆς τῶν ὅλων προσψαύσασαι βασιλίδος.

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 448. B-C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. *Ὁ Ζαχαρίας εὐθὺς τῇ Ἄννῃ προσεῖπεν· εὐλογημένη ἡ ῥίζα σου, πάντιμε· δεδοξασμένη ἡ μήτρα σου, φίλανδρε.*

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842. C-D. *Ὦ μήτρα τῆς Ἄννης ἀοίδιμε, ἐν ᾗ ταῖς κατὰ μικρὸν ἐξ αὐτῆς προσθήκαις αὐξήθη, καὶ διαμορφωθὲν ἐτέχθη βρέφος πανάγιον· ὦ γαστὴρ, οὐρανὸν ἐν αὐτῇ κυοφορήσασα ἔμψυχον, τῆς οὐρανῶν εὐρυχωρίας πλατύτερον· ὦ μαστοὶ θηλάσαντες τὸν θρέψαντα τὸν τροφέα τοῦ κόσμου· ὦ θαυμάτων θαύματα, καὶ παραδόξων παράδοξα.*

c) Orat. in Deiparae praesentat. *Ἦν ἰδεῖν τὴν θεόφορα Ἄνναν ἀγαλλιωμένην καὶ σκιρτῶσαν, καὶ χαιρέντας πρὸς τὴν παρθένον λέγουσαν· τίς ἔλεγεν ἐξ ἐμοῦ σὲ, θύγατερ, προελθεῖν τὴν ἐν γενεαῖς γενεῶν μακαρίαν ἀποδειχθεῖσαν; τίς ἐν τοῖς κόλποις μου θεωρῶν σε γαλουχουμένην μὴ δοξάσει τὸν σέ μοι χαρισάμενον τῇ στείρᾳ καὶ ἀτέκνῳ; τίς τοὺς μαστοὺς τοὺς μήπω γάλα βλύσαντας, ὁρῶν ἤδη πηγάζοντας, μὴ μεγαλύνει τὸν ἐξ ἀκροτόμου πέτρας βλύσαντα τὰ ὕδατα τῷ διψῶντι λαῷ; μακαρία εἰμὶ, ὅτι τοιαύτης θυγατρὸς μήτηρ ἀπηγόρευμαι.*

1) Haec sicuti in mentem revocant Gabrielis verba ad Mariam Luc. I. 35. *διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ*, *ideoque et quod nascetur ex te* sanctum, *vocabitur filius Dei*; ita conceptum Virginis sanctum purumque demonstrant.

Digitized by Google

puli elicuit? *Ego vero beata sum, quae talis filiae mater praedicabor.* » Atque in hymnis ex aequo defertur Graecorum et Latinorum, quorum illi [a]) canunt: « *Benedictus venter* [1]) *tuus*, o sapiens Anna, fructum namque edidit virginitatis, quae sine semine peperit creaturae altorem et redemptorem Iesum. » Latini autem [2]) sic habent:

» Ave Mariae mater serena,
» Anna beata, gratia plena:
» Benedicta tu in mulieribus,
» Quae peperisti pacem hominibus
» Et angelis gloriam.
» Et benedictus fructus ventris tui
» Maria virgo, mater alma Dei
» Electa per gratiam.

1354. Haec altero ferme gradu illa excipiunt quibus non modo [3]) Christus audit ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *primitiae dormientium*; verum etiam [4]) absolute simpliciterque ἡ ἀπαρχή, *primitiae*, idest, primus [5]), omnibus praecellens ac omnino praestantissimus. A quibus seiungi ea non debent, quibus nunc [6]) celebratur πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, *primogenitus in multis fratribus*, et [7]) nunc πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis creaturae*, super omnem videlicet [8]) creaturam evectus, atque omni creatura potior ac sublimior. Quem-

a) Men. die VIII. Septembris Ode γ'. pag. 59. col. 1. D-E. Εὐλογημένη ἡ κοιλία σου, σώφρων Ἄννα, καρπὸς γὰρ ἔνθησι παρθενίας, τὸν ἀσπόρως τὸν τροφέα τῆς κτίσεως τεκοῦσαν καὶ λυτρωτὴν Ἰησοῦν.

1) Non similia modo verum etiam luculentiora πρώτων τῇ τάξει, ἀλλὰ καὶ τὸ πρῶτον τῇ τιμῇ, ὅθεν καὶ ἀπαρχὴς κεφαλῶν προσῆγον οἱ παλαιοὶ καὶ ἀπόμαζον, τὸ χρίσιμον ἐκλεγόμενοι. Hinc penes interpretes alexandrinos ἀπαρχὴ idem plus semel notat ac רֵאשִׁית *caput et quod suo in genere summum est ac eximium*, vel חֵלֶב proprie *adeps*; et metaphorice, quod est *optimum*.

6) Rom. VIII. 29.

7) Coloss. I. 15. Ubi post Isidorum pelusiotam, D. Michaelis opinatur, legi oportere non πρωτότοκον sed πρωτογόνον, *primum genitorem*.

8) Sicut enim Hebraeis saepe גָּבוֹר valet *quod praecellens est ac summum*; ita eadem significatione alexandrini interpretes, novique foederis auctores usurpant πρωτότοκον.

habentur die IX. pag. 66. col. 2. E. et die XXV. Iulii pag. 123. col. 1. B-C. ubi legimus: Μακαρία ἡ μήτρα σου Ἄννα, ὅτι τὸν μητέρα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐβλάστησας, μακάριοι οἱ μαστοί, οἷς ἐθήλασας τὸν γαλακτοτροφήσαντα τὸν τρέφοντα πᾶσαν πνοήν. *Beatus venter tuus, o Anna, quod matrem vitae nostrae protuleris. Beata ubera, quibus eam lactasti quae lacte suo pavit eorum omnium qui spirant alterem.*

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 240.

3) I. Cor. XV. 20. coll. Coloss. I. 18. ubi dicitur πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis*, qua periphrasi denuo significatur Apoc. I. 5.

4) I. Cor. XV. 23.

5) Alberti gloss. N. T. pag. 135. ἀπαρχή· πρῶτος. Hesychius, ἀπαρχή Χριστός· πρῶτος Χριστός. Schol. Eurip. in Orest. v. 96. ἀπαρχή ἐλέγετο οὐ μόνον τὸ

Digitized by Google

admodum vero a maioribus saepissime [1]) accepimus, Virginem esse *creaturarum omnium sublimissimam, illisque omnibus supra quam dici cogitarique possit praecellere;* ita [a]) Iohannes damascenus penitiorem proferens caussam propter quam Virgo ex infecunda atque sterili genitrice orta sit, inquit: « Natura enim gratiae cedit, statque tremula, pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat ut Dei genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura [2]) gratiae germen antevertere ausa non est, sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet. Nasci siquidem *primogenitam* oportebat, ex qua nasciturus esset omnis creaturae *primogenitus*, in quo omnia constant. » Porro non minus *primitiarum* appellatione quam *primogenitae* titulo Mariam matrem cum Christo homine iungunt et copulant idem Iohannes damascenus de ipsa alibi [b]) scribens: « Quin Abrahami tabernaculum te manifestissime significavit. Deo quippe Verbo in utero tuo veluti in tabernaculo degenti, humana natura subcinericium panem *sui primitias* [3]) ex purissimo sanguine tuo obtulit. » Origenes cuius haec sunt [c]) verba: « Existimo rationi consentaneum esse, virorum quidem puritatis quae innocentia continetur, *primitias* fuisse *Iesum;* mulierum autem *Mariam.* » Tum Basilius seleuciensis et Georgius nicomediensis, quorum ille de Christo homine [d]) ait: « Quum generis nostri primitiae per peccatum

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842. B-D. Ἡ γὰρ φύσις ἥττηται τῇ χάριτι, καὶ ἔστηκεν ἐπότρομος, προβαίνειν μὴ φέρουσα· ἐπεὶ οὖν ἔμελλεν ἡ Θεοτόκος παρθένος ἐκ τῆς Ἄννης τίκτεσθαι, οὐκ ἐτόλμησεν ἡ φύσις προλαβεῖν τὸ τῆς χάριτος βλάστημα, ἀλλ' ἔμεινεν ἄκαρπος, ἕως ἡ χάρις τὸν καρπὸν ἐβλάστησεν· ἔδει γὰρ πρωτότοκον τεχθῆναι, τὴν τεξαμένην τὸν πρωτότοκον πάσης τῆς κτίσεως, ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκεν.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VIII. pag. 864. A-B. Ἡ δὲ σκηνὴ Ἀβραάμ σε προδήλοῖ σαφέστατα· τῷ γὰρ θεῷ λόγῳ ἐν τῇ γαστρί σου σκηνώσαντι ἀνθρωπεία φύσις τὸν ἐγκρυφίαν ἄρτον, τῆς ἑαυτῆς ἀπαρχὴν ἐκ τῶν σῶν παναχράντων αἱμάτων προσήγαγεν.

c) In Matth. Tom. X. n. 17. pag. 463. opp. T. III. Οἶμαι λόγον ἔχειν, ἀνδρῶν μὲν καθαρότητος τῆς ἐν ἁγνείᾳ ἀπαρχὴν γεγονέναι τὸν Ἰησοῦν· γυναικῶν δὲ τὴν Μαριάμ.

d) Orat. in Deiparam pag. 578. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τῆς τοῦ γένους ἡμῶν ἀπαρχῆς δι' ἁμαρτίαν καταχριθείσης, δευτέρας ἐχρῄζομεν ἀπαρχῆς ἀναμαρτήτου,

1) Cf. nn. 342. seqq.

2) Quamquam de hoc testimonio sim alibi plenius dicturus, facere tamen non possum quin animadvertam, Mariam vocari τὸ τῆς χάριτος βλάστημα, *gratiae germen*: qua formula nihil omnino desiderari potest illustrius *ad naturae peccatum, naturalemque corruptionem* profligandam.

3) Ubi nonnisi *mediate* titulus *primitiarum* humanae naturae Virgini adscribitur, quemadmodum et illi *mediate* neque dissimilibus omnino verbis adscribitur in commentatione liturgica Theodori andidensis n. 6. pagg. 552-554. apud Mai in nov. pp. bibioth. T. VI.

Digitized by Google

fuissent condemnatae, *primitias alias innoxias et quae iustitiam omnem implerent*, necessarias habebamus, per quas totum corpus capiti coaptatum commissumque hominibus iterum redderetur.» Posterior vero Mariae specie vehementissime perculsus [a]) exclamat: « O vas quod gratia plenum apparuisti! O terrenam naturam suas ipsas rationes supergressam! O *quales* suarum frugum *primitias* natura humana obtulit creatori!» Et [b]) rursum: « Tu itaque mediatrix accedens illi nos reconcilias, tamquam eius imitatione benignior exsistens. Idcirco te nostri *primitias* generis assumpsit.» Ac [c]) postremo: « Per duo maxima haec gratiam efflagitamus, per assumptam ex te carnem, perque te quae ex nobis *primitiarum* loco oblata ipsi fuisti.»

1355. Dum in eo est Gregorius nazianzenus ut aliquo pacto oculis veluti subiiciat qui fieri tandem possit ut bona in Christum caput nostrum, nostrasque primitias congesta, eadem in nos qui illius membra sumus, proportione redundent, post alia [d]) scribit: Deum propterea nostra se induisse natura. « Ut per sese sanctificaret hominem, ac *fermenti* instar esset universae massae, secumque copulans quod condemnatum erat, totum hoc a condemnatione liberaret.» His autem affinia prorsus sunt quae de Virgine testantur Andreas cretensis, Iohannes damascenus, et Severus antiochenus, e quibus Andreas [e]) sic illi gratulatur: « Ave sancta virginalis terra, ex qua novus ille Adam ineffabili divino opere ad veterem recuperandum effectus est: ave *fermentum* sanctum divinitus per-

καὶ πᾶσαν πλησούσης δικαιοσύνην· δι' ἧς ἅπαν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον, προσήγετο πάλιν τοῖς ἀνθρώποις.

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1117. D-E. ibidem. Ὦ χάριτος πλῆρες δοχεῖον φαινόμενον· ὦ γηρᾶς φύσεως τὰ οἰκεῖα ὑπεραναβάσης γνωρίσματα· ὦ οἵαν ὑπαρχὴν τῷ δημιουργῷ τῆς οἰκείας καρποφορίας ἡ ἀνθρωπεία φύσις προσῆξεν.

b) Ibid. pag. 1133. C-D. Σὺ γοῦν μεσιτεύουσα καταλλάττεις ἡμᾶς, ὡς μιμήσει αὐτοῦ φιλάγαθος οὖσα· διὰ τοῦτό σε τοῦ καθ' ἡμᾶς ἀπαρχὴν εἴληφε γένος.

c) Ibid. pag. 1133. D-E. Ὑπὲρ δύο μεγίστων τούτων τὴν χάριν ἐξαιτούμεθα· ὑπὲρ τῆς ἐκ σοῦ προσληφθείσης αὐτῷ σαρκὸς, καὶ ὑπὲρ σοῦ, τῆς ἐξ ἡμῶν ἀνατεθείσης αὐτῷ ἀπαρχῆς.

d) Orat. XXXVI. pag. 592. Ἵνα ἁγιάσῃ δι' ἑαυτοῦ τὸν ἄνθρωπον, ὥσπερ ζύμη γενόμενος· τῷ παντὶ φυράματι, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἑνώσας τὸ κατακριθὲν, ὅλον λύσῃ τοῦ κατακρίματος.

e) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. D-E. apud Gallandium T. XIII. Χαίροις γῆ ἁγία παρθενική, ἐξ ἧς ὁ νέος Ἀδὰμ ἀῤῥήτῳ θεοπλαστίᾳ ἐχρημάτισε, ἵνα τὸν παλαιὸν ἀνασώσηται· χαίροις ζύμη ἁγία θεοτελὴς, ἐξ ἧς ὅλον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀνεζυμώθη τὸ φύραμα, καὶ ἐξ ἑνὸς σώματος Χριστοῦ ἀρτοποιηθὲν, εἰς ἓν συνῆλθε τὸ παράδοξον σύγκριμα.

Digitized by Google

fectum quo tota massa humani generis conspersa, et ex uno Christi corpore in panes formatum, in unam coivit mirabilem concretionem. » Consentit Iohannes damascenus qui [a]) de Ioachimi et Annae precibus ad exorandam prolem fusis inquit: « Exaudivit itaque eos Dominus donans eam quae proprie Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Matris medicamentum filia effecta est, *divinae reformationis nova conspersio*, sanctissimae generis primitiae, rami divino ore prolati radix, primi parentis exsultatio. » Severus autem [1]) egregiis Mariae dotibus celebratis pergit: « Ipsa enim *fermentum* est nostrae naturae, radix [2]) eius verae vitis cuius nos exstitimus palmites. Debet igitur Virginis commemoratio nostros animos excitare, reputantes in quanto quamque inconciliabili odio fuerimus, et ad qualem quantamque pacem atque concordiam [3]) per eius intercessionem vocati. »

1356. Eo in carmine quo [4]) Iohannes Scotus Christi triumphum de morte ac diabolo extollit, post alia [5]) scribit:

» Desursum venit *terrenam* sumere *vestem*,
» Indutus vestem sursum cum veste volavit,
» Inque Deum vertit *vestem de Virgine sumptam*,
» Unum conficiens animam, carnemque, Deumque.
» Mors mortis Dominus surrexit vivus in altum,
» Ac nostram secum naturam vexit eodem.

Ubi humanam Christi naturam solemni apud maiores loquendi usu *vestem* dicit, illamque *de Virgine sumptam* profitetur. Iamvero de ipsa Virgine sic habet [b]) Pseudo-Gregorius neocaesariensis: « Ave

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. V. pag. 852. D-E. Καί γε ὁ κύριος εἰσήκουσεν αὐτῶν, δοὺς τὴν κυριώνυμον Μαρίαν, λύτρον οὕτως ἀγλαὸν καὶ μεγαλοφυὲς ἀντὶ τῆς Εὔας, θυγάτηρ ἴαμα μητρικὸν γεγένηται· τὸ νέον φύραμα τῆς θείας ἀναπλάσεως, ἡ παναγία ἀπαρχὴ τοῦ γένους, ἡ ῥίζα τοῦ θεοφράστου κλάδου, τὸ τοῦ προπάτορος ἀγαλλίαμα.

b) Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 16. B-D. Χαῖρε κεχαριτωμένη· σὺ γὰρ τὰ τῆς ὄντως χαρᾶς πράττεις ἄξια· ἐνεδύσω σὺ τὸν ἄσπιλον χιτῶνα ἐνδύσασαι.

1) Hom. in Deiparam pag. 219. apud Mai spicileg. T. X.

2) Virgo quae ab Iohanne damasceno dicitur ἡ ῥίζα τοῦ θεοφράστου κλάδου, *radix rami divino ore prolati*, a Severo imagine non admodum dissimili vocata iam fuerat, *radix verae vitis*. Quibus sicut eius cum Christo penitissima coniunctio, ita separatio a corrupta vitiataque humani generis arbore luculenter adumbratur.

3) Numquam igitur obnoxia fuit Virgo *inconciliabili odio*, quo humana progenies a Deo seiuncta premebatur. Illi autem fuisset obnoxia, si una cum reliquis quemadmodum naturae, sic quoque humanae labis consors exstitisset.

4) De Iohanne Scoto, praeter Galeum in praefatione ad eiusdem libros de divisione naturae, dignissimus est qui consulatur em. Mai in praefatione ad T. V. classic. scriptt. pagg. XLVI-XLVII.

5) Carm. IX. vv. 25-30. pag. 445. apud Mai classic. scriptt. T. V.

gratia plena. Tu enim quae revera gaudio sunt digna agis, quoniam [1]) *immaculatam* induta es *vestem.* » Et longe etiam splendidius Ephraemus a quo [a]) Virgo nuncupatur. « *Vestis immaculata* eius, qui induit lucem sicut vestimentum. »

1357. Quapropter nil mirum si quemadmodum Christus *secundus homo novusque Adam* [2]) celebratur; ita pariter Maria Christi mater nunc *secunda Eva*, et nunc *nova atque altera mulier* celebretur. Quo cum alia prope innumera [3]) pertinent, tum haec ex antiquo sermone qui [4]) Augustini nomine ornatur: « Ideo omnes istos cursus naturae virgo Maria *(concipiens, pariens, lactans)* in Domino nostro Iesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret: et sic *restauraret* omne genus feminarum ad se convenientium *nova Eva*, sicut omne genus virorum *Adam novus* recuperat Dominus Iesus Christus. » Denique nil mirum si quod de Christo tanta fuit solemnitate [5]) promissum, et tanta in plenitudine temporis magnificentia [6]) perfectum, *ut in eo omnes terraquei gentes benedicerentur;* idipsum ad Mariam quoque Christi matrem, eo quo decet modo, referatur. Quod quidem a maioribus saepissime [7]) factum iam novimus, plenius mox intelligemus, et diserte traditum legimus [b]) ab Iohanne Geometra, qui [c]) verbis, *benedicta tu in mulieribus*, hunc commentarium subnectit: « Benedicta tu in mulieribus, videlicet prae omnibus simul mulieribus;

a) Orat. ad Virginem pag. 528. opp. Graec. T. III. Τὸ ἄσπιλον ἔνδυμα τοῦ ἀναβαλλομένου φῶς, ὡς ἱμάτιον.

b) Luc. I. 42. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί.

c) In collect. exeges. in Lucam per Nicetam diaconum apud Mai scriptt. vett. T. IX. p. 630. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, παρὰ πάσας ὁμοῦ δηλαδὴ τὰς γυναῖκας· ἀλλὰ καὶ εὐλογημέναι πάντως ἐν σοὶ αἱ γυναῖκες, καθάπερ καὶ οἱ ἄνδρες ἐν τῷ υἱῷ· μᾶλλον δὲ καὶ ἐν ἀμφοτέροις ἀμφότεροι.

1) Qui mutuus nexus inter *omnia* Virginis opera ὕπνου; χαρᾶς ἀξία, *vere gaudio digna*, indutumque τὸν ἄσπιλον χιτῶνα, *immaculatum vestimentum*; non obscure innuit, Virginis corpus numquam fuisse peccati sedem, neque in ipso unquam habitasse peccatum.

2) I. Cor. XV. 45-47. Quibus uti par est intelligendis iuverit cum Schoettgenio in hor. hebr. et talmud. T. I. pagg. 670. seqq. animo reputare, quod sicuti Iudaeis solemne fuit Adamum primumque hominem dicere אָדָם קַדְמָאָה vel אָדָם הָרִאשׁוֹן, Messiam vero humanique generis restauratorem appellare אָדָם דְּלֶעְתִּידָא vel אָדָם הָאַחֲרוֹן; ita Paulus Christum nuncupavit tum τὸν ἔσχατον Ἀδάμ, tum τὸν δεύτερον ἄνθρωπον, ut huius ab τῷ πρώτῳ ἀνθρώπῳ Ἀδάμ discrimen significaret.

3) Recole quae attulimus nn. 1052. seqq.

4) De tempore serm. XV. al. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 3. pag. 158. A. inter opp. Augustini T.V.

5) Gen. XII. 2-3., XVIII. 17-19., XXII. 16-18., XXVI. 2-5., XXVIII. 13-15.

6) Gal. III. 16-19.

7) Cf. nn. 1126. seqq.

Digitized by Google

immo et benedictae omnino in te mulieres, quemadmodum homines vicissim in filio, satius vero tam hi quam illae in ambobus. »

1358. Quemadmodum vero praeclarissima est similitudinis et coniunctionis ratio, quae Christum inter atque Mariam prolatis testimoniis ostenditur; ita non minus illustre est argumentum quod ad tuendam immaculati conceptus praerogativam ex iisdem colligitur. Neque enim fas est vitiatas hereditaria labe communique peccato illius origines arbitrari, cuius conceptus beatos gloriososque reddiderit genitores, quae prae reliquo hominum genere spectari secus nequeat ac ut primogenita, sanctissimaeque primitiae, quae prius exstiterit ceu fermentum novaque totius massae conspersio, quae ipsa in se fuerit vestis immaculata et eiusmodi induerit corpus quod vestis esset immaculata, quae uti altera Eva et secunda mulier prodierit, ac ita effulserit ut per eam quotquot sunt homines benedicerentur. Iamvero nisi fixum nobis ratumque sit maioribus obniti, illorumque doctrinae adversari, fateamur oportet I. *beatos et gloriosissimos fuisse Ioachimum et Annam quod Mariam progenuerint, et beatum glorioṣumque fuisse Annae sinum quod in ipso conceperit spiritale tabernaculum, gloriam quae sola est gloriosa, foetum sanctissimum et germen gratiae.* II. *Mariam prae reliquo hominum genere fuisse primogenitam primogeniti matrem, et omnino eam quam natura sit eo usque reverita, ut neque sibi primas sumpserit, neque gratiae virtutem praeoccuparit.* III. *Fuisse una cum Christo humani generis primitias, nec sane quaslibet, sed sanctissimas, omnemque naturae modum supergressas.* IV. *Fuisse fermentum idemque sanctum et quo tota humanitatis massa conspergeretur, immo fuisse novam conspersionem divinae reformationis. V. Fuisse in seipsa vestem immaculatam eius qui lucem induit sicut vestimentum; tum corpus induisse quod non esset corpus peccati et mortis, sed vestis immaculata quae immaculatam animam deceret.* VI. *Fuisse secundam Evam novamque mulierem, qua feminarum genus ad amissam gloriam revocaretur.* Ac tandem VII. *instar fontis erupisse, per quem benedictio in universas hominum generationes redundaret.* Ergo vel omnia sus deque miscenda sunt, vel ex maiorum traditione atque sententia profitendum, Virginem a reliquo hominum genere secretam, eidemque una cum filio et dropter filium nobilissime praepositam, ab universali culpa communique praevaricatione fuisse alienissimam.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Comparatio Deiparae cum Christo mediatore, eaque primum mediationis parte qua Christus est diciturque hominum exemplar, lux ac via: quo pacto ex maiorum doctrina ipsi quoque Deiparae ista conveniant, illamque ab omni labe, umbra et aberratione immunem integramque demonstrent.

1359. Quae postremo loco monuimus *de benedictione omnium gentium ex Christo atque ex Deipara*, proprio utriusque modo, dimanante, ea nobis aditum reserant ad novum similitudinis habitum novumque consortium investigandum. Est autem similitudo atque consortium *mediationis proprium*, eiusque officiis functionibusque comprehensum, de quibus ubi Augustinus et Fulgentius agunt, illas *ad magisterium et adiutorium*, sive quod eodem recidit, *ad exemplum et auxilium* commode revocari posse testantur. Scite [1]) Augustinus: « Duplex principaliter caussa est, ob quam Dei filius factus est filius hominis. Una est, ut secundum hominem omnia patiendo pro nobis, a peccatorum nos vinculis liberaret. Altera, ut nos quos sanguine suo redemit a vitiis atque criminibus, *non solum doctrinae auxilio et gratiae, sed etiam exemplo suo* ad studium sanctitatis accenderet: ut nos non modo praecipientem Dominum, sed etiam *exemplo suo* ad virtutis fastigia provocantem maiore alacritate sequeremur. » Neque scite minus [2]) Fulgentius, quocum [3]) Isidorus hispalensis et [4]) Rhabanus Maurus plene conspirant, inquiens: « Inquirendus ergo fuit unus, cuius esset *(humana natura)* reformanda munere, *informanda lumine*, confirmanda virtute; ut aequalitas aeterna iustificaret impiam, *instrueret insciam veritas*, virtus firmaret invalidam. » Atque in Scripturis sane de Christo [5]) legimus: « Nam quos praescivit et praedestinavit *conformes fieri imaginis Filii sui*, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Legimus [6]): « Christus passus est pro nobis, *vobis relinquens exemplum* ut sequamini vestigia eius. » Legimus [7]): « Rogo ergo vos, *imitatores* mei estote,

1) Serm. IV. de nativit. Domini, itemque epist. III.
2) Ad Trasimundum lib. II. cap. II.
3) De ecclesiast. offic. lib. II. cap. XXIX.
4) De institutt. cleric. lib. III. cap. XXXVII.
5) Rom. VIII. 29.
6) I. Petr. II. 21.
7) I. Cor. IV. 16. coll. XI. 1.

Digitized by Google

sicut *et ego Christi.* » Itemque [1]) legimus: « *Exemplum* enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » Quibus proponitur Christus *veluti supremum exemplar* quod imitemur, et *veluti absolutissimus archetypus* quem in nobismetipsis quo perfectius possumus exprimamus. Opus namque hominibus erat eiusmodi exemplari « Ut, *quae sunt* [a]) *Athanasii verba*, homines immutabilem Verbi iustitiam, formam atque exemplum ad virtutem haberent. » De qua forma omnibus expleta numeris nihil hisce praeclarius quae Augustinus [2]) ait: « In ipso ambulantes, tendimus ad ipsum, quia factus est nobis via temporalis per humilitatem, quae mansio nobis aeterna est per divinitatem. Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei et Deo aequalis et Deus praebet *exemplum:* ut se *idem exemplum* redeundi etiam lapso praeberet homini, qui propter immunditiam peccatorum poenamque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit non mutando divinitatem suam, sed nostram mortalitatem assumendo: et formam servi accipiens venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est, ut *exemplum* sursum videntibus Deum, *exemplum* deorsum mirantibus hominem, *exemplum* sanis ad permanendum, *exemplum* infirmis ad convalescendum, *exemplum* morituris ad non timendum, *exemplum* mortuis ad resurgendum esset in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul et quem sentire poterat, et quem sequi debebat. »

1360. Cum hisce autem quae ad Christum supremum exemplar et archetypum referuntur, alia egregie consentiunt quae ipsum *lucem, viam, vitamque* demonstrant. Eiusmodi haec [3]) sunt: « Dedi te in foedus populi, *in lucem gentium*, ut aperires oculos coecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. » Eiusmodi [4]) haec: « Ecce dedi te *in lucem gentium*, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. » Eiusmodi [5])

a) Con. arian. Orat. II. Ἵνα τὸ ἀμετάβλητον τῆς τοῦ λόγου δικαιοσύνης ἔχωσιν εἰκόνα καὶ τύπον πρὸς ἀρετὴν οἱ ἄνθρωποι.

1) Ioh. XII. 15.
2) De Trinit. lib. VII. cap. III. coll. de utilit. credendi cap. XV.
3) Is. XLII. 6-7.
4) Is. XLIX. 6.
5) Ioh. I. 5-8-9., III. 19., VIII. 12., IX. 5., XII. 46.

Digitized by Google

haec: « Et *lux* in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet *de lumine*. Erat *lux vera*, quae illuminat omnem hominem. Hoc est iudicium, quia *lux* venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam *lucem*. Ego sum *lux mundi*, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Quamdiu sum in mundo, *lux* sum mundi. Ego *lux* in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. » Atque haec [1]) rursum: « Ego sum *via, veritas et vita*, nemo venit ad Patrem nisi per me. Ego veni ut *vitam* habeant, et abundantius habeant. Haec est autem *vita aeterna*, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. »

1361. Iamvero haec quae *ex sese* ac *natura* insunt Christo mediatori, eidemque *perfectissime* conveniunt, *altero eoque cognato gradu, singularique participatione* ipsi quoque Deiparae tribui oportere, una est atque concors traditionis sententia maiorumque doctrina. Ut enim *de dignitate archetypi praestantiaque exemplaris* initio loquar, utramque altero secundum Christum gradu maiores nostri tum Virgini deferunt, quum illam [2]) *sanctorum sanctissimam* celebrant, quum [3]) *Deo prae omnibus penitissime coniunctam* docent, quum [4]) *Dei formam et splendidissimam imaginem* nuncupant, et quum [5]) *spirantem filii similitudinem* appellant. Itemque ac multo etiam manifestius deferunt, sive quum [6]) praeeunte Ambrosio, *omnium formam virtutum* sitam in ipsa tradunt: sive quum [7]) praeeunte vetusto auctore sermonis Augustino tributi de ipsa scribunt: « Haec fuit *mirum in cunctis documentum et doctrina.* » Et [8]) rursum: « Quid ergo de Maria dicemus? Talis denique fuit, *ut eius vita omnis sit disciplina.* » Neque vero abludunt [9]) Venantius Fortunatus, qui angelorum studia in Mariae laudibus praedicandis extollens, canit:

» O decus excellens, o femina *forma salutis*,
» Partus fruge potens, virginitate placens.

Odilo cluniacensis qui vestigia legens Ambrosii, sermonem de na-

1) Ioh. XIV. 6., X. 10., XVII. 3.
2) Sup. nn. 357. seqq.
3) Sup. nn. 361. seqq.
4) Sup. nn. 358. seqq.
5) Sup. nn. 1353. sqq.
6) De institutt. virg. lib. II. n. 9.
7) Serm. CXCIV. n. 3. pag. 453. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. I.
8) Ibid. n. 4. pag. 453.
9) Opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. in laudem Deiparae pag. 286. C.

Digitized by Google

tivitate Virginis hisce verbis [1]) orditur: « Sit igitur nobis tamquam *in imagine* descripta virginitas, vita Mariae, e qua *velut speculo* refulget species castitatis et *forma virtutis*. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam *in exemplari* magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? » Beatus Petrus Damiani [2]) qui de Virgine scribit: « Merito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tamquam sidus singulare refulsit in mundo, et cuius splendor illuminat mundum, et ex se radium illum emisit qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Stella lucet in nocte, et ipsa Virgo in nocte huius seculi singulariter fulsit, secundum quod scriptum est: quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo. Talis est stella nostra, talis est virgo Maria, talis est stella maris: et quia reliquit nobis *exemplum* ut sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra. » Hinc, ut alia plura missa faciam quae [3]) Maraccius congessit, Adamus Perseniae abbas in rem nostram praeclare sic [4]) habet: « Virginem nostram potius imitari debuimus, et filiali affectu matri beatissimae *conformari*. Ipsa enim non modo in remedium data, *sed est proposita in exemplum virtutis*. » Et [5]) infra: « Ipsa est aurora consurgens quae tenebras arguit, quae malis terminum, quae finem ponit erroribus et veri luminis radios administrat. Est enim Maria mater gratiae, mater misericordiae, vitae via, *forma iustitiae*, poenitentiae medicina, *magisterium* patientiae, *disciplinae exemplum*, ecclesiae gaudium, miseriae terminus, porta paradisi et portus, ad quem nos perducat Iesus Christus. »

1362. Pari autem evidentia fulgent maiorum testimonia, quibus Deipara tamquam *lux* cum Christo mediatore atque hominum luce sociatur. Hac enim evidentia fulgent quae [6]) alibi commemoravimus. Hac evidentia fulgent quae in prisco quadragesimali Graecorum Officio his concepta verbis [a]) traduntur: « *Lux* [7]) infirmi-

a) Offic. quadrag. Fer. VI. hebd. I. ieiun. Ode ϛ'. pag. 129. Ὁ φωτισμὸς τῆς ἰμῆς

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 631. A-B. apud Martene anecdot. T. V.

2) Serm. I. in epiph. Domini pag. 2. col. 1. E. opp. T. II.

3) In polyanthea mariana lib. V. ad vv. *exemplar, exemplatrix* et *exemplum*, pagg. 144-146. et lib. VI. ad v. *forma*, pag. 174.

4) Serm. V. in Deiparae assumpt. pag. 118. edit. Maraccii.

5) Ibidem pagg. 127-128., et in adiectis adnotationibus pagg. 203-206.

6) Sup. nn. 366. seqq.

7) His gemina canunt Georgius nicomediensis et Iosephus pagg. 200-218.

Digitized by Google

tatis meae, salus obcaecatae animae meae, serva me, innocens puella, serva pereuntem, et tunica incorruptionis me indue, quam dira piacula corruperunt.» Hac evidentia fulgent quae Graeci in Paracletice [a]) frequentant: «Esto mihi *lux* salutaris, quae lucem animae meae peperisti: dissipa confertas tristesque tenebras, ut precibus tuis filius diei evadam, eaque agens quae sancta sunt, te semper hymnis collaudem.» Hac evidentia fulgent quae iidem [b]) in Octoecho canunt: «Radiis *lucis tuae* lucidos effice qui te celebrant, o innocens Deipara lucis genitrix: apparuisti namque lucis tabernaculum *luce* exhilarans eos qui semper clamant, omnia opera Domini Dominum benedicite.» Neque vero omittendi sunt aut Iohannes Geometra qui Virginem compellans [c]) ait: «Salve *lux* hominum, salve quae vicissim ignis es daemoni, ignis es igni, neque tamen igne adureris.» Aut Theodorus Lascarus qui [1]) Virginem sic extollit: «Salve lucerna refulgens, salve *lux semper resplendens*, salve divitiae spiritales, salve Christi mater immaculatissima, salve quae sola Deum peperisti.» Quare Ephraemus non ipsam dumtaxat [d]) nominat *vehiculum intelligibilis solis veraeque lucis quae illuminat omnem hominem venientem in mundum;* sed praeterea nunc [e]) *splendorem veri mysticique diei*, nunc [f]) *fulgur fidelium animas illuminans*, nunc [g]) *septem luminum candelabrum*,

ἀσθενείας, ἡ σωτηρία τῆς ἀμαυρωθείσης, ἁγνὴ, ψυχῆς μου, σῶσόν με σῶσον ἀπολλύμενον, κόρη, καὶ χιτῶνα τῆς ἀφθαρσίας μοι ἔνδυσον, φθαρέντα δεινοῖς πλημμελήμασιν.

a) Paraclit. pag. 147. col. 1. C. Φωτισμός μου σωτήριος φάνηθι ἡ κυήσασα τὸ φῶς ψυχῆς μου, τὰ νέφη διώκουσα τὰ πολλὰ καὶ χαλεπά, ὅπως υἱὸς ἡμέρας εὐχαῖς σου γένωμαι πράττων τὰ ὅσια, καὶ ὑμνολογίαις ἀεὶ μακαρίζω σε.

b) Octoech. pagg. 42. col. 1. D. et 46. col. 1. B-C. Φωτός σου ταῖς μαρμαρυγαῖς τοὺς σὲ ὑμνοῦντας φωτοειδεῖς ἀπέργασαι, φωτογεννῆτορ Θεοτόκε ἁγνή· φωτὸς γὰρ ἄφθης σκηνὴ καταφαιδρύνασα φωτὶ τοὺς ἀεὶ κράζοντας· πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον ὑμνεῖτε.

c) Hymn. I. in Deiparam vv. 17-18. pag. 437. B-C. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε φάος μερόπων, πῦρ ἴμπαλι δαίμονι χαῖρε·
Καὶ πυρὶ πῦρ ἐγένου, οὐδὲ φλεγεῖσα φλέγεις.

d) Orat. ad Deiparam pag. 528. F. opp. Graec. T. III. Ὄχημα ἡλίου τοῦ νοητοῦ, τοῦ φωτὸς τοῦ ἀληθινοῦ, τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον.

e) Ibid. pag. 529. A. Αὐγὴ τῆς ἀληθινῆς καὶ μυστικῆς ἡμέρας.

f) Ibid. pag. 529. B-C. Ἀστραπὴ ψυχὰς τῶν πιστῶν καταλάμπουσα.

g) Ibid. pag. 529. E. Λυχνία ἱπτάφωτε, ἧς τὸ φέγγος τὰς ἡλιακὰς λαμπηδόνας ὑπερηκόντισεν.

1) Can. in Deiparam Ode VI. pag. 229. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

Digitized by Google

cuius splendor solares radios superavit, et nunc [2]) *locum luce repletum, ex quo salutis radii universo mundo illuxerunt*. Neque secus Anselmus, cui [1]) Mariam alloquenti satis haud est dixisse, *tu singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem;* sed praeterea [2]) addit: « Tu *lux* oriens Nazareth. Tu laetitia Israel. Tu decus mundi. Tu nobilitas populi christiani. » Quibus consona habentur penes latinos hymnologos, qui nunc [3]) canunt:

» Veni [4]) mater gratiae, » Veni *lux* [5]) ecclesiae,
» Fons misericordiae, » Tristibus laetitiae
» Miseris remedium. » Nunc infunde radium.

Nunc [6]) subdunt:

» Caeli regem attollamus, » Qui per Annam radiare
» Et in voces erumpamus » *Sidus* fecit *salutare*
» Laudum per cantica: » In matre deifica.

1363. En porro quae in iisdem Latinorum hymnis de tertio postremoque capite occurrunt. In his ubi [7]) Annae texuntur laudes, dicitur:

» Ave *vitae* vitis, » Anna, tu dignare
» Ava Christi mitis » Nos te collaudare.

Ubi autem ipsa laudatur Deipara, modo [8]) dicitur:

» In Mariam » Pie venit
» *Vitae viam* » Qui redemit
» Matrem veram viventium » Peccata delinquentium.

a) Ibid. pag. 530. Φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν.

1) Orat. LIV. pag. 283. col. 2. C.
2) Ibid. pag. 283. col. 2. C-D.
3) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 197.

4) Adalbertus Daniel pro more protestantium ornamentis Deiparae infensus hac utitur (ibidem) adnotatione. « Chemnitius in examine concil. trident. haec habet. *Postremo addam hoc loco sequentiam (ut barbare vocant) in concilio constantiensi decantatam in honorem atque invocationem Mariae, ut eo minus tergiversari nunc possint pontificii, quid invocationibus suis sanctis tribuerint. Quod enim vetus ecclesia Spiritui sancto pie tribuit:* Veni sancte spiritus, et emitte caelitus lucis tuae radium: *hoc constantiense concilium eodem genere carminis et eadem melodia, publica invocatione a Maria petit.* Sed iam saepius quid Mariae tribuendum, quid denegandum sit, disputavimus. Inhibeamus igitur calamum. » Et erat profecto cur maturius inhiberet, et a describendis revocandisque in lucem Chemnitii maledictis funditus abstineret. Et mirificum sane est discrimen, quod novam protestantium sapientiam ab antiqua maiorum pietate disterminat; quum enim his de augusta Virgine loquentibus vix quidquam satis esse videatur, illis contra vix quidquam non est nimium.

5) Ibidem pag. 198. legimus:
» Veni Virgo virginum,
» Veni *lumen luminum*.
Et T. I. pag. 303.
» *Lux* lucis beatissima,
» Maria splendidissima.

6) Ibidem pag. 211.
7) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 304.
8) Ibid. pag. 320. Alia dabit Maraccius in polyanth. mar. lib. XVIII. ad v. *via*, pagg. 289-290.

Digitized by Google

Et modo [1]) subditur:

» Salve, Virgo serena, » Lux amena
» *Vitae vena*, » Rore plena.

Praeiverat Venantius Fortunatus [2]) inquiens:

» Felix, quae generi humano sub tartara lapso,
» Ad caelos facta es sors, *via*, porta, rota.
» Aula Dei, ornatus paradisi, gloria regni
» Hospitium vitae, *pons* penetrando polos.

Suffragantur Graeci, qui [3]) in Paracletice sic habent: « Gaudium, o puella, orta es divinorum angelorum, apostolorum gloria, prophetarum obsignatio, fidelium vero hominum auxilium et *viae dux* [a]) *salutaris;* propterea te, o Virgo, veneramur. » Suffragantur et patres scriptoresque ecclesiastici, Ephraemus a quo [b]) Virgo salutatur *coecorum scipio et aberrantium salutaris manuductio.* Anastasius antiochenus qui [c]) explanans Gabrielis verba, scribit: » Ave gratia plena, Dominus tecum; quod facta nobis sis *salutis via, adscensusque ad superos,* et locus requiei, et tabernaculum refrigerii in quo Dominus habitavit. » Et ceteris [4]) sepositis, Adamus Perseniae abbas, a quo [5]) Virgo nuncupatur. « *Via vitae,* per quam ad nos rex virtutum venit; et nihilominus nobis *via* est, quae nos ad ipsum reducit. » Sed cuiusmodi via? Declarat [6]) Adamus inquiens: « Te *ad nos veniendi viam* elegit, te nobis *in repatriandi semitam* ordinavit. *O via expers asperitatis et duritiae, expers*

a) Paraclit. pagg. 142. col. 1. A-B. et 241. col. 1. A. Ἀγγέλων χαρμονὴ τῶν θείων, κόρη, πίφυκας, τῶν ἀποστόλων δόξα, καὶ προφητῶν ἐσφράγισμα, τῶν ἀνθρώπων τι πιστῶν ἡ προστασία, καὶ ὁδηγὸς σωτήριος· διὰ τοῦτο σὲ προσκυνοῦμεν, παρθένε.

b) Orat. ad Deiparam pag. 529. D. opp. graec. T. III. Τῶν τυφλῶν βακτηρία, καὶ τῶν πεπλανημένων σωτήριος ὁδηγός.

c) Serm. I. in Deiparae annuntiat. §. I. pag. 258. B. apud Gallandium T. XII. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· ὅτι γέγονας ἡμῖν ὁδὸς σωτηρίας, καὶ ἀνάβασις πρὸς οὐρανὸν, καὶ τόπος ἀναπαύσεως, καὶ σκηνὴ ἀναψύξεως, ἐν ᾗ κατεσκήνωσεν ὁ κύριος.

1) Ibid. T. II. pag. 245. Cf. Maraccium ibidem ad v. *Vena*, pag. 289.

2) Opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. de Virginis laudibus pag. 283. Adde quae habentur in op. de corona beatae Mariae pagg. 407-418-426-427. in collect. pp. tolet. T. I.

3) In Iosephi Mariali edito a Maraccio pag. 100. haec leguntur ex canone in sanctum Acacium episcopum Melitinae die XVII. Aprilis: « Vivifica, Domina, me mortuum, et in errorem inductum celeriter me converte tu *quae es via ab omni errore libera atque omnium manuductio.* »

4) Cuiusmodi sunt quae leguntur in libro de corona beatae Mariae cap. IX. pagg. 408-409. et apud Mone T. II. hymn. medii aevi pagg. 96-105-119-191-192-194-201-299-307-341-384.

5) Serm. II. de partu Virginis pag. 50. edit. Maraccii.

6) Fragment. I. pag. 131.

Digitized by Google

ignorantiae et erroris. Nempe misericordia et veritas in te obviaverunt sibi. Nec misericordia in te pateretur quid asperum esse vel durum, nec veritas quidquam inesse pateretur obscurum. *O via communis salutis, expers iniquitatis et malitiae,* expers molestiae et laboris. In te pax et iustitia osculatae sunt. Non tibi inesse distortum aliquid aequitas iustitiae sineret, nec aliquid inesse laboriosum pacis tranquillitas sustineret. *Tota es suavis et clara, tota dulcis et recta.* »

1364. Itaque quum *duo* inprimis numerentur, quae a ratione officioque *mediatoris* seiungi non possunt, hinc quod ipse ceu *exemplar, lux* et *via* proponatur, inde autem quod in exemplari nihil sit non concinnum, in luce nihil non fulgidum, et in via nihil non rectum; profecto quemadmodum haec ex sese modoque omnium perfectissimo Christo mediatori conveniunt, ita altero gradu ipsi etiam Deiparae, ut quae ad mediationis consortium provecta fuerit, tribuantur oportet. Ipsa namque est I. Deipara, quae ex insigni testificatione maiorum haberi debet *tamquam praestitutum universis hominibus exemplar ut illum in semetipsis repraesentent, tamquam forma iustitiae, norma disciplinae, typus virtutis, et in cunctis regula atque documentum.* Idcirco autem his praedita ornamentis existimari debet, quod sit [1]) *sanctorum sanctissima, Deo prae omnibus propinqua, splendidissima illius species, et spirans filii similitudo.* Ipsa est II. Deipara, quae non secus celebranda est ac uti *lux aegris oculis, lux salutaris, lux quae lucidos efficit, sidus salutare, lux quae lucet mundo universo, lux hominum, lux ecclesiae, fulgur fidelium animas illuminans, lux semper micans, et lux lucis ac lu-*

1) Huc pertinent quae ex libro de corona Virginis cap. XVI. [pag. 418. in collect. pp. tolet. T. 1. subdimus: » Thronus sapientialis sanctae Trinitatis, cathedra dignissima Filii Dei Patris, post Deum es salus mea, spes mea et consolatio mea: penes te bonorum omnium est mihi reposita multitudo. Ostende ergo te, filia summi regis, lumen meotis meae, pax et serenitas cordis mei. Videant te tripudium angelorum, reparatio perditorum, corona liliorum virginalium. Appare mihi consolatrix animae meae, sanitas cordis mei, via salutis meae. Quae enim creatura unquam fuit carior et pretiosior Deo, utilior mundo, necessarior generi humano? Tu non solum pretiosior es lapidibus pretiosis, verum etiam cunctis feminis, sole, luna et stellis caeli, angelis et sanctis universis. » Atque haec item ex cap. IX. pag. 406.

» Salve flumen misericordiae,
» Flumen pacis et flumen gratiae,
» Flos convallium,
» Flos pudicitiae,
» Mater Dei,
» Et mater veniae.
» Salve vera salus fidelium,
» Maiestatis thronus et solium.
» Templum Christi,
» Domus, triclinium,
» Via vitae, pudoris lilium,
» Salve floris decor amabilis,
» Sponsa Christi, ancilla humilis,
» Tota pulcra et venerabilis,
» Cui nulla fuit consimilis.
» Praedicamus te venerabilem,
» Sanctam mente et corde simplicem,
» Mundam carne,
» Mitem et placabilem,
» Deo gratam,
» Deo amabilem.

men luminum. Atque ipsa est III. Deipara, quae sua dignitate, suoque cum Unigenito consortio verissime creditur *vita, via vitae, vitae vena, via hominum generi ad caelos strata, adscensus ad superos, salutis via, salutaris aberrantium manuductio, via communis salutis, et semita ad patriam, nec sane quaevis, sed inscia ignorantiae, sed expers iniquitatis et malitiae, et ab omni errore penitus libera.* Quare id unum est reliquum ut his verbis [1]) Mariam compellemus: «Tota es munda intus in mente, tota pulcra exterius in operatione, tota carens macula, tota Deo sociata, divina claritate fulgens. Tu es vita mundi, medicina animarum languentium, arbor vitae in medio paradisi. Tu es etiam gloria mundi, columna caeli, firmamentum virtutis, romphaea peremptrix diaboli, morsus inferni.» Et [2]) rursum: «Ideo ab omnibus sanctissima praedicaris, quia omnium bonorum caussa nobis effecta es. Ex te das nobis exemplum bonorum operum, et impetras a Domino diversa charismata gratiarum. Tu es fructus salvificus vivo fonte irrigatus, tu animarum speculum, et per te fracta sunt tartara, redempta plebs captivata, caelestia patefacta.» Nihil ergo mirum si maiores nostri hisce laudum praeconiis [3]) Mariam salutaverint:

» Maria fons pietatis,
» Maria lux claritatis,
» Maria dux deviatis,
» Maria pons naufragatis.
» Tu angelorum regina,
» Tu mortis es medicina,
» Tu es rosa sine spina,
» Tu nos voca de sentina.
» In Patre tu es filia,
» In Filio mater pia,
» In Spiritu es gratia,
» In Trinitate media.

1) De corona Virginis cap. XX. pag. 426. in collect. pp. tolet. T. I.
2) Ibid. cap. XXI. pag. 436-437.
3) Apud Mone in hymnis lat. medii aevi pag. 96. T. II.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De mediatione quae adiutorio continetur: aliquot recensentur formulae quibus ea in Scripturis quum de Christo agitur, efferri consuevit: ostenditur nullas ex huiusmodi formulis esse, quae ad ipsam quoque Virginem suffragio maiorum non pertineant: tum duo eruuntur, quorum alterum est praestantissimum consortium Deiparae mediatricis cum Christo mediatore, alterum vero Deiparae innocentiam nulla unquam labe fuisse maculatam.

1365. Illustravimus eam *mediationis* partem quae *exemplo* constat, iisque in medium prolatis christianae antiquitatis sententiis quibus Virgo praestituta divinitus significatur tamquam *humani generis prototypus, lux ac via*, illud intulimus quod sua sponte consequebatur, *dignitatem excellentiamque mediatoris quae Christo ex sese et κυρίως convenit, ipsi etiam Deiparae benevola participatione munerumque communione secundo prope loco convenire.* Alterum nunc expendimus mediationis officium, quod *ad auxilium praestitamque opem* pertinet, quodque Christo eximia quadam formularum loquutionumque varietate in Scripturis tribuitur.

1366. Ipsi namque tribuitur, quum non secus ac *vera vitis* [1]) ita describitur: «Ego sum *vitis vera.* Manete in me, et ego in vobis. Sicut *palmes* non potest ferre fructum *a semetipso*, nisi manserit *in vite;* sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum *vitis*, vos *palmites:* qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum: *quia sine me nihil potestis facere.*» Tribuitur quum prae hominibus siti confectis *ceu fons aquae vivae et salutaris* [2]) proponitur: «Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi *aquam vivam.* Qui habuerit *ex aqua* quam ego dabo ei, *non sitiet in aeternum;* sed *aqua* quam ego dabo ei, *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*» Tribuitur quum *in seipso gratia plenus et prae ceteris hominibus veluti fons gratiae* [3]) repraesentatur: «Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, *plenum gratiae* et veritatis. Et *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, et gratiam pro gratia.» Eodem et illa spe-

1) Ioh. XV. 1-6.
2) Ioh. IV. 10-15.
3) Ioh. I. 14-16.

Digitized by Google

etant, quibus *et in seipso vita, et aliis omnibus vitae immortalitatisque principium atque origo* [1]) exhibetur: « In ipso *vita* erat, et *vita* erat lux hominum. Ego sum resurrectio *et vita*, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, *vivet*. Hoc est testimonium, quoniam *vitam aeternam* dedit nobis Deus. Et *haec vita in Filio eius est*. Qui habet Filium, habet *vitam*: qui non habet Filium, *vitam* non habet. Panis enim Dei est qui de caelo descendit, *et dat vitam mundo*. Et non vultis venire ad me *ut vitam habeatis*. » Tum eodem illa spectant, quibus *auctor et libertatis assertor* [2]) celebratur: « Si ergo vos Filius *liberaverit, vere liberi* eritis. Itaque, fratres, non sumus ancillae filii sed liberae, *qua libertate* Christus nos liberavit. »

1367. Atque haec perpauca sunt ex innumeris, quibus species adumbratur illius mediationis, quae Christi propria quum sit, *ad auxilium opemque* revocatur. Sed quid de beatissima eiusdem matre censebimus, de qua [3]) Venantius Fortunatus canit:

» O Virgo insignis, nobisque medela [4]) monades,
» Quam Deus implevit totius orbis ope.
» Quaeque creatorem meruisti ventre tenere,
» Et generare Deum concipiente fide.
» Mundatura novo partu de crimine mundum,
» Atque sacro foetu progenitura Deum?

Affirmari verissime potest, nullam in Scripturis imaginem, nullamque dicendi formulam ad eam qua de loquimur mediationis partem efferendam usurpari, quae suffragio consensuque maiorum, eo quo decet modo, ad ipsam quoque Virginem translata non reperiatur.

1368. Sane in omnibus fere ecclesiasticis Graecorum libris, in [5]) Menaeis, in [5]) Triodio et [6]) in Paracletice Deiparam his exoratam verbis audimus: « O Deipara, tu es *vera vitis* quae vitae fructum progerminavit. A te, o Domina, supplices petimus, illum

a) Men. Ianuar. in Acoluth. mag. horarum, hora III. pag. 53. col. 1. E, ad calcem mensis Maii in theotoch. pag. 119. col. 2. B, et Sept. die XXIII. ad Vesp. pag. 142. col. 2. E. *Θεοτόκε, σὺ εἶ ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, ἡ βλαστήσασα τὸν καρπὸν τῆς ζωῆς· σὲ ἱκετεύομεν, πρέσβευε δέσποινα μετὰ τῶν ἀποστόλων καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ἐλεηθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.*

1) Ioh. I. 4., V. 40., VI. 33., XI. 25., I. Ioh. V. 11-12.

2) Ioh. VII. 36., Gal. IV. 31. coll. V. 31. et II. Cor. III. 17.

3) Opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. pag. 281.

4) Scriptoribus huius aetatis in more fuit, Evam *Monadem* appellare, quod mater fuerit et origo prima omnium viventium.

5) Triod. pag. 65. col. 2. E., 214. col. 2. D. et 432. col. 1. C.

6) Paraclit. p. 307. col. 2. A.

Digitized by Google

una cum apostolis sanctisque omnibus deprecare, ut animarum nostrarum misereatur. » Consentiunt quae [a]) legimus in hymno acathisto in sanctissimam Deiparam: « Te celebramus clamantes: salve currus solis intelligibilis, *vitis vera* quae maturum protulisti botrum stillantem vinum quod illorum exhilarat animas qui te fideliter glorificant. » Consentit [b]) Theophanes qui natalem laudans Virginis diem scribit: « Hodie edita in lucem est *salutifera vitis*, quae proferet immaculatum divinumque botrum sanctitate manantem, ex quo quisquis mystice biberit, divinam salutaremque laetitiam gustabit. » Neque abludunt sive [c]) Pseudo-Gregorius neocaesariensis, a quo Deipara dicitur *vitis semper florens*, sive [d]) Iohannes damascenus qui de ipsa sic habet: « *Vitis uberrima* ex Anna pullulavit, uvaque suavissima effloruit, *potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam.* » Quare [e]) Ephraemus sic illam deprecatur: « Domina laudabilissima atque optima, misericordiae fons, bonitatis abyssus, *aqua viva*, *vitis* [1]) *vera*, totiusque mundi vita, me exsecrabilem, age, ut Dei mater benignissima simul et misericors noli respuere me peccatorem. » Eadem igitur *vitis* imagine Christi ac Deiparae officium exprimitur, atque hoc imaginis consortio consortium pariter mediationis significatur.

1369. Ad quod confirmandum insigniter conducunt tum ea quibus Deipara veluti *aqua salutaris* spectanda obiicitur, tum ea

a) Paraclit. in Can. τοῦ ἀκαθίστου ὕμνου εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, pag. 449. col. 2. E. Ἀνυμνοῦμέν σε βοῶντες· χαῖρε ὄχημα ἡλίου τοῦ νοητοῦ, ἄμπελος ἀληθινὴ τὸν βότρυν τὸν πίονα ἡ γεωργήσασα, οἶνον στάζοντα τὸν τὰς ψυχὰς εὐφραίνοντα τῶν πιστῶς σε δοξαζόντων.

b) Men. die VII. Septembris Ode ε'. pag. 57. col. 1. A. Ἡ ἄμπελος σήμερον ἐτέχθη ἡ σωτήριος, ἥτις τὸν ἀκήρατον ἀνθήσει βότρυν τὸ θεῖον γλεῦκος προχέοντα, ἐξ οὗ πᾶς ὁ πίνων μυστικῶς θείαν καὶ σωτήριον εὐφροσύνην καρπώσεται.

c) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 12. D. Χαῖρε ἡ ἄμπελος ἡ ἀειθαλής.

d) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. B-C. Ἄμπελος εὐκλήματοῦσα ἐξ Ἄννης ἐβλάστησε, καὶ βότρυν γλυκύτητος ἤνθησε, πόμα νέκταρ τοῖς γηγενέσι πηγάζοντα εἰς ζωὴν αἰώνιον.

e) Orat. ad Deiparam pag. 539. C-F. opp. graec. T. III. Δέσποινα πανύμνητε καὶ παναγία, ἡ τοῦ ἡλίου πηγή, ἡ τῆς φιλανθρωπίας ἄβυσσος, τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ζωή, ὡς θεοῦ μήτηρ φιλάνθρωπός τε καὶ συμπαθὴς μὴ βδελύξῃ με τὸν ἁμαρτωλόν.

1) Alia quae huc faciunt vide a nobis allata nn. 878. seqq. quibus copiam adde a Maraccio collectam in polyanth. mariana ad v. *vitis*, lib. XVIII. pagg. 142-145.

Digitized by Google

quibus illi tribuitur, ut *in se quidem* sit *plena gratiis, incorruptione et vita, prae reliquis vero* hominibus *fons et origo gratiae, incorruptionis, vitae ac felicissimae libertatis.* Et maiorum sane testimonia quae huc faciunt, praeclara sunt atque illustria, sic tamen mutuo iuncta et similitudine cohaerentia, ut non tam in diversas secerni classes quam proferri indiscriminatim debeant. Itaque in Pentecostario insignis [a]) refertur acoluthia, qua *supersancta Deipara* tamquam *ἡ ζωοδόχος πηγή, fons vitam continens* celebratur, et quam huc integram transferrem, nisi eiusdem prolixitate deterrerer. Seligam igitur exquisitiora, atque ea inprimis carptim memorabo, quibus Virgo [1]) dicitur *fons in Scripturis praemonstratus, fons paradisi, fons incorruptionis et immortalitatis, fons vitae et salutis, fons gratiarum omnium.* Tum animadvertam, hisce [2]) prorsus gemina de Christo usurpari. Ac tandem ne omnia desiderentur, nominatim [b]) haec referam: « Te, o Virgo, caelestem paradisi mannam, te, o Domina, *divinum fontem* aptissime appello. » Haec [c]) item: « Tu *sola* desuper in nos vere *gratias inexhauste effundis.* » Tum [d]) haec: « Te lucidum sanctumque templum Domini universorum, o puella, scio, et *fontem incorruptionis* profundentem aquam Christum, e qua bibimus. » Atque haec [e]) rursum: « *Perennem scatebram vitamque praebentem,* e qua flumina erumpunt, *divinum fontem* concordes laudemus qui gratiam quaerimus. » Tandem [f]) haec: « Intemerata Deipara, quae ineffabiliter sempiternum

a) Pentecost. pag. 18. col. 2. Ἀκολουθία ἡ γενομένη παρὰ κυρίου Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου εἰς τὴν ὑπεραγίαν καὶ κυρίαν δέσποιναν θεοτόκον, τὴν ζωοδόχον πηγήν.

b) Ibid. pag. 19. col. 1. E. Μάννα σε οὐράνιον, καὶ παραδείσου, παρθένε, τὴν πηγὴν τὴν ἔνθεον ὀνομάζω, δέσποινα, προσφυέστατα.

c) Ibid. pag. 21. col. 1. A. Καταῤῥύεις οὐρανόθεν ἀνεκπνώστως ἡμῖν χάριτας ὄντως μόνη.

d) Ibid. pag. 21. col. 1. B-C. Φωτεινόν σε ἅγιον ναὸν τοῦ δεσπότου τῶν ὅλων, κόρη, ἐπίσταμαι· καὶ ἀφθαρσίας πηγὴν τὸ ὕδωρ προῤῥέουσαν Χριστὸν, ἐξ οὗ ποτιζόμεθα.

e) Ibid. pag. 21. col. 1. E. Τὴν ἄϊνναον κρήνην καὶ ζωηρὰν τὴν πηγάζουσαν ῥεῖθρα, θείαν πηγὴν συμφώνως αἰνέσωμεν οἱ τὴν χάριν αἰτούμενοι.

f) Ibid. pag. 22. col. 1. E. et col. 2. A-B. Ἄχραντε θεοτόκε, ἡ τεκοῦσα ἀῤῥήτως πατρὸς τὸν προαιώνιον λόγον, πλάτυνόν μου τὸ στόμα, σεμνὴ, συνεισφέρουσά με πρὸς τὸν σὸν ἔπαινον, ὡς ἂν ἀνευφημήσω σε, κραυγάζων τῇ πηγῇ σου ταῦτα.

Χαῖρε πηγὴ χαρμονῆς ἀλλήκτου, χαῖρε ῥοὴ καλλονῆς ἀῤῥήτου.

Χαῖρε νοσημάτων παντοίων κατάλυσις, χαῖρε παθημάτων ποικίλων κατάχλυσις.

1) Ibid. pagg. 19. col. 1. E., col. 2. B., 20. col. 1. B. col. 1. D. col. 2. C. col. 2. A-D-E., 21. col. 1. A-B-C. col. 2. C-D., et 22. 2) Ibid. pag. 19. col. 1.

Digitized by Google

Patris Verbum peperisti, aperi, o veneranda, os meum, meque ad tuas laudes provehe ut celebrare te possim, tibique *fonti* sic acclamare. Ave *fons* perpetui gaudii, ave *fluentum* ineffabilis pulcritudinis. Ave morborum omnium expultrix, ave inconstantium passionum purgatio. Ave suavissimum *flumen* [1]) irrigans fideles, ave *aqua* iis iucundissima qui multipliciter aegrotant. Ave *scaturigo* sapientiae ignorantiam depellens, ave cordis temperies ambrosiam profundens. Ave *aqua salutaris*. »

1370. Succedunt quae in Octoecho his concepta verbis [a]) frequentantur: « Salve *fons gratiae*, salve scala et porta caelestis. Salve lucerna et aurea urna et mons intactus, quae mundo Christum vitae datorem peperisti. » Gemina repetuntur [2]) in Paracletice, quo in libro [3]) tum alia, tum haec etiam opportunissima [b]) habentur: « Totum ex te hominem integrumque, o Dei mater, Dominus suscepit, atque te *gratiae fontem* demonstravit. » In Menaeis vero Iohannes damascenus [c]) Deiparam salutat *gratiae fontem*, Theophanes [d]) de ipsa scribit: « Te, o Virgo, fideles omnes, veluti *radicem, fontem et incorruptionis caussam* laudibus extollimus; tu enim nobis edidisti subsistentem immortalitatem. » Neque aliter Anatolius et Ignatius, quorum ille [e]) ait: « Te, o Domina, *sem-*

Χαῖρε ῥεῖθρον ἁγιάσαντον ἰγιάζον τοὺς πιστοὺς, χαῖρε ὕδωρ χαρίσαντον τοῖς τοσοῦσι πολλαπλῶς.

Χαῖρε τᾶμα σοφίας ἀγνωσίαν ἐξαῖρον, χαῖρε κρᾶμα καρδίας ἀμβροσίαν προχέον.

Χαῖρε ὕδωρ σωτήριον.

a) Octoech. pag. 4. col. 1. E. Χαῖρε ἡ τῆς χάριτος πηγή· χαῖρε ἡ κλίμαξ καὶ πύλη οὐράνιος· χαῖρε ἡ λυχνία καὶ στάμνος χρυσῆ, καὶ ὄρος ἀλατόμητον, ἡ τὸν ζωοδότην Χριστὸν τῷ κόσμῳ κυήσασα.

b) Paraclit. pag. 123. col. 2. C-D. Ὅλον εἴληφεν ἐκ σοῦ ἀναλλείπτως τὸν ἄνθρωπον ὁ ἀσκήτης, θεομῆτορ, καὶ πηγὴν χάριτός σε ἔδειξεν.

c) Men. die XXX. Novembr. Ode α΄. pag. 222. col. 1. C. Χαῖρε ἡ τῆς χάριτος πηγή.

d) Men. die II. Iunii Ode θ΄. pag. 9. col. 2. B. Ὡς ῥίζαν, πηγὴν καὶ αἰτίαν τῆς ἀφθαρσίας σε, παρθένε, πάντες οἱ πιστοὶ ταῖς εὐφημίαις καταγεραίρομεν· σὺ γὰρ τὴν ἐνυπόστατον ἀθανασίαν ἡμῖν ἔβλυσας.

e) Men. die XVIII. Februarii pag. 103. col. 1. B-C. Πηγήν σε γινώσκομεν ζωῆς ἀῖ-

1) Ibid. pag. 22. col. 1. D. Ἐξ ἀντλήτου σου πηγῆς, θεοχάριτος, ἀναβρυούσης μοι σταλάζουσα τὰ ῥεύματα ἀενάως τῆς σῆς χάριτος ὑπὲρ λόγον· τὸν γὰρ λόγον ὃν τεκοῦσαν ὑπὲρ ἔννοιαν, ἱκετεύω σε ῥοΐσαι με σῇ χάριτι, ἵνα κράζω σοι· χαῖρε ὕδωρ σωτήριον. *Ex inexhausto tuo fonte, o Deo gratissima, mihi subvenis effundens perenniter et supra quam dici possit tuae gratiae fluenta; te enim ut quae mirabiliter Verbum pepereris, supplex oro ut tua me gratia perfundas, tibique ego acclamem: salve aqua salutaris.*

2) Paraclit. pag. 9. col. 1. D-E.

3) Ibid. pag. 125. col. 2. A-B.

piternae vitae fontem agnoscimus; arefactam igitur passionibus animam meam per tuam gratiam vivifica, et prompta semper sis salutares rivos effundere: nunc etiam mihi instilla intercessione tua peccatorum remissionem, meque, quaeso, purum redde. » Posterior autem [a]) subdit: « Quum sis *fons vivens*, ut quae vitae aquam genueris, animam meam, o Virgo Deipara, peccati ardore correptam irriga, ut te in omnia secula glorificem. » A quibus nullatenus seiungi debent sive haec [b]) ex veteri quadragesimali Officio: « Emortuam animam rursus vivificasti, o Deipara Virgo, quae sola vitam peperisti; quare fideles te *salutem nostram* agnoscentes clamamus, benedictus es Deus patrum nostrorum. » Sive haec, quibus Syrorum ecclesia nunc [c]) canit: « Salve murus fidelium, salve *fons benedictionum*. » Et nunc Deiparam celebrans [d]) inquit: « In vellere laudatissimo ipsam praemonstravit Gedeon ille iudex, *e qua orta est pluvia quae Adami sitim restinxit*. »

1371. Atque haec mihi in mentem revocant insignissima Ephraemi verba, quibus de Virgine [e]) ait: « Ipsa *fons* est de domo [f]) Domini egrediens, ex quo sitientibus fluxerunt aquae vivae, quas si quis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum. » Cum Ephraemo autem unius eiusdemque sententiae testes sunt lo-

δίου, δίσωσόν· τὴν ξηραν θεῖσαν οὖν πάθεσι ψυχήν μου ζώωσον ἐν τῇ χάριτί σου, καὶ πηγάζειν νάματα σωτήρια ἀεὶ παρασκεύασον· καὶ νῦν μοι στάλαξον τῇ πρεσβείᾳ σου τὴν ἄφεσιν τῶν πταισμάτων, καὶ καθαρον δεόμαι.

a) Men. die XXI. Martii Ode ή'. pag. 91. col. 2. E. Ζῶσα ὑπάρχουσα πηγή, ἐκ τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς ἀποτεκοῦσα, τὴν ψυχήν μου ταπεῖσαν τῆς ἁμαρτίας φλογμῷ, παρθένε θεοτόκε, πότισον, ἵνα σε δοξάζω εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

b) Offic. quadrag. Dom. II. Ieiun. Ode ζ'. pag. 218. Νεκρωθεῖσαν τὴν ψυχὴν ἀνεζώωσας μόνη ζωὴν κυήσασα, παρθένε θεοτόκε· διὸ σὲ σωτηρίαν οἱ πιστοὶ ἱστάμενοι βοῶμεν, ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

c) Offic. maronit. ad primam sabbathi pag. 486.

ܫܠܡ ܠܟ ܡܕܝܢܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܫܠܡ ܠܟ ܡܕܡܐ ܕܥܡܡܐ ܩܕܝܫܐ ۞

d) Ibid. ad primum noct. feriae II. pag. 105.

ܫܠܝܚܐ ܡܫܝܚܐ ܕܐܬܐ ܡܢ ܒܝܬ ܐܒܘܗܝ ܘܡܢܘܗ ܢܦܩܘ ܡܝ ܚܝܐ ܠܡܢ ܕܫܬܝ ܡܢܗ ܠܥܠܡ ۞

e) Serm. III. de diversis pag. 607. D-E. opp. syr. T. III.

ܐܝܟ ܕܐܝܬ ܠܗ ܒܝܬ ܐܒܘܗܝ ܡܢ ܐܝܟ ܕܢܦܩ ܡܢ ܒܝܬ ܐܒܘܗܝ ܐܦ ܗܝ ܡܢ ܒܝܬ ܐܒܘܗܝ ۞

f) Ioel. III. 18.

Digitized by Google

cupletissimi [a]) Theodotus ancyranus, qui non modo Virginem salutat his verbis, *salve fons placidissime vivifici laticis*, sed de ipsa praeterea [b]) subdit: « Apud eam est *fons vitae*. » Pseudo-Chrysostomus a quo [c]) Virgo dicitur: « Viduati mundi sponsa, mundi exsulis reditus, creaturae fame confectae *inexhaustum horreum*, quaeque *dulci potu perennis fontis sitientes explet*. » Hesychius et Chrysippus presbyteri hierosolymitani, quorum alter [d]) de Christo deque Virgine ait: « Quoniam tu es flos immarcescibilis, Virgo vicissim est *germen incorruptionis* et paradisus immortalitatis. » Alter vero [e]) illam salutat inquiens: « Salve *fons* lucis quae illuminat omnem hominem, salve *vitae promptuarium*, salve *radix omnium bonorum* et *puteus* semper viventis aquae. » Conspirant Leontius et Germanus constantinopolitani, e quibus ille [f]) Deiparam nuncupat *radicem incorruptionis in genus nostrum collatae;* at Germano [g]) non solum Deipara est *fons perennis aquas universis effluens*, verum [h]) etiam *Christianorum spiritus et vita*. Hinc quod [i]) Iohannes damascenus scribit: « Ave lustratio, *divinis lymphis scaturiens fons*, *omni plena sanctimonia*, ex qua sanctus sanctorum mundum scelere expurgans prodivit. » Atque hinc quod scribit vel ipse Gregorius thessalonicensis palamitarum choriphaeus, qui [k]) titulum *Dominae*

a) Serm. in Deiparam et in Symeonem n. 3. pag. 460. D. apud Gallandium Tom. IX. Χαίροις ἀειδυστάτη πηγὴ τοῦ ζωοποιοῦ νάματος.

b) Ibid. n. 4. pag. 461. A. Παρ' αὐτῇ πηγὴ ζωῆς.

c) Serm. in Christi nativit. pag. 791. B-C. inter opp. Chrysost. T. X. Χαῖρε τοῦ χηρεύοντος κόσμου νυμφίε, ἡ τῆς φυγάδος οἰκουμένης ἐπάνοδος, τῆς λιματτούσης κτίσεως ταμεῖον ἀδαπάνητον, ἡ τὴν γλυκείαν πόσιν ἀενάου πηγῆς τοὺς διψῶντας ἐμπλήσασα.

d) Orat. de laudibus Virginis, pag. 423. C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἐπειδὴ σὺ ἄνθος τυγχάνεις ἀμάραντον, ἆρα ἡ παρθένος ἀφθαρσίας φυτὸν, ἀθανασίας παράδεισος.

e) Orat. de laudibus Deiparae, pag. 425. C-D. Χαῖρε ἡ τοῦ φωτὸς πηγὴ τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον· χαῖρε τὸ ταμεῖον τῆς ζωῆς· χαῖρε ἡ ῥίζα πάντων τῶν ἀγαθῶν, καὶ τὸ φρέαρ τοῦ ἀειζώντος ὕδατος.

f) Dialog. advers. incorrupticolas pag. 104. apud Mai spicileg. T. X. Ἐκείνη πάντως ἂν ῥίζα τῆς τοῦ γένους ἡμῶν ἀφθαρσίας ἐτύγχανεν.

g) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1423. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I. Πηγὴ πηγάζουσα πᾶσιν ἀένναον.

h) Orat. in Deiparae Zonam pagg. 237-238. Ὦ παναγία Θεοτόκε, ἡ τῶν Χριστιανῶν πνοὴ καὶ ζωή.

i) Orat. II. in Deiparae nativitat. §. VII. pag. 854. C-D. Χαῖρε ἁγίασμα, ἡ κρήνη ἡ θεόβρυτος· ἡ πάσης ἁγιστείας ἀνάπλεως, ἐξ ἧς πρόεισι τῶν ἁγίων ἅγιος, ὁ ἐξ ἁγνείας ἀποκαθαίρων κόσμον.

k) Orat. in Deiparae annuntiat. apud Nicodemum in Heortodrom. pag. 230. Ἔτι γε μὴν

proprium Virginis enarrans ait: « Propterea etiam dictam fuisse *Dominam*, quod non libera dumtaxat fuerit a servitute et ad divinam dominationem evecta, *sed quod praeterea fons sit ac radix libertatis qua nostrum genus potitur.* »

1372. Si ergo, quod perspicuitatem mirifice iuvat, paucis velimus complecti quae pluribus enarravimus, auctoritate suffragioque maiorum edocemur, Virginem tum in seipsa cum prae reliquo hominum genere spectatam aptissime exhiberi I. *imagine vitis verae, vitis uberrimae, vitis salutiferae, quae talis in lucem prodierit, talis in Annae sinu germinarit, atque idcirco numquam arescens semper efflorueṛit:* II. *imagine aquae salutaris, itemque fontis in Scripturis praesignati et divini, fontis incorruptionis et immortalitatis, fontis vitae et salutis, fontis inexhausti benedictionum omniumque gratiarum, fontis de domo David egredientis, per quem Adami et posterorum sitis restincta est, fluminis fideles irrigantis et putei aquarum semper viventium:* ac postremo III. *imagine radicis et caussae, e qua incorruptio, vita, salus, libertas ac bona prorsus omnia dimanarint.* Iamvero *tria* potissimum sunt, quae his manifestissime continentur. *Principio* namque continetur, *splendidum et eximium plane esse similitudinis habitum, quo functiones Deiparae mediatricis functionibus Christi mediatoris respondent.* Continetur *deinde*, a *reliquo hominum genere infructuoso, arido, corrupto, servituti mortique obnoxio Deiparam tantum secerni, quantum cum Christo vite vera, aqua salutari, fonte gratiarum, et origine atque caussa incorruptionis, vitae ac libertatis intimius copulatur. Postremo* illud etiam continetur, *haberi Deiparam non posse hereditaria praevaricatione corruptam, vitiatam, servituti mortique subiectam, quin eiusdem cum Christo consortium, et* a *perdita Adami posteritate separatio, ex aequo denegentur.* Quin videlicet *denegentur* quae maiores *affirmant*, quaeque christiana antiquitas insigni suffragatione testatur.

κυρία, καὶ ὡς οὐκ ἐλευθέρα μόνον δουλείας, καὶ κυριότητος θείας ἐπιλημμένη, ἀλλὰ καὶ ὡς πηγὴ καὶ ῥίζα τῆς τοῦ γένους ἐλευθερίας.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Consortium Deiparae cum Christo humani generis reparatore: aliquot huius consortii partes enarrantur, quae ex fide sententiaque maiorum eo redeunt, ut Deipara sit dicaturque caput, caussa et salutis principium, mater salutis, cornu salutis, mundique salus: ut sit dicaturque regenerationis et laetitiae auctrix, caussa renovationis, instaurationis, revocationis, fons reformationis, reparatrix, communisque purgatio: ut sit dicaturque propitiatorium et propitiatio, maledicti solutio, chirographi in nos scripti deletrix, medicina veneni, mortis et satanae debellatrix: ut postremo sit dicaturque redemptrix, et propter conciliatam nobis salutem, omnium nostrum domina. Quam haec ab opinione abhorreant contractae labis originalis, et quam intime cum immaculatis Deiparae primordiis copulentur.

1373. Quum plurima divinis litteris contineantur quae Christum ostendunt luculenterque declarant naturae nostrae nostraeque ruinae *reparatorem*, illa postremo in loco haberi non possunt, quibus ipse nunc dicitur [a]) ὁ ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *auctor* [1]) *vitae*, et [b]) ὁ τῆς πίστεως ἀρχηγός, *auctor fidei* sine qua nemo vivit, et [c]) nunc ὁ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, *auctor salutis*, de quo Petrus propterea [d]) affirmavit: *hunc principem et salvatorem* [2]) *Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Iam ad Virginem quod spectat, pro duplici habitu quo ipsa refertur sive ad Christum τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, *auctorem principemque salutis*, sive ad hominum genus quod [e]) τὸ ἀπολωλός *perditum* nuncupa-

a) Actt. III. 15. Τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε.

b) Hebr. XII. 2. Ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν.

c) Hebr. II. 10. Τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι.

d) Actt. V. 31. Τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

e) Matth. XVIII. 11. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός, idem, Matth. X. 6. τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα, et I. Petr. II. 25. τὰ πρόβατα πλανώμενα.

1) Ἀρχηγός proprie is est qui alterum praecedit, hinc uniuscuiusque rei caussa et auctor. Quare in gloss. vet. apud Labbaeum habetur: *auctor*, ἀρχηγός, αὐθέντης, et vicissim, ἀρχηγός, *auctor*.

2) Quum graece inter accusativos τοῦτον et ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα *medius sit* ὁ θεός: quum τοῦτον propterea sit *accusativus subiecti*, et ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα sint *accusativus praedicati*: quum vox ἀρχηγός quae nuspiam alibi *extra statum construetum adhibetur*, satis innuat, formulam ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα alteri respondere ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας: et quum τῇ δεξιᾷ efferatur dativus *instrumenti*; totius commatis sensus huc recidit: *Hunc* (Iesum) *Deus in salutis auctorem sua potentia in caelum evexit, ut per eum Israelitis poenitentiam, et poenitentibus remissionem peccatorum largiretur.*

Digitized by Google

tur; duplici quoque appellatione distinguitur, et duplici diversoque titulo insignitur. Si enim ad Christum referatur, ipsa est suoque merito dicitur ἡ ἀπαρχὴ τῆς σωτηρίας, *primitiae* [1]) *salutis*, quod primitias salutis consequuta sit, et eximio singularique modo a perditione praeservata. Quo haec spectant [a]) Stephani hagiopolitae: « Hodie, o populi, effecta illa est quae *primitiae est salutis nostrae*, ecce enim quae ab antiquis generationibus praedestinata fuit mater et virgo et Dei habitaculum, ex sterili genita in lucem procedit. » Haec rursum quae Graeci uno ore [b]) frequentant: « Ioachim et Anna festum agunt, quod *primitias* ediderint *salutis nostrae*, solam Deiparam. » Atque haec pariter [c]) Coptorum usu celebrata: « Corona gloriae nostrae, *nostrae salutis primitiae*, et robur puritatis nostrae est Virgo Maria. » Sin autem Deipara cum perdito hominum genere comparetur, tum *salutis caput*, *principium* atque *caussa* luculentissime salutatur.

1374. Eiusmodi namque ellogiis ipsam salutant Graeci [d]) in Triodio his verbis: « Salve innocentiae cimelium, salve immaterialis lucis purum habitaculum, salve [2]) *caput salutis nostrae.* » Salutant in Menaeis, in quibus [e]) legimus: « Salve divinus lucis currus, salve Domini templum et sanctificationis tabernaculum. Nobis ex

a) Men. die VIII. Septembris ad magn. vesper. pag. 56. col. 2. E. Ἡ ἀπαρχὴ τῆς ἡμῶν σωτηρίας, λαοὶ, σήμερον γέγονεν· ἰδοὺ γὰρ ἡ προορισθεῖσα ἀπὸ γενεῶν ἀρχαίων μήτηρ καὶ παρθένος καὶ οἰκεῖον θεοῦ, ἐκ στείρας γεννηθῆναι προέρχεται.

b) Ibid. die IX. ad vesp. pag. 67. col. 1. A. et die XI. pag. 77. col. 1. E. Ἰωακεὶμ καὶ ἡ Ἄννα πανηγυρίζουσι τὴν ἀπαρχὴν τεκόντες τῆς ἡμῶν σωτηρίας, τὴν μόνην Θεοτόκον.

c) Theotoch. pag. 90. B.

πιχλοια ητε πεηγογωογ, τα παρχη ⲛⲛεπεσωϯ: πταϩρο ⲛⲛεπτοτϧο: πε Μαρια ϯπαρθενος ⳭⲈ

d) Triod. pag. 57. col. 2. E. Χαῖρε ἀγνείας κειμήλιον· χαῖρε ἀΰλου φωτὸς καθαρὸν ἐνδιαίτημα· χαῖρε τὸ κεφάλαιον τῆς ἡμῶν σωτηρίας.

e) Men. die XV. Martii ad vesper. pag. 65. col. 2. B. Χαῖρε φωτὸς θεῖον ὄχημα· χαῖρε κυρίου ναὸς καὶ σκηνὴ ἁγιάσματος· φῶς ἡμῖν ἀνέτειλας ἐξ ἀχράντου νηδύος σου, καταφωτίζον κόσμου τὰ πέρατα, καὶ ἁγιάζον ἡμᾶς χρηστότητι· χαῖρε κεφάλαιον σωτηρίας, ἄχραντε.

1) De quo *primitiarum* ornamento Virginis proprio recole quae monuimus nn. 902. seqq.

2) Quod κεφάλαιον nomen sit non tam substantivum, quam adiectivum a κεφαλή, et subaudiri ideirco debeat χρῖμα, τεῦγμα, vel etiam ῥῆμα, ita *caput* exprimit ut notionem praeferat eius quod *summum* et *praecipuum* est, *et ad quod res universa redit*. Scite Theophylactus ad verba Pauli Hebr. VIII. 1. τουτέστι, ἵνα εἶπε τὸ μέγιστον καὶ συνεκτικώτερον. Et Suidas, κεφάλαιον τὸ μέγιστον λέγεται. Quare nihil impedit quominus verba, χαῖρε τὸ κεφάλαιον τῆς ἡμῶν σωτηρίας, ita plenius reddantur: *salve tu quae caput es salutis nostrae, et ad quam totum salutis nostrae opus redit.*

Digitized by Google

inviolato tuo sinu oriri lumen fecisti quod universum illuminat mundum et nos sua benignitate sanctificat. Salve, ⁋ immaculata, *salutis caput*. » Salutant Iacobus monachus et Georgius nicomediensis, quorum prior Virginem [a]) dicit: « Illam prophetarum exclamationem, illud divinorum oraculorum implementum, *illud salutis nostrae caput*. » Alter vero commendata Ioachimi et Annae fide [b]) pergit: « Quapropter et illam immaculatam gignunt, *illud salutis nostrae caput*. » Neque vero alio pertinent testimonia quae ex Irenaeo, Tertulliano, Epiphanio, Augustino, Petro chrysologo, aliisque omnino multis tum deprompsimus, quum sermo nobis esset sive [1]) de comparatione Deiparam inter et protoparentes, sive [2]) de comparatione Deiparam inter et perditam Adami posteritatem. Eiusmodi namque testimoniis splendide effecimus, hanc sanctissimis patribus stetisse certam ratamque sententiam: *Deiparam esse et credi secundum Christum et per Christum oportere caput humanae salutis, eiusque caussam et principium*. Satis sit haec recoluisse quae [3]) Irenaeus scribit: « Sicut Eva inobediens facta, et sibi et universo generi humano caussa facta est mortis; sic et Maria habens praedestinatum virum, tamen virgo obaudiens, et sibi et universo generi humano *caussa* facta est *salutis*. Sic autem et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem. » Hinc [c]) Matthaeus cantacuzenus expendens verba [d]) Cantici, *vadam per meipsum ad montem myrrhae, et ad*

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1254. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὸ τῶν προφητῶν ἀναφώνημα, τὸ τῶν θείων χρησμῶν ἐκπλήρωμα, τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1086. C-D. ibidem. Διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον.

c) Comm. ad Cant. IV. 6-7. pag. 30. C. Ἤγουν, κατανοήσω, καὶ πρὸς ἐμαυτὸν ἀποσκοπεύσω τῆς θεανδρικῆς τοῦ θεοῦ λόγου σαρκώσεως, καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν μυστηρίου τὸ ὕψος· κατανοήσας δ' αὐτὴν τῆς παγκοσμίου σωτηρίας ὑπεραίμιον θεοτόκον, ὡς αἰτίαν γεγενημένην, πρὸς αὐτὴν διανυσίως ἐβόησεν· ὅλη καλὴ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί.

d) Cant. IV. 6. Πορεύσομαι ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄρος τῆς σμύρνης, καὶ πρὸς τὸν βουνὸν τοῦ λιβάνου.

1) Sup. nn. 1283. seqq.
2) Supp. nn. 1254. seqq.
3) Con. haeres. lib. III. cap. XXXIII. quibus egregie respondent quae tradit lib. V. cap. XIX., quaeque Augustinus laudat in primo contra Iulianum capite tertio.

Digitized by Google

collem thuris, sic ea interpretatur: « Scilicet considerabo et apud meipsum contemplabor divinam humanamque Verbi Dei cum carne unionem, et ex ipsa mysterii altitudinem. Considerans autem ipsam superimmaculatam Deiparam *universalis salutis caussam* fuisse, ad ipsam divino succensus spiritu exclamavit dicens: *tota pulcra es amica mea, et macula non est in te.* »

1375. Commemoratas Deiparae appellationes aliae excipiunt significandi quidem potestate geminae vel simillimae, splendore autem non minus luculentae, « quarum censu illa mentem initio subit qua utitur Severianus gabalitanus, qui [a]) postquam monuit iure quam qui optimo de se affirmasse Deiparam, *beatam me dicent omnes generationes*, mox sibi opponit: *et quid illam hoc iuvat, inquiens, quum non audiat?* Tum e vestigio respondet: « Immo vero maxime audit, eo quod in loco est splendido *mater salutis*, fons sensibilis lucis. » Quo pariter titulo utuntur Armenii dum [1]) canunt: « *Omnium salutis matrem*, quae importabilem a creaturis in utero portavit, illam omnes benedictione magnificamus. » Illa deinde succurrit, cuius praeter alios [2]), auctores sunt Nicetas paphlago et Leo Augustus, a quibus Virgo *cornu salutis* nuncupatur. Quemadmodum enim de Christo in materno adhuc sinu quiescente accepimus [b]) Zachariam cecinisse, *et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui*, idest pro metaphorica vocis significatione loquendi usu [3]) abunde definita, *erexit nobis in familia Davidis potentissimum et nobilissimum Salvatorem;* ita de Virgine ex Anna prodeunte Nicetas [c]) scribit: « Erexit nobis *(Deus)* hodie *cornu salutis* in domo David pueri sui, et germen nobis pacis suscitavit,

a) Orat. VI. de mundi opific. Καὶ τί, φησιν, ὠφελεῖται μὴ ἀκούουσα; μάλιστα μὲν οὖν ἀκούει ἐκ τοῦ ἐν τόπῳ φαεινῷ, ἐν χώρᾳ ζώντων εἶναι, ἡ μήτηρ τῆς σωτηρίας, ἡ πηγὴ τοῦ αἰσθητοῦ φωτός.

b) Luc. I. 69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν τῷ οἴκῳ Δαυὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 437. A. apud Combefis. Auctar. T. II. Ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, καὶ ἀνίστησεν ἡμῖν φυτὸν εἰρήνης, τὴν ῥίζαν τοῦ Ἰεσσαί.

1) Confess. eccles. armen. pag. 39.

2) Vide quae attulimus nn. 918. seqq., quaeque Maraccius exhibet in polyanth. marian. lib. III. p. 96. ad v. *cornu*.

3) Suidas, κέρας· ἡ ἰσχὺς παρὰ τὴν ζωὴν γραφῇ ἐκ μεταφορᾶς τῶν ζώων, τῶν καθοπλισμένων τοῖς κέρασι, καὶ τούτοις ἀμυνομένων. Et rursum, κέρας· ἰσχυρόν τι θηλοῦ καὶ μόνιμον. Quo sensu respondens hebraicum קֶרֶן adhibetur I. Sam. II. 1-12., II. Sam. XXII. 3., Ps. CXXXII. 17., Ezech. XXIX. 21. Cf. Vorstii phil. sacr. cap. III.

Digitized by Google

radicem Iesse. » De qua prorsus gemina sunt quae habet Leo Augustus [a]) inquiens: « Iubilemus Deo, quod grave diuturnae tyrannidis onus leve fieri incipiat. Immo vero apostata tyrannus potius quam persequatur, fugam iniens recedit postquam vidit [1]) regale sceptrum. Non amplius contra nos invadendi locum reperiet: *erigitur namque nobis cornu potentiae* de domo David, cornu in quo eorum cornu qui hactenus in malitia dominati sunt, conterendum est. » Neque ea appellatio premi silentio debet, qua Deipara *mundi salus* insigni quadam christiani nominis conspiratione celebratur. Ne quid enim ex iis repetam quae [2]) alibi commemoravi, quaeque numero sunt plurima et perspicuitate evidentia; huius conspirationis testes sunt Graeci [b]) in Pentecostario his verbis: « Te et murum et portum et acceptam habemus advocatam penes Deum quem genuisti, » Deipara viri nescia *et fidelium salus.* » Testes [c]) in Triodio: « Nobis, o benedicta Deipara, aperi misericordiae portam; tu enim es *salus generis christiani.* » Testes [d]) in Paracletice: « Tu es, o innocens Virgo, apostolorum gaudium, athletarum corona *et mundi salus*. Te omni tempore atque omni loco *salutem* invoco, ne me abiicias, o penitus immaculata, quae Deum peperisti redemptorem

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1617. B-D. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ, ὅτι τῆς πολυχρονίου τυραννίδος ἡ βαρύτης, ἀρχὴν λαμβάνει τοῦ ἐλαφρύνεσθαι· μᾶλλον δ' ὁ ἀποστάτης εἰς φυγὴν τὴν δίωξιν ἐναλλάξας, ἀναχωρεῖ τύραννος, ὀφθέντος τοῦ βασιλικοῦ σκήπτρου· οὐκέτι χώραν ἐφόδου καθ' ἡμῶν εὑρήσει· ἐγήγερται γὰρ ἡμῖν ἐξ οἴκου Δαβὶδ κέρας δυνάμεως, κέρας ἐν ᾧ συντριβήσεται τῶν μέχρι νῦν ἐπὶ κακίᾳ δυναστευσάντων τὸ κέρας.

b) Pentecostar. pag. 211. col. 2. D. Σὲ καὶ τεῖχος καὶ λιμένα ἔχομεν καὶ πρίσβιν εὐπρόσδεκτον, πρὸς ὃν ἔτεκες Θεόν, Θεοτόκε ἀειμφθυτε, τῶν πιστῶν ἡ σωτηρία.

c) Triod. pag. 490. col. 2. C. Τῆς εὐσπλαγχνίας τὴν πύλην ἄνοιξον ἡμῖν, εὐλογημένη Θεοτόκε· σὺ γὰρ εἶ ἡ σωτηρία τοῦ γένους τῶν Χριστιανῶν.

d) Paraclit. pagg. 88. col. 2. B, 96. col. 1. D, 160. col. 2. C. et 183. col. 2. D. Ἀποστόλων τὸ καύχημα, ἀθλητῶν ἐγκαλλώπισμα σὺ εἶ, παρθένε ἁγνὴ, καὶ κόσμου διάσωσμα. Σωτηρίαν σε ἐν παντὶ καιρῷ καὶ τόπῳ ἐπικαλοῦμαι, μὴ παρίδῃς με, παράμωμε, ἣ Θεὸν κυήσασα, τὸν λυτρωτὴν ὁμοῦ καὶ σωτῆρά μου.

1) Hoc Virginis decus, quo βασιλικὸν σκῆπτρον, *regale sceptrum* nuncupatur, componi cum iis debet quae romanus Clemens in prima ad Corinthios epistola cap. XVI. de Christo scribit: Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανείας καίπερ δυνάμενος. *Sceptrum magnificentiae Dei Dominus noster Iesus Christus non venit in ostentatione arrogantiae ac superbiae, quamvis potens esset.* Qua sane comparatione intelligimus, nihil de Virgine nisi excelsum, nihil nisi prope divinum et ab omni servitutis umbra alienissimum rite cogitari dicique posse.

2) Videsis quae habentur nn. 1277. seqq. quaeque Petavius tradit de Incarnat. lib. XIV. cap. IX.

simul et salvatorem meum.» Testes [a]) in canone hymni acathisti: «Salve, o maculae cuiusvis expers, quae viam vitae genuisti, et *mundum a peccati diluvio salvasti.*» Testes in Menaeis, e quibus haec [b]) quae debentur Iosepho, Theophani, Georgio nicomediensi et Stephano hagiopolitae selecta damus: «Gloria, pulcritudo, venustas fidelium, angelorum laetitia, *mundi salus*, o innocentissima Christi Dei mater, illos custodi qui se ad tuum praesidium, o sanctissima, recipiunt. O Virgo Dei genitrix, piorum gloriatio, angelorum gaudium, *christianorum salus*, expiatio peccantium, pons ex terra ad caelum fideles transferens, tuos famulos *salva*. Ad te angeli voce, o innocentissima, clamamus: salve *omnium hominum salus*, et gloriosissimorum martyrum caelestis corona. Maria venerandum Domini habitaculum, erige nos in abyssum prolapsos miserrimae ignorantiae et peccatorum et afflictionum; tu namque es *peccatorum salus* et auxilium et potens praesidium, tuosque famulos *servas*.» Et testes in Euchologio, tam in officio [c]) *pro diversis processionibus et supplicationum vigiliis*, quam [d]) in officio *pro tempore belli* in quo Deiparam his verbis deprecantur: «*Mundi salvatrix*, regina modis omnibus celebranda regem regum Christum enixa, civitatem

a) Can. hymn. acathisti Ode ε'. pag. 449. col. 1. E. ad calcem Paracl. Ὁδὸν ἡ κυήσασα ζωῆς χαῖρε, πανάμωμε, ἡ καθαρισμὸν τῆς ἁμαρτίας σώσασα κόσμον.

b) Men. die XXIV. Aprilis Ode θ'. pag. 161. col. 2. E. Ἡ δόξα, τὸ κάλλος, ἡ ὡραιότης τῶν πιστῶν, ἡ τρυφὴ τῶν ἀγγέλων, κόσμου τὸ διάσωσμα, πάναγνε μῆτερ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, τοὺς εἰς τὴν σὴν σκέπην προσδραμόντας συντήρησον, παναγία.

Die XX. Maii Ode α'. pag. 77. col. 2. B. Κυριοτόκε παρθένε, τῶν εὐσεβῶν καύχημα, ἡ τῶν ἀγγέλων χαρμονὴ, χριστιανῶν τὸ διάσωσμα, ἁμαρτανόντων ἱξίλασμα, γίφυρα ἐκ γῆς μετάγουσα τοὺς πιστοὺς, σῶζε τοὺς δούλους σου.

Die XIV. Iunii Ode θ'. pag. 50. col. 2. E. Φωνήν σοι τοῦ ἀγγέλου, πάναγνε, βοῶμεν· χαῖρε ἀνθρώπων ἁπάντων διάσωσμα, καὶ πανευδόξων μαρτύρων θεῖον στεφάνωμα.

Die V. Decembris Ode ε'. pag. 27. col. 2. E, die VI. ad vesper. pag. 34. col. 2. C-D, ad matut. Ode ε'. pag. 38. col. 1. B-C. et die XVIII. Ianuarii ad matut. pag. 140. col. 2. D. Μαρία τὸ στερρὸν τοῦ δυσπότου δόχεῖον, ἀνάστησον ἡμᾶς πεπτωκότας εἰς χάος δυσῆς ἀπογνώσεως, καὶ πταισμάτων, καὶ θλίψεων· σὺ γὰρ πίφυκας ἁμαρτωλῶν σωτηρία καὶ βοήθεια καὶ κραταιὰ προστασία, καὶ σώζεις τοὺς δούλους σου.

c) Euchолog. pag. 767. A. Τῆς εὐσπλαγχνίας τὴν πύλην ἄνοιξον ἡμῖν, εὐλογημένη Θεοτόκε, ἐλπίζοντες εἰς σὲ, μὴ ἀστοχήσωμεν, ῥυσθείημεν διὰ σοῦ τῶν περιστάσεων· σὺ γὰρ εἶ σωτηρία τοῦ γένους τῶν χριστιανῶν.

d) Ibid. pag. 816. A. Κοσμοσώτειρα, βασίλισσα πανύμνητε, τὴν πόλιν ταύτην φύλαττε, βασιλεύοντα βασιλέων τέξασα Χριστὸν, ἀλύτοις λύτρωσι πικρᾶς, αἰχμαλωσίας, προνομῆς, καταδρομῆς τῶν ἐχθρῶν.

Digitized by Google

hanc custodi, illamque invasione acerba, depopulatione atque vastatione libera. »

1376. Accedunt [1]) Latini, penes quos hoc carmen non fuit inusitatum:

» Veni *salvatrix seculi*, » Veni regina gentium,
» Sordes aufer piaculi, » Dele flammas reatuum,
» In visitando populum » Rege quodcumque devium,
» Poenae tollas periculum. » Da vitam innocentium.

Neque haec [2]) fuerunt inusitata quae addimus:

» Sancta Maria imperatrix reginarum,
» Salvatrix animarum, ora.

Hinc insignis ad Virginem [3]) precatio: « Ave plena caelesti gratia, plena Deo, plenaque gloria. In illa nube lucifera, quae illustrat caelum et sidera, ut prostretur legio fellea, commendata est tibi romphaea. Cum sis *salus* et honor *hominum*, mater Dei, corona virginum, tibi decus non habens terminum persolvatur iure post Dominum. » Atque hinc quae [4]) sequuntur: « Tu lux puritatis et sanctimoniae mundissimum Deo habitaculum praeparasti. Splendidius in sanctitate radians quam luminaria in firmamento caeli, cunctis angelis vicinius lumen deificum contemplaris. Tu *mater salutis*, quae sola desperatis potes afferre medicinam: *mater salutis*, per quam mors victa succubuit, et salus hominis desperata surrexit. » Quam communem fidem luculentissime expresserunt hinc quidem Georgius nicomediensis qui [a]) templum suis in adytis Deiparam recepturum sic alloquitur: « Infer arcam sanctificationis, quae ipsum legislatorem in se comprehendit, *quae a peccati diluvio nostram naturam salvavit.* » Inde vero Iohannes damascenus qui Deiparam [b]) compellans ait: «Salve gratia plena, salve *omnium simul finium terrae communis salus*, omniumque christianorum christianum praesidium. »

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1095. apud Combefis. Auctar. T. I. Εἰσάγαγε τὴν κιβωτὸν τοῦ ἁγιάσματος, τὴν τὸν νομοδότην αὐτὸν ἔνδον χωρήσασαν· τὴν κατακλυσμοῦ ἁμαρτίας τὴν φύσιν ἡμῶν διασώσασαν.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, χαῖρε ἡ πάντων ὁμοῦ τῶν πιράτων τῆς γῆς κοινὴ σωτηρία, καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν χριστιανικὴ προστασία.

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 166.
2) Apud Mone in hymnis lat. medii aevi T. II. pag. 260.
3) De corona b. Mariae cap. V. pag. 403. in collect. pp. toiett. T. I.
4) Ibid. cap. VI. pag. 404.

Digitized by Google

1377. Cui muniendae roborandaeque persuasioni mirum quantopere ea conducunt, quibus proprium veluti decus Virgini asseritur quod ipsa sit et iure optimo praedicetur *regenerationis et laetitiae auctrix*, *caussa renovationis*, *instaurationis*, *revocationis*, *fons reformationis*, *reparatrix*, *communisque purgatio*. Haec enim comparata sic sunt, ut non tantum confirment Deiparam esse *caput*, *principium*, *matremque salutis*; verum etiam modum rationemque declarent qua universis hominibus salutem ita conciliavit, ut ipsa merito *universalis omnium salus* censeatur. Sed certum ne est haec Deiparae tribui, neque ab uno alterove sed a plurimis, neque semel aut iterum sed crebro atque constanter? Certum videlicet est quam quod certissimum. Audiatur Iacobus monachus, qui de genita ex Ioachimo et Anna Virgine [a]) inquit: « Ex his orta est *laetitiae auctrix*, ex his praeiverunt *gaudii pignora*.» Et inferius [b]) Ioachimo et Annae gratulatur quod in lucem ediderint: « Illam nobis *regenerationis auctricem*, illam nobis *reformationis caussam*, per quam Dei in nobis obliterata imago [1]) ad pristinum rediit decorem.» Tum [c]) gratias Deo agit quod nobis donaverit « *Communem illam gaudii caussam*, *naturae laetitiam indissolubilem*, *generis iucunditatem*. » Legantur prorsus gemina [2]) penes Georgium nicomediensem, quibus addantur tum quae [3]) alibi retulimus, tum haec [d]) ex Anatholio hymnographo: « Salve, o veneranda, Adami revo-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1250. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προοδοποίησεν ἐνίσχυμα.

b) Ibid. pag. 1254. D-E. Τὴν τῆς ἀναγεννήσεως ἡμῖν πρόξενον· τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῖν αἰτίαν, δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ ἀχρειωθὲν πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθε εὐπρέπειαν.

c) Ibid. pag. 1283. A-B. Τὴν κοινὴν τῆς χαρᾶς αἰτίαν· τὴν ἀκατάλυτον εὐφροσύνην τῆς φύσεως· τὴν θυμηδίαν τοῦ γένους.

d) Men. die XXV. Martii ad vesper. pag. 112. col. 2. D. Χαῖρε σεμνὴ, τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἀνάκλησις, καὶ τῆς Εὔας ἡ λύτρωσις, καὶ χαρὰ τοῦ κόσμου, καὶ ἀγαλλίασις τοῦ γένους ἡμῶν.

1) Quae divinae imaginis in homine restitutio non secus ac unus ex praestantissimis susceptae oeconomiae fructibus a Sophronio hierosolymitano in epistola ad Sergium constantinopolitanum lecta in actione II. synodi VI. his verbis proponitur: διὰ τοῦτο γάρ, καθά τινι τῶν σοφῶν τεθεώρηται, καὶ πᾶσα τοῦ μονογενοῦς ἡ λαμπρὰ καὶ ἀείδημος οἰκονομία λαμπρῶς πεπραγμάτευται, ἵνα καὶ τὴν εἰκόνα σώσῃ, καὶ τὴν σάρκα ἀθανατίσῃ. *Ob id quemadmodum sapiens quidam est contemplatus, tota illa praeclara et insignis Unigeniti dispensatio excellenter administrata est, ut et imaginem salvam redderet, et carni immortalitatem tribueret.*

2) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1075. A. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) Cf. nn. 1062. seqq. quaeque Maraccius habet in polyanth. marian. lib. I. pag. 40. ad v. *auctrix*.

Digitized by Google

catio, Evae redemptio, *mundi gaudium, nostrique generis laetitia.* » Atque haec rursum [a]) ex Iosepho: « Ave quae sola genuisti Omnipotentem, qui sibi carnem adscivit: salve, o cuiusvis inscia labis, prolapsi mundi erectio: salve *moeroris solutio:* salve fidelium salus: salve altissimus Dei thronus. » Nihil ergo evidentius quam insigni testificatione Virginem esse dicique regenerationis auctricem et communis caussam laetitiae.

1378. Neque minori evidentia *renovationis, restitutionis, revocationisque caussa* celebratur. Huc enim faciunt quae [b]) Germanus Deiparam alloquens scribit: « Ades collectio male dissonantium: ades coniunctrix olim dissidentium: ades firmamentum eorum qui in terra nutant: ades *instauratio iam veteratorum:* ades splendor in tenebris iacentium: ades maxime novum divinumque donarium: ades terrigenarum omnium domina. » Huc faciunt quae [c]) Georgius nicomediensis habet inquiens: « Quibus encomiis Virginem celebraverim, *per quam figmenti nostri revocatio facta est?* » Et [d]) rursum: « Tu antiquae nostrae ingenuitatis ruinam tuo supra naturam partu *restituisti.* » Huc quae docent [e]) Iacobus monachus et Iohannes damascenus, qui [f]) Virginem eam esse testatur: « *Per quam universum mortalium genus restitutum est*, per quam protoparentis Evae luctus in gaudium commutatus. » Huc quae tradit Petrus Argorum antistes, qui laetitia gestiens pro beneficiis restitutionis, re-

a) Men. die II. Ianuarii Ode ε'. pag. 16. col. 2. C. Χαῖρε μόνη τεκοῦσα τὸν ἀπειρόανδρον σάρκα πτωχεύσαντα· χαῖρε τοῦ πεσόντος ἐπανόρθωσις κόσμου, πανάμωμε· χαῖρε λύπης λύσις· χαῖρε πιστῶν ἡ σωτηρία· χαῖρε θρόνε θεοῦ ὑψηλότατε.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1418. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Δεῦρο συλλογὴ κακῶς διαφωνούντων· δεῦρο σύναψις τῶν πάλαι διεστηκότων· δεῦρο στήριγμα τῶν κάτω νενευκότων· δεῦρο καινισμὸς τῶν παλαιωμένων· δεῦρο τὸ σέλας τῶν ἐν σκότει κειμένων· δεῦρο δόμημα καινότατον καὶ θεῖον· δεῦρο δέσποινα τῶν γηγενῶν ἁπάντων.

c) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1111. A-B. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Τίσιν ἐπαίνοις ἐπευφημήσω τὴν παρθένον, δι' ἧς τοῦ πλάσματος ἀνάκλησις ἐγένετο;

d) Ibid. pag. 1111. B-D. Σὺ τῆς ἀρχαίας ἡμῶν εὐγενείας τὴν ἔκπτωσιν τῷ ὑπὲρ λόγον σου τόκῳ ἀνώρθωσας.

e) Orat. I. in Deiparae nativit. §. I. pag. 841. D-E. Δι' ἧς ἅπαν τὸ βροτεῖον γένος, δι' ἧς προμήτορος Εὔας ἡ λύπη εἰς χαρὰν μεταβέβληται.

f) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1254-1267-1270. ubi Iacobus Deiparam vocat τὴν τοῦ κατάρατου τῆς κτίσεως αἰτίαν, δι' ἣν τῆς ἀκανθώδους ἀρᾶς ἀπαλλαγή, καὶ εὐλογίας καρπὸν προσενήνοχε: *renovatae creaturae caussam, per quam a spinarum maledicto liberata, benedictionis fructus edidit.*

Digitized by Google

generationis et revocationis humano generi divinitus erogatis, de festo conceptae Virginis [a]) subdit: « Atqui universorum eiusmodi bonorum *principium et caussa* manavit ex hodierna solemnitate, quemadmodum copiam omnem lucis ex seipsa effundit aurora antevertens orientem solem. » In eamdem porro sententiam conspirant quae [1]) vulgatus Augustinus inquit: « Facta est Maria *restauratio feminarum*, quia per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. » Conspirant quae [2]) in alio sermone his verbis efferuntur: « Deus homo efficitur, redhibetur Deus; et hoc totum per Adam committitur, et *lavatur per Mariam*. Ergo felix Eva, per quam data est occasio! Immo felix Maria, per quam tributa est *curatio*. Haec *(Eva)* mater humani generis dicitur, *illa salutis*. Illa nos [3]) educavit, roboravit Maria: per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam seducti ad terram, *ad caelum elevati per Mariam*. Et ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti omnes sciunt, esse ostendam, in Eva iam tunc et Maria inerat; *et per Mariam postea revelata est Eva*. » Conspirant Petrus Damiani et Anselmus, quorum ille Deiparam contendens [4]) cum virga Iesse ait: « Similiter et virga Iesse veri praevia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere. An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantae dignitatis? Considera et quae in caelis, et quae in terra *in Virgine refabricata*, Deum qui caelum palma metitur, virginei ventris brevitate conclusum redemptionem hominum, angelorum restaurationem, *denique quidquid est, fuit et erit per Virginis uterum renovatum;* et tunc tibi cogitatio suggeret, quod loquutio demonstrare non potest. » Sed Anselmus [5]) initio scribit: « Tu aula universalis propitiationis, caussa generalis reconciliationis, vas et templum vitae et salutis univer-

a) Orat. in concept. s. Annae §. II. *Τούτων ἁπάντων ἀρχὴ καὶ αἰτία ἡ παροῦσα καθίστησιν ἑορτὴ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, καθάπερ τις ἡλίου ἑωσφόρος προανατέλλουσα, καὶ δι' ἑαυτῆς ἁπάσας μηνύουσα.*

1) Serm. XV. de tempore, al. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 2. pag. 157. E. et n. 3. p. 158. A. inter opp. August. T. V.

2) Serm. CII. in nat. Domini n. 5. pag. 212. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. I.

3) Al. *edocuit*.

4) Serm. XL. in Deiparae assumpt. pagg. 98. col. 2. E. et pag. 99. col. 1. A.

5) Orat. LI. ad Deiparam pag. 281. col. 1. A.

Digitized by Google

sorum. » Tum [1]) exclamat: « O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis, per quam elementa *renovantur*, inferna *remediantur*, daemones conculcantur, homines salvantur, angeli *redintegrantur?* O femina plena et supérplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic *revirescit* omnis creatura! » Ac postremo [2]) concludit: « Ergo, » Domina, mater es iustificationis et iustificatorum, genitrix es reconciliationis et reconciliatorum, parens es salutis et salvatorum. » Hinc quod [3]) canit:

» Ave nostra advocatrix,
» Atque vitae *reparatrix*,
» Cuius partus super ipsos
» Dominus est caeli thronos.

» Ave nostra advocatrix,
» Et lapsorum *reparatrix*,
» De quo Deus factus homo
» Solus stetit in directo.

Et [4]) rursum:

» Incarnationis divae
» Uterus tu factus es

» Per quam *renovatur* omnis
» Creaturae species.

1379. Accedit uterque Bernardus, clarevallensis et toletanus, » quibus ille [5]) sic habet: » O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum *reparatricem*, posterorum *vivificatricem!*» Et [6]) iterum: « Merito in te respiciunt oculi totius creaturae; quia in te, et per te et de te benigna manus omnipotentis quidquid creaverat *recreavit*.» Alter vero enarrans antiphonam *Salve regina*, de verbis *regina misericordiae* [7]) scribit: « Verum quo pacto dicitur *regina misericordiae*, quum misericordia non substantia sit, sed

1) Ibid. pag. 281. col. 1. D-E.

2) Ibid. pag. 281. col. 2. C-D. His autem ista consentiunt quibus in lib. de corona b. Mariae cap. VI. pag. 403. ipsa salutatur: « Virgo et domina mirifica, per quam fracta sunt tartara, reserata sunt caelestia, reparata sunt perdita.» Ista rursum consentiunt cap. XIII. pag. 413: «Regina hierarchialis, thronus seraphicus existens in quo residet et refulget totius sanctae Trinitatis maiestas et gloria, quam laudant angeli et omnes turbae caelestium civium, quia quod in eis erat dirutum et confractum, per te, Domina, insignius est constructum et reparatum.» Neque haec abludunt apud Mone op. cit. T. II. pag. 276.

» Salve reparatrix pacis
» Indeficiensque satis,
» Tu es fervor ardens satis
» Cum virtute quod rapacis
» Lupi faux nil prendit.

» Salve caelum tangens scala,
» Tu operiens es mala
» Quae dederunt Adae mala,
» Da ut tua nunc sub ala
» Stemus in censura.

Neque haec rursum pag. 282:

» Salve iubar singulare,
» Caeli summum luminare
» Toti mundo radians;
» Universum restauratum

» Per te videns et rubstratum
» Tibi digne glorians.

Neque haec tandem pag. 294.

» Ave porta paradisi,
» Tuo caelitus praevisi'
» Reparantur ductu.

» Ave salus peccatorum,
» Restauratrix angelorum
» Ventris tui fructu.
» Ave mater summi Verbi,
» Holofernis mors superbi,
» Et vita humilium.

3) Psalt. P. I. pagg. 303. col. 3. D. et 304. col. 1. E.

4) Hymn. II. in Deiparam pag. 306. col. 2. C.

5) Hom. II. super *missus est*, n. 3. p. 744. opp. T. III. Accedunt haec apud Mone op. cit. T. II. p. 400.

» Salve decus virginum,
» Virgo salutifera,

» Reformatrix hominum,
» Salutis puerpera.

6) De Pentecoste serm. II. n. 4. pag. 936.

7) In antiph. *salve regina*, serm. I. n. 3. pag. 740. B-C. inter opp. Bernardi T. V.

Digitized by Google

pietas supernae clementiae, vel affectio benigna rationalis creaturae? Metonymice ergo poterit intelligi, hoc est per efficientem id quod efficitur, ut opus misericordiae pro misericordia intelligatur. Opus misericordiae, *reparatio naturae*. Misericordia Domini plena est terra viventium et morientium. Quod angeli creati, quod confirmati: homines plasmati et *reparati*, misericordiae est quae ab aeterno et usque in aeternum primordialis ipsa caussa omnium et caussalissima causarum. Effectus eius est opus salvandorum, salus haec est adoptio filiorum Dei: quomodo regina, sancta sanctorum, cuius virginalis partus eorum est omnium. Regina, gloriae nomen et honoris, magnificentiae et decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris et magnificentiae, sublimitatis et potentiae, gubernationis et iustitiae, defensionis et gratiae. *Sancta sanctorum haec omnia nobis et pro nobis omnibus.*»

1380. Luculentissima vero sunt quae in ecclesiasticis Graecorum monimentis frequentantur. Luculentissima quae habentur [a]) in officio quadragesimali: « Cadentium *restitutio*, me in voluptatum abyssum et barathra diris peccatis delapsum erige, o innocens, et ad vitam deducito. » Luculentissima quae [b]) ex vetusto Triodio vaticano Quirinus deprompsit: « Innocens Dei genitrix, *sola deiectorum restitutrix*, me quoque omni peccatorum genere undique contritum atque humiliatum, in rectum revoca. » Luculentissima quae [c]) in Pentecostario: « Qui prius hominem sapienter finxit Filius tuus, o Virgo, eumdem corruptum *per te*, o quavis laude potior, etiam *refinxit*, et perennibus divini luminis splendoribus eos replevit omnes qui te vere Deiparam fideliter glorificant. » Luculentissima [d]) quae in Paracletice: « Naturam nostram pridem trans-

a) Fer. IV. hebd. II. Ieiun. Ode γ'. pag. 180. Καταπιπτόντων ἐπανόρθωσις, ἡδονῶν κρημνῷ συμπτωθέντα με, καὶ ἁμαρτίας χαλεπαῖς ἐμπεσόντα εἰς βάραθρα, ἐξανάστησον, ἀγνή, καὶ πρὸς ζωὴν καθοδήγησον.

b) Can. pro secunda dominica Ode ν'. pag. 217. in altera parte offic. quadrag. Θεογεννῆτορ ἁγνή, ἡ τῶν κατῳραγμένων ἐπανόρθωσις μόνη, ἐπανόρθωσον κἀμὲ παντοίαις ἁμαρτίαις συντετριμμένον ὅλον, καὶ τεταπεινωμένον.

c) Pentecostar. pag. 193. col. 2. B. Σοφῶς τὸν ἄνθρωπον πρὶν πλάσαι ὁ σὸς υἱὸς, παρθένε, καὶ φθαρέντα ἀνέπλασε διὰ σοῦ, πανύμνητε, πάντας ἐπλήρωσε τοὺς σὲ θεοτόκον ἀληθῶς πίστει δοξάζοντας.

d) Paraclit. pagg. 138. col. 1. B. et 385. col. 2. D. Ῥύσασαν πρὶν παραβάσει τὴν φύσιν τὴν καθ' ἡμᾶς, ὡς ἀῤῥεύστους τεκοῦσα Χριστὸν, ἀνέπλασας παναγία δέσποινα, προστασία τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Digitized by Google

gressione corruptam, o sanctissima Domina et nostrarum animarum praesidium, ut quae Christum citra labem omnem pepereris, *renovasti*. » Et luculentissima, quae auctoribus Stephano hagiopolita, Iohanne damasceno, Theophane, Iosepho et Georgio nicomediensi [a]) in Menaeis adhibentur. Florilegii loco haec accipiantur. « Tu prophetarum praedicatio, apostolorum gloria, martyrum laetitia, et *terrigenarum renovatio*, o Virgo Dei mater, per te enim cum Deo reconciliati sumus. Te, o Deipara, celebramus acerbae originalis transgressionis ablatricem, *restitutionem* primae matris, caussam coniunctionis nostri generis cum Deo, et pontem qui ad creatorem perducit. O mater sancta et christianorum *restitutio*, tu novum filium super terram genuisti, illum ipsum qui ante omnia secula ex Patre sine fluxu genitus est. Dolo serpens primaeva felicitate protoparentes exspoliavit; tu autem, o Dei mater, hos ipsos *revocasti*. Benedictus, o innocentissima, sit fructus ventris tui. »

1381. Nemo igitur in disceptationem adducat, utrum ex doctrina suffragioque maiorum credi Virgo appellarique debeat [1]) *caussa renovationis, et faustissimum restitutionis revocationisque principium*. Sed nemo pariter in disceptationem adducat, utrum ipsi tribuenda sint decora, quibus *fons et origo reparationis, immo reparatrix et communis omnium expiatio atque purgatio* censeatur. Haec enim et cum superioribus nexa sic sunt, ut ab illis cogita-

a) Men. die XIII. Septembris ad vesp. pag. 77. col. 2. C, et Ode γ'. pag. 88. col. 2. E; die XIV. Aprilis Ode π'. pag. 59. col. 1. B; die XXI. Februarii Ode δ'. pag. 118. col. 1. C; die X. Maii Ode ζ'. pag. 46. col. 1. A.; die I. Novembris pag. 10. col. 2. A., die IV. pag. 26. col. 2. C., die XXI. pag. 157. col. 1. E; die XVIII. Octobris Ode γ'. pag. 109. col. 1. B-C.; et die XX. Iulii Ode θ'. pag. 105. col. 1. D. Σὺ τῶν προφητῶν τὸ κήρυγμα, ἀποστόλων δόξα καὶ μαρτύρων καύχημα, καὶ πάντων τῶν γηγενῶν ἡ ἀνακαίνισις, παρθένε μῆτερ θεοῦ· διὰ γὰρ σοῦ τῷ θεῷ καταλλάγημεν.

Τὴν τῆς ἀποτόμου ἀρχαίας ἀναιρέτιν ἀποφάσεως, καὶ τῆς προμήτορος τὴν ἐπανόρθωσιν, τὴν τοῦ γένους τῆς πρὸς θεὸν αἰτίαν οἰκειώσεως, τὴν πρὸς τὸν κτίστην γέφυραν σὲ, θεοτόκε, μεγαλύνομεν.

Νέον ἐπὶ γῆς ἐγέννησας παιδίον, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον ἀρρεύστως, μῆτερ ἁγία, χριστιανῶν ἡ ἐπανόρθωσις.

Δόλῳ τῆς παλαι ἐὐκληρίας τοὺς προπάτορας ἐξώρισεν ὁ ὄφις· σὺ δὲ τούτους, θεοῦ μῆτερ, ἀνεκαλέσω· εὐλογημένος, πάναγνε, ὁ καρπὸς τῆς σῆς κοιλίας.

1) Quo quidem et haec spectant apud Mone T. II. pag. 21:

» Ave Verbi palatium, » Peccatorum solatium, » O quam mundum hospitium! » Ave lapsi remedium, » Cunctorumque refugium, » O quam tutum praesidium!

tione potius quam reipsa distent, et disertis praeterea testimoniis comprobantur. Diserta namque haec sunt [a]) ex Paracletice: « Tamquam *fons nostrae reformationis* me serpentis oppugnationibus afflictum totum refinge, ut fide atque amore te beatificem, » Deipara virgo nullis laudibus exaequanda. » Diserta haec [b]) ex Triodio: « Murus es virginum et omnium qui ad te accurrunt, » Deipara virgo; caeli namque terraeque creator te, » immaculata, adornavit ut in sinu tuo habitaret, omnesque docuit tibi acclamare: salve virginitatis columna, salve *salutis porta*. Salve *dux spiritalis reformationis*, salve divinae bonitatis suppeditatrix. Salve tu quae turpiter conceptos *regenerasti*, salve, tu enim ad mentem revocasti qui mente carebant. Salve quae animorum corruptorem enervasti, salve quae innocentiae satorem peperisti. Salve thalamus virginei connubii, salve quae fideles cum Domino coniungis. » Diserta haec [c]) ex Octoecho: « Salve Virgo omni ex parte immaculata, salve vitae thesaurus, salve columna ignea et nubes superlucida: salve *omnis labis* [1]) *expiatio*, et omnis moestitiae ablatio, salve. » Atque haec item diserta sunt quae [d]) Iosephus scribit: « Corruptam

a) Paraclit. pag. 186. col. 2. A. Ὡς πηγὴ τῆς ἡμῶν ἀναπλάσεως, συντριβέντα με ὅλον ἀνάπλασον ταῖς προσβολαῖς τοῦ ὄφεως, ὅπως πίστει καὶ πόθῳ σε μακαρίζω, Θεοτόκε παρθένε πανύμνητε.

b) Triod. pag. 319. col. 2. C-E. Τεῖχος εἶ τῶν παρθένων, Θεοτόκε παρθένε, καὶ πάντων τῶν εἰς σὲ προστρεχόντων· ὁ γὰρ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς κατεσκεύασέ σε ποιητὴς, ἄχραντε, οἰκήσας ἐν τῇ μήτρᾳ σου, καὶ πάντας σοι προσφωνεῖν ἐδίδαξας.

Χαῖρε ἡ στήλη τῆς παρθενίας· χαῖρε ἡ πύλη τῆς σωτηρίας.

Χαῖρε ἀρχηγὲ νοητῆς ἀναπλάσεως· χαῖρε χορηγὲ θείας ἀγαθότητος.

Χαῖρε, σὺ γὰρ ἀνεγέννησας τοὺς συλληφθέντας αἰσχρῶς· χαῖρε, σὺ γὰρ ἐνουθέτησας τοὺς συληθέντας τὸν νοῦν.

Χαῖρε ἡ τὸν φθορέα τῶν φρενῶν καταργοῦσα· χαῖρε ἡ τὸν σπορέα τῆς ἁγνείας τεκοῦσα.

Χαῖρε πασῶν ἀσπόρου τυμφεύσιος· χαῖρε πιστοὺς κυρίῳ ἁρμόζουσα.

c) Octoech. pag. 59. col. 1. B. Χαῖρε παρθένε πανάμωμε· χαῖρε ζωῆς θησαυρέ· χαῖρε στύλε πύρινε, καὶ νεφέλη ὑπέρφωτε· παντὸς ῥυπώδους χαῖρε καθάρσιον· παντὸς θρηνώδους χαῖρε καθαίρεσις.

d) Men. die XIV. Aprilis Ode γ'. pag. 56. col. 2. C-D. Ῥυπωθεῖσαν πάθεσι τῆς ἁμαρτίας τὴν ψυχήν μου, ἄχραντε θεογεννῆτορ ἀγαθὴ, τῇ σῇ προσβείᾳ καθάρισον· σὺ γὰρ ὑπάρχεις σωτήριος κάθαρσις.

1) In Paraclit. pag. 389. col. 2. B. Deipara sociamatur his verbis: χαῖρε κόσμου καθάρσιον, *salve mundi expiatio*; et pag. 388. col. 2. C. dicitur: δίκαιόν σε ὄντως, σῶσόν με τῇ εὐσπλαγχνίᾳ σου· ἁμαρτωλῶν σὺ γὰρ αἱ βοηθὸς καὶ κάθαρσις σωτήριος. *Domina Deipara, me tua pietate salva; tu enim es peccatorum auxilium et salutaris expiatio.*

Digitized by Google

peccati passionibus animam meam, o immaculata, o bona Dei genitrix, tua intercessione expurga; tu namque es *salutaris expiatio.* » Concinunt haec [1]) ex veteri sequentia: « Tu collisum peccatis mundum *ad vitam reparasti*, Maria. » Concinunt haec ex altera sequentia, quae [2]) auctorem habet Hermannum contractum: « Tuque furentem Leviathan, serpentem tortuosumque et vectem collidens, *damnoso crimine mundum exemisti.* » Concinunt haec [3]) ex rythmo Goffridi vindocinensis:

» O Maria gloriosa,
» Iesse proles generosa,
» Per quam fuit mors damnata,
» Atque *vita* reparata.
» De convalle lacrimarum,
» Pressus mole peccatorum,
» Ad te clamo, Virgo pia,
» Sis mihi dux atque via.

Sed prae ceteris haec concinunt quae scribit [4]) Eadmerus Anselmi discipulus: « Quas itaque laudes, quasque gratiarum actiones non solum humana natura sed omnis creatura huic sanctissimae Virgini debet? Pura enim sanctitas et sanctissima puritas piissimi pectoris eius omnem omnis creaturae puritatem sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate *hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret.* » Quo autem sensu accipi haec debeant, explanare [5]) pergit inquiens: « Ne tamen aliquis eorum quae dicimus, nimis insolens autumet *nos magis more indiscrete laudantium ista dicere*, quam rem sicut est considerationi fidelium quocumque modo commemorando velle praefigere; plenius ea quae humanae naturae per eam bona provenere, commemorare iuvat; ac sic qualiter *omnes aliarum rerum formae per ipsam sint reformatae*, nihilominus prout poterimus in medium proferre delectat. Quod ea quidem re facere placet, ut prae oculis aliquatenus deformatis singularibus beneficiis eius, nemo relinquatur cuius consideratio immensitate promeritae laudis illius non obruatur. *Nota igitur omni seculo loquar, et de quo ad quid provecti simus huius Dominae meritis, pro posse* edicam.» Quod [6]) pluribus continenter exsequitur, ac tandem [7]) inferendo concludit: « Ubique cuncta quae Deus bona

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 186. Ubi pag. 33. haec refertur nominis Mariae interpretatio: « Maria scribitur quinque literis, in quibus quinque mysteria beatae Virginis designantur. Per litteram M intelligitur *mediatrix*; secunda est A per quam intelligitur *auxiliatrix*; tertia litera est R per quam intelligitur *reparatrix*; quarta I per quam intelligitur *illuminatrix*; quinta A idest *adiutrix*. »

2) Ibid. pag. 32.

3) Inter opp. Sirmondi T. III. pag. 633.

4) De excellent. Mariae cap. IX. pag. 140.

5) Ibidem.

6) Tribus continenter capitibus nono, decimo, undecimo, pagg. 140-142.

7) Ibid. cap. XI. pag. 142. col. 1. B-C. Quare nil mirum si maioribus nostris solemne fuerit non

et utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerunt, sicut ostendimus, esse destiterunt, *et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt et restituta.* »

1382. Opus igitur est ut reliquis Deiparae insignibus illud etiam accenseatur, quo Deipara est atque omnium voce dicitur *fons reformationis, caussa reparationis, universalis reparatrix, et communis expiatio.* Immo opus est ut illud etiam accenseatur, quo creditur *universale propitiatorium, communis propitiatio, maledicti solutio, obsignati contra nos chirographi deletio, medicina veneni, mortis et satanae victrix, atque per Filium una cum ipso redemptionis munere penitissime copulata.* Quae quidem omnia duplici potissimum ac manifesta plane ratione stabiliuntur. Sicut enim inde stabiliuntur, quod ex superioribus *necessaria rerum cognatione* dimanant; ita luculentis quoque maiorum suffragiis adprobantur. Atque his principio adprobantur [a]) ex veteri Graecorum quadragesimali officio: « Maria a Deo vocata, *vere propitiatorium fidelium;* ex te siquidem copiosa in omnes delabitur remissio, filium tuum atque Dominum iis qui te laudant, propitium reddere ne cesses. Salve [1]) *mundi propitiatorium*, o Dei genitrix, ad quod peccatores omnes confugientes, reconciliationem cum Deo semper

a) Offic. quadragesim. fer. II. hebd. I. ieiun. Ode ϛ'. pag. 57. Μαρία Θεόκλητε, ἱλαστήριον ὄντως τῶν πιστῶν· ἐκ σοῦ γὰρ ἡ ἄφεσις παροχεύεται τοῖς πᾶσι δαψιλῶς, τὸν υἱόν σου καὶ κύριον μὴ ἐλλείπῃς ὑμνοῦσι ὑπὲρ τῶν σὲ ὑμνούντων.

Fer. IV. hebd. I. ieiun. Ode θ'. pag. 117. Χαίροις ἱλαστήριον τοῦ κόσμου, Θεοτόκε, ἐν ᾧ προσφύγοντες πάντες ἁμαρτωλοὶ, πρὸς Θεὸν καταλλαγὰς ἀεὶ εὑρίσκομεν.

aliter Deiparam ac ut *mundi hominumque medicinam* celebrare. Atque huc sane ista pertinent apud Mone op. cit. T. II. pag. 63:

» Salve porta chrystallina, » Salve rosa carens spina,
» Vivi panis officina, » Virga florens vi divina:
» Dirae mortis medicina, » De qua nux amygdalina
» Flos mundi Maria. » Crevit vitae via.

Tum haec ibidem pag. 96:

» Tu angelorum regina, » Tu es rosa sine spina,
» Tu mortis es medicina, » Tu nos voca de sentina.

Atque haec rursum pag. 196:

» Gaude mundi medicina, » Et errantum reparatrix,
» Gaude rosa sine spina, » Tu pratum ridens floribus.
» Peccatorum suffragatrix
» Gaude templum deitatis » Et ruina restaurata
» Et origo bonitatis, » Ex Eva progrediens.
» Per te pax est confirmata

Gemina recurrunt pag. 201., itemque pag. 208:

» Salve salvatrix omnium, » Carens peccati spina,
» Languentium medicina, » Clamamus, fer auxilium,
» Ad te Dei triclinium » Nos serva a ruina.

Et denuo pag. 208:

» Salve nobilis regina, » Nectar indulgentiae,
» Fons misericordiae, » Et quos culpae pungit spina
» Aegris vitae medicina,
» Lapsis vena veniae; » Medicamen gratiae.
» Sitibundis nunc propina

1) Quo et haec pertinent Pselli in Metaphrasis officio pag. 240. apud Allatium de Symeonibus: ναὸς καὶ θρόνος καὶ κιβωτὸς τοῦ παμβασιλέως καὶ Θεοῦ σύ εἶ, πανύμνητε δέσποινα, μόνη Θεοτόκε, τὸ ἱλαστήριον ἡμῶν τῶν προσφευγόντων ὑπὸ τὴν σκέπην σου. » Templum et thronus et arca omnium regis et Dei tu es, o laudatissima Domina, sola Deipara, *nostri propitiatorium* qui ad tuam tutelam confugimus. »

Digitized by Google

invenimus. » His deinde adprobatur [a]) ex officio aquae benedictae minoris : « Salve *mundi propitiatorium*, salve divini mannae urna, et luminis lucerna undequaque aurea, o Dei sponsa. » Succedunt haec [b]) ex Octoecho : « Te omnis creatura glorificat, et te depraedicat *magnum vere propitiatorium* et gaudium. » Atque haec pariter [c]) ex Triodio : « Salve innocens virgo Deipara Maria, *mundi propitiatorium*, orthodoxorum firmamentum. *Mundum propitiatorium* peccantium, o sancta Domina, mediatione tua peccatorum meorum dele chirographum. » Quare [d]) Ignatius et Iosephus melodi sic habent : « Te quae penes Filium tuum maternam obtines fiduciam, deprecamur, o innocentissima, ne curam nostrum qui tibi congeneres sumus, negligas; te namque solam nos christiani *benevolam* apud Dominum *propitiationem* exhibemus. »

1383. Quod igitur de Christo cum Iohanne [e]) et [f]) Paulo profitemur, ipsum esse ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *propitiationem* [1]) *pro peccatis nostris*, et a Deo propositum ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *propitiationem* [2]) *per fidem in sanguine ipsius;* id ratione non prorsus dissimili ad Virginem pariter referendum esse maiores nostri sua auctoritate testantur. Qui et illud testantur, *ex*

a) Euchолog. pag. 443. C-D. Χαῖρε κόσμου ἱλαστήριον, χαῖρε σταμνὶ καὶ λυχνία πάγχρυσε, τοῦ θείου μάννα, καὶ φωτὸς, θεόνυμφε.

b) Octoech. pag. 57. col. 2. B. Σὲ πᾶσα κτίσις δοξάζει, καὶ ἀνακηρύττει σε ὄντως μέγα ἱλαστήριον καὶ καύχημα.

c) Triod. pagg. 39. col. 1. C, 51. col. 1. C., 78. col. 1. D, 125. col. 2. C., 278. col. 2. C., et 318. col. 1. C. Χαῖρε, παρθένε ἁγνὴ, θεοτόκε Μαρία, ἱλαστήριον κόσμου, ὀρθοδόξων τὸ κέρας.

Καθαρὸν ἱλαστήριον τῶν ἁμαρτανόντων, ἁγία δέσποινα, μεσιτείᾳ σου διάῤῥηξον τῶν ἁμαρτιῶν μου τὸ χειρόγραφον.

d) Men. die XI. Aprilis Ode γ'. pag. 46. col. 2. A., et die XX. Martii Ode ε'. pag. 86. col. 2. D. Μητρικὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν υἱόν σου κεκτημένη, πάναγνε, συγγενοῦς προνοίας τῆς ἡμῶν μὴ παρίδῃς δέομεθα, ὅτι σὲ καὶ μόνην χριστιανοὶ πρὸς τὸν δεσπότην ἱλασμὸν ὑμνῇ προβαλλόμεθα.

e) I. Ioh. II. 2. Καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.

Ibid. IV. 10. Ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.

f) Rom. III. 25. Ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.

1) In Gloss. vett. apud Labbaeum pag. 92. ἱλασμός, *placatio, exoratio;* et apud Hesychium, ἱλασμὸς· ὑμνῳδία, συγχώρησις, διαλλαγή, καταλλαγή. Penes alexandrinos nunc Ezech. XLIV. 27. respondet hebraico חַטָּאָה, quod est *sacrificium pro peccato*, et nunc Amos VIII. 14. hebraico אָשְׁמָה, quod notat *oblationem pro reatu.*

2) Hesychius, ἱλαστήριον· καθάρσιον, θυσιαστήριον. Scilicet nomen est *adiectivum substantive* acceptum, et supplendum adiecta voce θῦμα.

Digitized by Google

eodem Deiparae fonte post Christum et per Christum derivandam esse solutionem maledicti, quod universam Adami posteritatem premit et angit. En quae habent [1]) Armenii: « *Maledicti solutio*, et peccati expiatrix, Virgo sancta: *per te solutum est condemnationis signaculum*, et per te erecta prima mater quae peccando cecidit. Te propterea, Dei genitrix et virgo, hymnis assidue magnificamus. » Et [2]) rursum: « Tu gloria virginitatis hominum, tu angelorum laetitia, *tu tollens maledictionem.* Ideo te, Deipara, extollimus. » En quae [3]) ex sancto Iacobo sarugensi habent Syri: « Benedicta tu inter mulieres, per quam maledictum terrae *exstirpatum est, et sententia damnationis accepit solutionem.* » Et en quae in omnibus ferme ecclesiasticis libris habent Graeci. Canunt [3]) in Paracletice *maledicti solutionem* ex Deipara profectam; idipsum repetunt [4]) in Pentecostario; in Menaeis vero [b]) Theophane et Iosepho chorum ducentibus, clamant: « Salve verus virginitatis thesaurus, revocatio progenitricis, *et solutio maledicti* quo fuit progenitor mulctatus. Tibi iucundissime, o Virgo, voce archangeli acclamamus: salve *maledicti solutio*, salve redemptio ab omnigenis malis, salve quae tuo super mentem partu mortales reddidisti divinos. » Quibus haec [c]) ex Sophronio respondent: « Salve gaudii caussa, salve *maledicti ablatrix*, salve gloria orthodoxorum, o Dei genitrix innocentissima, per quam a corruptione liberati sumus. »

1384. Quemadmodum vero Deiparae tribuitur *maledicti solutio*, ita pariter defertur quod ex sese ac primum Christo compe-

a) Offic. maronit. ad prim. noctur. Sabbathi pag. 457.

حنصحا وتعا بكوبحا وافحا كنه ٱلحمنا ٥ حزو ومسا قصنه ٥ حصا حصـــ
حصحصا +

b) Men. die IV. Februarii Ode γ'. pag. 26. col. 1. C., die XVII. Martii pag. 76. col. 2. C., die XXVII. Septembris pag. 178. col. 1. A., die XVIII. Octobris Ode ε'. pag. 100. col. 2. B., et die VII. Decembris pag. 62. col. 2. D. Χαίροις ἀληθῶς παρθενίας τὸ κειμήλιον, ἡ τῆς προμήτορος ἀνάκλησις, καὶ τῆς κατάρας ἡ λύσις τῆς τοῦ προπάτορος.

Φωνήν σοι βοῶμεν, παρθένε, περιχαρῶς τοῦ ἀρχαγγέλου· χαῖρε τῆς κατάρας ἡ λύσις, δεινῶν παντοίων χαῖρε ἡ λύτρωσις, ἡ τοὺς βροτοὺς θεώσασα τῇ ὑπὲρ νοῦν κυοφορίᾳ σου.

c) Triod. pag. 181. apud Mai, spicileg. rom. T. IV. Χαῖρε τῆς χαρᾶς ἡ αἰτία, χαῖρε κατάρας ἀνηρέτις, χαῖρε ὀρθοδόξων τὸ κλέος, δι' ἧς φθορᾶς ἠλευθερώθημεν.

1) Ex hymnis in nativ. Christi, qui vetustiores saeculo X. existimantur.

2) Confess. eccles. arm. pag. 41.

3) Paraclit. pagg. 275. col. 1. A., et 284. col. 1. C.

4) Pentecost. p. 57. col. 1. A.

Digitized by Google

tens, his verbis [a]) Paulus significat: « Delens quod adversus nos erat chirographum [1]) decreti, quod erat contrarium nobis. » Et ipsa sane est quae [b]) in officio magni et angelici habitus his verbis exoratur: « Delictorum disrumpe vincula, et *peccati chirographum* eius qui ad divinum habitum accedit, *dele,* illumque, o prorsus innocens, hilaritate, devotione ac fide orthodoxa fultum custodi. » Et ipsa est cuius nomine [2]) in Sacramentario gallicano hae ad Deum funduntur preces: « Exaudi nos Domine, sancte Pater, omnipotens Deus, qui beatae Mariae uteri obumbratione cunctum mundum illuminare dignatus es, maiestatem tuam supplices deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, eius adipisci praesidiis mereamur. Te quaesumus Domine famulantes, ut beatae Mariae nos gaudia comitentur, *cuius meritis nostra deleantur chirographa peccatorum.* » Deleto autem condemnationis nostrae peccatorumque chirographo, Deipara fuit *medicina veneni,* quo ipsam titulo decoratam saepius [3]) accepimus, ac decoratam rursum videre licet tum [4]) penes Theophanem, tum penes Hildebertum cenomanensem antistitem qui [5]) sermonem *de festo purificationis beatae Mariae* absolvit inquiens: « Sequamur vestigia beatae Mariae virginis, quae se talem exhibuit in mente, qualis erat in praesentatione figurae. Rogemus beatissimam reginam, *quae mundi est medicina* et caeli porta, spes miserorum, consolatio peccatorum, ut Filium quem hodie praesentavit in templo, faciat nobis placabilem. »

1385. Hinc Virgini multo quàm existimari frequentius possit, in christianis monimentis vindicatur *quod mortem destruxerit et illius moerorem in gaudium commutarit.* Atque hoc profecto eidem asseritur a vulgatis Augustino et Gregorio neocesariensi, quorum prior [6]) non solum Virginem dicit *cunctis gratiosiorem et omnibus*

a) Coloss. II. 14. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν.

b) Euchолog. pag. 502. B. Ῥῆξον τὰς σειρὰς τὰς τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ ἁμαρτίας τὸ χειρόγραφον τοῦ τῷ θείῳ σχήματι προσιόντος ἱλαρότητι καὶ εὐλαβείᾳ, πάναγνε, πίστει τῇ ὀρθοδόξῳ ἐρρωσμένον φυλάττουσα.

1) Graece non est τοῦ δόγματος *decreti*, sed τοῖς δόγμασι *decretis*, de quo discrimine, germanaque totius incisi significatione consulantur interpretes.

2) Apud Muratorium liturg. rom. Tom. II. pag. 809.

3) Cf. nn. 963. seqq.

4) Men. die XI. Decembris Ode ε'. pag. 88. col. 1. D.

5) Serm. LVI. idemque I. in festo purificat. pag. 611. B.

6) Serm. CXLIV. n. 2. pag. 452. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. I.

Digitized by Google

perfectiorem, sed illi praeterea tribuit: « Quod super omnes alias creaturas, *morte iam per eam devicta*, nobis attulerit vitam sempiternam. » Posterior vero [a]) sic eam salutat: « Ave quae in tuo utero matris Evae *mortem demersisti*. » Asseritur [1]) a Methodio et [b]) ab Ephraemo, qui mutuo contendens creationis et reparationis dies scribit: « Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est, hodie renovata: initio ob Adami crimen [2]) maledicta est in opere suo, hodie vero pax illi et securitas restituta: initio protoparentum delicto [3]) in omnes homines mors pertransiit, hodie vero *per Mariam translati sumus de morte ad vitam:* initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit, hodie Maria [4]) ex auribus assertorem perpetuae felicitatis excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum. » Accedit Iohannes damascenus, qui [c]) de Virgine prae reliquis iustis verba faciens ait: « Quocirca non te mors [5]) beatam fecit, *sed ipsa mortem hilarem reddidisti, ut quae moestitiam eius sustuleris, ipsamque gaudium esse praestiteris.* » Accedunt Graeci uno ore omnes, neque solum [6]) in Anthologio, verum etiam [d]) in Menaeis, in qui-

a) Orat. III. in Deiparae annuntiat. pag. 29. C. Χαῖρε, ἡ ἐν μήτρᾳ τὸν τῆς μητρὸς βυθίσασα θάνατον.

b) De diversis serm. III. idemque de Virginis laudibus pag. 607. D-F. opp. syr. T. III.

وَلا وِهُا هُفْسلا نُمِ مُهمُا : حَنْهُا .قَبِهُا وَحنْعُهُ . حَوْه "لاَاقَتد حَنْسُلا :
حَمِ وْمِ "اوْحُا "لاسْبُلا : هَلاحَنْهُ تَعِيْلا "اوْم : وِقَعِيْكَنْهُ "لاَلكَلْهُ : سُهُا هُاوْم
حَسِيْهَا : "لاَلْه هُهُلا لحَنْمُلا : ههُاوْه خَاتِبْهِ مُوْقَد لَح : مْع هُنْعُم سُتْا سُبْلا .
هُنْلِه وِحُهُا حَبِ سُهُا : خَاوِنْه وِسُهُا هُقْف هِهُا : هُلِحُا سِنْتِه "لسْلَه هِهُا : مْع "اوْنِه
وِهُنْعُم لَلا هِهُا . حَوْه "اوْحُا وِلَلا حَه هُهُلا : "لاَلْه سُتْا مِقْتَلَه حَهُلا +

c) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XII. pag. 866. D. Ἐντεῦθεν οὐ σὲ ὁ θάνατος ἐμακάρισεν, ἀλλ' αὐτὴ τὸν θάνατον κατηγλάϊσας, τὴν τούτου κατήφειαν λύσασα, καὶ χαρὰν τὸν θάνατον δείξασα.

d) Men. die III. Ianuarii Ode ε'. pag. 25. col. 2. D., die XVII. Ode γ'. pag. 135. col. 1. E., die XXII. ad vesper. pag. 168. col. 1. B., die III. Augusti Ode ζ'. pag. 22.

1) De Symeon. et Anna §. V. pag. 809. D-E. apud Gallandium T. III.

2) Gen. III. 17.

3) Rom. V. 12.

4) Quae cum his componi debent in Latinorum hymnis frequentata apud Mone II. pagg. 162-163-172.
»Gaude Virgo mater Christi »Quae per aurem concepisti,
»Gabriele nuntio: »Concepisti sine poena
»Gaude quia Deo plena »Cum pudoris lilio.

5) Quum tamen Eccl. IX. 13. de ceteris universim iustis dicatur, μὴ μακάριζε ἄνθρωπον πρὸ τελευτῆς αὐτοῦ, *ante mortem ne beatifices quemquam.*

6) Anthol. pag. 180. col. 2. C.

Digitized by Google

bus ex Theophane et Iosepho haec aut hisce similia passim frequentantur: « Salve Virgo Dei sponsa, salve fidelium spes, salve mundi expiatio, salve quae servos tuos ab omni afflictione servas, salve *mortis solutio*, salve vitam afferens paradisus. *Per te*, o mater innocens, *evacuata mors est*, per te inferni stimulus retusus; tu namque immortalem Dominum carne mortuum genuisti. »

1386. Sed alter etiam neque minus illustris celebrari debet Virginis triumphus, quo *satanam debellavit*. Plura [1]) alibi de hoc triumpho dedimus, quibus non sine fructu adduntur quae Modestus hierosolymitanus [a]) Deiparam compellans ait: « O beatissima dormitio supergloriosae Deiparae, per quam [2]) accepimus remissionem peccatorum nostrorum, *et e diaboli tyrannide redempti sumus*. » Neque sine fructu adduntur quae tradunt Hesychius pariter hierosolymitanus et Proclus constantinopolitanus, ille ubi [b]) de Virgine inquit, *et draconis audaciam abscidit*, hic ubi [c]) de eadem docet, *per Virginem daemonum principatum direptum et hominum captivitatem praedatione celeriter abductam*. Quare [3]) Bruno astensis de Eva simul ac Maria loquens scribit: « Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est. Illa a diabolo victa est, *haec diabolum ligavit et vicit*. » Quibus affinia haec sunt [d]) ex canone hymni acathisti:

col. 2. E., die XXIX. Ode ζ'. pag. 161. col. 1. D., die VII. Iulii Ode α'. pag. 31. col. 2. E., die XV. Ode α'. pag. 75. col. 1. C, die XVII. Ode α'. pag. 83. col. 1. B., et die XXIII. Ode ζ'. pag. 112. col. 2. C. Χαῖρε παρθένε θεόνυμφε· χαῖρε πιστῶν ἡ ἐλπίς· χαῖρε κόσμου καθάρσιον· χαῖρε πάσης θλίψεως ἡ τοὺς δούλους σου σώζουσα· ἡ τοῦ θανάτου χαῖρε κατάλυσις· ὁ ζωηφόρος χαῖρε παράδεισος.

Κατήργηται θάνατος διὰ σοῦ, καὶ ᾅδου τὸ κέντρον ἠφανίσθη, μήτηρ ἁγνή· σὺ γὰρ τὸν ἀθάνατον δεσπότην θανατωθέντα σαρκὶ ἀπεκύησας.

a) Encom. in Deiparam pag. 26. Ὦ παμμακαρία κοίμησις τῆς ὑπερενδόξου θεοτόκου, δι' ἧς ἐλάβομεν τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων ἡμῶν, καὶ λελυτρώμεθα ἐκ τῆς τοῦ πονηροῦ τυραννίδος.

b) Orat. de Virginis laudibus pag. 423. C-D. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτεμοῦσα τοῦ δράκοντος.

c) Orat. VI. pag. 645. C. apud Gallandium T. IX. Δι' ἧς τῶν δαιμόνων ὀξέως ἡ δυναστεία ἰσχυλώθη, καὶ τῶν ἀνθρώπων ταχέως ἡ αἰχμαλωσία προεσημήνθη.

d) Ad calcem Paraclit. pag. 448. col. 2. B. Ἀδὰμ ἐπανόρθωσις χαῖρε, παρθένε θεόνυμφε, τοῦ ᾅδου ἡ νίκησις· χαῖρε, παράμωμε, τὸ παλάτιον τοῦ μόνου βασιλέως· χαῖρε θρόνε πύριε τοῦ παντοκράτορος.

1) Cf. nn. 902. seqq.
2) Ephes. I. 7.
3) Sentent. lib. V. cap. II. pag. 555. col. 1. C.

Digitized by Google

« Salve Virgo Dei sponsa, Adami restitutio *et inferni mors*. Salve, o immaculatissima, unius regis palatium. Salve igneus Omnipotentis thronus. » Tum haec [a]) quae Iosephus habet: « O inviolata, interfice peccatum vivens et mortificans animam meam, meque dignum redde consortio vitae divinae, tu quae gaudium peperisti, *et serpentem occidisti*. »

1387. Quibus praestitutis, id unum reliquum fuit ut cum Christo redemptore *Virgo redemptrix* altero similique gradu coniungeretur. Et cum eo sane his verbis [b]) in Pentecostario coniunctam reperimus: « Cum gaudio beatae omnes mulieres in Christo per Spiritum perfectae immaculatam Virginem et veram Dei matrem, *quae nos a maledicto progenitricis Evae redemit*, circumdantes extollite illius fructum in secula. » Coniunctam pariter reperimus [c]) in Menaeis, in quibus facem praeferentibus Iohanne damasceno, Theophane, Georgio nicomediensi, Ignatio et Basilio pegoriote, sicut Virgo passim appellatur τὸ λύτρον *pretium*, τῆς Εὔας ἡ λύτρωσις *Evae redemptio*, τοῦ Ἀδὰμ ἡ λύτρωσις, *Adami liberatio*, et nos dicimur per Virginem λυτρωθέντες ἀρᾶς τῆς προμήτορος *redempti a maledicto progeni-*

a) Men. die XVI. Aprilis Ode ζ'. pag. 66. col. 1. E. Νέκρωσον, ἄχραντε, τὴν ζῶσαν καὶ νεκροῦσαν τὴν ψυχήν μου ἁμαρτίαν· καὶ ζωῆς μετασχεῖν ἀξίωσόν με θεία, ἡ τὴν χαρὰν κυήσασα, καὶ νεκρώσασα τὸν ὄφιν.

b) Pentecostar. p. 263. col. 1. E. Μετ' εὐφροσύνης ἅπασαι γυναικῶν αἱ θεόφρονες, αἱ τελειωθεῖσαι ἐν Χριστῷ τῷ πνεύματι, παρθένον τὴν ἄχραντον καὶ ἀληθῆ μητέρα θεοῦ, τὴν ἐκ τῆς κατάρας τῆς προμήτορος Εὔας ἡμᾶς λυτρωσαμένην, ταύτην περικυκλοῦσαι, τὸν ταύτης ἀνυμνεῖτε καρπὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.

c) Men. die XVI. Ianuarii pag. 129. col. 2. C., die II. Novembris pag. 15. col. 1. C., die III. pag. 19. col. 2. C., die XXI. pag. 156. col. 2. A., die XIII. Septembris pag. 93. col. 2. E., die XXIII. pag. 146. col. 2. D., die V. Decembris pag. 26. col. 1. C., die XXI. Octobris pag. 124. col. 2. B-C., die XXVIII. pag. 170. col. 2. A., die XIX. Martii pag. 80. col. 1. D., die XXI. pag. 91. col. 2. C.; et die XXV. pag. 116. col. 2. B. Χαίροις βροτῶν ἡ λύτρωσις, τῶν πενομένων τροφή· τῶν δαιμόνων χαίροις ἀμυντήριον· χαίροις σπιλῶν ἐμῶν καθαρτήριον.

Ἁγίων μαρτύρων ἱερὸν ἐγκαλλώπισμα ὤφθης, παρθένε, ἀληθῶς, καὶ τῶν πιστῶν καταφυγὴ, τεῖχός τε καὶ στήριγμα, καὶ παντελὴς ἀπολύτρωσις· μεγαλοφώνως διό σε δοξάζομεν.

Μετ' εὐφροσύνης κράζομέν σοι τὸ χαῖρε, παρθένε· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις τοῦ Ἀδὰμ καὶ τῆς Εὔας· χαῖρε δι' ἧς ἀνεῳχθη τῶν βροτῶν ἡ οὐσία πρὸς δόξαν ὑπερκόσμιον τοῦ υἱοῦ καὶ θεοῦ σου.

Παρθένε Μαριὰμ, τῶν ἀγγέλων ἡ δόξα, ἀράϊσμα τερπνὸν καὶ γηγενῶν ὁ κόσμος, δίδου τοῖς σὲ ὑμνοῦσι ἁμαρτημάτων πάντων συγχώρησιν· ἵλαθι τοῖς σοῖς δούλοις, ὅτι ὑπάρχεις, ἁγνὴ, ἡ λύτρωσις ἀπεγνωσμένων ὄντως ἰσχυρὸν προσφύγιον ἀνθρώποις.

Digitized by Google

tricis, aut etiam plenius λελυτρωμένοι τῆς τῶν προπατόρων κατάρας, *redempti a protoparentum maledicto;* ita haec de ipsa nominatim perhibentur: « Salve *mortalium redemptio*, cibus esurientium: salve daemonum populsatrix: salve nostrorum peccatorum expiatio. Vere, o Virgo, apparuisti sacrum sanctorum martyrum decus, fidelium vero perfugium, murus, firmamentum et *perfecta redemptio;* propterea te magnis vocibus glorificamus. Iucunde tibi, o Virgo, acclamamus salve. Salve *maledicti Adami et Evae redemptio*, salve per quam mortalium natura ad supernam gloriam filii et Dei tui evecta est. O virgo Maria, angelorum gloria, iucundum ornamentum decusque mortalium concede iis qui te exaltant omnium indulgentiam peccatorum, propitia esto servis tuis, quoniam tu es, o innocens, *redemptio desperatorum* et potens vere hominum praesidium. » Hinc quod [a]) Syri profitentur: « Erat Maria veluti obsignata epistola, et lecta est quin eius solverentur sigilla: fuit in ea spes et vita et *redemptio* tam Adamo qui mandatum transgressus est, quam omnibus eiusdem filiis. » Hinc quod Syrorum decus Ephraemus Deiparam exorans [b]) habet: « Non est enim mihi alia spes aut perfugium, nisi tu, quae sola es mea consolatio et velox defensio, animae meae exsultatio, moeroris solutio, *captivitatis liberatio*, mortalium deificatio, nostrum propitiatorium et subsidium, lapsorum erectio, animae meae corporisque reformatio, et meorum peccatorum *redemptio*. » Hinc Deiparae elogia quae idem [c]) congerit inquiens: « Delictorum remissio, iusti iudicis placatio, lapsorum erectio, meae animae corporisque reformatio, salus mea, consolatio mea, mea vita, mea lux, spes mea, patrona, mediatrix, *liberatio*,

a) Offic. maronit. pag. 157.

ܐܢܬ ܗܘ ܕܦܪܩܢ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܐܦ ܠܟ ܡܢ ܥܠ ܥܠ ܐܒܗ ܕܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ✣

b) Orat. II. ad Deiparam pag. 525. C-E. opp. graec. T. III. Οὐκ ἔχω γὰρ ἄλλην ἐλπίδα ἢ καταφυγὴν, εἰ μὴ σὲ καὶ μόνην τὴν ἐμὴν παραμυθίαν, καὶ ὀξείαν ἀντίληψιν, τὸ τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἀγαλλίαμα, τῆς λύπης ἡ λύσις, τῆς αἰχμαλωσίας ἡ λύτρωσις, τῶν θνητῶν ἡ θέωσις, τὸ ἡμέτερον ἱλαστήριον καὶ προσφύγιον, ἡ ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, ἡ ἀνάπλασις τῆς ἐμῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, τῶν ἁμαρτιῶν μου ἡ ἀπολύτρωσις.

c) Orat. IV. ad Deiparam pag. 530. D-F. Πταισμάτων συγχώρησις, κριτοῦ δικαίου ἱλασάμενος, ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, ἀνάπλασις τῆς ἐμῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, σωτηρία μου, παρηγορία μου, ἐμὴ ζωὴ, ἐμὸν φῶς, ἐμὴ ἐλπὶς, προστάτης, μεσίτης, λύτρωσις, τῶν ἁμαρτιῶν μου ἡ ἀπολύτρωσις.

peccatorum meorum redemptio. » Atque hinc praeclara eiusdem ad Deiparam [a]) acclamatio: « Salve pax et gaudium humani generis, salve revocàtio Adami, salve Evae *pretium redemptionis,* salve fons gratiae, salve pura quae draconis nequissimi caput contrivisti, salve *maledictionis redemptio,* per quam laetitia mundo apparuit. »

1388. Quorum omnium, praeter [1]) alios, testes accedunt sane dignissimi quibus fides adhibeatur, Georgius nicomediensis qui praesentatam in templo Deiparam his verbis [b]) alloquitur: « O oblationem factam *pretium redemptionis mundi!* O bonam radicem *(Ioachimum et Annam intelligit),* e qua optimum illud germen prodivit!» Tarasius constantinopolitanus, qui [c]) non modo Virginem nuncupat *firmam redemptionem,* verum etiam ubi [d]) illius cultum tuetur, scribit: « Si enim Deus iussit Abrahamum afferre vitulam trimam et capellam trimam in animarum purgationem, quonam pacto Virgo a creatione mundi praedestinata et ex omnibus generationibus praeelecta in impollutum domicilium et omnipotenti oblata in templo sancto, non honore digna et pura et impolluta erit, *et oblatio immaculata humanae naturae?* » Postremo Iohannes damascenus, qui nunc [e]) Deiparam salutat inquiens: « Ave per quam nos ex inferni portis ad caelos evecti sumus. Ave *per quam nos a maledictione redempti sumus,* et ineffabili laetitia dignati. » Nunc [f]) de

a) Orat. ad Deiparam pag. 547. E-F. Χαῖρε εἰρήνη καὶ χαρὰ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους· χαῖρε ἀνάκλησις Ἀδάμ, τῆς Εὔας χαῖρε λύτρον· χαῖρε πηγὴ τῆς χάριτος· χαῖρε ἀγνὴ, ἣ ἐβλάστησε τοῦ ἀρχεκάκου κάρα συνθλάσασα· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, δι' ἧς χαρὰ τῷ κόσμῳ ἐδείχθη.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1127. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ὦ προσφορᾶς ἀντίλυτρον τοῦ κόσμου ἀνατεθείσης· ὦ ἀγαθῆς ῥίζης ἀγαθώτατον ἐκφυσάσης βλαστόν.

c) Orat. in Deiparae praesentat. Βεβαία ἀπολύτρωσις.

d) Ibidem. Εἰ γὰρ ὁ θεὸς τῷ Ἀβραὰμ ἐνίγκειν προσέταξε δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν πρὸς καθαρισμὸν τῶν ψυχῶν, πῶς ἡ παρθένος ἡ προορισθεῖσα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, καὶ ἐκ πασῶν γενεῶν προεκλεχθεῖσα εἰς κατοικητήριον ἀμόλυντον, καὶ προστεχθεῖσα εἰς ναὸν ἅγιον τῷ παντοκράτορι, οὐχὶ τιμία καὶ καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος καθέστηκε, καὶ προσφορὰ ἄμωμος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως;

e) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 839. D-E. Χαῖρε, δι' ἧς ἡμεῖς ἐκ τῶν τοῦ ᾅδου πυλῶν εἰς οὐρανοὺς ἀνεβιβάσθημεν· χαῖρε, δι' ἧς ἡμεῖς ἐλυτρώθημεν ἀρᾶς, ἀνεκλαλήτου δὲ χαρᾶς ἠξιώθημεν.

f) Orat. II. in Deiparae nativit. §. V. pag. 852. D. Δοὺς τὴν κυριώνυμον Μαρίαν λύτρον οὕτως ἀγλαὸν καὶ μεγαλοφυὲς ἀντὶ τῆς Εὔας.

1) Cf. nn. 1082. seqq., itemque ea quae Maraccius profert in polyanth. marian. lib. XIV. pag. 130. ad v. *pretium,* et lib. XV. pag. 155. ad vv. *redemptio, redemptrix.*

Digitized by Google

Deo Ioachimum et Annam exaudiente subdit: « Quod illis dederit eam quae propriae Mariae nomen gerit *in splendidum, et magnificum pro Eva pretium.*» Et nunc archangeli verba explanans [a]) inquit: « Ave plena gratia, inexhaustum gaudii pelagus. Ave *unica moeroris obliteratio.* Ave pharmacum dolorem ex omni corde pellens. Ave *per quam mors expulsa est, vita autem importata.* » Quibus plenissime imbutus Eadmerus luculenter [1]) scripsit: « Utique cuncta quae Deus bona et utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerunt, esse destiterunt, *et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt et restituta.* Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, pater est et *Dominus* omnium, ita beata Maria suis meritis cuncta reparando mater est et *Domina* rerum: Deus enim est *Dominus* omnium, singula in sua natura propria iussione constituendo; et Maria est *Domina* rerum singula congenitae dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit; ita Maria de sua carne mundissima peperit illum, qui [2]) in decorem primae creationis omnium cuncta restituit. »

1389. Ne igitur *multiplices* memorem *antitheses*, quibus Virgo tum a protoparentibus lapsis, tum ab infecta eorumdem progenie longissime separatur: de his enim ea propriis locis [3]) disseruimus quae sufficere posse existimavimus; animum *ad eas syntheses* convertam, quibus cum Christo sic ipsa coniungitur ut unum prope atque idem cum eo effecta videatur. Sane memoria reputentur nobilissimae Christi dotes, quibus est ac omnium fide creditur *caput et caussa salutis, origo et cornu salutis, auctor laetitiae et pacis, fons renovationis, salutaris omnium expiatio, pretium pro omnibus persolutum, mortis et satanae triumphator, medicus universalis, universalisque redemptor;* tum haec insignia decora cum iis diligenter comparentur, quae unanimi suffragatione maiorum Dei-

a) Orat. II. in Deiparae dormit. §. XVI. pag. 878. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τὸ τῆς χαρᾶς ἀδιάπαυστον πέλαγος· χαῖρε τὸ μόνον τῆς λύπης ἐξάλειπτρον· χαίροις πάσης καρδίας ἀκεσαίδυνον φάρμακον· χαίροις, δι' ἧς παρωθεῖται μὲν θάνατος, εἰσηκόμισται δὲ ζωή.

1) De excellent. Deiparae cap. XI. p. 142. B-D. Similia repetuntur in libello *de quatuor virtutibus beatae Mariae* cap. VIII. p. 145.

2) Al. *decorem cunctis restituit.*

3) Cf. nn. 1254. seqq.

Digitized by Google

parae adscripta novimus. Quid ex huiusmodi contentione necessario consequetur? Apertum id erit, si uno veluti mentis appulsu animadvertatur I. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *illud salutis caput, caput nostrae salutis, caussam salutis, caussam universalis salutis, matrem salutis, matrem communis salutis, cornu potentiae quo satanae robur fractum iacet, salus fidelium, mundi, generis nostri, salus a peccati diluvio, mundi salvatrix, salvatrix seculi, et communis salus.* Animadvertatur II. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *laetitiae auctricem, caussam communis gaudii, naturae solatium, generis iucunditatem, solutionemque moeroris.* Animadvertatur III. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *instaurationem eorum quae obsoleverant, revocationem figmenti nostri, restitutricem originalis ingenuitatis, principium et caussam regenerationis, reformationis et communis erectionis, sitae et casus reparatricem, vivificatricem omnium, solamque deiectorum restitutricem.* Animadvertatur IV. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *salutarem expiationem, expiationem omnis labis, vere propitiatorium, magnum vere propitiatorium, mundi propitiatorium, purum propitiatorium, et benignam apud Dominum propitiationem.* Animadvertatur V. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *maledicti solutionem, solutionem signaculi condemnationis, extirpatricem universalis maledicti et condemnationis ablatricem.* Animadvertatur VI. Deiparam esse atque omnium ore celebrari *medicinam veneni, medicinam mundi, ac prorsus eam quae peccati chirographum disruperit penitusque deleverit.* Animadvertatur VII. Deiparam esse atque omnium ore veluti eam celebrari, *quae mortem demerserit, evacuarit, vicerit, eiusque tristitiam in gaudium commutarit, quaeque destruxerit diaboli tyrannidem, draconis absciderit audaciam, regnumque daemonum subverterit.* Postremo animadvertatur VIII. Deiparam esse atque omnium ore celebrari [1]) *tamquam splendidum et magnificum pro Eva pretium, tamquam*

1) Praeclare auctor coronae beatae Virginis cap. III. pagg. 397-398: »Licet tu, Domina, esse coeperis ex tempore, coram Deo quodammodo aeterna extitisti, eo quod a sua maiestate fuisti aeternaliter praeordinata, ante mundi constitutionem in matrem Dei electa, sancta et immaculata; ut per te Deus nobis suam pacem de caelis mitteret, genus humanum redimeret, ruinam angelicam repararet, vinctos de inferni claustris educeret et caeli ianuam reseraret. Terrestria reparas, caelestia restauras, ima summis confoederas, et omnibus ad te clamantibus misericorditer gratiam administras.« Quibus haec respondent ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pag. 45.

»Quae commisit femina, »Vitae via,
»Luit mundus crimina, »Casta parens est Maria,
»Sed redemptrix Domina, »Quod testatur prophetia.

Digitized by Google

pretium redemptionis, et tamquam redemptionem [1]) *a maledicto et peccato maledicti caussa.* Quibus animadversis, neque splendidior apparere potest coniunctio Deiparae reparatricis cum Christo reparatore, neque exposci aliquid iure potest accommodatius quo Deiparae origines suffragio maiorum immaculatae comprobentur. Singula enim capita quae coniunctionem cum Christo reparatore praeseferunt, manifestam vicissim oppositionem produnt cum originali corruptione, qua Deipara semel infecta quo penitius cum reliqua damnationis massa copulatur, et a Christo reparatore longius seiungitur, eo liquidius impar explendis reparationis partibus ostenditur. Neque enim fieri ullo modo potuit, ut quae primum exstitit *aegra, infecta, veneno serpentis afflata, eiusdem mancipium, morti et maledicto obnoxia, filia irae et condemnationis;* eadem foret omniumque ore celebraretur *caput et origo salutis, auctrix laetitiae, solatium moeroris, renovatio humani figmenti, reparatio et restitutio generis, commune propitiatorium et salutaris omnium expiatio, maledicti solutio et condemnationis expultrix, veneni et mundi medicina, chirographi peccatorum deletrix, satanae, peccati, mortisque victrix, pretium universalis redemptionis, universalisque redemptio.* Quod quum probe vidisset Anselmus, susceptam disputationem his verbis [2]) absolvit: « Te igitur, Domina, quam in tantum culmen praedestinavit et extulit divina potentia, quam tot praerogativis ditavit cuncta disponens Dei sapientia, *quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia:* crediderim ne, quaeso, te morte peccati, quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse gravari? »

1) Scite Chrysostomus in ps. XLIV. 7. Διὰ τῶν ἐστεφανώθημεν. βρώσεως ἐξεβλήθημεν πρώην, διὰ βρώσεως εἰσοίχθημεν πάλιν· παρθένος ἡμᾶς ἐξέβαλε παρελθόντος, διὰ παρθένου ζωὴν εὕρομεν αἰωνίαν· δι' ὧν κατεκρίθημεν, διὰ τούτων ἐδικαιώθημεν.

2) De concept. b. Mariae virginis pag. 501. col. 2. D-E.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Quam intimus sit et omnino singularis societatis habitus, quo cum Christo humani generis reconciliatore Deipara reconciliatrix copulatur: multiplices dicendi formae, quibus maiores nostri hoc non minus intimum quam singulare consortium significarunt: nonnullae proferuntur, opportunisque testimoniis illustrantur: quid sit consequens, et quam ista praeclare traditionem de praerogativa immaculati conceptus patefaciant.

1390. Duplici potissimum verbo [1]) ἀποκαταλλάσσω et καταλλάσσω *reconcilio*, a quo [2]) καταλλαγή *reconciliatio* in libris novi foederis exprimitur faustissimum Christi munus, quo humanam gentem post inimicitiam et iras in gratiam cum Deo revocavit, ad concordiam redegit et perfectissime reconciliavit. Hinc solemnia de Christo [a]) effata: *si enim quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius, per quem nunc reconciliationem accepimus. Ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum,*

a) Rom. V. 10-11. Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.

II. Cor. V. 17-19. Ἰδοὺ, γέγονε τὰ πάντα καινά· τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς· ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν.

Coloss. I. 19-20. Ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι πάντα εἰς αὐτὸν, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

1) Hesychius, ἀποκαταλλάξαι· φίλον ποιῆσαι. Et Phavorinus, ἀποκαταλλάξας· φιλοποιήσας. Ergo ἀποκαταλλάσσω, quod proprie notat *muto, permuto*, usu loquendi notionem induit *dirimendi dissidia, reconciliandi, et post inimicitias atque iras in gratiam concordiamque redeundi*. De verbo autem καταλλάσσω, quod proprie est *commuto, permuto*, sic habet Phavorinus: καταλλάττειν καὶ διαλλάττειν τὸ εἰς φιλίαν συνάγειν τινας, idest, *partes a se invicem dissidentes in gratiam et concordiam redigere*.

2) Hesychius, καταλλαγή· εἰρήνη, φιλία, *pacificatio et amicitia*.

Digitized by Google

pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt. Quod autem Christus nos tanto locupletaverit bono, cuiusmodi profecto est, restinctis inimicitiis divinam nobis illuxisse amicitiam, propterea in Scripturis universisque christianae traditionis monimentis celebratur *nostrum praesidium, perfugium et auxilium, nostra opitulatio ac protectio, advocatus noster cui nostrae caussae credimus patrocinium, et spes nostra qua sustentati sic alimur et erigimur, ut omnia nobis a Deo per ipsum dextera atque secunda polliceamur.*

1391. Iamvero haec quae Christo *ceu fonti plenissime insunt*, Deiparae *tamquam coniunctissimo cum eo rivo propinqua dimanatione conveniunt:* et quae Christus *ceu caput possidet*, Deipara *tamquam cohaerens cum eo collum proxime recipit.* Huc certe redit universa maiorum traditio, quemadmodum ex iis quae iam retulimus, compertum est, atque ex iis denuo confirmatur quae subiicimus. Itaque una mente unaque voce maiores testantur, *Deiparam esse communem opitulationem, omnium praesidium et perfugium, universalem tutelam portumque, in quem fluctuans hominum genus se recipiat, et in quo securam quietem optatamque salutem nanciscatur.* En a) Iosephi, Theophanis et Iohannis damasceni testimonia: « Te super rationem Dei genitricem, ceu laborantium omnium *firmam* f) *opitulationem*, indesinenter glorificamus, o penitus immaculata, et beatam extollimus. Numquam, o Domina, nos servi tui ab efferendis grato animo laudibus tuae pietatis cessabimus cla-

a) Men. die XXVII. Iunii Ode α'. pag. 103. col. 2. E. Σὲ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ λόγον λοχεύτριαν, ὡς κραταιὰν ἀντίληψιν πάντων, πανάμωμε, τῶν καταπονουμένων δοξάζομεν, ἀπαύστοις καὶ μακαρίζομεν.

Die XVI. Februarii Ode γ'. pag. 94. col. 1. E. et pag. 132. col. 2. D. Οὐ σιωπήσομέν ποτε, θεοτόκε, τοῦ εὐχαρίστως ἀνυμνεῖν ἐκ καρδίας τὰ σὰ ἐλέη, δέσποινα, οἱ δοῦλοί σου, κράζοντες καὶ λέγοντες· παναγία παρθένε, πρόφθασον καὶ λύτρωσαι ἐξ ἐχθρῶν ὁρατῶν καὶ ἀναγκῶν καὶ πάσης ἀπειλῆς· σὺ γὰρ ὑπάρχεις ἡμῶν ἡ ἀντίληψις.

Die XXIX. Septembris ad Vesper. pag. 183. col. 2. C-D. Τίς ὁ προσφυγὼν ἐν τῇ σκέπῃ σου, θεοτόκε ἀειπάρθενε, ἀνύμφευτε, ἁγνὴ, οὐ λαμβάνει τὴν ταχείαν τῶν δεινῶν ἀπαλλαγήν; εὑρίσκει βοηθὸν σε ἀκαταίσχυντον, προστάτιν τε καὶ πύργον ἀρραγέστατον· θεογεννῆτορ πανάμωμε, χριστιανῶν ἡ ἀντίληψις, μεσίτευσον τοῦ σωθῆναι τοὺς τιμῶντάς σε.

f) Occurrit vocabulum ἀντιλήψις I.Cor.XII.28., et a graecis interpretibus eodem sensu sumitur quo βοηθεία, *opitulatio*, *patrocinium*. Hinc illud ex veteri glossario quod Princeus laudavit, ἀντιλήψεις· προστασίαι καταπονουμένων, *patrocinia laborantium*.

mantes atque dicentes : o sacratissima Virgo , adesto atque libera ex hostibus invisibilibus , necessitatibus et quovis periculo ; tu namque es *nostra opitulatio*. Quis , o Deipara semper Virgo thori nescia , innocens , ad tuum se recipiens perfugium non promptam a malis liberationem consequitur ? Invenit te auxiliatricem quae non confundit , patronam et turrim inexpugnabilem. O Dei genitrix immaculatissima , *christianorum opitulatio* , mediatione tua effice ut qui te honorant , salventur. » En testimonia [a]) ex Octoecho [b]) Paracletice atque [c]) Triodio : « O laudabilissima , ne spernas supplicationes eorum qui te fideliter deprecantur , sed illas accipe atque offer , o immaculata , filio Deo qui solus est benefactor , te namque habemus *patronam*. Benigna mundi *spes* , o Deipara virgo , tuum solum verendum *praesidium* deprecamur : miserere populi ope destituti : exora misericordem Deum , o sola benedicta , ut animas nostras ab omni malo liberet. O Dei porta clausa , per quam solus transivit Dominus , dirige me in Dei vias , et mihi , o Dei gratissima , aperi salutis portas : ad te namque confugio , o Virgo , *solum humani generis praesidium*. » En testimonia [d]) ex Officio quadragesimali et [e]) ex Euchologio : « Maria virgo , iudicem quem genuisti deprecare ut mei , o innocens , in iudicii hora misereatur atque e damnatione vindicet , *o sola humani generis tutela*. Studiosa omnium *patrona* , et omnium ad te recurrentium asylus et protectio , angustiatorum auxiliatrix et prompta captivis redemptio ef-

a) Octoech. pag. 5. col. 2. B. Τὰς αἰτήσεις τῶν πιστῶν αἰτουμένων, πανύμνητε, μὴ παρίδῃς, ἀλλὰ δίχου, καὶ ταύτας προσάγαγε τῷ υἱῷ σου, ἄχραντε, Θεῷ, τῷ μόνῳ εὐεργέτῃ· σὲ γὰρ προστάτιν κεκτήμεθα.

b) Paraclit. pag. 288. col. 2. B. Ἐλπὶς τοῦ κόσμου ἀγαθὴ, Θεοτόκε παρθένε, τὴν σὴν καὶ μόνην φοβερὰν προστασίαν αἰτοῦμεν· σπλαγχνίσθητι εἰς ἀπροστάτευτον λαόν· δυσώπητον τὸν ἐλεήμονα θεὸν ῥυσθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐκ πάσης ἀπειλῆς, μόνη εὐλογημένη.

c) Triod. pag. 184. col. 1. B-C. Ἡ πύλη Θεοῦ ἡ κεκλεισμένη, ἣν μόνος διώδευσεν ὁ κύριος, ἔθυνον πρὸς τρίβους με θείας, καὶ διάνοιξον τῆς σωτηρίας πύλας μοι, Θεοχαρίτωτε· πρὸς σὲ γὰρ καταφεύγω, παρθένε, μόνη προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων.

d) Offic. quadrag. Fer. VI. Hebd. II. Ieiun. Ode ι'. pag. 199., et Fer. III. Hebd. III. Ode ι'. pag. 236. Κριτὴν, ὃν ἐγέννησας, παρθένε Μαριὰμ, δυσώπει ἐν ὥρᾳ με τῆς κρίσεως, ἁγνὴ, οἰκτῖραι, καὶ σῶσαι τὸν κατάκριτον, μόνη προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων.

e) Eucholog. in offic. funereo pro sacerdote vita functo pag. 574. E. Πάντων προστάτις θερμὴ ἀνεδείχθης θεογεννήτρια, πάντων σκέπη κράτος τε ἐκ θεοῦ τοῖς προσφύγοις σου, τοῖς ἐν ἀνάγκαις ἐπίκουρος, τοῖς αἰχμαλώτοις ταχεῖα λύτρωσις· σὲ γὰρ Χριστὸς κατὰ βαρβάρων ἔθετο ἀμυντήριον, καὶ προασπιστὴν, καὶ τεῖχος ἀπόρθητον, ὡς τῶν ἀσθενῶν ἰσχὺν ἀπροσμάχητον, καὶ τῆς εἰρήνης βραβευτήριον τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Digitized by Google

fectâ es a Deo, o Dei mater; te namque Christus adversus barbaros propugnaculum et propugnatricem posuit, murum indomitum et robur infirmorum non exsuperandum, et pacis animarum nostrarum conciliatricem. »

1392. His passim in christianis monimentis gemina occurrunt, quae missa [1]) propterea facimus, quod in re perspicua non admodum necessaria sint, et inculcata denuo reperiantur [a]) penes Nicolaum hymnographum his verbis: « *Praesidium* eorum *invictum* qui in necessitatibus versantur, et *prompta* eorum *intercessio* qui in te sperant, me a periculis serva, neque me, o *omnium auxiliatrix*, asperneris. » Penes [b]) Iohannem Geometram qui Virginem compellans ait: « Salve o regina mundi utriusque, tu altera secundum regnantem Trinitatem coleris. Salve gloria mea, lux, felicitas, spiritus, ratio, mens, et semper florens pignus omnis spei. » Penes [c]) Cosmam hierosolymitanum qui Virginem his laudibus prosequitur: « Tu es, o thori nescia, fidelium gloriatio, tu *patrona*, et tu christianorum *perfugium* et *murus* et *portus*. » Penes [d]) Naucratum qui

a) Men. die VI. Decembris ad Matut. pag. 34. col. 2. E. Προστασία ἄμαχε τῶν ἐν ἀνάγκαις, καὶ πρεσβεία ἕτοιμος τῶν ἐλπιζόντων ἐπὶ σὲ, ἀπὸ κινδύνων με λύτρωσαι, καὶ μὴ παρίδῃς ἡ πάντων βοήθεια.

b) Hymn. II. in Deiparam vv. 87-90. pag. 440. C. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαῖρέ μοι ὦ βασίλεια, καὶ ἀμφοτέρων διὰ κόσμων
Βασιλικῆς τριάδος δεύτερα οἰοτάτης.
Χαῖρ' ἐμὸν εὖχος, ἐμὸν φάος, ὄλβος, πνεῦμα, λόγος, νοῦς,
Ἐλπίδος ἀμφοτέρας τίμιαρ ἀθαλίος.

c) Hymn. in *Christum* pag. 76. in thesaur. hymnolog. T. III. et apud Gallandium T. XIII. pagg. 257-258.

Σὺ τῶν πιστῶν καύχημα πᾶσις, ἀνύμφευτε·
Σὺ προστάτις, σὺ καὶ καταφύγιον χριστιανῶν,
Τεῖχος καὶ λιμήν.

d) Κανὼν ψαλλόμενος εἰς τὴν ἀναστήλωσιν τῶν ἁγίων εἰκόνων, in thes. hymnolog. T. III. pag. 109.

Ἡ πάντων βοήθεια καὶ σκέπη καὶ ἀντίληψις,
Δεῖξον, ὅτι δύνασαι πρεσβεύειν ὑπὲρ πάντων εἰς σὲ καταφευγόντων,
Καὶ ἀπολαύειν τοὺς δυσσεβεῖς τῇ δυνάμει τοῦ υἱοῦ σου,.
Ὡς γὰρ μόνῃ πάντα δύνασαι.

1) Conferri possunt quae habentur in Paracletice pagg. 90. col. 1. E., 285. col. 2. A., in Triodio pagg. 316. col. 1. C., 317. col. 2. D., 318. col. 2. C, 319. col. 1. A., et in Menaeis die VI. Septembris ad vesp. pag. 40. col. 2. E., die VII. Novembris Ode γ'. pag. 46. col. 2. B., die XII. Februarii Ode γ'. pag. 77. col. 1. A. et die XXV. Maii ad vesp. pag. 119. col. 1. E., ubi Deipara celebratur προστασία ἀμάχη, μεσίτρια, σκέπη καὶ προστάτις, σκέπη θεία, et προστασία καὶ μεσίτρια καὶ σκέπη καὶ μέγα καταφύγιον.

restitutionem sanctarum imaginum celebrans inquit: « *Omnium auxiliatrix, praesidium et opitulatio* demonstra quod potens sis pro omnibus qui ad te accurrunt intercedere, et quod impios arces virtute Filii tui; quum enim mater sis, omnia potes. » Penes [a]) Modestum hierosolymitanum antistitem qui in Virginis laudes effusus scribit: « Salve mortalium apud Deum *perfugium*, qui ex te nos assumpsit et factus est [1]) *nostrum refugium et virtus;* qui te vocavit, o beata Deipara, in memoriam aeternam infallibilis misericordiae et dilectionis suae, quae *per te* in nos exstitit. » Penes universam Graecorum ecclesiam [b]) in Anthologio: « *Portum tranquillum* et *murum inexpugnabilem* habemus, o Dei genitrix, intercessionem tuam in difficultatibus, semper a periculis et ab afflictionibus liberati. » Penes Armenios in quorum fidei confessione [2]) legimus: « *Spes nostra et refugium*, mater Domini et virgo sancta, intercede apud Dominum pro nobis. Laetare Deipara quae virginum es gloria et *mater constantiae* hominum, *adiutrix et gratia mundi*, Maria mater et ancilla Salvatoris nostri. Deipara tu es *spes et refugium* te confitentium; apud filium tuum et Deum nostrum intercede ut salvet nos. » Et penes Latinos qui [3]) haec aut ab his non diversa saepissime frequentant: « Domine Iesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque conceptionis eius gratia eam

a) Encom. in Deiparam pag. 42. Χαίροις βροτῶν ἡ πρὸς θεὸν καταφυγὴ, τὸν ἐκ σοῦ προσλαβόντα ἡμᾶς καὶ γενόμενον ἡμῶν καταφυγὴν καὶ δύναμιν, προσκαλεσάμενόν σε, ὦ μακαρία θεοτόκε, εἰς μνημόσυνον αἰώνιον ἀφάτου εὐσπλαγχνίας καὶ φιλανθρωπίας αὐτοῦ τῆς γενομένης εἰς ἡμᾶς διὰ σοῦ.

b) Anthолog. pag. 131. col. 2. C-D. Λιμένα εὔδιον, καὶ ἀπόρθητον τεῖχος κεκτήμεθα τὴν πρεσβείαν σου ἐν περιστάσεσι, θεοκυῆτορ, πάντοτε λυτρούμενοι κινδύνων καὶ θλίψεων.

1) Ps. XLV. 1.

2) Confess. eccles. armen. pagg. 37-43-45.

3) Apud Alexandrum Lesleum in Missali mozarabico pagg. 415. col. 1., 467. col. 2., 468. col. 1., et 469. coll. 1-2., itemque Aloysium Assemanum in cod. liturg. Eccles. univ. T. IV. P. I. pag. 125. Quibus fons aperitur, unde sua derivavit Sixtus IV. in constitut. *Cum praeexcelsa*, quae habetur in lib. III. extravag. communium cap. I. *De reliquiis et veneratione sanctorum*, et cuius refero exordium: « Cum praeexcelsa meritorum insignia, quibus *regina caelorum* Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus praelata aethereis, sideribus quasi stella matutina praerutilans, devotae considerationis indagine perscrutamur et intra pectoris arcana resolvimus, quod ipsa utpote *via misericordiae et mater gratiae et pietatis amica, humani generis consolatrix*, pro salute fidelium qui delictorum onere gravantur, *sedula oratrix, et pervigil ad regem quem genuit, intercedit;* dignum quin potius debitum reputamus, universos Christifideles ut omnipotenti Deo (cuius providentia eiusdem Virginis humilitatem ab aeterno respiciens, pro reconciliianda suo auctori humana natura lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatae Virginis *mira* conceptione gratias et laudes referant, . . . invitare. »

Digitized by Google

coram te *suffragatricem incomparabilem* invenimus indigni; quaesumus divinitatis tuae clementiam, quatenus *per obtentum* illius beatissimae genitricis emundati ab universis contagiis, audeamus exclamare et dicere e terris: *Pater noster qui es in caelis*. Tibi sancte Pater omnipotens aeterne Deus, hostias immolamus filii tui Domini nostri Iesu Christi, *matris munera* recolentes, cuius *intercessione* placatus nostrum ablue sordes delictorum, ut quae immaculata concepit, virgoque peperit, *fidelium reatus intemerata precibus emundet*. Speciosa Dei Patris sponsa, atque Filium Dei paritura a seculis praeelecta oret pro nobis *pia interventrix*, ut piaculis expiati Patrem cum Filio et Spiritu sancto vocibus sinceris cum Maria laudemus. Quum Virginis matris tuae in alvo ad salutem humani generis foedera sint inita, *eius* ergo *interventu* nos caelo dignos efficere digneris, per cuius *sanctissima merita* te supplices postulamus, ut a contagiis terrenae foeditatis corda tuorum emacules. Illustratione tua, Christe Iesu, mentium nostrarum tolle caliginem, nam Virginis matris tuae *meritis* poscimus *adiuvari*, ut eius *patrocinio* haec oblata sanctifices, et sanctificata nostrorum tergant scelerum maculas. Sumpsimus, Domine, tui corporis et sanguinis salutarem refectionem, quaesumus, *interventu* gloriosae virginis Mariae adsit nobis mentis et corporis robur. Perennitatis nostrae sumpsimus Verbi incarnati mysterium, quod in utero Virginis Mariae nostrae carnis commercium assumere dignatus est: *ea igitur interveniente patrona*, aeternae in nobis vitae gratiam operare bone Iesu. » Quare nil mirum quod Laurentius Iustiniani [1]) scripserit: « Magna profecto Mariae gratia, exuberans atque completa, quae caelis dedit gloriam, terrisque genuit Deum, gaudium praestitit angelis, seculoque pacem refudit. Quomodo non est Maria iuxta Gabrielis oraculum plena gratia, quae effecta est mater Dei, paradisi scala, caeli ianua, *interventrix mundi*, daemonum fuga,

1) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 434. col. 1. D-E. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI. Quibus haec suffragantur ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. p. 48.

»Ergo omnium Domina
»Filium placa,
»Supplices tuos adiuva.

Rursum pagg. 195-199:

»Gaude dextra deitatis
»Assistens, fons pietatis,
»Moestis consolatio.
»Per quam solam
»Solus omnibus vitam
»Dat salvandis.
»Gaude norma sanctitatis,
»Speculum humilitatis,
»Boni propagatio.
»Gaude doctrix et lex morum,
»Ductrix ac lux viatorum,
»Lapsis relevatio.

Tandem pag. 201:

»Ave caelorum regina,
»Ave morum disciplina,
»Via vitae, lux divina,
»Virgo, mater, filia.
»Gaude nutrix orphanorum,
»Liberatrix oppressorum,
»Aegris recreatio.
»Ave templum sanctum Dei,
»Fons salutis, porta spei,
»Ad te currunt omnes rei
»Plena cum fiducia.

Digitized by Google

peccatorum spes, *naufragantium portus*, maris stella, *confugium periclitantium*, *solamen laborantium*, *fluctuantium robur*, *Dei et hominum verissima mediatrix?* »

1393. Nihil ergo ea maiorum consensione exploratius, qua Deipara salutatur βοηθὸς ἀκαταίσχυντος, ἡ πάντων βοήθεια, ἀντίληψις, κραταιὰ ἀντίληψις, πάντων ἀντίληψις, προστάτις, θερμὴ προστάτις, φοβερὰ προστασία, ἀμάχητος προστασία, μόνη προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, σκέπη θεία, πάντων σκέπη, τεῖχος ἀπόρθητον, μέγα καταφύγιον, ἡ πρὸς θεὸν καταφυγὴ, λιμὴν εὔδιος, *suffragatrix incomparabilis*, *pia interventrix et mundi interventrix*. Immo nihil pariter exploratius quam dici Deiparam censerique oportere *pontem quo ad Deum transferimur*, *communem omnium consolatricem*, *et universalem reconciliationem ac reconciliatricem*. Probe sentio opus vix esse testimoniis, quibus haec adprobentur: sunt enim cum superioribus arctissime iuncta, et splendidam ex iis lucem foenerantur. Iuverit nihilominus pauca quaedam deprompsisse, atque haec inprimis [a]) ex Naucrato: « O stabilis christianorum *pons*, o fidelium decus et perfugium, Domina Deipara, tu *sola* es quae omnibus auxiliaris, omnesque ex periculis servas. » Haec deinde [b]) ex Iosepho et Iohanne damasceno: « Hodie in lucem editur *pons vitae*, per quem mortales quum revocationem invenerint ex Adami casu, Christum vitae datorem hymnis glorificant. Qui Cherubinorum humeris vehitur, o penitus immaculata, in tuis ulnis accepta carne volens conquievit, ut nos in ipsum credentes, et te semper *conciliatricem* [1]) *salutis* laudantes, gratia redderet filios Dei. » Tum

a) Can. de restitut. ss. imaginum vv. 223-226. pag. 108. thesaur. hymnolog. T. III.
Χριστιανῶν ἡ βεβαία γέφυρα, τὸ καύχημα τῶν πιστῶν,
Καὶ καταφυγὴ, δίσπουνα Θεοτόκε, αὐτὴ ὑπάρχεις μόνη
Πάντας βοηθοῦσα καὶ σώζουσα ἐκ τῶν κινδύνων.

b) Men. die VIII. Septembris Ode α'. pag. 58. col. 2. C-D. Ἡ τῆς ζωῆς τίκτεται σήμερον γέφυρα, δι' ἧς βροτοὶ ἀνάκλησιν τῆς καταπτώσεως τῆς τοῦ Ἀδὰμ εὑρόντες, Χριστὸν τὸν ζωοδότην ὕμνοις δοξάζουσιν.

Ibidem die XXX. Ode θ'. pag. 194. col. 2. D. Ὁ τούτοις ἐποχούμενος χερουβικοῖς, πανάχραντε, ἐν ταῖς ἀγκάλαις σου θέλων σάρκα λαβὼν ἀνεκλίθη, ὅπως ἡμᾶς ἐργάσηται υἱοὺς Θεοῦ τῇ χάριτι τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας, καὶ σὲ ἀεὶ εὐφημοῦντας τὴν πρόξενον σωτηρίας.

1) Sicuti προξενέω frequenter est *interpres sum et conciliator*, unde προξένησις *conciliatio*, προξενήτης *conciliator*; ἡ πρόξενος *conciliator*, et προξενήτρια *conciliatrix*.

Digitized by Google

haec [a]) ex homilia qua Graeci celebrantes [1]) ingressum Deiparae in templum, de Anna scribunt quod genuerit: « *Conciliatricem salutis* humani generis, *reconciliationem Dei cum hominibus*, caussam reformationis lapsi Adami et ipsius erectionis ac deificationis. » Consentiunt haec [b]) ex Triodio: « Salve o intemerata, capax Verbi tabernaculum: concha quae divinum protulisti margaritum, salve o undequaque admirabilis; salve semper, o Deipara, *omnium qui te* beatam dicunt *cum Deo reconciliatio*. » Haec item consentiunt [c]) ex Paracletice: « Gaudium omnium afflictorum, tutatrix eorum qui iniuste patiuntur, cibus esurientium, peregrinorum [2]) *consolatrix*, fluctuantium portus, infirmorum protectio, laborantium praesidium et opitulatio, coecorum baculus, mater Dei altissimi. » Neque alio ea pertinent, quibus Iacobus monachus [d]) Virginem appellat *nostrae regenerationis conciliatricem*, vel quae tum adhibet quum [e]) de nata puella sic Deum alloquitur: « Accipe quam tibi *in mediatricem* praedestinasti *ad reconciliationem nostram*. » Eodem haec pertinent [3]) ex Anselmo:

» Ave nostra *advocatrix*,
» Captivorum *liberatrix*,
» De qua Sion Emmanuel
» Salutare fit Israel.

» Ave nostra *advocatrix*,
» Et lapsorum *reparatrix*,
» De qua Deus factus homo
» Solus stetit in directo.

a) Men. die XXI. Novembris ad Matut. pag. 158. col. 1. A-B. Τηκοῦσα τὴν πρόξενον τῆς σωτηρίας τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, τὴν καταλλαγήν τε θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ αἰτίαν τῆς ἀναπλάσεως τοῦ πεπτωκότος Ἀδάμ, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀνεγέρσεως καὶ θεώσεως.

b) Triod. pagg. 303. col. 2. D. et 318. col. 2. D. Εὐρύχωρον σκήνωμα τοῦ λόγου χαῖρε, ἄχραντε· κόχλος ἡ τὸν θεῖον μαργαρίτην προαγαγοῦσα χαῖρε, πανθαύμαστε· πάντων πρὸς θεὸν καταλλαγὴ τῶν μακαριζόντων σε, θεοτόκε, ἐκάστοτε.

c) Paraclit. pag. 96. col. 1. A-B. Πάντων θλιβομένων ἡ χαρὰ, καὶ ἀδικουμένων προστάτις, καὶ τῶν πεινώντων τροφὴ, ξένων τε παράκλησις, χειμαζομένων λιμὴν, ἀσθενούντων ἐπίσκεψις, καταπονουμένων σκέπη καὶ ἀντίληψις, καὶ βακτηρία τυφλῶν, μήτηρ τοῦ θεοῦ ὑψίστου.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1254. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὴν τῆς ἀναγεννήσεως ἡμῶν πρόξενον.

e) Ibid. pag. 1259. E. Λάβε τὴν εἰς καταλλαγὴν ἡμῶν προορισθεῖσαν σοι μαστίτιν.

1) In Synaxario hoc festum his verbis annunciatur: Μνήμη τῆς εἰ τὸ ναὸ εἰσόδου τῆς Θεομήτορος.

2) Quemadmodum alexandrini interpretes Nahum III. 7. usi sunt nomine *abstracto* τὴς παρακλήσεως *advocationis*, *consolationis* ut redderent *concretum* מְנַחֵם *consolatorem*: et quemadmodum ὁ παρακλησις *concreta potestate* adhibetur Luc. II. 25. προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ, *expectans consolationem* (consolatorem, Messiam) *Israelis*; ita heic Virgo audit ξένων παράκλησις.

3) Psalt. b. Virginis P. I. pag. 304. col. 1. B-E.

Digitized by Google

Atque eodem haec [1]) ex veteri sequentia:

» Veni mater gratiae,
» Fons misericordiae,
» Miseris remedium,

» Quae es in angustiis
» Et in rebus dubiis
» Salus et solatium.

» Vení lux ecclesiae,
» Tristibus laetitiae
» Nunc infunde radium,

» Portus navigantium,
» Preces supplicantium
» Filiorum suscipe

» Quae Deum hominibus
» Et ima caelestibus
» Iungis, o puerpera.

Iure ergo meritoque Emanuel Paleologus [2]) Virginem alloquens scripsit: « Nam si tu una cum Filio es (qui enim aliter?), ille vero cum Patre et Paraclito, liquet esse tibi locum apud illos, quo nullus sit dignior. Quare et ineffabili illorum gloriae tantam habes vicinitatem, quantam nec maximus caelestium mentium ordo. *Natura* enim esse angelis superiorem illi soli convenit, qui universum produxit » nihilo. Tu vero cum illis de nobilitate naturae nequaquam certaveris, memor eius quod a tuo proavo dictum est de Salvatore nostro, quum solam in eo mortalem partem consideraret, *minuisti eum paulo minus ab angelis*, quorum ab initio natura condita fuit immortalis. Ceterum quod attinet ad gloriam et splendorem, quem habes in Deo et a Deo, summumque in te miraculum, licet modestissima sis, illis nequaquam cesseris: nam si quis tecum conferre velit substantias corporis expertes, inveniet (ut Paulus inquit) eas esse *administratorios spiritus qui ad ministerium mittuntur propter eos, qui hereditatem capiunt salutis:* te autem, o Virgo, *primitiarum et reconciliationis vim* obtinentem apud eum, qui *primitiae et reconciliatio* est apud suum Patrem humano infensum generi ob iniuriam praevaricationis. Ut enim ipse quia Filius apud Genitorem *propitiatio, tu pariter apud ipsum utpote genitrix*. Quanto igitur praestantius hoc est illorum officio, tanto tu illis. » Cui quidem penitissimae societati cum Christo *conciliatore, consolatore et generis nostri advocato* referri in acceptis debet, quod Deipara *omnium spes* atque *universalis fiducia* praedi-

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 197. Maraccii in Caesaribus marianis.
2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 56. edit.

Digitized by Google

cetur. Centies hoc ex ore maiorum accepimus, et centies iteratum videre licet in christianis monimentis. Iteratur enim in ecclesiasticis Graecorum monimentis, in quibus [a]) dicitur: « Vere superior es omni creatura, ut quae Deum universorum carne indutum genueris; propterea te, o Domina, *advocatam* habemus et *spem validam* et murum firmum, et per te nos consequuturos salutem *speramus*. Te Deiparam hymnis fideles celebramus immobile fidei firmamentum, et venerandum animarum nostrarum donum: salve quae sinu tuo complexa es vitae petram, salve *mundi spes*, afflictorum opitulatio, salve sponsa viri nescia. Salve Virgo Dei sponsa, salve *fidelium spes*, salve mundi purgatio, salve quae famulos tuos ab omni afflictione servas, salve mortis solutio, salve paradisus vitam afferens, salve te invocantium auxiliatrix. » Et [b]) rursum auctore Iosepho: « Hominum auxilium, *firma christianorum omnium spes*, refugium eorum qui salvantur, salva me, o Virgo immaculata, maternis precibus tuis, et futura vita me dignum effice. » Iteratur in ecclesiasticis [1]) Latinorum monimentis, quibus accenseri debet solemnis [2]) antiphona, *salve regina*, in qua Virgini acclamatur his

a) Paraclit. pagg. 312. col. 2. B., 388. col. 2. A., et 394. col. 2. A. Ὡς ἀληθῶς ὑπερτέρα πάσης κτίσεως πέλεις, τὸν γὰρ θεὸν τῶν ἁπάντων ἐκύησας σαρκί· διό σε προστάτιν ἔχομεν, θέσποινα, καὶ ἐλπίδα βεβαίαν, καὶ τεῖχος ὀχυρόν, διὰ σοῦ σωτηρίας ἐπιτυχεῖν ἐλπίζοντες.

Τὸ ἀσάλευτον στήριγμα τὸ τῆς πίστεως, καὶ σεβάσμιον ἄφημα τῶν ψυχῶν ἡμῶν, τὴν θεοτόκον ἐν ὕμνοις μεγαλύνωμεν πιστοί· χαῖρε ἡ τὴν πέτραν τῆς ζωῆς ἐν γαστρί σου χωρήσασα· χαῖρε τῶν πιράτων ἡ ἐλπίς, θλιβομένων ἀντίληψις· χαῖρε νύμφη ἀνύμφευτε.

Χαῖρε παρθένε θεόνυμφε· χαῖρε πιστῶν ἡ ἐλπίς· χαῖρε κόσμου καθάρσιον· χαῖρε πάσης θλίψεως ἡ τοὺς δούλους σου σώζουσα· ἡ τοῦ θανάτου χαῖρε κατάλυσις· ὁ ζωηφόρος χαῖρε παράδεισος· χαῖρε ἀντίληψις τῶν προσκαλουμένων σε.

b) Ex vetusto Triodio vaticano Ode δ'. pag. 213. apud Quirinum in altera parte Officii quadragesimalis. Ἡ τῶν ἀνθρώπων βοήθεια, ἡ ἐλπὶς ἡ βεβαία πάντων χριστιανῶν, τὸ καταφύγιον τῶν σωζομένων, σῶσόν με, παρθένε ἄχραντε, μητρικαῖς σου πρεσβείαις, καὶ μελλούσης καταξίωσον ζωῆς.

1) Ex Latinis qui hoc titulo Virginem decoraruut, menti succurrunt auctor sermonis XVIII. de sanctis inter augustinianos, qui in app. est CXCIV. *quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum:* Venantius Fortunatus in carm. de laudibus Virginis, *spes unica, quae vehit orbis opes:* Hildephonsus serm. VII. de assumpt. *spes fidelium:* Anselmus orat. XLIX. *spes viventium:* Franco abbas de gratia Dei lib. VI. *spes desperatorum:* Bernardus toletanus serm. III. in antiph. Salve regina, *spes nostra:* Bernardus clarevallensis serm. in nativ. Mariae de aquaeductu n. 7. *haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae:* Petrus cluniscensis in prosa in honorem Deiparae, *spes post Deum seculorum:* et Adamus Perseniae abbas fragm. II. *spes prima post Deum, spes unica veniae.*

2) De auctore deque aetate conscriptae antiphonae, *Salve regina*, consule Trombellium in vita Deiparae P. II. dis. X. q. II. cap. I. pagg. 356. seq. T. V.

verbis: *spes nostra salve*. Iteratur in ecclesiasticis Armeniorum monimentis, in quibus Virginem saepissime [1]) nuncupatam audimus *basim stabilis spei, spem nostram et refugium, spem constantiae hominum, spem et refugium confitentium.* Iteratur in ecclesiasticis Coptorum monimentis, in quibus [a]) de Virgine dicitur: « Ipsa est gloria nostra, *spes nostra*, et fortitudo nostra in manifestatione Dei nostri Domini nostri Iesu Christi. » Ac postremo iterari apud Syros, auctor est locuples Ephraemus qui in suis ad Deiparam precationibus haec atque hisce cognata frequenter [b]) usurpat: « Idcirco, Domina innocentissima, ante tuas misericordias inexplicabiles me ipsum proiicio. Non est enim mihi *alia spes*, nisi tu, et sola mea consolatio. In te namque *spero*, in te glorior: ne longe arceas a nobis tuum patrocinium, sed auxiliare et protege, et adesto porro in perpetuum. Virgo Domina Dei genitrix, quae salvatorem Christum et Dominum nostrum genuisti, *in te spem meam omnem repono et in te confido*, quae sublimior es omnibus caelestibus potestatibus. Salve delictorum remissio, iusti iudicis placatio, lapsorum erectio, mundi desiderium, salus mea, consolatio mea, mea vita, mea lux, *spes mea*, patrona, mediatrix. Auxilium defensionemque non habeo praeter te, *in te spero*, voti compos ero. »

1394. Universalem igitur christiani nominis fidem ratamque sententiam expressit Iacobus monachus, quum pro nata Virgine

a) Theotoch. pag. 138. tetrast. I.

Χε ϩοος ταρ πε πεπγοτγοτ πεμ τεπελπις ⳉ Νεμ πεπτα-
χρο: ϭεπ τπαροτσια ⲙπεπποτϯ πεϩοις Ιησοτς πχριστος ⳉ

b) Oratt. ad Deiparam pag. 525. C-E. opp. graec. T. III. *Διὰ τοῦτο, πάναγνε δέσποινα, πρὸς τοὺς σοὺς ἀφάτους οἰκτιρμοὺς ἐμαυτὸν ἀπορρίπτω· οὐκ ἔχω γὰρ ἄλλην ἐλπίδα ἢ καταφυγήν, εἰ μὴ σὲ καὶ μόνην τὴν ἐμὴν παραμυθίαν· εἰς σὲ γὰρ ἐλπίζω, εἰς σὲ καυχῶμαι, μὴ μακρύνῃς ἀφ' ἡμῶν τὴν σὴν προστασίαν, ἀλλ' ἐπικούρει καὶ σκέπε καὶ πάρεσό γε διὰ παντός.*

Ibid. pag. 526. C-D. *Παρθένε δέσποινα Θεοτόκε, ἡ τὸν σωτῆρα Χριστὸν καὶ Θεὸν ἡμῶν ἡ κυήσασα, εἰς σὲ τὴν ἐλπίδα μου ἀνατίθημι ἅπασαν, καὶ ἐν σοὶ πίστιν τὴν ὑψηλοτέραν πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων.*

Ibid. pag. 530. E-F. *Χαῖρε πταισμάτων συγχώρησις, χριστοῦ δικαίου δυσώπησις, ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, σωτηρία μου, παρηγορία μου, ἐμὴ ζωὴ, ἐμὸν φῶς, ἐμὴ ἐλπὶς, προστάτις, μεσίτης.*

Ibid. pag. 531. C-D. *Οὐκ ἔχω πλὴν σοῦ βοηθὸν, οὐδὲ ἀντίληψιν· εἰς σὲ ἐλπίζω, μὴ ἀστοχήσω.*

1) Confess. eccles. armen. pagg. 35-37-43-45.

Digitized by Google

Deo gratias agens [a]) scripsit: «Laudaverunt te, Domine, omnes intellectrices virtutes, quum solem et lunam stellasque produxisses, nunc autem longe potius quum ad terribile implendum mysterium immaculatissimam matrem tuam ex nostro genere elegisti, ac talem nobis thesaurum reposuisti, *et tali nos spe* confirmasti. O nostri generis nobilitas, qualem consequi meruit mediatricem! Quinam angelorum chorus dignum tanto munere tibi sermonem promat? Illam nostro generi praefecisti, per eam ipse nos tibi, ac per te nos Patri reconciliasti. Illam os et gloriam humano generi concessisti. Per ipsam nostrae naturae pridem desperatae honorem addidisti. Per ipsam eius probrum in gloriam commutasti. Mediatricem eam constituisti, qua duce ad tuam feramur bonitatem, et qua humani errata generis emendanda sunt. Ipsam tu pontem fecisti, quo ad tranquillum portum tuum perveniamus. Ipsam tu scalam erexisti, quae e moestitia ad laeta gaudia, atque ex terra ad caelum transferat. Tu ipsam salutis effecisti portum. Ipsam tu murum inexpugnabilem, vallumque inconcussum fundasti.» Eamdemque universalem fidem ista praeseferunt, quibus Hermannus pariter monachus Deiparam alloquens [1]) scribit: «Sed ad te con-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1283. B-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ἵιτεσάν σε, δέσποτα, πᾶσαι νοεραὶ δυνάμεις, ἡνίκα ἥλιον καὶ σελήνην σὺν τοῖς ἄστροις παρήγαγες· πολλῷ δὲ μᾶλλον νῦν, ὁπότε τοῦ ἡμετέρου γένους εἰς τὴν τοῦ φοβεροῦ μυστηρίου ἐκπλήρωσιν τὴν σὴν πανάχραντον παρείληφας μητέρα, καὶ τοιοῦτον ἡμῖν ἐναπέθου τὸν θησαυρόν· τοσαύτην ὑπεστήριξας τὴν ἐλπίδα· ὧ τῆς τοῦ γένους ἡμῶν εὐκλείας, ἡλίκης τῆς μεσιτείας ἐπέτυχε· τίς ἂν ἀγγελικὴ χοροστασία τὴν ταύτης ἐπάξιον τῆς δωρεᾶς ἐνέγκῃ σοὶ λόγον; προέστησας αὐτὴν τοῦ ἡμετέρου γένους, δι' αὐτῆς σὺ τὴν πρὸς ἡμᾶς, καὶ διὰ σοῦ τὴν πρὸς τὸν πατέρα καταλλαγὴν ἡμῶν ἐπραγματεύσω· ἔδωκας αὐτὸν στόμα καὶ καύχημα τῇ ἀνθρωπότητι· ἐτίμησας δι' αὐτῆς τὴν πρώτην ἡμῶν ἀτιμωμένην φύσιν· ἐδόξασας δι' αὐτῆς τὴν ταύτης ἀδοξίαν· τέθεικας αὐτὴν μεσίτιν· χειραγωγοῦσαν μὲν ἡμᾶς πρὸς τὴν σὴν ἀγαθότητα, τὰ δὲ τοῦ γένους ἐπανορθουμένην παίσματα· σὺ γέφυραν ταύτην κατεσκεύασας, πρὸς σὴν γαλήνην καθοδηγοῦσαν· σὺ κλίμακα ταύτην ὑπήρεισας ἐξ ἀθυμίας εἰς εὐφροσύνην, καὶ ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν ἀναφέρουσαν· σὺ λιμένα ταύτην σωτήριον πεποίηκας, σὺ τεῖχος ἀπολιόρκητον καὶ ἀῤῥαγὲς πυρχαράκωμα ταύτην ἐθεμελίωσας.*

1) Tract. de incarnat. Domini cap. XI. pag. 392. col. 2. E. apud Gallandium T. XIV. Placet heic pulcherrimum subiicere hymnum quo Innocentius III. Deiparam celebravit, quique T. I. illius operum legitur.

» Ave *mundi spes* Maria,
» Ave mitis, ave pia,
» Ave caritate plena,
» Virgo dulcis et serena.
» Et lactare modo miro.
» Angelorum imperatrix,
» Peccatorum consolatrix,
» Consolare me lugentem,
» In peccatis iam foetentem.
» Me defende peccatorem,
» Et ne tuum des honorem
» Sancta parens Iesu Christi,
» Electa sola fuisti
» Esse mater sine viro,
» Alieno et crudeli,
» Precor te, regina caeli.
» Me habeto excusatum
» Apud Christum tuum natum,
» Cuius iram pertimesco,
» Et furorem expavesco.
» Nam peccavi illi soli,

fugientes mediatrix nostra, *quae es post Deum, spes sola*, tibi peccata nostra confitemur: teque inter nos et Deum mediatricem et interventricem fieri exoramus.»

1395. Atque haec nobis in mentem revocant alium similitudinis habitum, quo cum Christo conciliatore Deipara conciliatrix unitur. Legimus [a]) penes Iohannem de Christo: «Filioli mei haec scribo vobis ut non peccetis, sed et si quis peccaverit, advocatum [1]) habemus apud Patrem, Iesum Christum [2]) iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.» Nihil enim testatum magis, nihilque in christianis monimentis aut evidentius expressum aut crebrius repetitum, quam Deiparam esse communem omnium advocatam et deprecatricem, et illius intercessionem communibus semper omnium votis fuisse imploratam. Abstineo ab iis congerendis quae utrumque demonstrant, ne merito videar non uno modo actum agere, et a praestituto operis scopo longius quam ferri aeque possit divertere. Itaque memoria recolantur quae passim [3]) hac de re in medium adduximus: conferantur quae prae ceteris diligentius scripserunt [4]) Dionysius Petavius [5]), Benedictus Plazza et [6]) Chrysostomus Trombellius: tum ad haec advertatur quae habet [b]) Ephraemus: «De-

a) I. Ioh. II. 1-2. Τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε· καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου.

b) Precat. ad Deiparam pag. 525. E-F. opp. Graec. T. III. Τέρπεται ταῖς αἰτήσεσί σου

» O Maria virgo, noli
» Esse mihi aliena
» Omni gratia tu plena.
» Esto custos cordis mei,
» Signa me timore Dei,
» Confer vitae sanitatem,
» Da et morum honestatem.
» Da peccata me vitare,
» Et quod iustum est amare,
» O dulcedo virginalis,
» Numquam fuit nec est talis.
» Inter natas mulierum,
» Omnium creator rerum
» Te elegit genitricem;
» Qui Mariam peccatricem
» Emundavit a reatu,
» Ipse tuo me precatu
» A peccatis cunctis tergat,
» Ne infernus me demergat.
» Eia rosa sine spina,
» Peccatorum medicina,
» Pro me Deum interpella
» Ut me salvet a procella
» Huius mundi tam immundi,
» Cuius fluctus furibundi
» Omni parte me impingunt
» Et peccati zona stringunt.
» Christe fili summi Patris
» Per amorem tuae matris,
» Cuius venter te portavit,
» Et te dulci lacte pavit,
» Te per ipsam oro supplex,
» Quia tu es salus duplex,
» Rerum dator mundanarum
» Atque salus animarum.
» Audi nos pia mater Christi.
» Nam te filius nihil negans honorat.

1) Quum haud raro παράκλητον notet *alicuius opem et auxilium in re trepida atque difficili postulare*, heic Christus audit παράκλητος, quasi causae nostrae actor et defensor et apud patrem deprecator.

2) Nescio cur plures cum Grotio δίκαιον interpretentur *bonum ac lenem*, quum heic Christus δίκαιος *iustus* manifeste iniustis et peccantibus opponatur, et iustitiae decus ad commendandam Christi παράκλησιν egregie conducat.

3) Cf. nn. 1093. seqq.

4) De incarnat. lib. XIV. cap. IX.

5) In opp. Christianorum devotio in sanctos, sanctorumque regnum defensa, P. II. capp. IV-VII.

6) In vita Deiparae T. V. dissertatt. I-II-III. pagg. 4-225.

Digitized by Google

lectatur *tuis precibus* unigenitus tuus filius, et quanto magis ipse qui inter servos adnumerari voluit, servabit gratiam ac proprium decretum tibi, qui sibi ministra fuisti inexplicabilis generationis. Quare etiam gaudet *tuis intercessionibus*, propriam existimans gloriam, et tuas ex debito petitiones [1]) adimplet. Et nunc omnibus laudibus celebrata sanctissima Dei genitrix ne cesses intercedere pro nobis famulis tuis indignis, ut ab omnibus daemonis insidiis atque ab omnibus damnis nos eripiamur, et procul a vulneribus conservemur cuiuscumque aggressionis venenatas sagittas eiaculantis: quin etiam usque in finem *tuis precibus* custodi nos a damnatione securos, ut *tuo patrocinio* atque auxilio salvati, gloriam et laudem et gratiarum actionem, adorationemque semper demus soli Deo in Trinitate et omnium rerum conditori.» Atque ad haec tandem advertatur, quibus de seipso [2]) scribit Anselmus, *talis sum, qualem peiorem non habet mundus*, tum e vestigio pergit: «Ideo talem adiutorem requiro, qualem post Filium tuum potiorem et meliorem [3]) invenire

ὁ μονογενής σου υἱός, καὶ πολλῷ μᾶλλον αὐτὸς, ἐν δούλοις ἐξετάζεσθαι ἐλόμενος, φυλάξει τὴν χάριν καὶ τὸ ἴδιον δόγμα σοι τῇ διακονησαμένῃ τούτῳ τὴν ἀπόῤῥητον γέννησιν· ὅθεν καὶ χαίρει ταῖς παρακλήσεσί σου, οἰκείαν τὴν σὴν ἡγούμενον δόξαν, καὶ χρηστικῶς ἐκπληροῖ τὰς αἰτήσεις σου.

Ibid. pagg. 526. F. et 527. A. Καὶ νῦν πανύμνητε παναγία θεοτόκε, μὴ παύσῃ πρεσβεύουσα ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἀναξίων δούλων σου ῥυσθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἐπιβουλῆς τοῦ πονηροῦ, καὶ ἀπὸ πάσης περιστάσεως, καὶ τηρεῖσθαι ἀτρώτους ἀπὸ πάσης ἰοβόλου προσβολῆς· ἀλλὰ καὶ μέχρι τέλους ταῖς ἱκεσίαις σου ἀκαταχρίτους ἡμᾶς διαφύλαξον, ὅπως τῇ σῇ ἀντιλήψει καὶ βοηθείᾳ διασωζόμενοι δόξαν, καὶ αἶνον, καὶ εὐχαριστίαν, καὶ προσκύνησιν διὰ παντὸς τῷ ἐν τριάδι μόνῳ Θεῷ, καὶ πάντων δημιουργῷ ἀναπέμπωμεν.

1) Quibus haec consona sunt ex oratione Germani constantinopolitani in Deiparae dormitionem: Σὺ δὲ μητρῴαν ἴσχουσα πρὸς Θεὸν τὸ ἰσχύν, καὶ τοῖς καθ' ὑπεροχὴν ἁμαρτάνουσιν καθ' ὑπερβολὴν τὴν συγχώρησιν ἐξανύεις· οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεταί σε ποτε παρακουσθῆναι· ἅτε δὴ συνδιαιτᾶσθαι σοι κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν ὁ Θεός, ὡς ἀληθινῇ αὐτοῦ καὶ ἀχράντῳ μητρί. «Tu vero *maternam vim* apud Deum obtinens, iis qui supra modum peccant supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest, ut non exaudiaris, *quoniam tibi ad omnia et per omnia et in omnibus Deus, tamquam verae et immaculatae suae matri* obedit.» Hinc Petrus Damiani in epistola XXIX. libri sexti ait: «Optima spes est apud eam habere confugium, quae scilicet inter omnes caelestis curiae senatores impetrandi apud Deum *primum obtinet locum*.» Ac ita primum obtinet locum, ut in sermone XLIV. qui est primus in nativitate de ipsa scribere idem Petrus non dubitarit: «Accedis enim ante illud aureum humanae reconciliationis altare non solum rogans sed imperans, Domina non ancilla.» Imperans, vocabulo accepto significatione ab ea non dissimili, qua scriptura in libro Iosue X. 14. ait, *Deum obedisse voci hominis*.

2) Orat. XLV. ad Deiparam p. 277. col. 1. C-D.

3) Hinc illa Alcuini in carmine LII. pag. 1688.

» Virgo Dei genitrix *nostrae regina salutis*,
» Hic precibus famulis auxiliare tuis.
» Hoc altare tuis quoniam est venerabile votis,
» Virginibus sacris laus, decus atque salus.

Hinc eodem pertinentia quae tradunt Gregorius antiochenus in tragoed. de Christo patiente vv. 2590. seqq., Modestus hierosolymitanus in encomio Deiparae §§. I-X., Gregorius II. in epist. I. ad Leonem Isaurum, Theodorus studita lib. I. epist. XLII., et Theophanes cerameus Hom. LXII. de siccitate pag. 427.

Digitized by Google

non potest mundus. Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adiutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu vero, Domina, *omnibus his adiutoribus melior et excelsior es*, quia istis et aliis sanctis omnibus, *etiam angelicis spiritibus Domina es*, et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina caeli et terrae et omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, et ut tu me per omnia adiuves, suppliciter peto. *Te tacente, nullus orabit: te orante, omnes orabunt*, omnes iuvabunt.»

1396. Iamvero quemadmodum horum decorum nullum est quod ex dignitate divinae maternitatis et praestantia secundae Evae non necessario dimanet: id enim et ex sese continuo innotescit, et ad omnem paginam auctoritate maiorum inculcatum reperitur; ita nullum pariter est quod a consortio originalis praevaricationis non summopere abhorreat. Ecqui enim fieri potuit, ut esset commune perfugium quae perfugio indiguerit? Ut esset universalis expiatio, quae fuerit expianda? Ut esset generis reconciliatrix et reconciliatio, quae fuerit reconcilianda? Ut omnium spes esset et patrona, quae fuerit erigenda et patrocinio iuvanda? Et ne singula persequar, qui fieri potuit, ut una pro omnibus divinam exoraret pietatem, quae omnium comprehensa numero et hereditario obstricta scelere divinam aliquando iram ultionemque promeruerit? Restat igitur ut usurpatis Petri chrysologi verbis [1]) concludamus: «Merito ergo *Virgini salva sunt omnia*, quia omnium genuit Salvatorem.»

Atque hinc omnium vocibus tritae preces:

» Placare, Christe, servulis
» Quibus Patris clementiam
» Tuae ad tribunal gratiae
» *Patrona Virgo postulat.*
» Monstra te esse matrem,
» Sumat *per te* preces
» Qui pro nobis natus
» Tulit esse tuus.

1) Serm. CXLIV. de annunciat. pag. 206. col. 1. A.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

Constituitur generica mediatoris ratio, tum ea sic dispescitur, ut altera ad mediatorem naturalem, et altera ad mediatorem moralem referatur: utrum Virgo existimari debeat nostri generis mediatrix: promuntur argumenta quae id luculenter efficiunt: inquiritur subtilius in propriam Deiparae mediationem: ostenditur illam sanctorum prorsus omnium mediationi praecellere, et eo usque praecellere ut ad singularem Christi θεανθρώπου mediationem quam proxime accedat: consectaria quae ex his dimanant, atque illud potissimum, quo praerogativa immaculati conceptus vindicatur.

1397. Utuntur Graeci non infrequenter verbo μεσιτεύω, eoque ex sese ac proprie illud exprimunt, *quod inter duo medium est atque interiectum*. Opportune Suidas, μεσιτεύειν· ἀνὰ μέσον κεῖσθαι, *in medio situm esse*. Ex hoc verbo flexum ductumque proficiscitur nomen μεσίτης, idem [1]) ac ὁ μεσάζων et ὁ μεσαῖος, *qui medius inter duos consistit atque interiacet*. Qua significatione [a]) Gregorius nazianzenus de Iohanne baptista scripsit: « *Mediator* ante mediatorem, *mediator (idest medius)* inter vetus novumque testamentum. » Eademque significatione [b]) politus auctor Basilius seleuciensis repetit: « Veteris simul novique testamenti *mediator;* lex enim et prophetae usque ad Iohannem baptistam. » Sed quoniam media et interiecta eo adhibentur consilio, ut extrema alioqui divulsa mutuo copulentur; usus propterea invaluit ut is nuncuparetur μεσίτης, *qui duas inter partes se interserit, ut litibus diremptis compositisque dissidiis, mutuo illae coalescant et ad concordiam unitatemque revocentur*. Huc sane facit quod legimus in antiquis glossis graecolatinis, μεσίτης, *sequester, mediator:* huc quod Suidas notat, μεσίτης, ὁ εἰρηνοποιός *pacificator:* atque huc quod a Paulo [c]) de Christo dicitur, *unus mediator* [2]) *Dei*

a) Orat. XXI. pag. 375. Ὁ πρὸ τοῦ μεσίτου μεσίτης, μεσίτης παλαιᾶς διαθήκης καὶ νέας.

b) Orat. XVIII. pag. 105. Ὁ τῆς ἀρχαίας ὁμοῦ καὶ τῆς νέας διαθήκης μεσίτης· ὁ νόμος γὰρ καὶ οἱ προφῆται ἄχρις Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ.

c) I. Tim. II. 5. Εἷς μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς.

1) Utramque vocem usurpant alexandrini interpretes et Aquila, ut graece reddant hebraicam ῥῶσ I. Sam. XVII. 4. אִישׁ־הַבֵּנַיִם

2) Ad interpretandam vocem μεσίτου *mediatoris*, conducit Suidae glossa: μεσίτης, ἐγγυητής, μέσος δύο μέρων.

et hominum homo Christus Iesus. Idest [a]) Oecumenio interprete: « Mediatorem *(Paulus)* vocat Christum, quia mediatorem egit inter Patrem et homines, ut eos quasi ad amicitiam adduceret: et quia nos qui hostes eramus, Deo reconciliavit.» Et [b]) interprete Cyrillo alexandrino: « Mediator esse intelligitur, quia natura plurimum a se divulsa et immenso intervallo disiuncta, idest divinam humanamque naturam, coniuncta et unita in seipso ostendit, et nos per seipsum Deo et Patri coniungit. » Quare [1]) Tertullianus in Apostoli effatum mente intentus ait: « Hic *sequester* Dei et hominum fuit. » Lactantius vero [2]) sic habet: « Fuit *(Christus)* Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus, unde illum Graeci μεσίτην vocant. » Si ergo *mediationis* notio analysi subiiciatur, expeditum est intelligere, ad eam conflandam *materiae instar* spectare duas extremas partes, illasque ab invicem dissitas et secumipsis pugnantes: *instar formae*, mutuam copulationem et efflorescentem ex copulatione concordiam: et *instar efficientis causae*, illum ipsum qui tertius advenit, quique suo interventu dissidentes partes iungit, iunctasque conciliat. Quae quidem conciliatio *duobus modis* effici et redigi *ad actum potest*. Sicut enim redigi ad actum potest [3]) *mediatione physica et naturali*, si sequester in seipso naturas prius discrepantes fibula naturalis atque ontologicae copulationis devinciat; ita redigi ad actum potest *mediatione morali et officiosa*, si sequester in utramque partem benevolus nihil reliquum faciat, quo iris sedatis, amicitia revirescat. Utrumque mediationis modum, physicum et moralem sibi plenissime vindicat Christus διάθρωπος, quem idcirco [4]) Scripturae non *mediatorem* dumtaxat *Dei et hominum*, sed *unum* esse mediatorem testantur. Physicum mediationis modum insigniter enarrant [5]) Chrysostomus et Theodoritus, quorum posterior [c]) scribit: « Ipsum mediatoris no-

a) Comm. ad Gal. III. 20. pag. 593. Μεσίτην τὸν Χριστὸν καλεῖ διὰ τὸ μεσιτεῦσαι τῷ πατρὶ καὶ τοῖς ἀνθρώποις, οἷον πρὸς φιλίαν· καὶ ἀποκαταλλάξαι ἡμᾶς πρὸς τὸν Θεὸν, ἐκπεπολεμωμένους.

b) Dialog. I. de Trinit. pag. 405. Μεσίτης τοιῦται τὰ πολὺ διῃρημένα κατὰ τὴν φύσιν, καὶ ἀμέτρητον ἔχοντα τὸ μεσολαβοῦν, τουτέστι, θεότητά τε καὶ ἀνθρωπότητα, συνεσχεθέντα τε καὶ ἡνωμένα ἀῤῥήκτως ἐν ἑαυτῷ, καὶ συνείρων ἡμᾶς δι' ἑαυτοῦ τῷ θεῷ καὶ πατρί.

c) Dialog. II. Αὐτὸ τοῦ μεσίτου τὸ ὄνομα θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος ὑπάρχει δηλω-

1) De resurrect. carnis cap. LI.
2) Institutt. lib. IV. cap. XXV.
3) Cf. Petavium de incarnat. lib. XII. cap. I.
4) I. Tim. II. 5.
5) Hom. VII. in I. ad Timotheum.

Digitized by Google

men et divinitatem et humanitatem significat. Neque enim si Deus solum esset, vocaretur mediator. Ecquo enim pacto nos inter et Deum mediatoris munus exsequeretur, si nostri nihil haberet? Sed quia ut Deus Patri coniunctus est, eamdem habens substantiam, et ut homo nobis copulatur, quia ex nobis servi formam accepit; recte mediator nuncupatur, ea quae disiuncta erant in seipso coniungens unitione naturarum, divinitatis inquam et humanitatis. » Neque minori perspicuitate tum [1]) hunc, tum alterum explanat [a]) Cyrillus alexandrinus his verbis: « Per illum veluti per mediatorem nos cum Patre coniungimur. Quippe Christus est velut confinium quoddam supremae divinitatis et humanitatis, ut qui simul est utraque, et tantopere disiuncta in seipso quasi continet: ac Deo quidem et Patri, utpote natura Deus, copulatur: hominibus vero tamquam revera homo. Ipse est mediator: per eum enim nobis propitius Pater, et in eum desinit omnis precatio, et per eum accedimus, nec aliter accepti sumus. Proinde dicit, *ego sum via, ego sum ostium*, et *nemo venit ad Patrem nisi per me.* » Iamvero ad normam catholicae professionis non minus *uni* Christo θεανθρώπῳ asserenda est dignitas principis mediatoris naturalis iuxta ac moralis, quam utriusque mediationis participatio aliqua et quoddam veluti consortium sanctis angelis beatisque hominibus tribui debeat. His enim consortium aliquod tribui debet moralis mediationis, quia repraesentatis meritis, fusisque precibus nos coram Deo

τικόν· οὐ γὰρ (μόνον ὑπάρχων θεὸς) ἐκλήθη μεσίτης· πῶς γὰρ ἂν ἐμεσίτευσεν ἡμῖν καὶ θεῷ, μηδὲν ἔχων ἡμέτερον; ἐπεὶ δὲ ὡς θεὸς συνῆπται τῷ πατρὶ τὴν αὐτὴν ἔχων οὐσίαν, ὡς δὲ ἄνθρωπος, ἡμῖν, ἐξ ἡμῶν γὰρ ἔλαβε τὴν τοῦ δούλου μορφήν, εἰκότως μεσίτης ὠνόμασται, συνάπτων ἐν ἑαυτῷ τὰ διεστῶτα τῇ ἑνώσει τῶν φύσεων, θεότητος λέγω καὶ ἀνθρωπότητος.

a) Comm. in Ioh. lib. VI. pag. 653. D. Δι' αὐτοῦ δὲ, ὡς διὰ μεσίτου τῷ πατρὶ συναπτόμεθα· μεθόριον γὰρ ὥσπερ τι θεότητός τε τῆς ἀνωτάτω, καὶ ἀνθρωπότητός ἐστιν ὁ Χριστὸς, ἓν ταυτῷ τε ὢν τὰ ἀμφότερα, καὶ οἷον συνέχων ἐν ἑαυτῷ τὰ τοσοῦτον διῃρημένα· καὶ συνάπτεται μὲν, ὡς φύσει θεὸς, τῷ θεῷ καὶ πατρί· ἀνθρώποις δὲ πάλιν, ὡς κατ' ἀλήθειαν ἄνθρωπος.

De adorat. lib. IX. pag. 295. Αὐτὸς ὁ μεσίτης· δι' αὐτοῦ γὰρ ἡμῖν ἵλεως ὁ πατὴρ, καὶ εἰς αὐτὸν καταλήγει πᾶν πέρας εὐχῆς, καὶ δι' αὐτοῦ πρόσιμεν, οὐχ ἑτέρως ὄντες δεκτοί· τοίγαρ τοί φησιν, ἐγὼ εἰμὶ ἡ ὁδὸς, ἐγὼ εἰμὶ ἡ θύρα· καὶ, οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ.

1) Cf. Suiceri thesaur. ecclesiast ad v. μεσίτης.

Digitized by Google

iuvant, nostram tuentur caussam, divinamque nobis benevolentiam singulari studio conciliant. Ac tribui item debet consortium aliquod physicae naturalisque mediationis, quia nemo sanctus est ac nemo officia moralis mediatoris explere pro dignitate valet, quin, ut Petrus [a]) loquitur, *consors* evaserit *divinae naturae*, et quin, ut patres [b]) monent, ad ἱερὰν θέωσιν, *sacram deificationem*, et ad τὴν ἡμῖν ἀνάλογον θέωσιν, *ad deificationem nobis proportione respondentem* fuerit evectus. Immo consortium aliquod physicae et naturalis mediationis *praevertat* oportet consortium mediationis moralis, cuius illud origo est ac principium. Ex consortio enim mediationis naturalis proficiscuntur merita, et tota permanat dignitas mediationis moralis.

1398. Praestruenda haec erant, ut rite duplex haberetur quaestio, quarum prior est, *utrum censeri Deipara appellarique debeat mediatrix:* altera vero, *cuiusmodi mediationis ratio ac praestantia eidem pro suo merito tribuenda sit.* Sed mirum, nisi prior quaestio prima statim facie expeditissima videatur. Quod enim beatis sanctisque universim omnibus asseritur, id sanctorum reginae ac beatorum dominae citra iniuriam erroremque gravissimum denegari non potest. Est autem Deipara [1]) sanctorum regina beatorumque domina, et beatis sanctisque universim omnibus defertur quod sint, et secundum Christum ac per Christum mediatores nuncupentur. Errore igitur gravissimo et manifesta iniuria dignitate et appellatione mediatricis Deipara privaretur. Et quid, quaeso, necessarium est ac sufficit, ut quis vere sit dicaturque mediator? Quod nimirum nos inter et Deum medius sic interveniat, ut sua nos ope ad Deum provehat, et Deum nobis meritis iuxta ac intercessione conciliet. Nihil autem horum est quod Deipara ex unanimi traditione ma-

a) II. Petr. I. 4. ubi Deus perhibetur homines θεοποιεῖν, illosque efficere θείας κοινωνοὺς φύσεως, participes divinae naturae.

b) Athanasius in libello de incarnat. Verbi loquens de Unigenito scribit: *αὐτὸς ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν. Ipse naturam humanam assumpsit, ut nos dii efficeremur.* Et in epist. ad Adelphium de eodem ait: *γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ. Factus est homo, ut nos in seipso deificaret.* Similia passim apud patres occurrunt, e quibus Augustinus in enchirid. cap. LVI. de fidelibus loquens qui *templum Dei* in Scripturis vocantur, notat *templum Dei aedificari ex diis, quos facit non factus Deus.*

1) Cf. nn. 324. seqq.

Digitized by Google

iorum [1]) vel affatim non praestet, vel non abunde perficiat. Ipsa namque *pons* est, quo ad Deum transvehimur: ipsa est *scala*, per quam se Deus ad nos demittit: ipsa est *via*, per quam ad Deum properamus: ipsa est *opitulatrix*, quae nostrae caussae patrocinatur: ipsa est *perfugium*, quod nos tuetur: ipsa est *propitiatio*, quae Deum placat: ipsa est *conciliatrix*, quae divinam nobis pietatem demeretur: et ipsa omnia praestat et omnia plenissime exsequitur, quae vel a mediatore expeti possunt, vel de mediatore in divinis litteris, christianisque monimentis perhibentur. Ne igitur auctoritas luculentissimae traditionis periclitetur, opus omnino est ut Deiparae dignitas mediatricis deferatur, ac ipsa pulcherrimo mediatricis titulo cohonestetur.

1399. Quod si forte non desint qui abnuere pergant, et *de vocibus* satius quam *de rebus ipsis* solliciti, ad eam nos caussae constitutionem detrudant, quam Graeci στάσιν ὁριϰήν, et Latini *definitivam* dicunt, quod *nominis* habeat *controversiam;* neque ab hoc contentionis capite declinabimus, sed eo auctoritatis pondere eaque testium nube *ipsum quoque mediatricis titulum* Deiparae vindicabimus, ut ne morosissimis quidem haerendi tergiversandique locus supersit. Peto igitur fas ne sit ac plane deceat eo titulo ornare Deiparam, quo illam quovis tempore et ubique terrarum sanctissimi quique patres, gravissimique doctores insigniverint. Profecto nisi *norma* desit, qua de eo prudenter aestimemus quod licet quodque decet, talis dubio procul censeri debet universalis patrum doctorumque suffragatio. Bene habet. Verum quid ex iis constat et liquido constat innumeris prope maiorum testificationibus, quas hucusque collegimus et pro facultate digessimus? Constat et liquido constat, inter titulos veterum consensione Deiparae factos illum

1) Cf. nn.1182.seqq. Praeteriri haec non debent et Latinorum hymnis apud Mone T. II. pag. 426:

» Maria mediatrix
» Pia Dei et hominum,
» Maria auxiliatrix
» Tu ais pro nobis omnibus.
» Maria reparatrix,
» Dos caeli et flos
» Dulciter redolens.
» Maria illuminatrix,
» Nostras tenebras mentium
» Illustra, larga datrix,
» Ut valeamus rite
» Laudare Christum dominum.
» Maria adiutrix omnium,
» Da nobis possidere regnum vitae.
» Maria ad salvandum
» Nos Nos arce diceris.

Neque haec praeteriri debent quae sequuntur pag. 429:

» Ave beatissima
» Civitas divinitatis,
» Aeterno felix gaudio,
» Habitaculum
» Iustitiae, castitatis
» Lilium;
» Mater nobilis, obsecra
» Plasmatorem,
» Quatenus redemptos sanguine
» Tuearis,
» Ut viventes Christo
» Hymnizemus, zyma
» Antiquum expurga
» Ipsius oraculo.
» Vitae mediatrix,
» Auxiliatrix, reparatrix,
» Illuminatrix,
» Adiuva reos, genitrix
» Omnipotentis.

eminere, quo ipsa *nostri generis mediatrix* salutatur. Hunc enim titulum, quem ab altero rei christianae seculo [1]) Irenaeus adhibuit, insequutis aetatibus patres plerique omnes doctoresque christiani uno ore frequentarunt. Quod sane factum ea luce splendet, ut neque obscurari possit, neque admodum illorum accessione collustrari quae [2]) Theophilus Raynadus, Dionysius Petavius [3]), Hippolytus Maraccius [4]), Benedictus Plazza [5]) et [6]) Chrysostomus Trombellius exsquisitissimis curis in medium protulerunt. Scilicet universi generatim patres doctoresque christiani non aliter de Virgine loquuti sunt ac de ipsa loquatur [a]) Germanus constantinopolitanus inquiens: «Ave gratia plena, animae gaudium, mundique universi summe decora veneratio *et peccatorum omnium vere bona mediatrix.*» Neque loquuti aliter sunt, ac de Deipara loquantur sive Sophronius hierosolymitanus [b]) inquiens: «Salve benedicta Deoque gratissima, Dominus tecum, qui mortem delevit, et hominem, *te mediatrice,* o mater virgo atque domina, a maledicto liberavit.» Sive Basilius seleuciensis qui Deiparam [c]) extollens ait: «Salve gratia

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1423. D. Apud Combefisium Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ψυχῆς ἀγαλλίαμα, καὶ ὅλου τοῦ κόσμου παγκόσμιον σέβασμα, καὶ ἁμαρτωλῶν ἁπάντων ἡ ὄντως ἀγαθὴ μεσιτεία.

b) Triod. pag. 181. apud Mai, spicileg. rom. T. IV. Χαίροις εὐλογημένη θεοχαρίτωτε, μετὰ σοῦ ὁ κύριος, ὁ καθελὼν τὸν θάνατον, καὶ λύσας τὸν ἄνθρωπον τῆς κατάρας, δι' σπουνα, μεσιτείᾳ σου, μητροπάρθενε.

c) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 360. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ ἀμάραντος τῆς ἀγνείας παράδεισος· ἐν ᾧ φυτευθὶν τὸ ξύλον τῆς ζωῆς βλαστήσει πᾶσι σωτηρίας καρπούς· χαῖρε κεχαριτωμένη, μεσιτεύουσα θεῷ καὶ ἀνθρώποις· ἵνα τὸ μεσότοιχον τῆς ἔχθρας ἀναιρεθῇ, καὶ τοῖς ἐπουρανίοις ἑνωθῇ τὰ ἐπίγεια.

1) Cf. nn. 902. seqq.

2) In nomenclatore mariano ad v. *mediatrix*, pag. 356. opp. T. VII. ubi auctoribus Pseudo-Epiphanio in orat. de laudibus Virginis, Ephraemo in Virginis laudatione, Germano in orat. de nativit. Deiparae, Bernardo in serm. II. de pentecoste, serm. in illud, *signum magnum*, et epist. CLXXIV., Giseberto in altercat. capp. VII-XIV-XIX., et Richardo Victorino in Cant. cap. XXXIX. Deiparam, appellatam ostendit *mediatricem caeli et terrae, quae unionem naturaliter peregit, mediatricem legis ac gratiae, mediatricem pacificam inter summa et infima, mediatricem Dei et hominum, mediatricem salutis, mediatricem ad mediatorem, mediatricem et mediam inter humana et divina, et medium ad quod respiciunt et qui in caelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et nos qui sumus, et qui sequuntur, et nati natorum et qui nascentur ab illis.* Quibus adiungi debent quae scribit in glossario ad nomenclatorem pagg. 412-413.

3) De incarnat. lib. XIV. cap. IX.

4) Polyanth. marian. ad v. *mediatrix*, lib. XI. pagg. 38-41. ubi multo plura quam Theophilus Raynaudus refert.

5) Vindirat. devot. part. II. cap. IV. quo in capite testimoniis Ephraemi, Pseudo-Epiphanii, Basilii seleuciensis, Iohannis damasceni, Georgii nicomediensis, Theophanis ceramei, Iacobi monachi, Anselmi cantuariensis, Eadmeri, Bernardi, Richardi victorini, Arnoldi carnotensis, Petri cellensis, Richardi a s. Laurentio, Guilielmi parisiensis et Laurentii Iustiniani, Deiparae vindicat titulum appellationemque mediatricis, qua, ut l. citato Petavius monet, *passim eam christiana per totum orbem terrarum ora compellant.*

6) In vita Deiparae Tom. V. diss. VIII. pagg. 213-330.

Digitized by Google

plena, incorruptus innocentiae paradisus, in quo arbor vitae consita fructus vitae omnibus germinabit, salve gratia plena, *mediatrix Deum inter atque homines, ut inimicitiae maceria diruatur, et caelestibus terrena copulentur.* » Sive Nicephorus constantinopolitanus, qui [a]) de Constantino copronymo primum scribit: « Iactat autem se ecclesiae conservare traditionem, Verbique Dei humanati mysterium magnificare videtur; simulque honorare simulat sanctissimam Virginem Dei matrem, quam alibi multimodis dehonestatam traducere moliebatur, nec non *eiusdem apud Deum intercessionem* negare, a qua christianis omnibus *ceu salutis conciliatrice,* spe immobili fretis, salvari [1]) contingit. » Tum de eodem, cui nomen Θεοτόκος invisum erat, alibi [b]) subdit: « Nam valde irascitur ac stomachatur ad huius nominis invocationem, *quod tamen christianis est familiare,* et de quo Iudaeos indignantes videmus. Deinde delet et abolet quaecumque *in nomine* eius implorantur, quaeque in litaniis ad eius Filium, precibusque et canticis assidue clamant pro communi salute ii qui orant. *Quandoquidem profitemur et praedicamus mediatricem eam esse validamque* [2]) *apud Filium patronam, ob suam materni meriti fiduciam.* » Quare [c]) Ephraemus Deiparam exorans

a) Antirrhet. I. adver. Constant. copronym. §. IX. pagg. 5-6. apud Mai, in nov. pp. biblioth. T. V. P. I. Καταλαζονεύεται δὲ τὴν τῆς ἐκκλησίας φυλάττειν παράδοσιν, καὶ ἀποσεμνύνειν δοκεῖ τὸ τῆς οἰκονομίας τοῦ θεοῦ λόγου μυστήριον· γεραίρειν γε μὴν κατασχηματίζεται τὴν παναγίαν παρθένον, τοῦ θεοῦ μητέρα, ἣν ἐν ἑτέροις πολυτρόπως ἠτιμωμένην δυκνύειν ἐβούλετο, καὶ αὐτὰς τὰς πρὸς θεὸν παρ' αὐτῆς πρεσβείας, δι' ὧν πᾶσι χριστιανοῖς ὡς σωτηρίας προξενῶν ἐλπίσιν ἀλλογήτοις ἐμπεσοῦσι τὸ σώζεσθαι παρεγίνεται, ἀπαναινόμενος.

b) Antirrhet. II. adver. Constant. copronym. §. IV. pagg. 59-60. Καὶ γὰρ ἤχθετο λίαν καὶ ἠγανάκτει ἐπὶ τῇ τοῦ ὀνόματος ἐπικλήσει, ὅπερ ἦν χριστιανοῖς σύνηθες, ἐφ' ᾧ καὶ ἰουδαίους ὁρῶμεν ἀεὶ δυσχεραίνοντας· ἔπειτα παραχαράσσει καὶ παραποιεῖται ὅσα ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῆς ἐπικέκληται, καὶ ἐν λιταῖς ταῖς πρὸς τὸν τεχθέντα ἐξ αὐτῆς καὶ δέησιν ἐν ᾄσμασιν ἀεὶ ἀνεφώνουν ὑπὲρ τῆς τοῦ κοινοῦ παντὸς σωτηρίας οἱ δεόμενοι· ἐπεὶ ὁμολογοῦμέν τε καὶ κηρύσσομεν μεσιτείαν αὐτὴν καὶ προστασίαν ἀσφαλῆ πρὸς αὐτὸν κεκτῆσθαι, δι' ἣν μητρικὴν παῤῥησίαν ἔχει.

c) Precat. II. ad Deiparam, pagg. 525. F. et 526. A. opp. graeco-lat. III. Οὐδὲν τῆς

1) « Vides, *inquit em. editor*, haud esse neotericam, neque nostrorum tantummodo asceticorum hanc opinionem, quod beata Virgo salutem aeternam (intercedendo scilicet) nobis conciliet; neque id cum aliqua Christi redemptoris ac mediatoris contumelia a catholicis dici, prout heterodoxi quidam dictitant. Profecto hanc sententiam confirmare multis aliis patrum auctoritatibus non foret difficile. »

2) Hinc illud Theophanis ceramei ex hom. LXII. Προσλυψώμεθα πρὸς θεὸν μεσίτας τοὺς ἁγίους, τοὺς τε ἄλλους, καὶ κατιξαίρετον τὴν ὑπεραγίαν δέσποιναν, τὴν ταχεῖαν προστασίαν καὶ ἄμαχον. « Assumamus apud Deum *mediatores* sanctos, cum reliquos, tum *praecipue* superinnocentem Dominam, velox et inexpugnabile praesidium. »

inquit: « Nihil est tuo auxilio firmius tropaeum. Tibi igitur, o undequaque immaculata *et mundi mediatrix*, poenitenti corde supplico, tuum in necessitatibus promptum praesidium *post Deum* salutare, et securum ac fortissimum patrocinium invoco ego delictorum complurium reus ex profundo cordis mei. » Alibi vero eamdem [a]) invocat his verbis: « Domina mea sanctissima, Dei genitrix et gratia plena, communis gloria naturae, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem domina, post Paraclitum alius consolator, *et post mediatorem mediatrix totius mundi*, pons mundi totius ad altissimum caelum nos ducens, clavis in caelum nos introducens, patrona, [1]) *mediatrix*, vide meam fidem meumque desiderium divinitus datum, tamquam quae compassionem et potentiam habes. Tamquam vero mater eius qui solus bonus ac misericors est, suscipe miserrimam animam meam, eamque dignare *per tuam mediationem defensionemque parte dextera unigeniti filii tui.* » Similia praebent Hermannus monachus et auctor operis de corona Virginis, quorum prior [2]) ait: « Collum inter caput et corpus medium est, caputque iungit corpori. Collum ergo sanctae ecclesiae

βοηθείας ὀχυρώτερον τρόπαιον, σοὶ τοίνυν, πανάμωμε καὶ μεσίτρια τοῦ κόσμου, ἐν μετανοίᾳ προσπίπτω τὴν ἐν ἀνάγκαις ταχείαν βοήθειαν, τὴν μετὰ τὸν θεὸν ἐπίκουρον, καὶ ἀσφαλῆ καὶ κραταιὰν προστασίαν μου, ὁ πολλοῖς ὑπεύθυνος πλημμελήμασι, ἐκ βάθους κράζω σοι τῆς καρδίας μου.

a) Precat. IV. ad Deiparam pag. 528. ibidem. *Δέσποινα ὑπεραγία μου θεοτόκε καὶ κεχαριτωμένη, ἡ κοινὴ φιλοτιμία τῆς φύσεως, ἁπάντων τῶν καλῶν χορηγία, ἡ μετὰ τὴν τριάδα πάντων δέσποινα, ἡ μετὰ τὸν παράκλητον ἄλλος παράκλητος, καὶ μετὰ τὸν μεσίτην μεσίτης κόσμου παντὸς, γέφυρα κόσμου παντὸς πρὸς τὸν ὑπερκόσμιον οὐρανὸν ἡμᾶς ἀνάγουσα, κλεῖς εἰς τὸν οὐρανὸν ἡμᾶς ἡ ἀνάγουσα, προστάτης, μεσίτης, ἴδε τὴν πίστιν μου, καὶ τὸν πόθον τὸν ἔνθεόν μου, καὶ ὡς ἔχουσα τὸ συμπαθὲς καὶ τὸ δύνασθαι· οἷα δὴ θεοῦ μήτηρ τοῦ μόνου ἀγαθοῦ καὶ ἐλεήμονος δέξαι τὴν παναθλίαν μου ψυχήν, καὶ ἀξίωσον αὐτὴν διὰ τῆς σῆς μεσιτείας καὶ ἀντιλήψεως, τῆς δεξιᾶς μερίδος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ.*

1) Maraccius in Caesaribus marianis pag. 48. hoc refert theotoc. ex Constantini imperatoris Leonis filii exapostilariis: « Omnes te habemus refugium salutare, et *mediatricem* ad Filium. Sors enim tua et famuli tui sumus nos, o Deipara, et ad tuam defensionem omnes respicimus. » Ex canone autem deprecatorio in sanctissimam Deiparam, auctore Theodoro duce Lascari, haec habet pag. 228. « Salve hominum regina incomprehensibilis, *mundi mediatrix veneranda:* salve stella semper lucida: salve Domina. » Quibus haec apprime respondent ex Adamo Perseniae abbate in serm. de annunt. pagg. 20-21. edit. Maraccii: « Tu misericordiae mater non rogabis pro filio filium, pro adoptato unigenitum, pro servo dominum, pro reo iudicem, pro creatura creatorem, pro redempto redemptorem? Rogabis plane, quia qui filium tuum inter Deum et homines posuit mediatorem, *te quoque inter reum et iudicem posuit mediatricem.* » Hinc in fragmento III. pag. 150. exclamat: « *Mediatricem* intuere Mariam. Ipsa *media* est inter caelum et terram: *media et mediatrix inter Deum et hominem.* »

2) Tract. de Incarnat. Domini cap. VIII. p. 269. apud Gallandium T. XIV.

Digitized by Google

competenter Domina nostra intelligitur, quae inter Deum et homines mediatrix exsistens, dum Dei Verbum incarnatum genuit, quasi caput corpori, Christum ecclesiae, divinitatem humanitati nostrae coniunxit.» Alter vero [1]) scribit: «In Dei tabernaculo nihil erat, quod non auro vestiretur. Sic et tu, Domina, quasi tabernaculum es quod sanctificavit Altissimus: tota fuisti aurea, quia caritate plena. De thuribulo aureo, idest, de tuo pectore virgineo ascendit fumus aromatum in conspectu Domini; quia per te, quae es mediatrix et advocata nostra praecipua apud Deum, nostra defertur devotio, et per te propitiari nobis eius dignatur miseratio.»

1400. Fuerit autem operae pretium animadvertisse, *mediatricis* titulum ea maiorum consensione fuisse receptum, ut ipsos quoque ecclesiasticos libros et publica ecclesiae monimenta solemniter occuparit. Sane in Graecorum [a]) Paraclitice, Octoecho, Triodio et Pentecostario haec de Deipara usurpata legimus: «Te hymnis efferimus, o Deipara Virgo, *quod mediatrix fuisti salutis generis nostri;* in carne namque ex te accepta Filius tuus et Dominus noster, passione per crucem substentata, nos utpote hominum amator ex corruptione liberavit.» Quibus haec ex iisdem deprompta libris [b]) egregie respondent: «Incarnatus Dominus ex innocentibus tuis sanguinibus, o quavis laude superior, utpote misericors et solus hominum amator *per benignam tuam mediationem* iis qui te honorant, poenitentiam impertit. Soluta est, o Dei mater *per tuam mediationem* poena antiquae maledictionis. Nunc *mediatione tua*, o puella, salutem consequor.» Atque haec item [c]) respondent: «O in-

a) Paraclit. pag. 112. col. 2. C., Octoech. pag. 15. col. 1. B., Triod. pag. 490. col. 1. A. et Pentecost. pag. 81. col. 2. E. Σὲ τὴν μεσιτεύσασαν τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους ἡμῶν ἀνυμνοῦμεν, Θεοτόκε παρθένε· ἐν τῇ σαρκὶ γὰρ τῇ ἐκ σοῦ προσληφθείσῃ ὁ υἱός σου καὶ ὁ Θεὸς ἡμῶν, τὸ διὰ σταυροῦ καταδυξάμενος πάθος, ἐλυτρώσατο ἡμᾶς ἐκ φθορᾶς, ὡς φιλάνθρωπος.

b) Paraclit. pag. 231. col. 1. A. Σαρκοῦται ἐξ ἁγνῶν αἱμάτων σου κύριος, μετάνοιαν τοῖς τιμῶσί σε δίδους, πανύμνητε, τῇ σῇ χρηστῇ μεσιτείᾳ, ὡς εὔσπλαγχνος καὶ μόνος φιλάνθρωπος.

Ibid. pag. 309. col. 1. A. et in acoluth. totius hebd. pag. 102. col. 1. C. Ἐλύθη ἡ τῆς κατάρας τὴς ἐκ πάλαι ἡ δίκη, Θεομῆτορ, ἐν τῇ σῇ μεσιτείᾳ.

Triod. pagg. 6. col. 1. C. et 498. col. 2. D. Νῦν σῇ μεσιτείᾳ, κόρη, σώζομαι.

c) Octoech. pag. 18. col. 1. D. Πάναγνε, ἡ μόνη τῷ πλαστουργῷ καὶ τοῖς ἀνθρώποις

1) De corona Virg. cap. XXIV. pag. 432. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

nocentissima, quae *sola ultra quam praecipi animo possit mediatrix fuisti creatorem inter atque homines*, filium tuum deprecare ut servorum tuorum qui lapsi sunt misereatur, atque illorum propugnator existat. Lapsorum erectio, *peccatorum mediatrix*, refrigerium peregrinorum, moerentium consolatio, o Virgo sanctissima, dissipa animae meae tristitiam, atque exora, o innocens, ut superna ex Deo mihi erogetur consolatio, qui te ex animo laudo atque in omnia secula superextollo.» Unde in Menaeis, Anatolio praeeunte, de Deipara [a]) canitur: «Salve angelorum praeconium, salve mortalium decus, salve nostri generis gloria, salve divinus aditus ad Dei regnum, salve [1]) *mediatrix ad creatorem*, salve solutio antiqui maledicti; tibi omnes qui tuis semper beneficiis abunde fruimur, eucharisticum uti decet hymnum deferimus.»

1401. Porro usurpata in ecclesiasticis Graecorum libris loquendi ratio non minus in publicis adhibetur monimentis sive Aethiopum, qui [2]) Deiparam in liturgia his invocant: «*O vere mediatrix* ante Dominum nostrum Iesum Christum.» Sive Armeniorum qui [3]) nunc cum Gregorio narecensi clamant: «Qui Patri est unigenitus, tibi quoque est primogenitus: filius tuus generatione, et Dominus creatione. Propter incontaminatam puritatem bona es sine macula, et propter intemeratam sanctitatem *pia mediatrix*, planta benedicti vitae fructus ac mater vitae.» Et nunc [4]) subdunt:

ὑπὲρ νοῦν μεσιτεύσασα, τὸν υἱὸν ἵλεων τοῖς ἐπταικόσι δούλοις σου καὶ ὑπέρμαχον χρηματίσαι, δυσώπησον.

Triod. pag. 53. col. 2. B. *Καταπιπτόντων ἐπανόρθωσις, ἁμαρτωλῶν μεσίτης, ξένων ἀνάψυξις, λυπουμένων ἡ παράκλησις, παναγία παρθένε, τὴν τῆς ψυχῆς μου λύπην διασκέδασον, ἁγνὴ, καὶ παράκλησιν ἄνωθεν ἐκ θεοῦ μοι δωθῆναι δυσώπει μελῳδοῦντι προθύμως σὲ ὑπερυμνοῦντι εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.*

a) Men. die XIV. Februarii ad Vesper. pag. 85. col. 2. E. *Χαῖρε ἀγγέλων ἐγκώμιον, χαῖρε βροτῶν καλλονὴ, χαῖρε δόξα τοῦ γένους ἡμῶν, χαῖρε θεῖος εἴσοδος πρὸς βασιλείαν θεοῦ, χαῖρε μεσίτρια πρὸς τὸν πλάσαντα, χαῖρε λυτήριον τὸ τῆς ἀρχαίας ἀρᾶς· σοὶ πάντες ᾄδομεν αἶνον χαριστήριον χριστικῶς οἱ καταπολαύοντες ἀεὶ τῶν σῶν ἀγαθῶν.*

1) Auctore pariter Iosepho in vet. quadrag. Officio Feria VI. Tyroph. Ode ϛ'. pag. 56. Deipara audit *ἁμαρτιλων μεσίτις*, *mediatrix peccatorum*.

2) Mss. aethiop. pag. 629. in max. pp. biblioth. T. XXVII. scriptor ferme coaevus vitae s. Mariae aegyptiacae haec illius verba ad Deiparam refert cap. III. n. 23. apud Bolland. pag. 80. T. I. Aprilis die II. «Illuc ibo, quo tu ipsa *salutis meae mediatrix* iuueris atque duxeris me.» Auctor vero synchronus vitae s. Theophili poenitentis apud eosdem p. 496. T. I. Februarii Deiparam nuncupat: «Spem et sustentaculum generis christianorum, redemptionem errantium, veram viam confugientium ad ipsam et *mediatricem Dei ad homines*.»

3) Lib. precum pag. LXXX.

4) Confess. eccles. arm. pag. 48.

Digitized by Google

« Gaude thronus salutis, spes constantiae hominum, *mediatrix legis et gratiae;* incessanti benedictione et gratiarum actione te magnificamus. » Sive Latinorum, penes quos [1]) haec frequentata novimus:

» Salve decus virginum,
» *Mediatrix hominum,*
» Salutis puerpera:
» Myrtus temperantiae,
» Rosa patientiae,
» Nardus odorifera.

1402. De mediatricis igitur titulo Deiparae asserendo nulla iis potest esse dubitatio, qui patres verentur, qui auctoritate reguntur christianae traditionis, quique ecclesiam credunt columnam et firmamentum veritatis. Illud investigari satius debet, cuiusmodi mediationis ratio ad Deiparam spectet, quove ea sensu mediatrix salutetur: utrum sensu qui cum reliquis *secundariis* mediatoribus *communis* sit, vel sensu contra eiusdem *proprio,* et quo tantum illis omnibus antecellat, quantum ad filium θεάνθρωπον principemque mediatorem ipsa θεοτόκος proprius accedit. Sed mihi neque obscurum est, neque salebris impeditum quod respondeam. Contendo namque et argumentis quavis exceptione potioribus confirmo: I. rationem mediationis Deiparae assertam longe esse illa insigniorem, quae reliquis sanctis beatisque universis tribuitur: et II. mediationem Matris eo similitudinis habitu cum Filii mediatione cohaerere, ut hanc quodammodo exprimere et ad vivum, ut aiunt, referre videatur.

1403. Et re sane vera quod primo loco constituimus, ea fulget evidentia quae mentis assensionem sua luce extorquet. Amplissima enim eaque omnibus absoluta numeris inductione certissime scimus, nullum esse gratiae decus, nullumque sanctitatis ornamentum cuivis creaturae concessum, quod in Deipara non multo splendidius multoque perfectius enituerit. Horum autem numero ipsa etiam venit dignitas mediatoris et praestantia mediationis; utraque igitur multo uberius multoque cumulatius Deiparae vindicetur ne-

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 82. Gemina habes apud Mone op. cit. T. II. pagg. 21-48-61-90-193-206.

»Mediatrix
»Mediatoris
»Tu genitrix
»In qua Deo
»Iunctus est homo,
»Deus homini.

»Mediatrix hominum
»Ablutrixque criminum,
»Ave Virgo regia.
»Munda sordes scelerum,
»Cicatrices vulnerum
»Terge plena gratia.

»Dominus te procreavit
»Et ornatam coronavit,
»Coronatam ordinavit
»Suo dilecto filio.

»Gaude dulcis consolatrix,
»Divinum praeconium,
»Inimicorum fugatrix,
»Deitatis speculum,
»Tu regina imperatrix,
»Dei et nostrum mediatrix
»Ac moestorum consolatrix
»Electa ab exordio.

»Tu, benigna imperatrix,
»Dei Patris Filium
»Peperisti, mediatrix
»Sis Dei et hominum.

cesse est. Ac praestantia quidem mediationis proportione respondet tum excellentiae sanctitatis et gratiae, tum gradui cognationis cum Deo. Quemadmodum vero Deipara omnium linguis praedicatur [1]) altera secundum Deum, augustamque Trinitatem; sic omnium conspiratione [2]) veluti ea extollitur quae creatae gratiae plenitudinem, sanctitatisque apicem ac fastigium obtinuerit. Nihil ergo exploratius quam ipsam esse eximio privoque modo mediatricem. Quod ii omnes ultro fatebuntur qui secum perpendant, unam [3]) fuisse Deiparam quae ex omnibus humanis generationibus Deo singulariter placuerit: unam quae caelestem iram placaverit: unam quae divinum in se amorem sua venustate rapuerit: unam quae digna exstiterit divina maternitate: et unam quam Pater uti filiam singularem, quam Filius uti unicam genitricem, et quam Spiritus uti sponsam eximie dilectam selegerint. Hisce namque omnibus sicuti praeclare ostenditur exsors Deiparae cum divina Trinitate coniunctio, et ineffabilis eiusdem cooperatio ad tremendum divinae oeconomiae humanaeque redemptionis sacramentum, qua factum est ut ipsa una exstiterit officina, instrumentum et administra moralis iuxta et physica incarnationis; ita singularis mediationis ratio eidem conveniens oculis veluti spectanda exhibetur.

1404. Quapropter mutuo collatis veterum suffragiis, christianaeque traditionis monimentis deprehendimus: I. sexcenta esse eaque nobilissima, quae quum de Virgine conciliatrice et mediatrice passim adhibeantur, eadem vicissim de nullo sive angelo sive sancto usurpata reperiuntur: II. coniunctis formulis Deiparam repraesentari *mediatricem, piam mediatricem, mediatricem Deum inter atque homines, vere mediatricem, omnium vere bonam mediatricem, mediatricem salutis generis nostri, per quam ab antiquo maledicto liberamur, mediatricem sanctis potiorem, solam supra quam praecipi animo queat mediatricem, et post mediatorem mediatricem totius mundi:* proindeque III. talem ipsi mediationem deferri, *propter quam amplitudine quidem et extensione sit mediatrix universalis, et ipsorum etiam mediatorum mediatrix; dignitate vero atque excellentia non modo sit prae mediatoribus reliquis mediatrix, verum etiam sit credaturque sola supra mentis captum mediatrix, et post*

1) Cf. nn. 354. seqq.
2) Cf. nn. 1075. seqq.
3) Cf. nn. 1187. seqq.

Digitized by Google

θεάνθρωπον *principem supremumque mediatorem altero consertoque gradu mediatrix*. Quod ut probe intelligatur; et alterum propositae investigationis caput simul enodetur; nihil opportunius arbitror quam certas dicendi formulas continuo exponere, quae quum ex sese ad Christum naturalem mediatorem pertineant, usu tamen suffragioque maiorum ad ipsam etiam Deiparam mediatricem transferuntur. E quibus formulis illa primum mentem subit, qua Paulus Ephesios alloquens [a]) scribit: « Nunc autem in Christo Iesu [1]) vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope [2]) in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit [3]) utraque unum, *et medium parietem maceriae* [4]) *solvens*. » Fuit igitur Christi mediatoris quae unitatem mutuamque coniunctionem impediebant « medio tollere, et intergerinum parietem disiicere. Hoc autem quod secundariis mediatoribus numquam tributum legimus, cum Deipara tamen mediatrice aliquo pacto communicatum docent patres maioresque testantur. Et testantur quidem non obscure Basilius seleuciensis, vulgatusque Epiphanius, quorum prior [b]) ait: « Ave gratia plena, Dei hominumque mediatrix, *ut inimicitiarum interiectus paries* evertatur, et caelestia terrestriaque in unum coeant. » Posterior vero Deiparam compellans [c]) inquit: « *Per te* [5]) *medium obstructionis parietem*, inimicitiam scilicet dissolvit, o sancta Virgo: *per te pax caelestis donata est mundo:* per te homines angeli facti sunt. » Testatur Nicetas paphlago qui Deiparae celebrans nativitatem [d]) scribit: « Omnis terra cum

a) Ephes. II. 13-15. Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ὑμεῖς, οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθητε ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ· αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας.

b) Orat. in Deiparam pag. 591. A. apud Combefis. Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, μεσιτεύουσα θεῷ καὶ ἀνθρώποις, ἵνα τὸ μεσότοιχον ἀναιρεθῇ τῆς ἔχθρας, καὶ τοῖς ἐπουρανίοις ἑνωθῇ τὰ ἐπίγεια.

c) Orat. in Deiparam pag. 300. inter opp. Epiphanii T. II. Διὰ σοῦ γὰρ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ τὴν ἔχθραν κατέλυσεν, ὦ ἁγία παρθένε· διὰ σοῦ ἡ οὐράνιος εἰρήνη τῷ κόσμῳ ἐδωρήθη· διὰ σοῦ ἄνθρωποι ἄγγελοι γεγόνασι.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 437. B-C. apud Combefisium Auctar. T. III. Πᾶσα

1) Haec accipi ita non debent ac si significarent *per Christum Iesum*, quod continuo effertur; sed suppleudum est ὄντες, propemodum diceretur: *nunc autem ex quo estis in Christo Iesu, illi additi, et cum eo in unum mysticum corpus coivistis.*

2) Formula μακρὰν et ἐγγὺς εἶναι Hebraeis usitata idem valet ac seiungi a Deo veraque religione, vel cum Deo coniungi, pietatemque sectari.

3) *Utraque*, τὰ ἀμφότερα, nempe γένη *genera*.

4) Genitivus τοῦ φραγμοῦ partes explet epitheti, et dictio τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ notat *medium parietem intergerinum*.

5) Male latinus interpres, *medius obstructionis paries*.

Digitized by Google

laetitia clamet et exsultet, quod tale nobis hodie caelitus donum praerogatur, ut ne dum maledictio illa cesset, *verum etiam destruatur antiquae inimicitiae medius paries, ac dilectio Deum inter et homines, paxque oriatur.* » Accedit [a]) Georgius nicomediensis qui de conceptione Deiparae Ioachimo et Annae divinitus promissa sic habet: « Praenunciant angeli solvendam sterilitatem, *et per ipsam disiectum iri medium peccati parietem* praedicunt. » Et universa accedit [b]) Graecorum ecclesia, quae in Paraclitice, in Triodio et in Pentecostario canit: « Universalem gloriam ex hominibus satam et Domini genitricem, caelestem portam celebremus Mariam virginem, angelorum canticum, et fidelium decus. Ipsa namque apparuit caelum templumque divinitatis: *ipsa dissipans medium inimicitiae parietem*, pacem attulit, regnumque patefecit. Eiusmodi igitur possidentes fidei ancoram, propugnatorem habemus natum ex ipsa Dominum. Sume igitur animos, sume animos, o Dei populе, ipse namque utpote omnipotens hostes fundet. »

1405. Hanc quam expolivimus formulam altera excipit apud maiores solemnis, eoque consilio ab iisdem usurpata ut perfecti mediatoris ideam declararent. Usurpat illam Irenaeus [1]) inquiens: « Oportuerat mediatorem Dei et hominum per suam ad utrosque domesti-

ἡ γῆ μετ' εὐφροσύνης βοάτω καὶ σκιρτάτω, ὅτι τοιαύτη σήμερον ἡμῖν ἄνωθεν ἐβραβεύεται δωρεά, ὡς μὴ μόνη ἐκείνην ἐξαναιρεῖσθαι τὴν ἀρὰν, ἀλλὰ καὶ καταργεῖσθαι μὲν τὸ τῆς παλαιᾶς ἔχθρας μεσότοιχον, ἀγάπην δὲ μεταξὺ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, καὶ εἰρήνην ἐξανίσχειν.

a) Orat. in concept. s. Annae pag. 1063. apud Combefisium[1] Auctar. T. I. *Ἄγγελοι τὴν τῆς στειρώσεως προαναφωνοῦσι λύσιν, καὶ δι' αὐτῆς τὸ τῆς ἁμαρτίας διακοπῆναι προαγορεύουσι μεσότοιχον.*

b) Paraclit. pag. 51. col. 2. E., Triod. pag. 481. col. 2. C. et Pentecost. pag. 47. col. 2. D. *Τὴν παγκόσμιον δόξαν τὴν ἐξ ἀνθρώπων σπαρεῖσαν, καὶ τὸν δεσπότην τεκοῦσαν, τὴν ἐπουράνιον πύλην ὑμνήσωμεν Μαρίαν τὴν παρθένον, τῶν ἀσωμάτων τὸ ἄσμα, καὶ τῶν πιστῶν τὸ ἐγκαλλώπισμα· αὕτη γὰρ ἀνεδείχθη οὐρανὸς καὶ ναὸς τῆς θεότητος αὕτη τὸ μεσότοιχον τῆς ἔχθρας καθελοῦσα, εἰρήνην ἀντεισῆξε, καὶ τὸ βασίλειον ἠνέῳξε· ταύτην οὖν κατέχοντες τῆς πίστεως τὴν ἄγκυραν, ὑπέρμαχον ἔχομεν τὸν ἐξ αὐτῆς τεχθέντα κύριον· θαρσείτω τοίνυν, θαρσείτω λαὸς τοῦ θεοῦ· καὶ γὰρ αὐτὸς πολεμήσει τοὺς ἐχθροὺς, ὡς παντοδύναμος.*

1) Con. haeres. lib. III. cap. XX. Eodem faciunt quae Tertullianus habet de Christo mediatore scribens con. Praxeam cap. XXVII. et de resurrect. carnis cap. LI: « Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summae totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in caelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae. »

Digitized by Google

citatem et ad amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo. » Usurpat Novatianus [1]) his verbis : « Si ad hominem veniebat, ut mediator Dei et hominum esse deberet; oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque caelestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini et hominem Deo copulavit. » Usurpat [2]) Fulgentius qui mediatoris rationem accuratissime describens ait : « Cunctos qui salutis esse cupiunt aeternae participes oportet agnoscere pariter et tenere, non incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, et ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret sed proveheret hominem, et plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura quae mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se mediator Dei et hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare. » Usurpant et reliqui prope omnes graeci latinique [3]) patres, quos inter Chrysostomus [a]) naturalis mediatoris conditionem

a) Apud Theodoritum in dialogo II. Καὶ καθάπερ τις ἐν μεταιχμίῳ στὰς δύο τινῶν ἀλλήλων διεστηκότων, ἀμφοτέρας ἁπλώσας τὰς χεῖρας, ἑκατέρωθεν λαβὼν συνάψειεν· οὕτω καὶ αὐτὸς ἐποίησε, τὴν παλαιὰν τῇ καινῇ συνάψας, τὴν θείαν φύσιν τῇ ἀνθρωπίνῃ, τὰ αὐτοῦ τοῖς ἡμετέροις.

1) De Trinit. cap. XIII. Quam doctrinam recentiori aetate Hugo Victorinus lib. II. de sacramentis fidei cap. XII. repetiit inquiens : « In hoc mediatore eguit homo ad Deum, ut reconciliaretur illi et reduceretur ad illum ; sed causam dissidentium agendam convenienter suscipere non posset, qui non aliqua societatis ac pacis amicitia utrique familiaris atque propinquus existeret. Propter hoc ergo Filius Dei factus est homo, ut inter hominem et Deum reconciliationis et pacis mediator esse posset. Suscepit humanitatem per quam hominibus appropinquaret, retinuit divinitatem per quam a Deo non recederet. »

2) Ad Trasimundum lib. I. cap. XV. Gemina docent Ferrandus diaconus in epistolis ad Anatolium et ad Severum, et Petrus Damiani in opusculo primo de fide catholica cap. VII.

3) Suffragia patrum graecorum adducit Petavius de incarnat. lib. XIII. cap. I., latinorum vero refert cap. II.

Digitized by Google

praeclara imagine repraesentans inquit: «Quemadmodum si quis in medio spatio stans inter duos a se mutuo distantes, ambabus expansis manibus, utrimque apprehensos illos coniunxerit; ita et ille *(Christus mediator)* fecit, cum et vetus testamentum cum novo, et divinam cum humana natura, et cum suis nostra copulavit.» Ratio igitur perfecti mediatoris physici iuxta ac moralis eo continetur, ut qui talis est, dissita primum in se copulet, tum vero eadem mutuo coniungat, et amicitiae societatisque foedere devinciat.

1406. En porro quae de Deipara mediatrice Iohannes damascenus [a]) tradit: «Salve proprie et vere Deipara, *tremenda hominibus cum Deo copula, per quam coniuncta terrenis caelestia, et humana Deo ac homini vicissim divina rependens.*» En quae tradit Iacobus monachus [b]) de nata Virgine loquens: «Nunc aperiuntur inviolabiles thesauri: nunc regni panduntur portae: *nunc terrenis conserta sunt caelestia.*» Et en quae tradunt hinc Germanus constantinopolitanus, inde autem Sophronius et Modestus hierosolymitani. Germanus [c]) Mariam triennem sic alloquitur: «Ades *collectio male dissonantium*, ades *coniunctrix olim dissidentium*, ades eorum instauratio quae obsoleverant.» Sophronius [d]) haec habet: «Salve lucidissimum regis palatium, salve quae terram cum caelo copulasti, o Virgo, per quam salvamur.» Modestus vero [e]) exclamat: «O beatissima dormitio supergloriosae Deiparae, *per quam* [f]) *renovata est universitas rerum, et in unum cum caelestibus terrestria coa-*

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 856. E. Χαῖρε θεοτόκε κυρίως καὶ ἀληθῶς, τὸ πρὸς θεὸν ἀνθρώποις φρικτὸν συναπτήριον, δι' ἧς τὰ οὐράνια τοῖς ἐπὶ γῆς ἥνωνται, θεῷ τὰ ἀνθρώπου, καὶ ἀνθρώπῳ τὰ θεοῦ ἀντανίσχουσα.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1267. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Νῦν οἱ ἀσύλητοι διανοίγονται θησαυροί· νῦν αἱ τῆς βασιλείας ἀναπετάννυνται πύλαι· ἄρτι τοῖς ἐπιγείοις τὰ οὐράνια συνήρμωσται.

c) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1418. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Δεῦρο συλλογὴ κακῶς διαφωνούντων· δεῦρο σύναψις τῶν πάλαι διιστηκότων· δεῦρο καινισμὸς τῶν παλαιωμένων.

d) Triod. pag. 219. apud Mai, spicileg. rom. T. IV. Χαῖρε παλάτιον τοῦ βασιλέως τὸ φωτεινότατον· χαῖρε ἡ γῆν τοῖς οὐρανοῖς, παρθένε, συνάψασα, δι' ἧς σωζόμεθα.

e) Orat. in Deiparam pag. 26. Ὡς παμμακαρία κοίμησις τῆς ὑπερενδόξου θεοτόκου, δι' ἧς ἀνεκαινίσθη τὰ σύμπαντα, καὶ ἥνωται τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις.

f) Eodem sensu Iohannes damascenus Orat. I. in Deiparae nativit. pag. 842. A. Δι' αὐτῆς γὰρ ὁ κτίστης πᾶσαν φύσιν πρὸς τὸ κρεῖττον μετεστοιχείωσεν διὰ μέσης τῆς ἀνθρωπότητος. *Per ipsam namque creator universam naturam media humanitate in melius commutavit.*

Digitized by Google

luere. » Quibus praeclarissimis omnino testificationibus haec non minus praeclara [a]) ex Ephraemo sumpta respondent: « Tu potes, omni laude maior, quaecumque vis (nec dubito) apud Deum, quem peperisti. O Dei mater maior omni cogitatione et eloquio, *per quam hominum natura, quae iamdiu prolapsa longe a Deo recesserat,* benignitatis inexplicabilis atque incomparabilis demissionis modo, *cum beata ac divina natura copulata est.* » Et [1]) rursum: « Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde et labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa ac domina nostra, quae Deum et hominem mundo mirifica et gloriosa conceptione tua peperisti, *Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti, et rebellem humani nostri generis naturam caelestibus consociasti,* unica spes desperantium, me maximum peccatorem ne averseris. »

1407. Quare Graeci insidentem animo fidem his verbis [b]) in Paracletice promunt: « Salve quae terrestria cum caelestibus copulasti: salve spes, protectio et opitulatio omnium finium terrae. » Similia repetunt [c]) in Pentecostario: « Apparuisti *dissidentium conciliatrix; per te enim,* o Virgo Deipara, *homines vere facti sunt in caelis cohabitatores cum angelis,* et sanctorum omnium ordines una cum ipsis profitentur celebrantes partum tuum canticis sempiternis. » Neque diversa sunt, quae ducibus Iohanne damasceno et Theophane [d]) in Menaeis frequentant: « Ave *conciliatio, ad Deum*

a) Orat. ad Deiparam pag. 537. C-E. opp. graeco-lat. T. III. Ὑπερύμνητε δύνασαι, οἶδα γὰρ, πρὸς Θεὸν ὅσα θέλῃς, ὃν ἔτεκες, ὦ Θεοῦ μῆτερ ὑπὲρ πάντα καὶ νοῦν καὶ λόγον, δι' ἧς ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις, ἡ πάλαι ἔκπτωτος καὶ μακρὰν ἀπῳκισμένη Θεοῦ, λίγοις ἀφάτου φιλανθρωπίας καὶ ἀνεκάστου συγκαταβάσεως ἥνωτο τῇ μακαρίᾳ καὶ θείᾳ φύσει.

b) Paraclit. pag. 111. col. 2. A. Χαῖρε ἡ συνάψασα τὰ κάτω τοῖς ἐπουρανίοις· χαῖρε ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν περάτων τῆς γῆς, καὶ προστασία καὶ ἀντίληψις.

c) Peutecost. pag. 204. col. 1. D. Ὡράθης δυστώτων συναπτική· διὰ σοῦ γὰρ ἀγγέλοις ὁμέσκηνοι ἐν οὐρανοῖς ἄνθρωποι γεγόνασιν ἀληθῶς, καὶ τάγματα μαρτυροῦσι πάντων τῶν ἁγίων τῶν σὺν αὐτοῖς, ὑμνοῦντες τὸν σὸν τόκον, παρθένε Θεοτόκε, ἐν αἰωνίοις μελῳδήμασι.

d) Men. die XXVIII. Septembris ad Vesp. pag. 179. col. 1. A. Χαῖρε συνάλλαγμα, πρὸς Θεὸν μεσίτρια, τῶν Σεραφὶμ πάντων ὑπερέχουσα, ἁγιωτέρα, σεμνή.

Die XXVII. Augusti Ode θ'. pag. 151. col. 1. A. Τὰ δυστυχῆ τὸ πρὶν παραδόξῳ μεσιτείᾳ σου ἤνωσας.

1) Orat. ad Deiparam pag. 577. col. 1. B-C. Non suppetunt alii latini.

mediatio, universis Seraphim potior, sanctior, o veneranda. *Tu iampridem dissidentia mirabili mediatione tua coniunxisti.* » Hinc penes ipsos etiam Latinos [1]) receptae voces:

» *Quae Deum hominibus* » Haereses interime,
» *Et ima caelestibus* » Schismataque reprime,
» *Iungis*, o puerpera: » Firma pacis foedera.

Atque hinc [2]) Petri Damiani praeconia quibus Virginem celebrat:

» Maria virgo regia, » *Tu nos avulsos veteri*,
» David stirpe progenita, » *Complanta novo germini*,
» Non tam paterna nobilis, » Per te sit genus hominum
» Quam dignitate sobolis. » Regale sacerdotium.

1408. His autem explanandis communiendisque non minimum conferunt quae [3]) Maximus martyr agens de Christo perfectissimo et naturali mediatore affirmat inquiens: « Ipsum natura sive substantia esse duplicem, propterea quod quum sit mediator Dei et hominum, oportet illum naturalem cum iis, inter quos mediator est, servare cognationem eo ipso quod est utrumque: ut revera in seipso et per seipsum cum caelestibus terrena coniungens, materialem hominum naturam quae ex peccato hostis erat reddita, Deo et Patri concilians, servatam, in amicitiam receptam *et* [3]) *deificatam*, non identitate naturae sed incarnationis ineffabili virtute, *divinae participes naturae per susceptam ex nobis sanctam ipsius carnem, cuiusmodi ante fuimus*, nos rursus efficiat. » Character igitur naturalis mediatoris, Christique proprius eo redit, ut dissidentium copulatione terrestria et humana ad dignitatem praestantiamque cae-

a) Opusc. ad Iohannem cubicularium penes Euthymium in panopl. tit. VII. pag. 132. Διπλοῦν τὴν φύσιν, ἤτοι τὴν οὐσίαν, διὰ τὸ μεσίτην ὄντα θεοῦ καὶ ἀνθρώπων δεῖν κυρίως ἀποσάζειν τὴν πρὸς τὰ μεσιτευόμενα φυσικὴν οἰκειότητα, τῷ ὑπάρχειν ἀμφότερα, ὅπως αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ ἐν ἑαυτῷ, καὶ δι' ἑαυτοῦ συνάψας τοῖς ἐπουρανίοις τὰ ἐπίγεια, καὶ τὴν ὑλικὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν, τὴν ἐκ τῆς ἁμαρτίας πολεμωθεῖσαν, τῷ θεῷ καὶ πατρὶ προσαγαγών, σωθεῖσαν, φιλιαθεῖσάν τε καὶ θεωθεῖσαν, οὐκ οὐσίας ταυτότητι, ἀλλὰ δυνάμει ἀῤῥήτῳ τῆς ἐνανθρωπήσεως, θείας καινοποιὸς φύσεως διὰ τῆς ἐξ ἡμῶν ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς, ὡς ἐπ' ἀρχῆς καὶ ἡμᾶς ἀπεργάσηται.

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 197.

2) Hymn. ad complet. pag. 10. col. 2. C-D. opp. T. IV. Quibus addi haec possunt ex rhythmo de s. Maria virgine pag. 11. col. 1. A-C.

» O genitrix aeterni » Quae vox, quae lingua
» Virgo Maria Verbi, carnis
» Par erit tuae laudis? » *Scala quae caelum terris*,
» Tu nova maris stella, » *Iungis ima supernis.*
» Celsa poli fenestra,

3) Hoc ipsum doctrinae caput aliorum auctoritate patrum fulcit Petavius de incarnat. lib. II. cap. VIII.

Digitized by Google

lestem ac divinam provehantur. Iamvero ipsi etiam Deiparae mediatrici, ea qua decet proportione, hoc tribui decus oportere, testis est Iosephus [a]) inquiens: « Quae *terrenam massam nostram*, Deo in te inhabitante, o penitus immaculata, *caelestem reddidisti*, libera a periculis universos. *Adami massa divinae consors effecta est naturae*, quum e sinu tuo Deus citra mutationem prodiit, et a veteri damnatione revocati sumus, quos assequendae deificationis spes olim deceperat. » Testis est [b]) Theophanes his verbis: « *Terrenam hominum naturam*, o cuiusvis inscia labis, *caelestem effecisti*, eamdemque corruptam renovasti; propterea, o Virgo, incessantibus vocibus te efferimus. » Consonat [1]) Theodorus studites in Triodio, et universi consonant Graeci [c]) in Paraclitice ubi legimus: « Quis te, o Virgo Dei sponsa, pro dignitate laudaverit beatamque praedicarit? Igitur grato animo tibi acclamamus dicentes: *salve quae Adamum* [2]) *deificasti*, et dissita coniunxisti: salve quae genus nostrum illuminasti lucifera resurrectione Filii tui et Dei nostri. » Neque haec abludunt [d]) ex canone hymni acathisti: « Torus Verbi, o immaculata, *caussa universalis deificationis*, salve o penitus intacta. » Quibus haec adiungi debent [3]) ex Petro Damiani natalem Deiparae diem celebrante: « Hodie nata est regina mundi, fenestra caeli, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala caelestis; *per quam* supernus rex humiliatus ad ima descendit, *et homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.* »

a) Offic. quadrag. Fer. V. Hebd. Ieiun. Ode θ'. pag. 124. Ἡ οὐρανώσασα ἡμῶν τὸ γεῶδες φύραμα τῇ ἐν σοὶ τοῦ Θεοῦ, πανάμωμε, ἐνοικήσει, ῥῦσαι πάντας κινδύνων.

Ibid. Dom. II. Ieiun. Ode γ'. pag. 214. Ἐθεώθη, παρθένε, τὸ τοῦ Ἀδὰμ φύραμα, ὅτι ἐκ γαστρός σου ἀτρέπτως ὁ Θεὸς γέγονε, καὶ ἀνεκλήθημεν τῆς παλαιᾶς καταδίκης οἱ ψυσθέντες ἐλπίδι πάλαι θεώσεως.

b) Men. die XVIII. Martii Ode γ'. pag. 78. col. 2. B. Οὐρανώσας γεωθεῖσαν τὴν φύσιν, πανάμωμε, τῶν ἀνθρώπων, καὶ φθαρεῖσαν αὐτὴν ἐκαινούργησας· διὰ τοῦτο, κόρη, ἀσιγήτοις φωναῖς σε γεραίρομεν.

c) Paraclit. pag. 60. col. 2. C. Τίς σὲ κατ' ἀξίαν ἐπαινέσει καὶ μακαρίσει, κόρη θεόνυμφε; εὐχαριστοῦντες οὖν χαυγάζομέν σοι λέγοντες· χαῖρε ἡ τὸν Ἀδὰμ θεώσασα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάψασα. Χαῖρε ἡ φωτίσασα τὸ γένος ἡμῶν τῇ φωτοφόρῳ ἀναστάσει τοῦ υἱοῦ σου καὶ Θεοῦ ἡμῶν.

d) Ad calcem Paraclit. pag. 449. col. 2. C. Παστὰς τοῦ λόγου, ἀμόλυντε, αἰτία τῆς τῶν πάντων θεώσεως, χαῖρε πανάχραντε.

1) Triod. pag. 116. col. 1. B.

2) Huc referri possunt quae habentur in Paraclit. pag. 182. col. 1. E. ubi Virgo dicitur ἡ μόνη κοσμήσασα τὴν ἀνθρωπότητα, *sola quae humanitatem ornavit.*

3) Serm. XLVI. in Deiparae nativit.

1409. Etsi vero ex iis non pauca quae retulimus, quantum satis est, caussam detegant fontemque recludant, e quo tantum Deiparae mediatricis cum Christo naturali mediatore consortium, tantaque illius mediationis praestantia dimanant; ab re tamen non fuerit aliquot praeterea testimonia subiicere, quae quum eodem pertineant, idipsum luculentius patefaciunt. Quibus testimoniis accenseri principio debent quae vulgatus Basilius [a]) his verbis complectitur: « Idcirco Deus in carne est, quia hanc carnem exsecratam oportebat sanctificari, debilem corroborari, a Deo abalienatam cum eo coniungi, delapsam e paradiso in caelos reduci. *Quaenam vero est huiusce dispensationis* [1]) *officina? Virginis sanctae corpus.*» Accenseri deinde debent, quae de Virgine vita functa Modestus hierosolymitanus [b]) scribit: « Tum vero in sacro lectulo elatum est sanctum Dei genitricis corpus, *ex quo compositus est simplex Iesus, et divinissimus Deus appellatus est homo.* O sacer lectule ferens illud *vere immaculatum corpus, unde prodiit qui omnia sanctificat.* O sacer lectule ferens *divinam universalis salutis officinam.* O sacer lectule ferens caelestis regis *palatium ab ipso aedificatum ad substantialem incircumscriptibilem habitationem suae*

a) Hom. in s. Christi generat. n. 3. pag. 597. D. inter opp. Basilii T. II. Ὅτι διὰ τοῦτο θεὸς ἐν σαρκὶ, ἵνα δὴ ἴδῃ τὴν καταραθεῖσαν σάρκα ταύτην ἁγιασθῆναι, τὴν ἀσθενήσασαν ἐνδυναμωθῆναι, τὴν ἀλλοτρωθεῖσαν θεοῦ, ταύτην οἰκειωθῆναι αὐτῷ, τὴν ἐκπεσοῦσαν τοῦ παραδείσου, ταύτην εἰς οὐρανοὺς ἀναχθῆναι· καὶ τί τὸ ἐργαστήριον τῆς οἰκονομίας ταύτης; παρθένου ἁγίας σῶμα.

b) Orat. in Deiparam §. XIII. pag. 53. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀνεφέρετο ἐπὶ ἱεροφόρῳ σκιμποδίῳ τὸ ἡγιασμένον θεομητρικὸν σῶμα, ἐξ οὗπερ ὁ ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη, καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος θεὸς ἀληθῶς ἐχρημάτισεν· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων τὸ ἀληθινὸν ἀμίαντον, δι' οὗ προῆλθεν ὁ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων τὸ θεόθεν ἐργαστήριον τῆς παγκοσμίου σωτηρίας· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων ἐπουρανίου βασιλέως παλάτιον, τὸ ὑπ' αὐτοῦ κτισθὲν εἰς τὴν οὐσιώδη ἀπερίγραπτον ἐνοίκησιν τῆς αὐτοῦ σαρκώσεως· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρον θαυμαστὸν ὄχημα, ἐφ' οὗ ἐποχούμενος προῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς θεὸς ὁ καθήμενος ἐπὶ Χερουβὶμ, ἐνδυσάμενος ἐντελῶς τὴν τῆς φύσεως ἡμῶν πορφύραν· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρον τὸ καθαρώτατον καὶ ἐκλεκτὸν νοητὸν μέταλλον, ὅθεν καὶ ὁ πλαστουργήσας κύριος ἀνενίσωσεν ἑαυτῷ τὸ ἴδιον πλάσμα.

1) Hoc *officinae* titulo quo plus semel auctam Deiparam accepimus, perspicue significatur, in ipsa eiusque sinu *substantiam naturarum divinae et humanae unitionem et ex ea profectam humanae naturae deificationem peractam fuisse atque absolutam.* Sed cuiusmodi *haec officina* existimari debet? *Exsecrata* ne et *indiga mundante sanctificatione*, quemadmodum universa caro communi lege ex Adamo progenita? Ne concedamus in eiusmodi sententiam, exigit orationis ductus ac series, exigit dignitas officinae ad reconciliationem peragendam selectae, itemque exigit appellatio *sanctae* facta Deiparae, qua ab universa Adami posteritate exsecrationi obnoxia separatur.

Digitized by Google

incarnationis. O sacer lectule ferens admirabilem currum, *quo qui* [1]) *sedet super Cherubim Deus, vectus processit in terram, naturae purpura* [2]) *perfecte indutus*. O sacer lectule ferens *purissimum et electum spirituale metallum, ex quo creator Dominus proprium sibi renovavit figmentum.* » Atque accenseri pariter debent quae [3]) in Missali mozarabico recitantur : « Te Deum filium Dei summis gratiarum muneribus excolimus, licet incarnationis tuae sacratissimae mysteria recensere dignis clamoribus non sufficimus, *cum Virginis matris tuae in alvo ad salutem humani generis foedera sunt inita.* Eius ergo interventu nos caelo dignos efficere digneris, qui eius claustrum pudicitia decorum subire non dedignatus, *hominum commercium caelestium spirituum consortium mirabili providentia inire fecisti*, per cuius sanctissima merita te supplices postulamus, ut « contagiis terrenae foeditatis corda tuorum emacules, et gratia tua mentes nostras visitando refundas, quo pausantium animabus requiem, et vivis pacem largiaris. »

1410. Cum his, vero quorum praestantia vim mentis exsuperat, alterum consertum est ad aperiendam rationem mediationis propriam Deiparae ita accommodatum, ut nihil accommodatius expeti posse videatur. De Christo naturali mediatore scribit [4]) Augustinus: « Consultum est divina providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus et occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei Sapientia ad unitatem personae suae homine assumpto in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrua saluti nostrae dicendo et faciendo, patiendo et sustinendo fieret et deorsum hominibus exemplum redeundi, et eis qui sursum sunt angelis, exemplum manendi. Et quia omnia quae in contrarium pergunt, *per aliquod medium reducuntur*, ab aeterna iustitia temporalis nos iniquitas alienabat. Opus ergo erat *media iustitia temporali, quae* [5]) *medietas* temporalis esset de imis

1) Is. XVII. 16.

2) *Purpura* dicitur caro Christi, quod caro fuerit non captiva sed regia, neque infecta sordibus sed omnino splendidissima. Haec autem *purpura* fuit ipsissima Virginis caro, quam propterea *purpuram* toties nominatam audivimus, quemadmodum illam vocat *purpuram* Iohannes damascenus Orat. II. in Deiparae nativit. pag. 856. A. Χαίρε πορφύρα βασιλική, ἡ ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων σου ἐξυφάνασα ἐλευθερίαν τῷ λέγοντι ἐν ᾄσμασι· πλόκιον περιλαῖς σου κ. τ. λ. « Salve *purpura regia, quae virginali tuo sanguine purpuram illi texuisti*, qui in Canticis dicit, plexus capitis tui etc. » Neque aliter Pseudo-Epiphanius in orat. de laudibus Deiparae pag. 296. B., a quo Virgo nuncupatur ἡ βασιλικὴ πορφύρα τὸν οὐρανοῦ καὶ γῆς ἐνδύσασα βασιλέα, *purpura regia, quae caeli terraeque regem induit.*

3) Missa b. Mariae in orat. *post nomina*, p. 468. T. II.

4) De consensu evangelist. lib. I. capite ultimo.

5) *Medietatem* istam declarat Augustinus de

mixta et summis: atque ita se nec abrumpens a summis et contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem et hominem mortalem, Deus et homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.» Atqui huius *medietatis,* qua propria Christi naturalis mediatoris tessera continetur, non omnino exsortem esse Deiparam mediatricem, disertis iteratisque sententiis maiores nostri profitentur. Tum enim profitentur quum Deiparam dicunt [1]) *novam creationem, novum creatoris opus illudque nobilissimum.* Tum profitentur *quum* [2]) *Deiparam ab universa Adami propagine separantes, illam cum beata Trinitate altero gradu coniungunt.* Tum profitentur *quum* [3]) *Deiparam considerandam sistunt vel pontis instar Deum inter atque homines, vel instar scalae nostrum genus ad Deum evehentis.* Et tum profitentur *quum* [4]) *par pari opponentes, quemadmodum cum primo Adamo Christum secundum Adamum, ita cum prima Eva Mariam secundam Evam committunt.* Quare nil mirum si ex fide maiorum [a]) Gregorius Palamas, licet schismaticus, de Virgine scripserit: « Igitur ipsa sola *media est inter creatam increatamque naturam;* et nemo ad Deum accedit nisi per ipsam, perque genitum ex ipsa mediatorem; et donum nullum a Deo nisi per ipsam in angelos hominesque proficiscitur.» Nil mirum, si Nicodemus [5]) eodem obligatus schismatis vinculo, haec ipsa non probaverit modo, verum etiam tamquam magnifica et verissime scripta depraedicarit. Nil mirum si Isidorus thessalonicensis [6]) haec litteris consignarit: « Quia hominem liberare ab aerumna non valebat homo eiusdem naturae, quique propter virtutis abundan-

a) Orat. in Deiparae nativit. apud Nicodemum pag. 661. Οὐκοῦν αὕτη μόνη μεθόριόν ἐστι κτίστης καὶ ἀκτίστου φύσεως· καὶ οὐδεὶς ἂν ἔλθοι πρὸς θεὸν, εἰ μὴ δι' αὐτῆς τε καὶ τοῦ ἐξ αὐτῆς τεχθέντος μεσίτου· καὶ οὐδὲν ἂν τῶν ἐκ τοῦ θεοῦ δωρημάτων, εἰ μὴ διὰ ταύτης γένοιτο καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις.

peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXIV. inquiens: « Ipsa participatio illius in inferiora nostra, ut nostra esset in superiora illius, tenuit quamdam et in carnis nativitate *medietatem:* ut nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudinem carnis peccati: nos non solum ex carne et sanguine, verum etiam ex voluntate viri et ex voluntate carnis; ille autem tantum ex carne et sanguine, et non ex voluntate viri neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Et ideo nos in mortem propter peccatum, ille propter nos in mortem sine peccato.».

1) Cf. nn. 1200. seqq.
2) Cf. nn. 1264. seqq.
3) Cf. nn. 1225. seqq.
4) Cf. nn. 1284. seqq.
5) Ibidem.
6) Orat. III. in Deiparae annuntiat. pag. 84. edit. Maraccii.

Digitized by Google

tiam esset idoneus ad utendum Dei adiuvantis auxilio: maior enim erat culpa, quam ut [1]) purus homo posset libertatem afferre; opus erat *novum creari hominem* qui valde prope ad Deum accederet, ut medicinam adhibere posset. *Hic vero plene fuit stupendissimus ille homo, Virgo,* cunctorum hymnis decantatissima, de qua vel ipsi Deo curae fuit praedicere quod tantis viribus esset praevalitura, et *formare illam ut homo esset ad divinam similitudinem, quae quasi deus operanti Deo suam operam praestans,* nobili creaturae homini posset dare salutem.» Atque nil mirum si Engelbertus abbas admontensis, explanato [2]) discrimine quo viatores et beati tam virtutibus quam ceteris supernis donis potiuntur, pergit [3]): «Hoc de beata Virgine sentiendum et tenendum est, quod in plenitudine gratiae quam ei angelus annuntiavit, omnes gratias sacramentales et virtutes et dona et fructus et beatitudines statum viae perficientes, ex eo quod ipsa fuerit viator simpliciter et [4]) comprehensor secundum quid, *medio* et meliori modo habuerit inter viatores et comprehensores: quia cessante actuum imperfectione habuit eas sub merendi conditione, et cum actuum perfectione cum excellentia super omnes.» Et [5]) mox: «Ad cuius maiorem declarationem et intelligentiam praenotandum est, quod cum beata Virgo inter Christum Deum et hominem et inter *puros* homines ceteros, non solum secundum plenitudinem gratiae sed etiam secundum perfectionem naturae, *medium statum habuerit;* hoc habuit cum Chri-

1) Occasione horum verborum in subiectis adnotationibus pag. 215. scribit Maraccius: «Licet beata Virgo fuerit in se purus homo et pura creatura, quia in se nullam habuit unionem hypostaticam cum aliqua personalitate divina; attamen licentia quadam pia et abstrahendo a rigore theologicae loquutionis, potest dici non purus homo in Filio ob hypostaticam unionem cum persona Verbi, homine Deo, quatenus idem Verbum sua carne induit, et per ipsum sua carne indutum homini perdito salutem et libertatem attulit. *Una est enim Mariae et Christi caro,* inquit in suo tractatu de laudibus Virginis Arnoldus carnotensis; et beatus Petrus Damiani in sermone de nativitate, *Christus quodammodo est in Virgine per identitatem, cum sit idem quod ipsa.* Quomodo autem aliqua, quae Deo et Christo sunt propria, tribui possint beatae Virgini, et quomodo a sanctis patribus eidem beatae Virgini tribuantur, explicat inter alios Hadrianus Lyreus in trisagio mariano in prooemio.» Haec ille, quae videri tamen necessaria non debent. Quum enim Isidorus negat Virginem fuisse *purum hominem*, non ad substantiam humanitatis respicit, sed ad duplicem eiusdem conditionem, qua in omnibus Adami posteris trangressione corrupta est, eaque divinae imaginis similitudine privata, qua Deum ad vivum referat. Ergo teste Isidoro, non fuit *purus homo*, idest communis homo Maria, quia neque communi vitio corrupta, neque splendore divinae similitudinis destituta; sed ea contra nitens venustate, qua officina, instrumentum ac materies foret divinae oeconomiae.

2) Tract. de gratiis et virtutibus b. Mariae P. III. cap. VII. pag. 607. apud Pezium anecdot. T. I. P. I.

3) Ibid. pag. 608.

4) Crederes haec ex Augustino desumpta, qui de genesi ad lit. lib. XI. cap. XVIII., de civ. Dei lib. XI. capp. X-XII. et de correpț. et grat. cap. X. statum primi hominis innocentis statum vocat *beatitudinis*, non perfectae quidem et absolutae, inceptae tamen atque inchoatae.

5) Ibid. cap. VIII. pagg. 608-609.

sto commune, quod in ipsa virtutes superiores non impediebant nec diminuebant virtutes inferiores quoad perfectionem suorum actuum: nec e converso virtutes inferiores impediebant superiores. Propter quod ipsa quolibet actu et motu potuit mereri, ita quod quaelibet eius actio et operatio gratuita fuerit et meritoria. Et hoc est quod dicit Hieronymus in sermone, *cogitis me*, quod in Mariam totius gratiae plenitudo quae in Christo est, descenderit, quamquam aliter et aliter; quia in Christo fuit plenitudo gratiae ex unione deitatis, in Maria vero ex infusione divinae largitatis, quantum fuit possibile communicari purae creaturae. » Quod quum fixum ratumque esset auctori de corona beatae Virginis, propterea [1]) scripsit: « Tu es incomparabilis cunctis mulieribus in pulcritudine, in decore et in elegantia: clarior omnibus hominibus in virtute, gratia et sapientia: gloriosior angelis in eminentia dignitatis, in excellentia sanctitatis, in adeptione gloriae et honoris. Nam ut aurum excellit omnia genera metallorum, sic tu, Domina, in caelo et in terra super omnes obtines principatum. Tibique omne genu curvatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitetur quod mater Domini nostri Iesu Christi in gloria es Dei Patris, amicta sole sicut vestimento, coronata serto splendifero duodecim stellarum, gloria et splendore decorata. » Et [2]) denuo: « Merito, Domina, in ornamento tui capitis obtines topazium omnibus lapidibus praestantiorem; quia tu omnes sanctos et angelos superas in pulcritudine virtutum, in splendore charismatum et in coronis meritorum. Idcirco propter omnium bonorum quam possides pulcritudinem, et totius misericordiae affluentissimam ubertatem, peccatores trahis ad veniam, pugnatores perducis ad bravii coronam, iustos ducis ad gloriam incorruptam. Tu, Domina mundi, regina caeli, servitutem ademisti, libertatem restituisti, sustulisti mortem, vitam donasti, dum salvatorem nostrum Dei filium peperisti. Tu mater indulgentiae ligata solvis, soluta reseras, adversa mitigas, contrita sanas, reos solvis, reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos, honorem renovas, fiduciam reformas, vires gratiamque infundis. Tu indignationem compescis, amissam hereditatem restituis, nos separas a diabolo, purificas a peccato, reconcilias Deo. »

1) De corona b. Virginis cap. I. pag. 395. in collect. pp. tolet. T. I.

2) Ibid. cap. II. pag. 396.

Digitized by Google

1411. Nobilissimi itaque characteres quibus Christus naturalis mediator distinguitur, et splendidiores formulae quibus naturalis eiusdem mediatio significatur, usu et auctoritate maiorum de ipsa quoque Virgine mediatrice, ea qua par est ratione, usurpantur. Ipsa namque est, *quae interiectum peccati et inimicitiarum parietem disiecit, quae cum angelis homines devinxit, quae pacem attulit, regnumque obstructum reseravit.* Ipsa est quae dicitur *copula hominum cum Deo, collectio male dissonantium, coniunctrix olim dissidentium, et in qua caelestia cum terrestribus coaluerunt.* Ipsa est cui tribuitur, *quod Adamum deificarit, quod terrenam protoparentum massam caelestem reddiderit, nostrumque genus ad naturae divinae consortium extulerit.* Ipsa est, *cuius caro celebratur tamquam officina reconciliationis et universalis sanctificatiönis, tamquam ea e qua homo factus is exstitit qui omnia sanctificat, tamquam substantiva humanati Verbi inhabitatio, tamquam purpura e qua dominicae carnis purpura contexta fuit, et tamquam propria sedes in qua salutis foedera inita fuerunt ac sancita.* Ipsa proinde est *quae sin minus substantia et natura, conditione certe, gratia, puritate atque innocentia sistitur prope media inter Deum offensum hominumque genus praevaricationis culpa obligatum, et sententiae maledicti ac damnationis obnoxium.* Quid igitur? Obliti ne verborum Apostoli arbitrabimur, una cum Christo mediatore non moralis dumtaxat mediationis habitu, sed habitu quoque physicae mediationis Deiparam mediatricem cohaerere? Veremur quam qui maxime [1]) Apostoli oraculum, et cum ipso constantissime repetimus, unum esse mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum. Nihilominus [2]) maiorum auctoritate suffulti, et praeclarissimis eorumdem suffragiis innixi tuemur opus omnino esse, *ut cum Christo θεανθρώπῳ eodemque unico naturali mediatore ipsa etiam Virgo θεοτόκος eademque sola naturalis mediatrix altero gradu et quadam verissima analogia copuletur.*

1412. Hoc enim postulat testimoniorum summa, quam diligenter collectam in medium protulimus. Hoc postulat habitus qui splendide extitit cum inter Deiparam et augustam Trinitatem, tum inter Deiparam et lapsum profligatumque hominum genus. Sicut enim ipsa habitu penitissimae societatis cum augusta Trinitate con-

1) I. Tim. II. 5., Hebr. VIII. 6, IX. 15. et XII. 24. 2) Cf. Petavium de incarnat. lib. XIV. cap. IX.

Digitized by Google

serta fuit, ita cum lapsa hominum natura et a Deo rebellante habitu iuncta fuit unius eiusdemque substantiae. Hoc postulat duplex eaque physica Deiparae qualitas, qua non minus fuit Adami filia quam verissima Dei genitrix. Utraque enim in Deiparam concurrente qualitate effectum est, ut in ipsa peccatrix Adami natura cum sanctificante natura Deitatis sociaretur. Hoc postulat ipsum incarnationis sacramentum, quo hominum natura unitione substantiva cum Deo primum cohaesit. Huius namque sacramenti sic officina fuit Deipara, ut simul caussa exstiterit, nec caussa quaevis sed prorsus physica, quum desumpta ex ipsa physice fuerit ea caro de qua a) legimus, *et Verbum caro factum est*. Hoc postulat physicum vinculum a patribus chalcedonensibus tum expressum quum in edita fidei formula docuerunt, unum eumdemque unigenitum Filium et consubstantialem esse aeterno Genitori secundum divinam naturam, et consubstantialem esse temporali Genitrici secundum naturam humanam. Huic enim consubstantialitati referri in acceptis debet, quod hypostatica coniunctio [1]) divinae Verbi personae cum humana natura in quamdam veluti reciderit physicam coniunctionem cum Deipara, e qua fuit illa suscepta. Hoc postulat christianae fidei articulus quo profitemur, duplicem Verbi generationem, sempiternam alteram ex Patre, qua Deus est benedictus in secula, et temporalis altera ex Matre, qua est θεάνθρωπος et oeconomiam salutarem explevit. Etenim cum hac altera generatione consertum est, Virginem credi oportere caussam physicam ipsius θεανθρώπου, atque substantivae idcirco unitionis naturalisque mediationis, qua Deus et homo in unum eumdemque Deum-hominem coiverunt. Hoc denique [2]) habitus postulat, quo sese mutuo excipiunt sibique respondent hinc quidem primus Adamus et prior Eva, inde autem secundus Adamus et secunda Eva. Quemadmodum enim in universam hominum familiam pernicies defluxit ac defluit per se quidem primum ac potissimum ex Adamo gignente, participatione autem physicoque consortio ex Eva concipiente: adeo ut non eodem quidem gradu sed eodem tamen genere Adamus et Eva fuerint et sint physicum ruinae

a) Ioh. I. 14. Καὶ λόγος σὰρξ ἐγένετο.

1) Neque enim Verbum *secundum hypostasim* sibi adscivit humanam naturam, nisi *physica naturalique* societate contracta cum Deipara, e qua illam accepit. Quare Deipara de humana Unigeniti natura verissime iterare potuit, *Haec caro ex carne mea*.

2) nn. 1283. seqq.

Digitized by Google

medium; ita humanae familiae reparatio quae ex sese primum ac potissimum dimanavit ac dimanat ex secundo Adamo secundum carnem genito, participatione tamen physicoque consortio dimanavit pariter ac dimanat ex secunda Eva concipiente: adeo ut eodem quidem genere licet diverso gradu secundus Adam et secunda Eva fuerint et sint medium physicum humanae restitutionis. En quam praeclare Dei sapientia astutiae dolos subverterit: en quam praeclare Dei pietas invidentiae livorem retuderit: et en quam praeclare ac prorsus divine uterque ordo perditionis et restitutionis *ad unum par* etsi diversissimum fuerit tandem revocatus. Atque ex his quidem, nescio, an quidquam reliquum fecerit Hildephonsus toletanus Deiparam sic [1]) alloquens: «Rogo ut me facias famulari Domino tuo et tibi. Illi sicut factori meo, tibi sicut genitrici factoris mei: illi sicut Deo, tibi sicut matri Dei: illi sicut redemptori meo, tibi sicut operi redemptionis meae. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuae personae veritate formavit *(al. firmavit)*. Quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit. Quod pretium emptionis meae factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit. In quo vulnera mea sanavit, ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit: in quo mortem meam tolleret, a mortalitatis tuae corpore mortale corpus attraxit: in quo mea deleret peccata, quod tulit a te corpus, sine peccato suscepit: naturam meam quam in se praecessore mihi ad regnum suum in gloria paternae sedis super angelos collocavit, ex veritate corporis tui humiliatus assumpsit.»

1413. Quid porro ex his non dubie sed certe, non obscure sed omnino manifestissime consequitur? Sin minus omnia, graviora saltem ex ordine aperiam, et prolixiori articulo finem imponam. Principio itaque consequitur, Deiparam ex eorum albo secernendam esse, qui mediatores secundarii nominantur: multo est enim potior ratio mediationis quae illi convenit, et qua super mediatores ceteros tantum effertur, quantum ad unum mediatorem Christum, Deum nostrum, eiusque Filium propius accedit. Consequitur deinde nostra in Deiparam religionis officia iis esse longe nobiliora, quibus in ceteros secundarios mediatores obstringimur, nihilque ad normam christianae veritatis accommodatius dici posse, quam Virginem mediatricem eximio quodam *hyperduliae* cultu esse prose-

1) De perpet. virginit. s. Mariae cap. XII. pagg. 167-168. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

quendam, et in fusis ad Deum precibus cum Christo mediatore penitissime copulandam. Tum illud consequitur, quod [1]) plurimorum semper oculos vehementer perstrinxit, quodque in hac monimentorum argumentorumque luce abscondi non potest: *praerogativam immaculati conceptus eadem christiani nominis traditione tenendam proponi, qua Deipara mediatrix et eiusdem propria mediationis ratio celebratur.* Ecquid enim ex maiorum monimentis iure efflagites, ut iisdem expressam immaculati conceptus praerogativam quamquam invitus fatearis? Num quod Virgo a reliquis seiuncta Adami posteris, propria veluti in sede collocata exhibeatur? Atqui tum id maiores praestant, quum illam vocant universalem omnium mediatricem. Num quod Virgo consors numquam fuerit illius inimicitiae quae nostrum genus, interiecti instar parietis, a divina familiaritate separavit? Sed tum hoc maiores testantur, quum Virgini mediatrici adscribunt quod integerrimum peccati inimicitiarumque parietem disiecerit [2]) et cum caelestibus terrestria copularit. Num quod Virgo radiis semper circumfulserit originalis divinae similitudinis? Sed huc redeunt quae de Virgine mediatrice iterata accepimus, ipsius ope factum esse ut Adamus deificaretur, nostraque terrena massa consortio divinae naturae rursum donaretur. Num quod Virgo, utpote quae in seipsa semper coniunxerit veritatem humanae naturae, exsortemque divinae participationem, aptissimum apparuerit medium quod dissidentium conciliationem in se veluti praeformaret? Sed huc pertinent quae de Virgine media Deum inter atque homines sententiis nunc disertis nunc potestate

1) Hinc illa ex auctore coronae b. Virginis, qui descripta mediatricis praerogativa subdit cap. XXIV. pag. 432: «Est autem beryllus lapis clarus et viridis, efficaciam habens facere hominem gratiosum et contra hostes invictum reddere. Tu enim, domina, hunc lapidem quodammodo repraesentas; nam per donum sapientiae fuisti clara et splendida, *nulla macula denigrata, nulla sorde umquam polluta, nullo vitio contenebrata;* sed per gratiam supernae illuminationis fuisti velut quaedam emanatio Dei omnipotentis, clara et sincera *in qua nihil inquinatum incurrit.* Et quia aeternam Dei sapientiam gestasti in tuo corpore humanatam, habes venerationem inclytam, *claritatem perpetuam* et gloriam incorruptam Dei; et gratia qua fuisti repleta, fecit te *semper virentem et viridem.*»

2) De qua Virginis praerogativa sic habet auctor eiusdem coronae cap. V. pag. 402: «Tu es caelo altior, abysso profundior. Tu Deum quem mundus non potest capere, immaculato utero portasti. Tu primae matris damna restaurasti, tu homini perdito redemptionem adinvenisti, tu singulare commercium mundo praebuisti. Tu omnem creaturam sanctitate et dignitate transcendis: *tu caelestia et terrena uno foedere coniungis*, ad caelestia et supera nos provehis, pactum confirmas, et mortis vincula dissolvis.» Et cap. XVIII. pagg. 421-422: «Tua virtus irradiat caelos, laetificat angelos, terrificat diabolos, evacuat tartaros. Tu thronus imperialis et sedes sanctae Trinitatis, dormitorium Iesu Christi a sancto Spiritu consecratum, sanctificatum et adornatum. In terris adoraris, in caelis coronaris, fortem alligas, vasa diripis captivitatis. Tu mater virtutis, mortificatrix criminis, clavis regni caelorum. Salve Virgo speciosa, *terrestria confoederans caelestibus, homines socians angelis, et sempiterno foedere copulans ima summis.*»

Digitized by Google

aequipollentibus maiores testantur. Num quod Deipara una cum Filio, per Filium et post Filium ita praesideat oeconomiae restitutionis, ut nihil umquam commune habuerit cum ordine praevaricationis? Sed hoc ipsum est quod de secundo Adamo et secunda Eva caussis mediationis prae primo Adamo primaque Eva caussis ruinae tam frequenter inculcatum tamque solemniter repetitum audivimus. Reliquis ergo praetermissis, meo iure concludo: praerogativam immaculati conceptus cum dignitate mediatricis individuo nexu cohaerere, neque magis seiungi ab invicem posse, quam possit Christi oeconomia ab eiusdem theologia separari.

1414. Consequitur tandem, de Virgine mediatrice verissime dici eam esse haberique bonorum omnium faustissimam caussam secundumque principium. Quibus sane praeconiis illam exornant [a]) Germanus constantinopolitanus inquiens: « Quapropter quis te beatam non depraedicet *bonorum omnium manifestam conciliatricem?*» Georgius nicomediensis [b]) qui de annuntiato Virginis conceptu ait: « Hodie *radix bonorum* in sterili utero nascitura praenunciatur, ut quae vitio exaruerat hominum natura, virentia pietatis germina denuo producat. » Tum pluribus [c]) effert collatum Ioachimo et Annae beneficium quod *bonorum caussam* ediderint, conceptamque Virginem sic [d]) alloquitur: « Te eorum *(Ioachimi et Annae)* ac naturae inclytum honoramus fructum, *bonorum radicem*, munerum aeternorum conciliatricem. Idcirco te quidem ad Filium mediatricem, illos vero ad te intercessores hodie adsciscimus. » Et [e]) Iohannes damascenus qui Deiparam alloquens scribit: « Salve *per quam bonum omne in caelo et in terra oppignoratum nobis* fuit.» Quibus haec [f])

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1462. A. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ἀνθ' ὧν τίς σε μὴ μακαρίσει πάντων τῶν ἀγαθῶν γναριζομένην πρόξενον;*

b) Orat. I. in Deiparae concept. pag. 998. B-C. apud Combefis. Auctar. T. I. *Σήμερον ἡ ῥίζα τῶν ἀγαθῶν ἐν ἀκάρπῳ προαγορευομένη φύεσθαι τηδύϊ, τὴν ἀποξηρανθεῖσαν ἡμῶν τῇ κακίᾳ φύσιν, τοσθαλῆ τῆς εὐσεβείας ἀναφύειν προμηνύει βλαστήματα.*

c) Ibid. pag. 998. E. *Τὴν αἰτίαν τῶν ἀγαθῶν.*

d) Orat. II. in Deiparae concept. pag. 1042. C. *Τὸν εὐκλεῆ σε τούτων, καὶ τῆς φύσεως γεραίρομεν καρπόν· τὴν ῥίζαν τῶν ἀγαθῶν· τὴν τῶν αἰωνίων δωρεῶν πρόξενον· διὰ τοῦτο, σὲ μὲν πρὸς τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα μεσίτην, αὐτοὺς δὲ σοὶ εἰς πρεσβείαν προτείνομεν σήμερον.*

e) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. A. *Χαῖρε, δι' ἧς ἡμῖν ἅπαν ὠμηρεύθη ἀγαθὸν ἔν τε τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ.*

f) Triod. pag. 50. col. 2. C. et Pentecost. pagg. 92. col. 2. A., 122. col. 1. A. Φωτο-

ex Triodio et Pentecostario respondent: « Magnus sol Christus e lucifero tuo sinu prodiit, o immaculata, et mundum faustis illustrans splendoribus tenebras praevaricationis abegit; quare te, o Dei sponsa, veluti *bonorum omnium caussam* extollimus. » Atque haec pariter, auctoribus Iosepho, Theophane ac Theodoro studita, ex [a]) Menaeis: « Soluti per te, o Deo gratissima, ab originali maledicto, te *caussam bonorum agnoscimus*, ut quae super cogitandi loquendique facultatem Verbum omnium caussam pepereris. Tibi igitur, o inviolata, acclamamus: benedicta es quae Deum carne genuisti. Solus Deus solum tuum sinum purum inveniens corpus induit et homo apparuit hominem salvans; idcirco te *bonorum caussam* scientes psallimus: benedicta quae Deum incarnatum peperisti. » Verissime [b]) cum Theophane dici, eam esse *fundamentum conditionemque salutis*: « Tu vere salutis fundamentum et conditio, o Dei mater, sola fuisti quae factori et creatori ex immaculato tuo sanguine carnem dederis, per quam mortis portae contritae sunt, et vita hominibus concessa. » Verissime [c]) cum Germano constantinopolitano dici, *neminem, nisi per ipsam redimi ac salvari*: « Nisi tu praeires, nemo spiritalis evaderet, nemo [1]) in spiritu Deum ado-

φόρου προῆλθε νηδύος σου μέγας ἥλιος Χριστὸς, καὶ τὸν κόσμον ἐφώτισεν, ἄχραντε, ἐπιλάμψεσι φαιδραῖς, καὶ τὸ σκότος ἐξῆρε τὸ τῆς παραβάσεως· ὅθεν ὑμνοῦμέν σε πάντων ὡς αἰτίαν καλῶν, Θεονύμφευτε.

a) Men. die XXII. Septembris Ode ζ'. pag. 140. col. 1. D., die VII. Iulii Ode ζ'. pag. 34. col. 2. A. et die XIV. Ode ζ'. pag. 73. col. 2. C. Λυθέντες ἀρᾶς διὰ σοῦ προγονικῆς, Θεοχαρίτωτε, καλῶν αἰτίαν σε γινώσκομεν, ὡς τὸν πανταίτιον τέξασαν λόγον ὑπὲρ νοῦν τε καὶ λόγον· ὅθεν βοῶμέν σοι, ἄχραντε· εὐλογημένη εἶ Θεὸν σαρκὶ κυήσασα.

Ὁ μόνος Θεὸς μόνην εὗρε καθαρὰν τὴν σὴν γαστέρα, καὶ σωματοῦται καὶ γνωρίζεται ἄνθρωπος σώζων τὸν ἄνθρωπον· ὅθεν τῶν καλῶν ὡς αἰτίαν σε ἐπιστάμενοι ψάλλομεν· εὐλογημένη ἡ Θεὸν σαρκὶ κυήσασα.

b) Men. die XVIII. Aprilis Ode δ'. pag. 72. col. 2. B. Σὺ ἀληθῶς τῆς σωτηρίας ὑπόθεσις, Θεομῆτορ, μόνη ἐχρημάτισας τῷ ποιητῇ καὶ δημιουργῷ ἐκ τῶν σῶν ἀχράντων αἱμάτων σάρκα δανείσασα· δι' ἧς αἱ τοῦ θανάτου συνετρίβησαν πύλαι, καὶ ζωὴ τοῖς ἀνθρώποις δεδώρηται.

c) Serm. II. in Deiparae dormit. pag. 1458. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I. Εἰ μὴ σὺ πρόηγου, οὐδεὶς πνευματικὸς ἀπετελεῖτο· οὐδεὶς ἐν πνεύματι τὸν Θεὸν προσεκυνεῖ· τότε γὰρ πνευματικὸς ὁ ἄνθρωπος, ὅταν σὺ, Θεοτόκε, πνεύματος ἁγίου κατοικητήριον ἐγένου· οὐδεὶς Θεογνωσίας ἀνάμεστος, εἰ μὴ διὰ σοῦ, παναγία· οὐδεὶς ὁ σωζόμενος, εἰ μὴ διὰ σοῦ, Θεοτόκε· οὐδεὶς ὁ λελυτρωμένος, εἰ μὴ διὰ σοῦ, θεομῆτορ.

1) Ioh. IV. 24.

Digitized by Google

raret. Tunc enim spiritalis factus est homo, cum tu, Deipara, Spiritus sancti habitaculum effecta es. Nemo Dei cognitione repletus est nisi per te, o sanctissima: nemo salvus nisi per te, o Deipara: nemo redemptus nisi per te, o Dei mater.» Hinc nobilissima Cyrilli alexandrini [a]) in ephesina synodo acclamatio: «Salve Maria Deipara, per quam diabolus reiicitur: salve Maria Deipara, per quam omnis spiritus fidelis salvatur.» Verissime cum Petro chrysologo et Anselmo dici, voluisse Deum ut *nonnisi per ipsam nostri generis damna sarcirentur*. En [1]) Petri verba: «Sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari.» Quibus gemina scribit [2]) Anselmus inquiens: «Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit: et sic omnia quae fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est pater rerum creatarum, et Maria mater rerum recreatarum. Deus est pater constitutionis omnium, et Maria mater restitutionis omnium.» Verissime [b]) cum Iosepho dici, *ipsam atque ipsam solam magni reconciliationis mysterii fuisse administram*: «Sola virgo concipiens, sola maximi mysterii vere administra apparuisti Deum pariens, o Deipara mater virgo.» Verissime [3]) cum Gregorio dici, nos per eam meruisse vitae auctorem suscipere: «Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate fecunda humano generi praemia praestitisti; tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Iesum Christum.» Quare Florus magister enarrans [4]) verba Canonis, *communicantes et memoriam venerantes* etc., post alia de Virgine scribit: «Ipsa ergo in hac venerabili communione sanctorum prima ponitur, per quam et illi et nos meruimus auctorem vitae suscipere.» Verissime [c]) cum

a) Orat. in Deiparam pag. 381. D. opp. T. V. P. II. Χαίροις Μαρία Θεοτόκε, δι' ἧς διάβολος ἀτιμάζεται· χαίροις Μαρία Θεοτόκε, δι' ἧς πᾶσα πνοὴ πιστεύουσα σώζεται.

b) Men. die XVIII. Maii Ode γ'. pag. 71. col. 2. D. Μόνη παρθενεύεις τίκτουσα, μόνη μυστηρίου μεγίστου ὄντως διάκονος ἐγνωρίσθης θεὸν τεκοῦσα, θεοτόκε μητροπάρθενε.

c) Orat. I. in Deiparae dormit. §. II. pag. 858. C. Πόθῳ τὸν φόβον νικήσαντες, καὶ σύνθετον ἐξ ἀμφοῖν ἵνα πλέξαντες στέφανον, μεθ' ἱερᾶς εὐλαβείας τρεμούσῃ χειρὶ, καὶ ποθούσῃ ψυχῇ, τῆς ἡμετέρας διανοίας τὸ εὐτελὲς ἀκροθίνιον τῇ βασιλίδι μητρὶ, εὐεργέτιδι πάσης τῆς φύσεως, εὐγνωμόνως εἰς ὀφειλὴν ἀποτίσωμεν.

1) Serm. LXIV.
2) Orat. LI. pag. 281. col. 2. A.
3) Sacrament. gregor. pag. 15. C. apud Muratorium liturg. rom. T. II.
4) Opusc. de exposit. Missae n. 55. pag. 810. D. apud Martene vett. scriptt. T. IX.

Digitized by Google

Iohanne damasceno dici, *ipsam esse de universa natura insignissime meritam:* « Temperata metu cupiditate, contextaque una ex utroque corolla, cum sacra reverentia, tremebunda manu, ardentique animo, viles ingenii nostri primitias Reginae matri [1]) de universa natura bene meritae, grata mente debitum veluti quoddam persolvemus. » Verissime [2]) cum Amedeo lausannensi Deiparam dici *mediam inter utrumque testamentum:* « Advertamus duos tamquam calathos aureos plenos fructibus et floribus adornatos, novum et vetus testamentum, hinc et inde, laeva dextraque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transit in laevam, et nova gratia coruscat in dextra. Ipsa Virgo virginum vernans in floribus et in fructuum suavitate delicians apparet media, et velut arbor plantata in medio paradisi, attollit verticem in altitudinem caeli, et de superno rore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloriae, fructum vitae, de quo qui ederit, vivet in aeternum. » Verissime cum Iacobo monacho, Georgio nicomediensi, Germano et Tarasio constantinopolitanis dici, *ipsam esse divinorum oraculorum expletionem.* Ex plurimis pauca referam, atque haec inprimis [a]) Iacobi, qui de Ioachim et Anna Deiparae genitoribus ait: « Ex iis venit prophetarum impletio, ex iis orta est laetitiae auctrix, ex iis praeiverunt gaudii pignora. » Tum haec quibus idem [b]) Deiparam vocat. « Illam prophetarum exclamationem, illam divinorum oraculorum expletionem. » Haec deinde [c]) Georgii nicomediensis: « Per te prophetarum exspectationes eventum habuerunt, eorum voces in te finem acceperunt. » Atque haec rursum [d]) Germani: « Adesdum meae

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1250. C-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Ἐκ τούτων ἡ τῶν προφητῶν ἐπεδήμησε πλήρωσις· ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προοδοποίησεν ἐνίσχυρα.

b) Ibid. pag. 1254. E. Τὸ τῶν προφητῶν ἀναφώνημα, τὸ τῶν θείων χρησμῶν ἐκπλήρωμα.

c) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1111. D. Διὰ σοῦ αἱ τῶν προφητῶν ἐλπίδες εἰς ἔργον ἐξέβησαν· ἐν σοὶ αἱ τούτων ῥήσεις τὸ τέλος εἰλήφασι.

d) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1418. D. Δεῦρο πλήρωσις τῆς ἐμῆς προφητείας·

1) Hoc pluribus exequitur Eadmerus in libello *de excellentia beatae Mariae*, cuius caput nonum ita inscribitur: *quantum profuit beata virgo Maria naturae humanae.* Inscriptio capitis decimi sic habet: *quantum profuit omni creaturae etiam praeter humanam.* Quod et insequenti capite undecimo enarrare pergit.

2) Hom. I. de Virginis laudibus pag. 1263. D. in max. pp. biblioth. T. XX. Hinc etiam in confess. fidei eccles. arm. pag. 43. Deipara salutatur *mediatrix legis et gratiae.*

Digitized by Google

plenitudo prophetiae: huc ades [1]) perfectio divinarum ordinationum: huc ades obsignatio testamenti ipsius: huc ades finis ipsius consiliorum: huc ades manifestatio sacramentorum eius: huc ades speculum omnium prophetarum.» Praeiverat autem Ephraemus de Virgine [a]) scribens: «In ipsa terminum habuere iustorum et prophetarum omnium vaticinationes.» De ipsa postremo verissime dici, quod *sit principium et finis*, quemadmodum appellatur in Missali alexandrino, in quo [b]) exorantur «Benedictiones Dei genitricis Mariae, principium et finis.» Itemque appellatur in ecclesiastica sequentia:

» O Maria mater pia, » Posce natum ut optatum
» Finis et exordium: » Det nobis remedium.

CAPUT V.

Ea promuntur veterum testimonia, quibus Deipara eiusmodi perhibetur, quae sola, semper et tota fuerit immaculata, et sola, semper ac tota iis aucta donis, quibus a nostro genere secreta, eximio proprioque ordine continetur. Cuiusmodi sint haec testimonia: recensentur, certisque comprehensa articulis explanantur. Quae ex iisdem dependeant, et quantopere seorsum pariter atque coniunctim ad superiorum confirmationem, certamque de praerogativa immaculati conceptus demonstrationem conducant.

1415. Quum plurima sint eaque insignia quae *de mutuo veritatum habitu* animadverti solent, illud censeri postremum non debet, veritates esse non paucas tam *perspicue* nexas copulatasque,

δεῦρο τίλεσμα τῶν συνταγῶν κυρίου· δεῦρο σφράγισμα τῆς αὐτοῦ διαθήκης· δεῦρο τὸ πέρας τῶν αὐτοῦ βουλευμάτων· δεῦρο δήλωσις τῶν αὐτοῦ μυστηρίων· δεῦρο δόκτρα τῶν προφητῶν ἁπάντων.

a) De diversis serm. III. pag. 607. B. opp. syr. T. III.

: وبحثا ةوزوقا كحوه كحمه

b) Miss. alexandr. P. III. pag. 64. apud Assemanum in cod. liturg. T. IV. P. IV. Νεμπις μου ν̀ †θεο†τοκος ṫθουαβ †ἁγια Μαρια ṫψωρπ νεμβαι.

1) Missa facio quae omnino simillima scribit Tarasius ubi Virginem in templo praesentatam demiratur. Atque missa pariter facio quae eodem pertinentia habentur in thesaur. hymnolog. T. III. pag. 122., quaeque Gerhoous in libro *de gloria et honore filii hominis* cap. X. pag. 285. apud Pezium anecdott. T. I. P. II. his verbis complectitur: «Inter omnes vero sponsas prae omnibus fuit ac permanet ornata beata virgo Maria, tamquam consummatio synagogae, utpote filia electissima patriarcharum: et post Filium suum ecclesias sanctae nova inchoatio, utpote mater apostolorum.»

Digitized by Google

ut unam si posueris, altera quoque ponenda sit, et hanc si receperis, priorem quoque recipias oportet. Fac enim quidquam esse *simplex* statuas, concedendum tibi continuo erit resolvi illud in partes non posse; quod si concesseris, *simplex* illud esse vicissim comprobabis. Fac rursum consentias corpus esse aliquod, quod crescente iugiter celeritate moveatur, necesse prorsus tibi erit consentire, illud vi continua propelli; quod si dederis, et prius necessario dabis, acceleratum esse corporis motum. Et ut propius ad disciplinam accedamus quam profitemur, fac sincere credas temporalem pro assumpta carne Verbi ex Virgine generationem: illud pariter credes, Virginem vere ac proprie esse appellarique Θεοτόκον *Dei genitricem;* quam dignitatem si Virgini adscripseris, mutuo rerum nexu compelleris ut temporalem Verbi secundum carnem generationem fatearis. Fac denique ratum habeas cum florentinis patribus, Spiritum-sanctum ex Patre atque ex Filio, tamquam ex unico principio, sempiterna processione dimanare; ratum tibi esse pariter debebit, unicam illamque Patri Filioque communem esse πνευστικὴν δύναμιν, *vim spiratricem:* quam si unicam et communem revera credideris, id unum est reliquum ut itidem credas, Spiritum sanctum ex Patre atque ex Filio, tamquam ex unico spirationis principio, aeterna origine proficisci.

1416. Ad hunc porro veritatum censum duae ex illis spectant, quas hactenus explanandas vindicandasque suscepimus, et quarum prior immaculati conceptus praerogativa, altera autem ornamento continetur, quo Deipara eximio proprioque in ordine Deum inter damnatamque Adami progeniem constituitur. Et re sane vera I. fac mihi non secus ac *hypothesim* permittas, Deiparam immaculati conceptus praerogativa enituisse; mihi quoque *ex ordine* concedas oportet, *solam* ex universa Adami familia esse dicique immaculatam et cuiusvis plane labis expertem: tum *semper* omni culpa vacasse, ac postremo *totam* innocentiae candore splenduisse. Quae tria si vicissim admiseris, atque adeo admiseris *solam* Virginem habendam esse simpliciter immaculatam, *totam* immaculatam et *semper* immaculatam; nulla tibi patebit ratio qua immaculatas illius origines in quaestionem adducas. Fac II. in hanc mentem iveris, Deiparam *eximio proprioque ordine* comprehendi, et supra genus nostrum evectam sic esse ut nos inter ac Deum media veluti existat; in eam quoque persuasionem necessario descendes, nihil ad ordinem casus

Digitized by Google

et erectionis, nihilque ad ordinem perditionis et salutis pertinere, quod aut non sit Virgini *privum*, aut ipsi nobiscum *commune* existimari queat. Qua vicissim persuasione si animum semel imbueris, ex ea continuo altera efflorescet, qua tibi Deiparam proprio comprehensam ordine et ab universali ceterorum ruina funditus exemptam repraesentes. Huc nimirum redit eiusmodi veritatum manifesta cognatio: atque hoc *reciprocus* flagitat *habitus* quo sese mutuo excipiunt, sibi respondent atque ipsae secum arctissime conseruntur.

1417. E quibus *duo* dependent *consectaria*, quae non evidentia minus quam opportunitate commendantur. Ac profecto I. si vera sint quae iam toties comprobavimus neque ea sint aliunde a nobis quam ex sincera veterum monimentorum interpretatione deducta; spes affulget testimonia non penitus defutura, quae hinc quidem Deiparam celebrent veluti *solam immaculatam, totam immaculatam, semperque immaculatam*, inde vero illam perspicuis disertisque verbis *in proprio collocatam ordine et secretam a nostro infecto genere* ostendant. Ad haec II. si testimonia suppetant quae commemoravimus, eaque crebro repetita et luculenter expressa, argumentum nobis praesto erit indubitatum, quo et vera esse quae affirmavimus, atque ex sincera christianae traditionis interpretatione derivata tum nobis tum lectoribus nostris comprobemus. Atqui non desunt ea de quibus loquimur maiorum suffragia, immo affatim et disertissima haberi, *tres qui insequuntur articuli* ad evidentiam usque patefacient. Inferemus igitur I. veritatem de immaculato Deiparae conceptu, deque ipsius praestantia, qua eximio proprioque ordine continetur, nulli esse controversiae obnoxiam: et II. sinceram germanamque habendam esse enarrationem, quam christianae vetustatis monimentis hucusque subiecimus.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De appositis ad innocentiam sanctitatemque spectantibus, iisque circumscriptis pronomine sola: *diribentur in classes, et ad normam institutae distributionis recensentur. De sententiis eodem pronomine affectis, quaeque Deiparam ab infecto hominum genere secretam, eximio proprioque in ordine sitam ostendunt: argumenti conclusio et iterata immaculati conceptus demonstratio.*

1418. De pronomine adiectivo μόνος *solus, unus* [a]), *unicus, separatus, seiunctus,* verissime [1]) dicitur, eo significari *tum aliorum exclusionem, tum ab aliis separationem.* Hunc enim sensum praefert nativa eiusdem potestas, atque hunc sensum receptus loquendi usus tuetur. Me porro latet an vel unum assignare liceat appositum *sive negans sive affirmans, sive positivum sive multipliciter superlatum, sive proprium sive metaphoricum, sive concretum sive abstractum,* idemque ad innocentiam sanctitatemque demonstrandam idoneum, quod affectum pronomine *sola* vel eiusdem virtutis particulis, de innocentia et sanctitate Deiparae in veterum monimentis non frequentetur. In quibus principio frequentantur *apposita negantia, eademque gradu positivo expressa,* ac Virgo propterea dicitur *sola immaculata,* tum in hymno acathisto [b]) his verbis: « Stemus pie in domo Dei nostri, et clamemus: salve mundi Domina, salve Maria domina omnium nostrum, salve *sola* inter mulieres *immaculata* et pulcra. » Tum [c]) ab Iosepho et [d]) a Theophane, quibus ista debemus: « Aegram impietate universam creaturam tu, o Virgo, medicum pariens admirabiliter sanasti; propte-

a) Hesychius, μόνον· τὸ ἕν.

b) Hymn. acathist. Ode θ'. pag. 450. col. 2. D. ad calcem Paraclit. Στῶμεν εὐλαβῶς ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἐκβοήσωμεν· χαῖρε κόσμου δέσποινα· χαῖρε Μαρία κυρία πάντων ἡμῶν· χαῖρε ἡ μόνη ἄμωμος ἐν γυναιξὶ καὶ καλή.

c) Men. die XVII. Augusti Ode γ'. pag. 99. col. 1. D. Νοσοῦσαν ἀθείᾳ τὴν πᾶσαν κτίσιν θεὸν κυοφορήσασα ἰατῆρα, παρθένε, ἐθεράπευσας παραδόξως· εὐχαριστοῦντές σοι διὸ κραυγάζομεν· ὡς οὐκ ἔστιν ἄμωμος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

d) Men. die XXIV. Decembris Ode γ'. pag. 199. col. 2. E. Μαρίαν τὴν πανάχραντον θεοτόκον ὑμνήσωμεν, ὡς πρόξενον σωτηρίας φανεῖσαν οἱ θεόφρονες ἐκβοῶντες· οὐκ ἔστιν ἄμωμος ὡς σὺ, πανάχραντε, καὶ οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

1) Cf. Fesselii adversaria sacra P. IV. cap. II.

Digitized by Google

rea tibi gratias agentes clamamus: *non est quisquam immaculatus* [1]) *nisi tu, o Domina*. Mariam Deiparam undequaque intemeratam quotquot sumus pii celebremus veluti salutis conciliatricem, exclamantes *nemo est* [2]) *uti tu immaculatus*, o penitus intemerata, et nemo est inculpatus praeter te, o Domina. » Dicitur *sola illibata* [a]) a Sophronio hierosolymitano et [b]) Iosepho: « Receptaculum lucis universam creaturam illuminantis apparuisti *sola illibata*, immaculatissima Deipara Maria. Angelis honorabilior angelorum creatorem sinu tuo gestasti et peperisti, ω Dei mater, in redemptionem mortalium tibi acclamantium: *nemo est* [2]) *praeter te illibatus*, o Domina.» Dicitur *sola intaminata ac intemerata* [c]) ab Iohanne damasceno et [d]) in solemni supplici canone ad Dominum Iesum Christum: « Templum sanctissimum Dei te profitentes *solam intemeratam*, piissimis te vocibus, o Deipara, beatam praedicamus. Iesum Christum meum peperisti, o immaculata Virgo, *sola intaminata* [4]) me contaminatum tuae intercessionis hyssopo iam munda. » Dicitur *sola inculpata* [e]) in Anthologio: « Deterso sterilitatis opprobrio, genuit Anna Deiparam, expulso vicissim ac plane mirabiliter opprobrio

a) Triod. pag. 225. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Φωτὸς δοχεῖον πᾶσαν τοῦ φωτίσαντος κτίσιν ἐδείχθης μόνη ἄχραντε, πανάμωμε, Θεοτόκε Μαρία.

b) Men. die XXXI. Iulii Ode γ'. pag. 154. col. 2. E. Ὑπάρχουσα ἀγγέλων τιμιωτέρα τὸν κτίστην τῶν ἀγγέλων τῇ σῇ νηδύϊ ἐβάστασας καὶ τέτοκας, Θεομῆτορ, βροτῶν εἰς λύτρωσιν τῶν μελῳδούντων σοι· ὡς οὐκ ἔστιν ἄχραντος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

c) Men. die IV. Septembris Ode δ'. pag. 30. col. 2. D. Ναὸν πανάγιον Θεοῦ γινώσκοντές σε τὴν ἄσπιλον μόνην, ὑπερτάταις σε φωναῖς, Θεοτόκε, μακαρίζομεν.

d) Can. suppl. ad Iesum Christum Ode ς'. pag. 442. col. 2. A. in opp. ad Paraclit. Ἰησοῦν τὸν Χριστόν μου κυήσασα, ἄχραντε παρθένε, ἡ μόνη ἀμόλυντος μεμολυσμένον ὄντα με πρεσβείαις σου ὑσσώπῳ νῦν κάθαρον.

e) Anthолog. die IX. Septembris Ode γ'. pag. 30. col. 1. B. Στειρώσεως τὸ ὄνειδος ἐκφυγοῦσα, γεγέννηκεν ἡ Ἄννα τὴν Θεοτόκον, τὸ ὄνειδος τῆς Εὔας μὲν παραδόξως ἐξαφανίζουσα· πρὸς ἣν κραυγάζομεν· ὡς οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

1) Ibidem crebro repetitur, οὐκ ἔστιν ἅγιος, ὡς ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ οὐκ ἔστι δίκαιος πλὴν σοῦ, κύριε. *Non est sanctus sicut Deus noster, et non est iustus nisi tu, Domine.* Ubi particula πλήν idem notat ac ἐκτός, *praeter, praeterquam, nisi, excepto*, eaque in versione alexandrina reddunter coniunctiones exceptivae רַק et אַךְ

2) Eaedem formulae recurrunt in paraclit. pag. 307. col. 2. A., in Octoech. pag. 101. col. 1. C. et in Men. die XIV. Decembris Ode ε'. pag. 115. col. 2. A.; atque communi propterea receptae usu non immerito existimantur.

3) Gemino loquendi modo ibidem dicitur: ὡς οὐκ ἔστιν ἅγιος πλήν σοῦ, κύριε. *Nemo est sanctus praeter te, o Domine.* Ceterum Deipara ἡ μόνη ἄχραντος, *sola illibata*, iterum salutatur in Paraclit. p. 193. col. 1. D., et in Euchолog. pag. 567. D.

4) Alia eodem pertinentia leguntur in canone paraclitico in ss. Deiparam, auctore Theodoro Duca Lascari, Ode ε'. pag. 446. col. 2. E. ad calcem Paraclit., et in Men. die XIII. Iulii Ode γ'. p. 62. col. 2. B.

Digitized by Google

Evae; ad quam propterea clamamus, *nemo est praeter te, o Domina inculpatus.* » Eodemque titulo ornatur [a]) a Theophane his verbis: « Divinus divinaeque mentis Ioachim dives coniuge [1]) divina gratia, dignus habitus est qui hominibus gigneret salutis conciliatricem, ad quam clamamus: *te excepta* [2]), *o Domina, nemo est inculpatus.* » Itemque dicitur *sola inviolata, sola illaesa et sola incorrupta.* Quarum appellationum testes prae ceteris [3]) sunt Theophanes [b]) inquiens: « Te innocentem columbam *et solam inviolatam* purum Verbum invenit, sibique placuit ex te gigni, o sanctissima Dei mater, virgo immaculatissima. » Iosephus [c]) qui ait: « Purum Verbum te Virginem *solam et puram et illaesam* dilexit, atque ex te, o puella, incarnatus hominem refinxit, qui Charitinam mirabilibus glorificavit. » Et [d]) Theodorus studites qui beatam celebrans Virginis dormitionem exclamat: « O rem miram! Quae mater est pariens, eam vides virginem incorruptam, quia scilicet quod pariebatur, Deus erat. Hoc unum itaque etiam in vitali dormitione, a ceteris differens, *merito sola habes, utrjusque simul (corporis et animae) incorruptelam.* »

1419. Succedunt eiusdem *qualitatis* epitheta, quae cum *superlativis* aequipolleant, eo pertinent ut Deipara credatur ἡ μόνη πανάμωμος, ἡ μόνη παναμώμητος καὶ ἡ μόνη πανάχραντος, *sola omni ex parte imma-*

a) Men. die IX. Septembris Ode γ'. pag. 68. col. 1. C. Ὁ σύνοικον πλουτήσας τὴν θείαν χάριν Ἰωακεὶμ ὁ θεῖος καὶ θεηχόρος τὴν πρόξενον ἀνθρώποις τῆς σωτηρίας τεκεῖν ἠξίωται, πρὸς ἣν κραυγάζομεν· ὡς οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος πλὴν σοῦ, δέσποινα.

b) Men. die XV. Octobris Ode ε'. pag. 93. col. 1. A. Ἁγνήν σε περιστερὰν καὶ μόνην ἀμίαντον ὁ καθαρὸς ἔτεκε λόγος, καὶ ἐκ σοῦ τεχθῆναι εὐδόκησε, παναγία θεομῆτορ, παρθένε πανάμωμε.

c) Men. die VI. Octobris Ode ζ'. pag. 30. col. 2. A. Παρθένον μόνην καὶ καθαράν σε καὶ ἀκήρατον λόγος καθαρὸς ἠγάπησε, καὶ ἐκ σοῦ ἀνεπλάσατο σαρκούμενος, κόρη, τὸν ἄνθρωπον, ὁ Χαριτίνην δοξάσας τοῖς θαύμασι.

d) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 2. pagg. 56-57. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III. Ὦ τοῦ θαύματος· τὴν ὡς μητέρα λοχεύουσαν, ὁρᾷ ὡς ἄφθορον παρθενεύουσαν, ἐπειδὴ θεὸς ἦν τὸ γεννώμενον· τοῦτο οὖν καὶ ἐπὶ τῇ ζωοφόρῳ κοιμήσει, ἐξαλλάττουσα τῶν λοιπῶν, εἰκότως μόνη ἔχεις τοῦ συναμφοτέρου τὸ ἄφθαρτον.

1) Hebraicum propriumque nomen *Anna*, Luc. II. 36., ductum a radice חָנַן *gratiosus fuit*, reddi a Graecis consuevit τὴν θείαν χάριν, *divinam gratiam*, ad quam nominis potestatem heic respicitur.

2) Hoc decus, quo Deipara creditur ἡ μόνη ἀμεμπτος, *sola inculpata*, eidem praeterea vindicatur in Paraclit. pag. 315. col. 2. C. et in Pentecost. pag. 212. col. 1. D.

3) Cf. quae habentur in Paraclet. pag. 416. col. 2. E. et in Men. die XVIII. Novembris Ode 9'. pag. 129. col. 2. A.

Digitized by Google

culata, et sola penitus inviolata. Audiatur Andreas cretensis qui [a]) scribit: « Propheticus chorus iampridem praenunciavit immaculatam, innocentem puellam, Dei filiam, quam Anna sterilis et infecunda concepit: hanc hodie laeto corde beatificemus, qui per ipsam [1]) utpote *solam omni ex parte immaculatam* sumus servati. » Audiatur Georgius nicomediensis [b]) inquiens: «Te Dei matrem etiam post partum vere virginem omnes scimus, qui ad tuam bonitatem cupide accurrimus; te namque nos peccatores habemus auxiliatricem, teque [2]) *solam immaculatissimam* possidemus in periculis salutem. » Audiantur Leo magister et Iosephus, e quibus ille [c]) sic habet: «Hodie virginum catervae psalmos canentes et lampadas gestantes festive praecedunt *illam solam immaculatissimam.* » Iosephus [d]) vero ait: « Virilis nescia corruptelae incorruptum Verbum sinu recepisti, quod nos multis corruptos peccatis liberat passione incorruptae carnis suae, o *sola incorrupta et omnis funditus labis expers.* » Consona sunt quae adhibentur [e]) in canone paracletico minore in supersanctam Deiparam: « Quae benefactorem peperisti bonorum caussam, beneficentiae divitias in omnes effunde; omnia namque potes, ut quae, *o sola penitus inviolata*, Christum genueris virtute potentem. » Et consona sunt quae [2]) praeter Anatolium, his

a) Anthолog. die IX. Decembris Ode γ'. pag. 181. col. 1. D-E. Χορὸς προφητικὸς προεκήρυξε πάλαι τὴν ἄμωμον, ἁγνὴν καὶ θεόπαιδα κόρην, ἣν Ἄννα συνέλαβε στείρα οὖσα καὶ ἄγονος· ταύτην σήμερον ἀγαλλιάσει καρδίας μακαρίσωμεν οἱ δι' αὐτῆς σεσωσμένοι, ὡς μόνην πανάμωμον.

b) Men. die VII. Ionii Ode γ'. pag. 26. col. 1. E. Μητέρα σε θεοῦ ἐπιστάμεθα πάντες παρθένον ἀληθῶς καὶ μετὰ τόκον φανεῖσαν, οἱ πόθῳ καταφεύγοντες πρὸς τὴν σὴν ἀγαθότητα· σὺ γὰρ ἔχομεν ἁμαρτωλοὶ προστασίαν· σὺ κεκτήμεθα ἐν πειρασμοῖς σωτηρίαν, τὴν μόνην πανάμωμον.

c) Men. die XXII. Novembris ad Vesp. pag. 162. col. 2. C. Σήμερον ψαλμικῶς τὰ στίφη τῶν παρθένων, ἀνάψαντα λαμπάδας φαιδρῶς ὁδοποιοῦσι τὴν μόνην παναμώμητον.

d) Men. die XX. Augusti Ode θ'. pag. 115. col. 2. D. Φθορὰν μὴ γνωρίσασα ἀνδρὸς τὸν ἄφθαρτον ἐν νηδύϊ ὑποδέδεξαι λόγον, ἡμᾶς καταφθαρέντας ῥύομενον πολλοῖς παραπτώμασι τῷ πάθει τῆς ἀφθάρτου σαρκὸς αὐτοῦ, ἄφθορε μόνη παναμώμητε.

e) Can. paraclit. min. Ode γ'. pag. 444. col. 2. A. ad calcem Paraclit. Εὐφρήτην τεκοῦσα, τὸν τῶν καλῶν αἰτίαν, τῆς εὐεργεσίας τὸν πλοῦτον πᾶσιν ἀνάβλυσον· πάντα γὰρ δύνασαι, ὡς δυνατὸν ἐν ἰσχύϊ τὸν Χριστὸν κυήσασα, μόνη πανάχραντε.

1) Tam in Paraclit. pag. 8. col. 1. B., quam in Antholog. die XX. Novembris Ode ε'. p. 124. col. 1. B. idem iteratur encomium, quo Graeci Virginem nuncupant μόνην πανάμωμον, *solam penitus immaculatam.*

2) Eiusdem appellationis testis est Iosephus in Men. die XV. Martii Ode γ'. pag. 66. col. 1. D.

3) Men. die XXV. Ianuarii ad Matut. pag. 188. col. 2. B-C.

Digitized by Google

verbis [a]) Ephremus complectitur: « Per te omnis gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummationem seculi, apostolis, prophetis, iustis et humilibus corde, *o sola inviolatissima*, defluxit, defluit, defluet; atque in te gaudet, o gratia plena, omnis creatura. »

1420. Seriem epithetorum *negantium* altera excipit *affirmantium*, et illorum inprimis quae *gradu positivo* inflexa singularem Deiparae innocentiam propriamque sanctitatem insigniter declarant. Eiusmodi vero sunt quibus Deiparae tribuitur quod [1]) *sola* sit *bona*. Opportune [b]) Sophronius hierosolymitanus: « Te *solam bonam* deprecamur, o Virgo; tu nos malis oppressos bonos effice, et Christum qui natura bonus est, instanter exora ut bona agentes abstinentiae tempus impleamus, ipsum magnificantes. » Opportune [c]) Graeci in officio quod in terrae motus periculo celebrant: « Quae [2]) *sola bona* es optimum Verbum impense deprecare, ut imminente terrae motus flagello cuncti liberemur, o illibata Deipara, exoramus. » Eiusmodi sunt quibus Deiparae tribuitur quod *sola* sit *sancta* et *sola* sit *pura*. Praeclare [d]) Pseudo-Gregorius neocaesariensis qui Deipara cum patriarchis prophetisque comparata, pergit: « Ad Mariam autem virginem *solam sanctam* Gabriel archangelus claro lumine venit, ave gratia plena, illi adnuncians. » Praeclare [e]) An-

a) Precat. ad Deiparam pag. 532. B-D. opp. graec. T. III. Διὰ σοῦ πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ ἁγιωσύνη ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρώτου Ἀδὰμ καὶ ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ἀποστόλοις, προφήταις, μάρτυσιν, δικαίοις, καὶ ταπεινοῖς τῇ καρδίᾳ, μόνη πανάχραντε, καὶ ἐγένετο καὶ γίνεται καὶ γενήσεται, καὶ ἐπὶ σοὶ χαίρει κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις.

b) Triod. pag. 154. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Σὲ τὴν μόνην ἀγαθὴν ἱκετεύσωμεν, παρθένε· κεκακωμένους ἡμᾶς ἀγάθυνον, καὶ ἱκετικῶς τὸν Χριστὸν δυσώπει, φύσει ὄντα ἀγαθὸν, ἐγκρατείας τὸν καιρὸν τὰ ἀγαθὰ πράττοντας ἀποπληρῶσαι ἡμᾶς ὑμνολογοῦντας αὐτόν.

c) Eucholog. in offic. pro terrae motu Ode ϛ'. pag. 786. C. Ἡ μόνη οὖσα ἀγαθὴ τὸν παράγαθον λόγον ἱκετικῶς ἱκετεύσει, τῆς παρούσης τοῦ σεισμοῦ ῥυσθῆναι πάντας ὀργῆς, θεοτόκε ἄχραντε, δεόμεθα.

d) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 13. C. Πρὸς Μαριὰμ δὲ παρθένον μόνην τὴν ἁγίαν Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος φωτιστικῶς παρεγίνετο, τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη, αὐτῇ εὐαγγελιζόμενος.

e) Orat. in Deiparae nativit. pag. 179. E. apud Gallandium T. XIII. Βλαστὸν δὲ, τίνα

1) Quod enim Deo ex sese ac prae rebus omnino omnibus convenit, ut de ipso dicatur Luc. XVIII. 19: οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός, *nemo bonus nisi unus Deus*; idipsum de Virgine ex gratia ac prae nostro genere repetitur quod *sola sit bona*.

2) Eiusdem praeconii testes sunt Graeci in Triodio pag. 264. col. 1. A.

Digitized by Google

dreas cretensis, qui enarrans [a]) Scripturae verba, *ex germine, fili mi, ascendisti*, ait: «Germen vero quem alium proprie esse ex eo quod consentaneum est, dilectissime, nisi manifeste *solam hanc sanctam*, sanctisque omnibus longe sanctiorem, quae tota pura visa est ei qui totus in illa et corpore et spiritu habitavit?» Praeclare [b]) Iohannes damascenus qui Deiparam salutat his verbis: «Salve, quia nostrum omnium oculi in te *quae sola pura es*, spem collocant et te semper contuentur.» Et ne simillima congeram [1]) ex Paracletice, ex [2]) Pentecostario atque [3]) ex Menaeis, praeclare [c]) Iosephus: «In manibus eius qui propter nos homo ex te factus est, depositam animam, is utpote tui creator et Deus ad illaesam vitam transtulit; propterea te pie beatam efferimus *solam puram* et intemeratam, et universi Deiparam proprie confitentes clamamus: deprecare Christum ad quem translata es, ut nostras animas salvet.» Eiusmodi sunt quibus Deiparae tribuitur, quod *sola* sit *innocens*, *sola* sit *pulcra* et *sola venusta*. Et primum quidem illi passim vindicatur in Anthologio [4]), in Paracletice [5]), in Triodio [6]) atque [7]) in Menaeis, itemque vindicatur [d]) tum ab Iohanne damasceno cuius

ἂν κυρίως ἐκ τοῦ ἀκολούθου νοήσῃς, ἀγαπητέ, ἢ ὅλον μόνην αὐτὴν τὴν ἁγίαν, καὶ τῶν ἁγίων ἁπάντων ἁγιωτέραν, τὴν ὅλην ὅλῳ φανεῖσαν καθαρὰν τῷ σκηνώσαντι σώματί τε καὶ πνεύματι;

a) Gen. XLIX. 9. *Ἐκ βλαστοῦ, υἱέ μου, ἀνέβης.*

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. E. *Χαῖρε, ὅτι πάντων ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ εἰς σὲ τὴν μόνην καθαρὰν ἐλπίζουσι, καὶ πρὸς σὲ διὰ πάντας ἀτενίζουσι.*

c) Men. die XIV. Augusti ad Matut. pag. 74. col. 1. E. *Ἐν χερσὶ τοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος ἐκ σοῦ παραθεμένην τὴν ψυχήν, ὡς πλαστουργός σου καὶ θεὸς πρὸς τὴν ζωὴν τὴν ἀκήρατον μετέστησεν· ὅθεν σε σεπτῶς μακαρίζομεν τὴν μόνην καθαρὰν καὶ ἀμόλυντον· καὶ θεοτόκον ἅπαντες κυρίως ὁμολογοῦντες κραυγάζομεν· Χριστὸν δυσώπει, πρὸς ὃν μετέστης, σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.*

d) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 856. C. *Χαῖρε ἁγνὴ, ἡ μόνη τὴν καρδίαν ἁγνὴν αὐχηματικῶς ἔχουσα· τὸ ὄρος ἀληθῶς τὸ θεόδεκτον, ἀφ' οὗ ἁγνίζεται ὁ υἱὸς Ἰσραὴλ τοῦ πάλαι τιμαλφέστερον καὶ χρονιώτερον.*

1) Paraclit. pagg. 63. col. 1 A. et 177. col. 1. B.
2) Pentecost. pag. 53. col. 2. E.
3) Men. die XII. Februarii Ode α'. p. 76. col. 1. E., et die XIII. Augusti Ode ζ'. pag. 57. col. 1. A. Neque aliter in Latinorum hymnis apud Mone T. II. p. 181.
» O mater desiderii, » Tibi soli sit sanctitas,
» O civitas refugii, » Sit primatus, sit dignitas
» O gemma clementiae, » Honorificentiae.
Et rursum pag. 76:
» Ave iubar claritatis, » Virgo parens puritatis.
» Primatum tenens unica. » Te elegit nator rerum,
» Splendens sidus et sincerum, » O dignitas ierarchica.
4) Anthолog. pag. 103. col. 1. D.
5) Paraclit. pagg. 200. col. 2. E., 215. col. 1. C., 304. col. 1. E., et 436. col. 2. D.
6) Triod. pagg. 419. col. 2. B., et 492. col. 1. E.
7) Men. die V. Augusti Ode θ'. pag. 34. col. 2. B., die XIV. Ode ζ. pag. 77. col. 1. D., et die XXVI. Martii ad Vesp. pag. 119. col. 1. B-C.

Digitized by Google

haec sunt verba: « Salve *innocens*, quae *sola* mundum habere cor gloriari possis: mons vere Deo gratus, ex qua novus Israel vetere praestantius diuturniusque sanctificatur. » Tum ab [1]) Iosepho hymnographo et [a]) Andrea cretensi qui scribit: « Virgo Maria, vereque Deipara hodie tamquam nebula lucis nobis effulsit, et in gloriam nostram ex iustis prodivit. Non amplius Adam condemnationi obnoxius est, Eva a vinculis iam est soluta: magnis propterea vocibus fidenterque acclamamus *soli innocenti*, nativitas tua gaudium annuntiat mundo universo. » Hinc piissima precatio quae in officio sancti olei [b]) frequentatur: « *O sola innocens*, quae pacis pelago ditata es, iugibus tuis apud Deum intercessionibus famulum tuum a morbis et calamitatibus eripe, ut te incessanter magnificet. » De altero praeter [2]) Theophanem, unanimes testantur Graeci in acoluthiis anonymis in quibus [c]) legimus: « Te *solam* electam et *pulcram* et immaculatam inveniens superdivinum Verbum, ex te, o Deo gratissima, carnem suscepit. » Ad tertium vero quod spectat, insignia [d]) haec sunt, auctore Iosepho: « Te *solam* inter mulieres *pulcritudine venustam* reperiens, ex sinu tuo, o puella, incarnatus prodiit Christus qui genus nostrum divina pulcritudine exhilaravit. » Atque insignia pariter haec sunt [e]) quae graeca ecclesia concors usurpat: « Te, o innocentissima, sempiternum Ver-

a) Men. die VIII. Septembris Ode γ'. pag. 59. col. 2. D. Ἡ παρθένος Μαριὰμ καὶ θεοτόκος ἀληθῶς, ὡς νεφέλη τοῦ φωτὸς σήμερον ἔλαμψεν ἡμῖν, καὶ ἐκ δικαίων προέρχεται εἰς δόξαν ἡμῶν· οὐκ ἔτι ὁ Ἀδὰμ κατακέκριται· ἡ Εὔα τῶν δεσμῶν ἐλευθέρωται· καὶ διὰ τοῦτο κράζομεν βοῶντες ἐν παῤῥησίᾳ τῇ μόνῃ ἀγνῇ· χαρὰν μηνύει ἡ γέννησίς σου πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ.

b) Eucholog. in officio s. olei Ode α'. pag. 409. B-C. Ἡ μόνη, τὸ τῆς εἰρήνης πέλαγος, ἀγνὴ πλουτήσασα, ταῖς πρὸς θεὸν πρεσβείαις σου ἀεὶ νοσημάτων καὶ θλίψεων τὸν σὸν οἰκέτην λύτρωσαι, ὅπως ἀπαύστως μεγαλύνῃ σε.

c) Acoluth. anonym. ad calcem Antholog. pag. 82. col. 2. E. Σὲ μόνην ἐκλεκτὴν, καὶ καλὴν, καὶ ἀμώμητον εὑράμενος σωματοῦται ὁ ὑπέρθεος λόγος ἐκ σοῦ, θεοχαρίτωτε.

d) Men. die X. Decembris Ode γ'. pag. 81. col. 1. B. Μόνην ἐν γυναιξί σε τὴν ὡραίαν τῷ κάλλει εὑράμενος, σωματοφόρος ἐκ γαστρός σου προελήλυθε, κόρη, Χριστὸς θείαις ὡραιότησι καταφαιδρύνας τὸ γένος ἡμῶν.

e) Paraclit. pag. 372. col. 1. B. Ὡραίαν σε, πάναγνε, μόνην εὑράμενος ἐξ αἰῶνος λόγος ὁ προάναρχος, τὴν Ἰακὼβ, κόρη, καλλονὴν, καὶ ἐν σοὶ σκηνώσας, δι' εὐσπλαγχνίαν ἀνέπλασε τὴν φύσιν τῶν ἀνθρώπων.

1) Men. die XXIII. Decembris Ode ζ'. pag. 102. col. 1. E.

2) Men. die XXVIII. Novembris Ode ς'. p. 200. col. 2. E.

Digitized by Google

bum a saeculo inveniens *solam venustam*, Iacobi pulcritudinem, atque in te, o puella, inhabitans, eximia pietate humanam naturam refinxit. »

1421. Ad eumdem censum ea revocari debent, quibus Virgini mira quadam conspiratione defertur quod sit dicaturque *sola electa*, *sola glorificata*, *sola gloriosa*, et *sola benedicta*. Haec autem ipsi deferuntur [a]) ab Anatolio: « Archangelus Gabriel ad te, o immaculatissima, splendide veniet, tibi acclamabit: salve maledicti solutio, lapsorum erectio: salve quae *sola* Deo fuisti *electa*. » Deferuntur tum [b]) ab Iosepho, tum [c]) in Triodio his verbis: « Quis mortalium sufficiat ad te pro dignitate laudandam, o Virgo mater? Tu namque *sola* in mulieribus *electa* apparuisti, omnique ex parte beata. » Deferuntur ab Iacobo monacho qui [e]) de nata Virgine ait: « Beata domus, quae spiritale tabernaculum produxit! Ter beatum parentum decus, qui illam *quae sola est gloriosa*, sint gloriam sortiti. Sancta sanctorum ad eam suscipiendam parabantur, quae *sola sanctificatio* exsistit. » Deferuntur [2]) in Octoecho et [d]) in Paracletice, ubi legimus: « Universa creatura benedicit filium tuum, qui nos benedictionibus coronavit, et maledictum expunxit, o undequaque benedicta *sola* glorificata, quae genus nostrum gratiis ornasti. » Deferuntur [e]) a vulgato neocaesariensi Gregorio qui de Virgine

a) Men. die XXIV. Martii ad Vesp. pag. 100. col. 2. D. Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος ἐπί σὲ, παναμώμητε, ἐμφανῶς ἐλεύσεται, καὶ βοήσει σοι· χαῖρε κατάρας λυτήριον, πεσόντων ἀνόρθωσις· χαῖρε μόνη ἐκλεκτὴ τῷ Θεῷ χρηματίσασα.

b) Triod. pag. 282. col. 2. C. Τίς αἰνεῖν σε γηγενῶν κατ' ἀξίαν ἱκανοὶ, παρθενομῆτορ; σὺ γὰρ ἐν γυναιξὶ μόνη ἄφθης ἐκλεκτὴ, καὶ παμμακάριστος.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1267. B-D. Μακάριος ὁ οἶκος, ὁ τὴν νοητὴν προσοίξας σκηνὴν, τρισμακάριον τὸ τῶν τεκόντων κλέος, ὡς τὴν μόνην δεδοξασμένην κληρωσαμένων δόξαν· τὰ τῶν ἁγίων ἁγία πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ μόνου ἁγιάσματος ἐξησκήσαντο.

d) Paraclit. pag. 279. col. 1. B. Εὐλογεῖ πᾶσα κτίσις τὸν τόκον σου, εὐλογίαις ἡμᾶς στεφανώσαντα, καὶ τὴν ἀρὰν ἐξάραντα, παντευλόγητε μόνη δεδοξασμένη, ἡ τὸ γένος ἡμῶν χαριτώσασα.

e) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pagg. 14. D. et 15. A. Θρόνος ἀληθῶς καὶ οὗτος

1) Men. die X. Septembris Ode ε'. pag. 74. col. 2. B. Hinc receptum apud Latinos canticum in thesaur. hymnolog. T. I. pag. 79.

» Sola in sexu femina
» Electa es in seculo,
» Et meruisti Dominum
» Sancto portare in utero.
» Imperatrix angelorum, » Praeelecta sola soli
» Consolatrix orphanorum, » Nos commenda tuae proli
» Audi nos, o Maria. » Audi nos, o Maria.

Atque hinc quae apud Mone occurrunt Tom. II. pag. 399.

2) Octoech. pag. 62. col. 1. A.

Digitized by Google

scribit: « Thronus revera et hic erat cherubicus, thronus regalis, sanctus sanctorum, *solus super terram gloriosus*, sanctis sanctior, in quo requievit Christus Deus noster. » Et deferuntur ab Andrea cretensi et Iohanne damasceno, e quibus ille [a]) sic habet: « Benedicta tu in mulieribus, *quae sola benedictionem*, quam Deus per Abraham gentibus promiserat, veluti hereditate es consequuta. » Alter vero [b]) Deiparam salutans inquit: « Ave *sola inter mulieres* [1]) *benedicta*, quae primae parentis Evae lapsum restaurasti, quae humillimum humi iacentium mulierum genus exaltasti. » Hinc [c]) Georgii ad Deiparam precatio: « Praesta nobis, o innocentissima, te digne honorantibus, ut te laudare, glorificare ac beatam praedicare valeamus, *sola benedicta;* tu siquidem christianorum gloria, et grata penes Deum interpellatrix. » Atque hinc [d]) similis deprecatio Coptorum: « Ne despicias, o Deipara, orationes nostras in necessitatibus, sed nos, *o sola benedicta*, a perditione libera. » Neque veterum desiderantur testimonia, quibus Virgo exhibetur tamquam *sola gratia plena, sola Deo gratissima, sola beata et sola divinitus beatificata.* Huc enim faciunt quae de angelica salutatione [2]) scribit Ambrosius: « *Soli* Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim *sola gratia*

χερουβικός· θρόνος βασιλικὸς ἅγιος ἁγίων· ἔνδοξος μόνος ἐπὶ τῆς γῆς· τῶν ἁγίων ἁγιώτερος, ἐν ᾧ ἀνεπαύσατο Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. C. apud Gallandium T. XIII. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, ἡ μόνη τὴν εὐλογίαν κληρωσαμένη, ἣν εἰς τὰ ἔθνη διὰ τοῦ Ἀβραὰμ ὁ θεὸς ἐπηγγείλατο.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. D. Χαίροις μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ τῆς προμήτορος Εὔας τὸ σφάλμα ἀνορθώσασ, ἡ τὸ ταπεινότατον γένος τῶν χαμαικειμένων γυναικῶν ἀνυψώσασα.

c) In altera parte Offic. quadrag. can. primae Dominicae in Triod. Ode θ'. pag. 207. Ὑμνεῖν, δοξάζειν καὶ μακαρίζειν σε, δίδου ἡμῖν ἀξίως τοῖς τιμῶσί σε, πάναγνε, καὶ τὸν τόκον τὸν σὸν μεγαλύνουσι, μόνη εὐλογημένη· σὺ γὰρ τὸ καύχημα τῶν χριστιανῶν, καὶ πρὸς θεὸν πρέσβις εὐπρόσδεκτος.

d) Diurn. alexandr. pag. 253. B.
Ὑπερμαχο ἀπεντχο θεμ μαπατκη, ἀλλα ἀριποθεμ ἀμον ἐβολθεπιτακὸ, ὠ θηετσωρωογτ ἀματα† ϯ

1) Idem titulus quo Virgo celebratur ἡ μόνη εὐλογημένη, *sola benedicta*, frequentissimus est in Anthologio pagg. 29. col. 2. E, 30. col. 1. C., 149. col. 1. C., in Paraclit. pagg. 268. col. 1. A., 281. col. 1. D., 288. col. 2. A-C., 354. col. 2. E., 411. col. 2. C., 435. col. 2. A-C., 436. col. 1. A., 438. col. 1. E., in Pentecost. pag. 97. col. 2. C., in Triod. pagg. 91. col. 1. C., 212. col. 2. D., 274. col. 2. D., 488. col. 1. A., et in Menaeis die XXI. Aprilis Ode δ'. pag. 85. col. 1. A., die XXVII. Maii Ode ζ'. pag. 105. col. 1. C., die IX. Iunii Ode γ'. pag. 33. col. 2. A., die XXIII. Ode ϛ'. pag. 73. col. 2. D. et die V. Octobris Ode γ'. pag. 26. col. 1. D.

2) In Luc. lib. II. n. 9. pag. 1285.

Digitized by Google

plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consequuta est.» Huc quae tradit [a]) Anastasius antiochenus inquiens: « A te femineus sexus deinceps audiet: avete feminae quae gaudii principium suscepistis, *solam illam inter virgines gratia plenam.*» Huc quae Iosephus [b]) habet: « O Virgo quae fontem impassibilitatis peperisti, me passionibus vulneratum sana, meque libera ab igne sempiterno, *o sola Deo gratissima.*» Huc quae solemni Graecorum prece [c]) continentur. » *O sola benedicta Deo gratissima*, quae hominum genus benedictionibus locupletasti, Christum cum divinis apostolis, o immaculata, deprecare ut nostri misereatur.» Huc quae praebet [d]) vetus rythmica oratio ad Christum et ad Mariam:

» Consolentur, o bone Domine,
» Respirantes, in tuo nomine,
» Qui pro mundi tollendo crimine,
» Dignatus es nasci de Virgine,
Matris pater.

» Consolentur, o bona Domina,
» Sitientes tua solamina,
» *De qua sola felice* femina
» Praedicantur haec duo nomina,
Virgo mater.

Quibus addi haec debent [d]) ex Anastasio antiocheno: « Quamobrem cum omnibus generationibus *te solam beatam* in mulieribus diccmus.» Tum haec, Theophane [e]) auctore: « Generationes omnes, o Domina, beatam celebrant, quemadmodum *o sola divinitus beatificata* praedixisti, te vere Deiparam atque innocentissimam.» Atque haec [f]) tandem, quorum penes Graecos solemnis est usus: « *O sola*

a) Orat. II. in Deiparae annuntiat. §. II. pag. 263. A. apud Gallandium Tom. XII. Ἀπὸ σοῦ λοιπὸν τὸ θῆλυ γένος ἀκούσει· χαίρετε γυναῖκες, ἀρχὴν τοῦ χαίρειν λαβοῦσαι τὴν μόνην ἐν παρθένοις κεχαριτωμένην.

b) Men. die XII. Ianuarii Ode α'. pag. 108. col. 1. D. Ἡ τὴν πηγὴν τῆς ἀπαθείας κυήσασα, τραυματισθέντα πάθεσι, κόρη, θεράπευσον, καὶ πυρὸς αἰωνίου ἐξάρπασόν με, μόνη θεοχάριτος.

c) Paraclit. pag. 280. col. 2. B. Μόνη εὐλογημένη θεοχάριτος, εὐλογίαις ἀνθρώπων τὸ γένος χαριτώσασα, Χριστὸν καθικέτευε σὺν τοῖς θείοις, ἄχραντε, ἀποστόλοις ἐλεηθῆναι ἡμᾶς.

d) Orat. I. in Deiparae annunt. §. I. pag. 258. B. apud Gallandium T. XIII. Διὰ τοῦτο σὺν πάσαις ταῖς γυναιξὶ μακαριοῦμέν σε μόνην ἐν γυναιξίν.

e) Men. die XXVII. Februarii Ode ν'. pag. 151. col. 2. C. Μακαρίζουσι πᾶσαι γυναῖ, δέσποινα, ὡς προεῖπες ἡ μόνη θεομακάριστος, σὲ τὴν ἀληθῆ θεοτόκον καὶ πάναγνον.

f) Paraclit. pag. 349. col. 1. C. Τὸν μακάριον, μόνη θεομακάριστε, ἱκετικὴν

1) Inter opp. Bernardi T. V. p. 920. col. 1. D-E.

Digitized by Google

divinitus beatificata beatum genuisti filium, qui beatos illos efficit omnes, o Virgo, qui te glorificant. Te propterea deprecor, ut me consortio eorum dignum reddas qui beatitate potiuntur. »

1422. Iamvero perspicua rerum cognatione monemur, ut ad ea continuo progrediamur *affirmantia epitheta*, quae quum easdem exhibeant ideas easdemque notiones, *gradu tamen non positivo sed expresse aut virtute superlativo efferuntur*. Ad quam classem illa suo merito revocantur, quibus inter Deiparae ellogia censetur *quod sola sit purissima, sola omni ex parte innocens et sola undique sancta*. Et priore quidem ellogio ornatur [a]) ab Ephraemo his verbis: « Sanctissima Domina Dei genitrix, *sola purissima* anima et corpore, *sola supergressa puritatem omnem* et pudicitiam et virginitatem, sola tota facta domicilium totius gratiae [1]) sanctissimi Spiritus, atque inde etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate ac sanctitate animae et corporis, in me respice exsecrandum atque impurum. » Ornatur ab Iohanne damasceno [b]) qui ait: « O immaculatissima, purissimum Dei Verbum *te solam purissimam* inveniens ex tuo ventre genitus fideles purgat, o Dei sponsa, a labe nobis ex impotentia malorum adnata. » Et ornatur ab Iosepho, cuius [c]) haec sunt verba: « Solus purus, solus Dominus ut *te solam omni creatura puriorem* cognovit, o immaculatissima, ex innocenti tuo sanguine incarnatus est. » Quod autem

πάντας ἀποδυκνύοντα τοὺς σε δοξάζοντας, παρθένε, μακαρίους· διό σε ἱκετεύω τῶν μακαριζομένων τῆς μερίδος με καταξίωσον.

a) Precat. I. ad Deiparam pag. 521. A-C. opp. graec. T. III. *Παναγία δέσποινα Θεοτόκε, ἡ μόνη καθαρωτάτη καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, ἡ μόνη πάσης ἐπέκεινα καθαρότητος καὶ σωφροσύνης καὶ παρθενίας· ἡ μόνη κατοικητήριον ὅλη γενομένη τῆς ὅλης χάριτος τοῦ παναγίου πνεύματος· κἀντεῦθεν καὶ αὐτὰς τὰς ἀΰλους δυνάμεις ἀσυγκρίτως ὑπερβάλλουσα τῇ καθαρότητι καὶ τῷ ἁγιασμῷ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος· ἐπεῖδέ ἐπ' ἐμὲ τὸν ἐναγῆ καὶ ἀκάθαρτον.*

b) Men. die IX. Iulii Ode ζ'. pag. 42. col. 1. E. *Καθαρωτάτην μόνην σε εὑρὼν, παναμωμε, λόγος καθαρώτατος θεοῦ, σοῦ ἐκ γαστρὸς ἀποτεχθεὶς πιστοὺς καθαίρει μολυσμοῦ, θεόνυμφε, προσγενομένου ἡμῖν ἐξ ἀκρασίας κακῶν.*

c) Men. die XIV. Iulii Ode γ'. pag. 71. col. 2. E. *Ὁ μόνος καθαρὸς, ὁ μόνος κύριος σὲ μόνην ὡς ἔγνω καθαρωτέραν πάσης κτίσεως, πανάμωμε, ἐξ ἁγνῶν σου αἱμάτων σεσωμάτωται.*

1) Hinc nil mirum quod Virgo una cum Christo ibid. pag. 524. D-E. dicatur *μόνη σὺν αὐτῷ, καὶ δι' αὐτὸν εὐλογημένη καὶ δεδοξασμένη ὑπὸ πάσης τῆς ἀοράτου καὶ ὁρατῆς κτίσεως*, *sola cum ipso et per ipsum benedicta et glorificata ab universa visibili atque invisibili creatura.*

Digitized by Google

haberi debeat *sola omni ex parte innocens*, testis est universa Graecorum ecclesia, quae [a]) in Paracletice [1]), in Anthologio atque [2]) in Menaeis canit: « Divinum Verbi tabernaculum facta es, o *sola omni ex parte innocens* Virgo mater quae angelos puritate superasti. » Et quod *sola* haberi debeat *undique sancta*, testatur [b]) Sophronius Christum e sepulcro redivivum sic alloquens: « Sola ante alias mulieres, o Christe, te ex monumento speciose fulgurantem vidit *sola illa undique sancta* quae audiverat illud *ave*. »

1423. Hinc illa quibus Deipara salutatur [c]) nunc *sola omni ex parte benedicta:* « Ex te Deus incarnatus, per misericordiam cum mortalibus unitus est, et maledictum solvit, *o sola omni ex parte benedicta Domina*. » Nunc [d]) *sola celeberrima:* « Sancta Virgo mater, *sola* [3]) *celeberrima;* nos libera a labe peccatorum; illumina mentes nostras, corda sanctifica, et nos omnes, quaesumus, serva a damnatione sempiterna. » Nunc [e]) *sola undequoque admirabilis:* « Admirabilis est partus tuus faciens mirabilia magna, et in sanctis glorificatus, o Deipara, *sola undequaque admirabilis Domina*. » Nunc [f]) *sola omni ex parte beata:* « Quando non valemus, o Virgo

a) Paraclit. pag. 122. col. 2. A. Θεία γέγονας σκηνὴ τοῦ λόγου, μόνη πάναγνε παρθενομῆτορ, τῇ καθαρότητι ἀγγέλους ὑπεράσασα.

b) Triod. pag. 183. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Μόνη πρὸ τῶν ἄλλων σε γυναικῶν τεθέαται, Χριστὲ, ἐκ τοῦ μνήματος ὡραίως ἀστράψαντα, ἡ μόνη πανάγια ἰσακούσασα τὸ Χαῖρε.

c) Men. die XXII. Septembris Ode γ'. pag. 137. col. 2. D. Ἐκ σοῦ θεὸς σαρκωθείς, δι' εὐσπλαγχνίαν τοῖς βροτοῖς ἥνωται, καὶ τὴν ἀρὰν ἔλυσε, μόνη παντευλόγητε δέσποινα.

d) Paraclit. pag. 237. col. 1. C. Ἁγία παρθενομῆτορ, μόνη πανύμνητε, ἐγκλημάτων μόνου ἡμᾶς ἀπάλλαξον, φώτισον ἡμῶν τὸν λογισμὸν, ἁγίασον καρδίαν, καὶ αἰωνίου ἡμᾶς λύτρωσαι πάντας καταδίκης δέομαι.

e) Paraclit. pag. 245. col. 2. D. Θαυμαστὸς ὁ τόκος σου, ὁ μέγαλα θαύματα ποιῶν, καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις δοξαζόμενος, θεοτόκε, μόνη πανθαύμαστε δέσποινα.

f) Men. die XXVIII. Novembris Ode θ'. pag. 213. col. 1. C. Νοῶν τὸ θαῦμα τὸ ἀκα-

1) Antholog. pag. 145. col. 2. B.

2) Men. Maio pag. 117. col. 2. C., Augusto pag. 132. col. 1. A., Septembri pagg. 16. col. 1. D. et 191. col. 1. D. Octobri pag. 79. col. 2. C., Novembri pagg. 76. col. 1. A., 124. col. 1. D., 221. col. 1. D. et Decembri pag. 11. col. 2. B.

3) Innuo alia quae huc spectant testimonia, quaeque habentur in Paraclit. pagg. 74. col. 2. D., 237. col. 2. C., 303. col. 2. C., 355. col. 1. A., 412. col. 1. C., 419. col. 2. A., 444. col. 1. D., in Triod. pagg. 92. col. 2. A., 101. col. 2. D., 291. col. 1. C., 319. col. 1. C., in Pentecost. pag. 138. col. 2. D., in Antholog. pag. 138. col. 2. A., in Menaeis die XIV. Februarii Ode ζ'. pag. 80. col. 2. E., die XXIV. ad Vesp. pag. 132. col. 1. C., die XI. Martii Ode ε'. pag. 52. col. 2. E., die IV. Aprilis Ode δ'. pag. 19. col. 2. D., die XXIX. Ode α'. pag. 121. col. 2. A., die XXII. Septembris Ode γ'. pag. 188. col. 1. C., die XXVIII. Ode γ'. pag. 180. col. 1. D., die XXV. Novembris Ode γ'. pag. 180. col. 2. E., die XI. Decembris Ode ε'. pag. 96. col. 2. C. et in thesaur. hymnolog. T. III. pag. 118.

Digitized by Google

mater, portentum incomprehensibile tui partus assequi, illud potius silentio laudamus, teque glorificamus *solam omni ex parte beatam* et in mulieribus speciosam, o immaculatissima. » Et nunc *sola beatissima*, quemadmodum ex his luculentum est, quae de ipsa Annae divinitus promissa Iacobus monachus [a]) scribit: « *Solus* enim *hic beatissimus* in omnibus generationibus [1]) fructus, solus caussa immortalitatis. »

1424. Fidem de innocentia, deque perfectissima Deiparae sanctitate *superlativis iisdemque excludentibus epithetis* significatam declarare maiores pergunt *appositis cumulatis*, quorum insignia recurrunt exempla [2]) penes Theophanem [3]), Georgium nicomediensem et [4]) non uno in loco penes Iosephum, qui inter cetera [b]) scribit: « *Nemo* est, o Domina, *intemeratus praeter te*, et [5]) *nemo* est *inculpatus praeter te*, o immaculatissima; sola namque fuisti sedes Dei universorum. » Eodem haec pertinent [c]) ex officio exsequiarum: « Quae *sola innocens et illibata* Virgo [6]) Deum sine semine genuisti, intercede ut eius anima salvetur. » Eodem quae scribunt [7]) Sophronius hierosolymitanus [8]), Iacobus monachus et [d]) Iohannes dama-

τάλητον τοῦ τοκετοῦ τοῦ σοῦ, παρθενομῆτορ, μὴ σθένοντες, σιωπῇ τοῦτο μᾶλλον δοξάζομεν, καὶ σὲ δοξολογοῦμεν τὴν παμμακάριστον μόνην καὶ καλὴν ἐν γυναιξί, ὃ παναμώμητε.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1278. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Μόνος γὰρ οὗτος πολύολβος ἐν πάσαις γενεαῖς ὁ καρπός· μόνος τῆς ἀφθαρσίας πρόξενος.

b) Men. die XVII. Maii Ode γ'. pag. 69. col. 1. D. Οὐκ ἔστιν ἄχραντος πλὴν σοῦ, δέσποινα, καὶ οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος πλὴν σοῦ, πανάμωμε· τοῦ θεοῦ γὰρ τῶν ὅλων χωρίον μόνη ἐχρημάτισας.

c) Eucholog. in offic. exsequiarum pag. 525. E. Ἡ μόνη ἁγνὴ καὶ ἄχραντος παρθένος, ἡ θεὸν ἀσπόρως κυήσασα, πρέσβευε τοῦ σωθῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ.

d) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. B-D. Χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ πάσης ἁπτῖνος φωτεινοτέρα, καὶ πάσης καθαρότητος καθαρωτέρα· χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ παντὸς σεβάσματος σεβασμιωτέρα, καὶ παντὸς ἀκούσματος ὑπερκείμενον ἄκουσμα· χαί-

1) Qui ibid. pag. 1278. B. dicitur καρπὸς δικαιοσύνης θεοῦ, *fructus iustitiae Dei.*

2) Men. die XXVIII. Septembris Ode ε'. p. 180. col. 1. E.

3) Men. die VIII. Novembris Ode ε'. pag. 57. col. 2. C.

4) Men. die XIX. Augusti ad Matut. pag. 108. col. 2. B.

5) Quorum vim facile persentiet qui haec cum istis componat, quae ibidem e vestigio subiiciuntur: οὐκ ἔστιν ἅγιος, ὡς ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἔστι δίκαιος, ὡς ὁ θεὸς ἡμῶν, ὃν ὑμνεῖ πᾶσα κτίσις· οὐκ ἔστι δίκαιος πλὴν σοῦ, κύριε. *Nemo est sanctus ut Dominus, et nemo iustus ut Deus noster, quem omnis creatura laudat inquiens: non est iustus praeter te, Domine.*

6) Eadem oratio reperitur in officio funereo pro sacerdote vita functo pag. 576. E.

7) Triod. pag. 225. apud Mai in spicilegio rom. T. IV.

8) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1274. C-E. apud Combefis. Auctar. T. I.

Digitized by Google

scenus qui Deiparam extollens ait: « Salve sis sola Dei mater, quae radio omni lucidior es et omni puritate purior: salve sis sola Dei mater quae omni re venerabilior es, omnique auditione praestantior auditio. Salve sis sola Dei mater, quae suavitate omni suavior es, omni re nobili nobilior, et omnibus divitiis affluente locupletior. »

1425. Cum his autem sua veluti sponte cohaerent *vocabula abstracta eademque particulis excludentibus circumscripta*, quaeque eo pertinent ut non aliter credenda Deipara proponatur ac ut [a]) *solum nostri generis decus*: « Soluta est antiqui maledicti condemnatio mediatione tua, o Virgo immaculata; in te enim, o solum mortalium decus, visus Dominus, utpote optimus, omnes benedictione cumulavit. » Ac ut *sola Iacobi pulcritudo*, quo encomio Deiparam exornat Cosmas monachus [b]) inquiens: « Te solam Iacobi pulcritudinem [1]) elegit Verbum Patris, et in tuo sinu inhabitavit, et speciosus prae omnibus, quemadmodum ipsi placuit, o innocentissima, in lucem venit, ut infectam naturam nostram purgaret. » Ac ut *sola naturae benedictio*, cuius appellationis vades est [c]) Georgius nicomediensis, qui comparatione Abrahamum inter et Annam instituta, scribit: « Et ille quidem promissionis non generationis ratione unigenitum obtulit, haec autem solam atque unigenam naturae benedictionem. » Ac ut *sola res omni ex parte admirabilissima*, qua periphrasi Theodorus studita [d]) Virginem depingit inquiens: « Sola, o innocens, inter mulieres apparuisti res omni ex parte admirabilissima, opusque tremendum; tu namque naturam

ροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ παντὸς γλυκάσματος γλυκυτέρα, καὶ παντὸς εὐγενοῦς εὐγενεστέρα, καὶ παντὸς πλούτου ῥέοντος πλουσιωτέρα.

a) Paraclit. pag. 222. col. 2. E. Ἐλίσθη ἡ τῆς ἀρᾶς τῆς πάλαι κατάκρισις σοῦ τῇ μεσιτείᾳ, παρθένε ἄχραντε· ἐπὶ σοὶ γὰρ κύριος ὀφθεὶς, πᾶσι τὴν εὐλογίαν, ἂς ὑπεράγαθος ἀνέβλυσε, μόνη τῶν βροτῶν ἐγκαλλώπισμα.

b) Men. die XXI. Februarii Ode ϛ'. pag. 120. col. 2. A. Μόνην σε ἐξελίξατο τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ τοῦ πατρὸς ὁ λόγος, καὶ σοῦ ἐν μήτρᾳ κατεσκήνωσε, καὶ ὡς ηὐδόκησεν ὑπὲρ πάντας ἁγίους τοὺς ἀνθρώπους, πάναγνε, προῆλθε, τὴν ἀμαυρωθεῖσαν ἡμῖν καθαίρων φύσιν.

c) Orat. II. in concept. s. Annae pag. 1038. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Καὶ ἡ μὲν, τῇ τῆς ἐπαγγελίας οὐ τῷ τῆς τεκνογονίας λόγῳ, μονογενῆ προσῆγεν· ἡ δὲ μόνη καὶ μονογενῆ τῆς φύσεως εὐλογίαν.

d) Triod. pag. 228. col. 1. D. Μόνη ἐφάνης γυναικῶν χρῆμα παραδόξαστον, πρᾶγμα φοβερόν· τὴν γὰρ φύσιν σὺ ἐκαινοτόμησας.

1) Geminum testimonium habetur in Paraclit. pag. 243. col. 2. E.

Digitized by Google

innovasti. » Et ne sim prolixior, non aliter Deipara credenda proponitur ac ut *solum opus sub sole novum*, quemadmodum de ipsa [a]) Iohannes damascenus loquitur scribens: « Eccur autem Virgo mater ex sterili orta est? Plane quod oporteret, ut ad id quod solum sub sole novum futurum erat ac prodigiorum caput, via per prodigia sterneretur, paulatimque ab humilioribus ad sublimiora progressio fieret. »

1426. Neminem vero esse opinor qui non facile animo cernat, quam apte quamque insigniter cum his copulentur *metaphoricae excludentesque loquutiones*, quibus Deipara imagine adumbratur nunc *solius inter spinas lilii*, qua metaphora Graeci [b]) in Octoecho atque in Paracletice his verbis utuntur: « Te solam sponsus in mediis spinis lilium inveniens, o Virgo, micantem nitore innocentiae et luce virginitatis, o immaculatissima, in sponsam recepit. » Utitur [c]) et Theophanes graptus inquiens: « Qui te solam inter medias spinas veluti purissimum lilium floremque convallium, o Dei mater, sponsus invenit, tuo ex utero Verbum progreditur. » Nunc *solius in sylva mali*, cuius imaginis auctor est Iohannes damascenus [d]) canens: « Te solam tamquam malum in sylva, et purissimum lilium, et convallium florem, o Dei mater, inveniens spiritalis sponsus in te habitavit. » Et nunc *ut solius inter mortales omnes columbae*, quam similitudinem usurpat [e]) Psellus de Virgine scribens: « Inter tot animas omnium hominum qui salvantur, om-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 842. B. Ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν ἐκ στείρας ἡ παρθενομήτωρ γεγένηται; ἵνα γὰρ τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον, τὸ τῶν θαυμάτων κεφάλαιον, προδοποιηθῆναι τοῖς θαύμασιν, καὶ κατὰ μικρὸν ἀπὸ τῶν ταπεινοτέρων ἐπαναβῆναι τὰ μείζονα.

b) Octoech. pag. 44. col. 2. C. et Paraclit. pag. 327. col. 1. B. Μόνην σε ὁ νυμφίος ἀκανθῶν ἐν μέσῳ κρίνον, παρθένε, εὑρών, διαλάμπουσαν ἁγνείας στιλπνότητι, καὶ φωτὶ τῷ τῆς παρθενίας, πανάμωμε, νύμφην προσήκατο.

c) Can. in fratrem Theodorum graptum pag. 227. apud Allatium de tribus Simeonibus P. II. Σὲ μόνην τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ εὑράμενος, ὡς καθαρώτατον κρίνον καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ θεομῆτορ, ὁ νυμφίος, ἐκ τῆς γαστρός σου λόγος προέρχεται.

d) Men. die XV. Septembris Ode ϛ'. pag. 107. col. 2. C. Ὡς μῆλον ἐν τῷ δρυμῷ σὲ μόνην εὑράμενος, καὶ καθαρώτατον κρίνον, καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς ἐν σοὶ κατεσκήνωσε.

e) Comm. in Cant. pag. 696. D. apud Gallandium T. VI. Τῶν σεσωσμένων οὖν τοσούτων πεφυκότων, ἁπάντων ὑπερέχουσα τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων, ὡς ἐκλεκτὴ περιστερὰ τυγχάνει μία μόνη, ἡ τὸν Χριστὸν γεννήσασα παρθενομήτωρ, ἡ Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ὄντως καθαρωτέρα.

Digitized by Google

nibus super terram hominibus potior est tamquam electa columba una illa sola Virgo mater quae Christum genuit, quaeque puritate Cherubim et Seraphim profecto antecellit. »

1427. Quae mihi in mentem revocant *formulas excludentes excessumque significantes*, quarum sumi specimen potest tum ex his quae [a]) in Paracletice habentur: « *Sola electa atque* [1]) *ex omnibus generationibus superhonorabilis* apparuisti, o immaculata venerabilis et virtutibus fulgens, eos qui te celebrant tuo splendore illustra. » Tum ex his quae [b]) in eodem libro leguntur: « O mirabilia tua quae mentem vincunt! Tu enim Virgo *sola super solem* dedisti omnibus ut portentum maxime novum tuae incomprehensae generationis, o innocentissima, cognoscerent. Quare te omnes magnificamus. » Tum ex his quae tradit [c]) Stephanus sabbaita: « Nunc mortalium natura, o Domina *sola undequaque suprema*, in te uti decet gavisa exsultat, et incredibilia praedicat innocentiae tuae portenta, iucundeque canens te, o Dei sponsa, glorificat. » Tum ex his quae [d]) Iosephus scribit: « Fideles omnino omnes, o inviolata, te reparationis nostrae caussam celebramus; Deum namque universorum caussam supra quam caussarum ratio ferat, peperisti, qui insita pietate imaginem malitia corruptam refinxit, *o sola superbenedicta et gratia plena*. » Tum denique ex his quibus Deipara ab Ephraemo [e]) nuncupatur *sola supergressa omnem puritatem et pudicitiam et virginitatem*.

a) Paraclit. pag. 309. col. 1. E. Ἡ ἐκλεκτή τε καὶ ὑπέρτιμος ἐκ πασῶν γενεῶν ἀναφανεῖσα μόνη, ἡ ἀρεταῖς ἐκλάμψασα, ἄχραντε σεμνή, τούς σε ὑμνολογοῦντας αἴγλῃ σου λάμπρυνον.

b) Paraclit. pag. 14. col. 1. E. Ὦ τῶν ὑπὲρ νοῦν θαυμάτων σου! σὺ γὰρ παρθένε μόνη ὑπὲρ τὸν ἥλιον, πᾶσι δέδωκας κατανοεῖν τὸ καινότατον θαῦμα, πάναγνε, τῆς σῆς γεννήσεως τὸ τῆς ἀκαταλήπτου· διό σε πάντες μεγαλύνομεν.

c) Men. die IX. Decembris Ode α'. pag. 72. col. 1. C. Νῦν βροτῶν ἡ φύσις ἐπὶ σοὶ, μόνη πανυπέρτατε, θεοπρεπῶς ἐγκαυχωμένη, δέσποινα, χαίρει καὶ κηρύττει σου τὰ παράδοξα τῆς ἁγνείας τεράστια, καὶ ἐν εὐφροσύνῃ ἄδουσα δοξάζει σε, θεόνυμφε.

d) Men. die XXV. Novembris Ode ε'. pag. 193. col. 1. B-C. Ὡς τὴν ἡμῶν ὑπάρχουσαν ἀναπλάσεως, ἄχραντε, ἅπαντες αἰτίαν οἱ πιστοὶ ὑμνοῦμέν σε· θεὸν γὰρ παραίτιον ὑπὲρ αἰτίαν τέτοκας, τὸν τὴν συντριβεῖσαν τῇ κακίᾳ εἰκόνα οἰκείᾳ εὐσπλαγχνίᾳ ἀναπλάσαντα, μόνη ὑπερευλογημένη καὶ κεχαριτωμένη.

e) Precat. I. ad Deiparam pag. 524. B. opp. graec. T. III. Ἡ μόνη πάσης ὑπεκείνα καθαρότητος, καὶ σωφροσύνης, καὶ παρθενίας.

1) Huc faciunt quae plane simillima referuntur in Octoech. pag. 102. col. 2. A.

Digitized by Google

1428. Consequens porro est ut eiusmodi formulis descripta Virgo, aliis pariter *excludentibus aeque ac comparatis, iisque tam negantibus quam aientibus* repraesentetur. Et prioris sane generis haec merito habentur [a]) ex Thophane: «Nemo ex antiquis generationibus, o Dei mater penitus intemerata, aliquando fuit uti tu gratia plenus; tu namque *sola sanctitatem puritatemque prae omnibus incomparabilem* nacta es, proindeque Deum in te incarnatum recepisti.» Haec item, quibus [b]) ab Iacobo monacho nata Deipara nuncupatur *sola eleganti et incomparabili decore splendens*. Neque haec minus, quibus [c]) in evangelio de Mariae nativitate ab Angelo de ipsa praenunciatur: «*Sola sine exemplo*, sine macula, sine corruptione, sine virili commixtione virgo filium, ancilla dominum et gratia et nomine et opere salvatorem mundi generabit.» Accedunt omnino simillima [2]) ex historia de Mariae nativitate in qua praedictum de ipsa memoratur: «Haec in templo Dei erit, et Spiritus sanctus requiescet in ea, et erit beatitudo eius *super omnes sanctas feminas*, ita ut nullus possit dicere, *quia fuit talis antea aliqua, sed et postea numquam erit ei similis ventura in hoc seculo:* et semen eius erit benedictum, et ipsa erit benedicta, et mater benedictionis aeternae constituetur.» Quare [3]) in hymnodia hispanica de Virgine canitur:

» Nitor recedat siderum,
» Florum procul sit gratia,
» Tu vincis una maximas
» Decore pulcritudines.

1429. His autem aditus ad eas formulas nobis aperitur quas *excludentes, comparatas affirmantesque* appellavimus, et e quarum numero aliquot easdemque insigniores referemus. Itaque [c]) Germanus

a) Men. die IV. Decembris Ode θ'. pag. 15. col. 1. B. Ὡς σὺ οὐδέ ποτε κεχαρίτωται ἐκ γενεῶν ἀρχαίων, Θεομῆτορ πανάχραντε· σὺ γὰρ μόνη τὴν πασῶν ἀσύγκριτον ἴσχες ἁγιωσύνην καὶ καθαρότητα· ὅθεν ὑπεδέξω τὸν Θεὸν ἐν σοὶ σαρκούμενον.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1274. D. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἡ μόνη ἀστέφ καὶ ἀσυγκρίτῳ καταλαμπομένη κάλλει.

c) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1419. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Σὺ γὰρ μόνη Θεοτόκος ὑψηλοτάτη ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.

1) Evang. de nativit. Mariae cap. IV. pag. 325. edit. Thilo.

2) Hist. de nativit. Mariae cap. III. pag. 345.

3) Hymnolog. hispanic. pag. 340.

Digitized by Google

de Virgine ait: « Tu enim *sola Dei genitrix altissima super omnem terram.* » Immo ipsis quoque amplior caelis ab eodem [a]) non sine exclusione dicitur his verbis: « Hominum genus partu tuo ab antiqua condemnatione solutum est; *te* namque *solam, o immaculatissima, caelis ampliorem inveniens Deus* in te habitavit. » Consonat [b]) Georgius nicomediensis, a quo *sola caelis sublimior* nuncupatur. Consonant [1]) praeter Sophronium hierosolymitanum, Iosephus et Theodorus studita, e quibus ille [c]) scribit: « Immaculatissima *et sola sanctior Cherubim* serva ab omnibus periculis animas nostras, qui te, o intemerata Virgo Dei sponsa, fideliter laudamus. » Alter vero [d]) sic habet: « *Sanctior incomparabiliter*, o mater Virgo domina, *sola* apparuisti *prae omnibus supernis virtutibus*, ut quae Christum creaturae dominum pepereris. » Hinc quae tradunt Philotheus patriarcha et Basilius pegoriotes, prior [e]) dum ait: « *Sola*, o Dei mater, digna habita es *quae creaturis omnibus sacratior fieres*; Deum namque gignens beneficio divinae cognitionis mundum illuminasti. » Posterior [f]) dum subdit: « Ineffabilium supernorumque Dei mysteriorum conspiciens in Virgine manifestatam gratiam et splendide

a) Men. die XVI. Augusti Ode ζ'. pag. 96. col. 2. E. Ἐλύθη τῆς καταδίκης τῆς παλαιᾶς τὸ ἀνθρώπινον τῇ κυήσει τῇ σῇ· σὺ γὰρ μόνη πλατυτέραν εὑράμενος τῶν οὐρανῶν, παράμωμε, ὁ θεὸς κατεσκήνωσεν.

b) Anthолog. pag. 126. col. 1. A. et Men. die XX. Novembris pag. 150. col. 1. B. Μόνη ὑπερτέρα τῶν οὐρανῶν.

c) Men. die XVII. Iulii Ode δ'. pag. 84. col. 2. E. Ἡ παράμωμος καὶ μόνη ἁγιωτέρα τῶν Χερουβὶμ φανεῖσα, τὰς ψυχὰς ἡμῶν σῶσον πάσης περιστάσεως τῶν πίστει ὑμνούντων σε, ἄχραντε παρθένε θεόνυμφε.

d) Men. die XV. Decembris Ode ζ'. pag. 125. col. 1. A. Ἁγίαν ἁγιωτέρα μόνη ὑπουρανίων δυνάμεων ἀσυγκρίτως πασῶν ἀνεδείχθης, μητροπάρθενε δέσποινα, ὡς τὸν Χριστὸν κυήσασα τὸν δεσπότην τῆς κτίσεως.

e) Anthолog. die XXVI. Octobris Ode δ'. pag. 84. col. 2. A. Ὡς τῶν κτισμάτων ἁπάντων ἱερωτέρα, μήτηρ θεοῦ, γενέσθαι μόνη κατηξιώθης· τοῦτον γὰρ γεννήσασα, τὸν κόσμον ἐφώτισας τῆς θεογνωσίας τῇ χάριτι.

f) Men. die XXI. Novembris Ode ς'. pag. 157. col. 2. D. et Anthолog. pag. 132. col. 2. A. Τῶν ἀπορρήτων τοῦ θεοῦ καὶ θείων μυστηρίων ὁρῶν ἐν τῇ παρθένῳ τὴν χάριν δηλουμένην, καὶ κληρουμένην ἐμφανῶς, χαίρω, καὶ τὸν τρόπον ἐννοῶν ἀμηχανῶ τὸν ξένον καὶ ἀπόρρητον· πῶς ἐκλελεγμένη ἡ ἄχραντος μόνη ἀνεδείχθη ὑπὲρ ἅπασαν τὴν κτίσιν τὴν ὁρατὴν καὶ ὅμως δὲ τομίαν· διὸ ἀνευφημῶν βουλόμενος ταύτην, καταπλήττομαι σφοδρῶς τοῦν τε καὶ λόγον· τὴν νοουλμῶν, περίττω καὶ μεγαλύνω· αὕτη ὑπάρχει σκηνὴ ὑπουράνιος.

1) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 21.

impletam, exsulto et nequeo singularem incredibilemque rationem intelligere, *quomodo electa sola illa immaculata apparuit super omnem creaturam visibilem et invisibilem.* Propterea dum voluntas mihi est illam laudandi, vehementer obstupesco animo et lingua; nihilominus audens praedico et magnifico: ipsa est supercaeleste tabernaculum. » Atque hinc quae eodem pertinentia unanimes testantur [1]) Iohannes thessalonicensis, Theophanes [2]) et [3]) Iosephus, quaeque Graecorum omnium ore, praeeunte [4]) Theodoro studita, his verbis repetuntur: «*Sanctior sanctis et omnibus excelsior creaturis sola* apparuisti, o Virgo mater, ut quae ipsum genueris factorem tuum; idcirco sanctam imaginem tuam, o Dei genitrix, veneramur. » Nihil propterea mirum quod [a]) Bernardus scripserit, *nam primatum sola vindicat sibi;* et nihil mirum quod [b]) Iohannes damascenus laetitia gestiens exclamarit: « Salve, *quoniam nullus*

a) Thesaur. hymnolog. T. III. pag. 104. et Triod. pag. 149. col. 2. B. Ἁγίων ἁγιωτέρα καὶ πάντων ὑψηλοτέρα τῶν ποιημάτων μόνη ἀνεδείχθης, μητροπάρθενε, ὡς αὐτὸν κυήσασα τὸν πλάστην σου· διὸ τὴν ἁγίαν μορφήν σου, θεογεννῆτορ, ἐν προσκυνήσει ἔχομεν.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 841. A. Χαῖρε, ὅτι οὐδεὶς ὡς σὺ πλὴν θεοῦ τηλικοῦτον κεκληρονόμηκεν ὄνομα, ἢ τοιαύτης πώποτε τέτυχε δόξης.

1) Orat. in Deiparae dormit. ubi Virginem compellans ait: σὲ δικαίως πᾶσαι αἱ γενεαὶ μακαρίζουσιν, ὅτι μόνη ὑπὲρ πάντας ἀνθρώπους ἁγιωτέρα ὑπάρχεις. « Te generationes omnes merito beatam praedicant, *quod sola sis sanctior prae omnibus hominibus.* »

2) Men. die IX. Iunii Ode θ'. pag. 32. col. 1. C. ubi Virgo perhibetur μόνη ἁγιωτέρα πάντων, *sola omnibus sanctior.*

3) Men. die XXIX. Maii Ode θ'. p. 111. col. 1. A.

4) Serm. in dominica infra octav. assumpt. de duodecim praerogat. b. Mariae n. 10. pag. 1016. B. opp. T. III. Nolim vero ex ecclesiasticis Latinorum hymnis pauca quaedam eaque illustriora praetermittere apud Mone T. II. pagg. 164-176-189-190-196-207-312:

» O virgo purissima, » Sessione proxima.
» Gaude quae sola libere » Ego dilecto proxima,
» Debes et potes dicere: » Cuius ad me conversio,
» Ego sum regina, » Ego illi, mihi ille,
» Et praeter me non est Domina. » Unus uni inter mille,
» Beatis sum beatior,
» Nobilibus nobilior.
» Gaude Virgo quae floribus » Una super millia.
» Digne fulciris omnibus, » Fulci cor nostrum floribus
» Per quam florent omnia; » Suavitatem spirantibus,
» Quae innixa sponso Deo » Ut dilecto redoleat,
» Cantas, amore langueo, » Et ad quietem placeat.

» Gaude per quam supra chorum » Gaude super omnes sola,
» Sublimatur angelorum » Cuius in utraque stola
» Natura mortalium. » Completum est gaudium.

» Tu solium es gloriae, » Hoc gaudes privilegio,
» Primatum caeli curiae » Quod in eodem filio
» Imperatrix obtines. » Communicas cum Deo.

» Gaude virgo mater Christi, » Esse tantae dignitatis,
» Quia sola meruisti, » Ut sis sanctae Trinitatis

» Gaude Virgo dia, pia, » Gaude decus virgineum,
» Summa princeps, o Maria, » Ave iubar aethereum,
» Rex caelorum te honorat. » Sola digna tu fuisti
» Totus mundus te implorat, » Esse mater Iesu Christi,
» Sis facilis ad veniam. » Amans suam praesentiam.

» Salve pia et benigna, » Salve mater tui patris,
» Quae fuisti sola digna » Per quem Evae tuae matris
» Mundi ferre pretium: » Deletur flagitium.

Digitized by Google

praeter Deum tale tantumque nomen sortitus est, aut talis umquam gloriae compos fuit. »

1430. E quibus repeti illud debet quod in christianis monimentis non raro invenimus, *ut una Deipara eorumdem vinculo appositorum cum Deo copuletur.* Cuius copulationis insignia praebent testimonia Philotheus byzantinus antistes [a]) his verbis: « *Sola quum sis* [1]) *bona*, o Deipara intemerata, impense, quaesumus, deprecare *optimum Verbum*, ut omnes ab imminente ira terraemotus liberet. » Theophanes qui [b]) scribit: « *Purus* spiritalis sponsus *te solam*, o immaculatissima, reperiens *puram*, lilium summopere odorum, florem venustissimum, thalamumque luciferum, sibi in sponsam adscivit. » Et Sophronius hierosolymitanus, penes quem nunc [c]) legimus: « *Tu* [2]) *sola inter mulieres apparuisti speciosa*, o innocens admirabilissima, quae genuisti *speciosissimum Verbum quod super omnes homines speciosum apparuit.* » Et nunc [d]) legimus: « Ex te [3]) Dei Sapientia domum sibi ipsi aedificans ineffabili condescensione incarnata est, o Virgo thori expers; *tu namque sola ex omnibus generationibus electa es incorrupta in habitaculum Verbi incorrupti.* » A quibus divelli non debent sive [4]) haec:

» Gaude mater pietatis,
» Gaude norma caritatis,
» Gaude forma sanctitatis,
» Gaude virgo castitatis.
» Gaude mater fruens deliciis,
» Nunc rosa iuncta lilio,
» Emunda nos a vitiis
» Et redde tuo filio.

a) Anthолog. pag. 83. col. 1. C. et Men. die XXVI. Octobris Ode γ'. pag. 154. col. 2. D. Ἡ μόνη οὖσα ἁγαθὴ τὸν πανάγαθον λόγον ἐκτενῶς ἐκδυσώπει, τῆς παρούσης τοῦ σεισμοῦ ῥυσθῆναι πάντας ὀργῆς, θεοτόκε ἄχραντε, δεόμεθα.

b) Men. die II. Iunii Ode ε'. pag. 9. col. 1. D. Μόνην καθαρὰν ὁ καθαρός σε νυμφίος ὁ τοιοῦτος εὑρών, παναμωμε, κρίνον εὐωδέστατον, ἄνθος ὡραιότατον, καὶ φωτοφόρον θάλαμον, νύμφην προσήκατο.

c) Triod. apud Mai in spicileg. rom. pag. 166. Ἐν γυναιξὶ σὺ μόνη ὡραιώθης, ὦ ὑπερθαύμαστε ἁγνὴ, τὸν ὡραιότατον λόγον ἀποκυήσασα, τὸν ὑπὲρ πάντας φανέντα βροτοὺς ὡραῖον.

d) Ibid. pag. 222. Ἐκ σοῦ τοῦ θεοῦ ἡ σοφία οἶκον ἑαυτῇ δομησαμένη ἀπορρήτῳ συγκαταβάσει, κόρη ἀπειρόγαμε· σὺ γὰρ μόνη πάντων γενεῶν ἐκλέλεξαι ἄφθορος ἀφθόρου εἰς κατοικίαν λόγου.

1) In officio communis supplicationis quod habetur in Euchologio, Ode γ'. pag. 856. A. non modo Virgo audit τῶν ἀγαθῶν ἡ αἰτία, τῶν πιστῶν τὸ στήριγμα, *bonorum causa et fidelium firmamentum*; verum etiam μόνη φιλάνθρωπος, *sola benigna*.

2) Haec in vulgato Graecorum Triodio pag. 345. col. 2. B. non Sophronio sed Theodoro studitae tribuuntur.

3) Haec pariter pag. 209. col. 2. A. eidem Theodoro asseruntur.

4) Apud Mone T. II. pag. 300.

Digitized by Google

Sive [1]) haec:

» Amica, sponsa, socia — » Tu nobis sis auxilium
» Dei patris et filia — » Apud patrem et filium.

» Summi sponsa creatoris, — » Parens patris, nata prolis,
» Soror, dos et filia — » Virginum primaria.

1431. Iamvero his ad epithetorum usum pertinentibus, alia succedunt cum iisdem penitissime devincta, sed quae tamen sententiarum ambitu longe opportunius comprehenduntur. Eiusmodi autem illa prae ceteris sunt quibus de Virgine affirmatur, quod [2]) *sola Deo simillima haberi debeat*. Praeclare Psellus [a]) inquiens: « Sola eiusdem anima Deo simillima, veluti caelestis quidam splendor intacto illi corpori affulsit; et non tam eo continebatur, quam illud contineret et complecteretur et ad eximium splendorem fingeret. Ipsius namque mens, nullo interiecto medio, adhaerebat Deo, corpus autem menti: adeo ut tota cum Deo versaretur, et Deus cum corpore esset. Terram quidem habitabat, sed ab inaccessa Trinitate non discedebat, supra Seraphim, et antequam conciperet, videns Deum. » Quibus [3]) cum Iosepho affirmatur [b]), quod *sola Dei filia* exsistimanda sit: « Exsultate piorum omnium corda in dormitione solius Dei filiae, cuius semper vigili intercessione salvi estis. » Quibus [4]) cum Dionysio alexandrino [c]) affirmatur quod *una et sola* sit *filia vitae:* » Una autem et sola Virgo filia vitae genuit Verbum vivens. » Quibus in acoluthia officii graeci ad matutinum eidem [d])

a) Apud Nicodemum pag. 214. Μόνη γὰρ αὐτῆς ἡ θεοειδεστάτη ψυχὴ, ὥσπερ τις οὐρανία καὶ αἴγλη, τῷ ἀκηράτῳ ἐκείνῳ ἐπέλαμψε σώματι· καὶ οὐ συνείληπτο μᾶλλον ἢ συνεῖχεν ἐκεῖνο συνειλῆφυ καὶ πρὸς τὸ τηλαυγέστερον μετεσκεύαζεν· εἶχετο μὲν γὰρ ὁ νοῦς ἐκείνης θεοῦ, οὐδὲ μιᾶς ἐούσης μεσότητος· τὸ δὲ σῶμα, τοῦ νοῦ· ἔστι δὲ ὅλη συνῴκει θεῷ, καὶ θεὸς μετὰ σώματος ἐχρημάτιζε· καὶ γῆν μὲν ᾤκει, τῆς δὲ ἀπροσίτου τριάδος οὐκ ἀπελιμπάνετο, ὑπὲρ τὰ Σεραφὶμ, καὶ πρὶν συλλαβεῖν, ὁρῶσα θεόν.

b) Men. die XV. Augusti Ode θ'. pag. 78. col. 1. B. Σκιρτήσατε καρδίαι πάντων εὐσεβούντων ἐν τῇ κοιμήσει τῆς μόνης θεόπαιδος, τῇ ἀκοιμήτῳ πρεσβείᾳ ταύτης σωζόμεναι.

c) Epist. adver. Paulum samosat. pag. 213. A. Μία δὲ μόνη παρθένος θυγάτηρ ζωῆς ἐγέννησε τὸν ζῶντα λόγον.

d) Acoluth. ad matutin. pag. XLVII. B. apud Bolland. T. II. Iunii. Παρθένε πανύμνητε, μῆτερ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ, θεόνυμφε καὶ ἀπειρόγαμε, πιστῶν ἡ ἀντίληψις, ῥῦσαι παντὸς κινδύνου καὶ παντοίας ἀνάγκης, ἱκέσιναι θεοτόκε, τοὺς ἐν πίστει πόθῳ τῇ σκέπῃ σου προσφεύγοντας, μόνη θεόνυμφε.

1) Ibid. pagg. 342-343.
2) Cf. nn. 1323. seqq.
3) Cf. nn. 1333. seqq.
4) Cf. nn. 1341. seqq.

Digitized by Google

asseritur, quod *sola* sit *Dei sponsa:* «Virgo omni potior laude, mater Christi Dei, divina sponsa et viri nescia, fidelium defensio, ab omni discrimine omnique genere necessitatis expedi, o Domina Deipara, fideles qui cupide in tutelam se tuam conferunt, o sola Dei sponsa.» Quibus eadem [a]) ab Iohanne damasceno tamquam *sola regina* laudatur: « Salve sola inter reginas regina, vestitu deaurato circumdata.» Et quibus, eodem auctore [1]) perhibetur *sola virgo mente, animo et corpore*, atque adeo *virginum corona atque regina.* Et illud quidem tum ipse [b]) significat, quum Ioachimo et Annae eo nomine gratulatur quod in lucem ediderint *illam solam et mente et anima et corpore semper virginem.* Alterum vero [c]) quum occasione natae ex Anna Deiparae exclamat: « Bono animo steriles estote in eam intuentes, quae quum sterilis prius esset, postea *Dei filiam* genuit. Sed neque puellae choro desint, diem eius natalitium celebrantes *quae sola virginum corona et regina est.*» Quare fuit cur Deipara nuncuparetur *sola virgo,* tum ab Hildephonso toletano [2]) his verbis: « At nunc venio ad te, sola virgo mater Dei: procido coram te, sola opus incarnationis Dei mei: humilior coram te, sola inventa mater Domini mei: rogo te, sola inventa ancilla filii tui, ut obtineas deleri facta peccati mei.» Tum in Latinorum hymnis, quibus [3]) canitur.

» Sola virgo digna dici, » Clipeum pone salutis,
» Contra tela inimici » Tuae titulum virtutis.

Idcirco autem sola Deipara digna fuit quae virgo antomastice salutaretur, quod ad illam haec [4]) spectent:

» Gaude templum deitatis, » Gaude *virgo primitiva,*
» Et origo bonitatis, » Mihi semper optativa,
» Per te pax est confirmata » Tuus timor dulcissimus
» Et ruina restaurata » Et vere suavissimus,
» Ex Eva progrediens. » Totaliter te diligo.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. C. Χαίροις μόνη ἐν βασιλίσσαις βασίλισσα, ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. V. pag. 844. C. Τὴν μόνην καὶ νῷ, καὶ ψυχῇ, καὶ σώματι ἀειπαρθενεύουσαν.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. II. pag. 850. B. Στεῖραι εὐέλπιδές ἐστε πρὸς τὴν στειρεύουσαν, εἶτα θεόπαιδα γεννήσασαν ἀποσχοπεύουσαι· μηδὲ γε κόραι τῆς χορείας ἀπολειπέσθωσαν, τῆς μόνης κόρων κορωνίδος ὁμοῦ καὶ βασιλίδος τὸ γενέσιον πανηγυρίζουσαι.

1) Can. in s. Ioh. Chrysost. Ode ε'. pag. 730. apud Mai in spicileg. rom. T. IX.
2) De perpet. virginit. Mariae cap. XII. p. 157. in collect. pp. tolet. T. I.
3) Apud Mone T. II. pag. 321.
4) Ibid. pag. 196.

Digitized by Google

1432. His vero effectum est, ut maiores nostri Deiparam [a]) *universim* magnificarint veluti *solam quae digna exstiterit divinis portentis; nominatim* vero ipsam exhibuerint sive ut [b]) quae *sola digne fieret Dei mater*, sive ut quae *sola* [1]) *meruerit Unigenitum suo sinu complecti.* « Haec *sola meruit* ferre Deum post caelum, et sola meruit virgo inveniri post partum. Haec *sola meruit* Deum et hominem. » Neque dissentit [c]) Methodius inquiens: « *Sola* eorum quae sunt Dei, partem cum Deo habere *meruisti*, quae sola Deum ex Deo Patre unigene ac sempiterne genitum, carne genueris. » Et rursum Deiparam compellans [d]) ait: « Accipe igitur, benignissima, dona pretiosa *tibique soli convenientia*, » cunctis celsior generationibus. » Quare vetustus auctor libri [2]) de assumptione beatae Mariae virginis scribit: « Venerabile est enim mihi, Domine, et praecordiis meis venerendissimum de matre Filii tui loqui, et de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, *quae sola meruit* Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis aeterni, secundum quod tu nos docuisti per sanctos patriarchas tuos, prophetas et apostolos. » Quae sane ab his separari non debent, quibus Ephraemus et Sophronius *ipsam solam ex omnibus generationibus electam* docent, ille [e]) dum ait: « *Hanc solam ex universo virginum coetu (Deus) elegit*, ut nostrae esset salutis instrumentum. » Alter [f]) dum scribit: « *Tu* namque *sola ex omnibus generationibus* incorrupta electa es in habitationem Verbi

a) Men. die XX. Iunii Ode θ'. pag. 76. col. 1. E. Ὡς μόνην τῶν θείων θαυμάτων καταξιωθεῖσάν σε ἀεὶ μεγαλύνομεν.

b) Men. die XXVI. Octobris Ode δ'. pag. 155. col. 2. E. Ὡς τῶν κτισμάτων ἁπάντων ἐρωτίρα, μήτηρ θεοῦ γενέσθαι μόνη ἠξιώθης.

c) De Symeone et Anna pag. 816. A. apud Gallandium T. III. Μόνη συμμερίσασθαι θεῷ τὰ τοῦ θεοῦ κατηξίωσαι, θεὸν γεννήσασα σαρκὶ μόνη τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς μονογενῶς καὶ συναϊδίως γεννηθέντα.

d) Ibid. pag. 814. A. Δέχου τοίνυν, εὐμενεστάτη, δῶρα τίμια, καὶ σοὶ μόνῃ ἁρμόδια, ὑπὲρ πασῶν γενεῶν ὑψηλοτέρα.

e) De diversis serm. III. pag. 607. A. opp. syr. T. III.

وَبِ كَحْسُنه لَا تَحْنَا : كُنه تَمْنَا كَ لِحْعَكَا . وَكَ كُنه تَوْهَا هُوَوْمَا .

f) Triod. pag. 142. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Σὺ γὰρ μόνη πάντων γενεῶν ἐκλέλεξαι ἄφθαρτος ἀφθάρτου εἰς κατοικίαν λόγου.

1) Missal. mozarabic. T. I. pag. 84. col. 2. A. et T. II. pag. 874. col. 2. D.

2) Lib. de assumt. Virginis pag. 729. D. inter opp. Augustini T. VI.

Digitized by Google

incorrupti. » Consentit [a]) Iosephus ubi Virginem laudans inquit: « *Te solam*, o Deipara, *ex omnibus generationibus elegit* Dominus, atque ex te incarnatus est humanum deificans genus. *Te solam ex omnibus generationibus creator elegit*, et nos in te inhabitans, o Deipara semper virgo, refingit. » Consentit [b]) Iohannes damascenus qui Gabrielem ita Deiparae respondentem inducit: « Qui proavo tuo David pollicitus est, se positurum ex fructu ventris eius super thronum regni sui, *te Iacobi pulcritudinem solam elegit* rationale habitaculum. » Quare [1]) Bruno astensis commendata Deiparae humilitate prae superbia Evae, pergit: « Ad hanc igitur tantam humilitatem respexit Deus, et ideo *haec una ex omnibus mulieribus* quaecumque sunt, vel fuerunt, vel futurae sunt, *a Domino electa est*, quae et Dei mater fieret, et caeli terraeque regina vocaretur. »

1433. Quam propriam unius Deiparae electionem ea perspicue excipiunt, quibus eiusdem dotibus accensetur quod *sola prae omnibus Deo placuerit*, ut [2]) Sedulius loquitur: « *Sola placens singulariter Christo*, nulli compararis exemplo. » Quod *ipsam solam prae reliquis impensius ac vero etiam unice Deus amavit*, quemadmodum Iacobus monachus et Iosephus testantur, ille ubi [c]) ait: « *Solam quippe illam universis impensius amat, ut* quae puritatis fastigio ornata sit. » Posterior [d]) ubi exclamat: « Laudamus, o benedicta, partum tuum, per quem ab antiqua condemnatione liberati sumus, et te, o divinitus beatificata, beatam extollimus, *quam*

a) Men. die XIX. Februarii Ode ε'. pag. 108. col. 2. E. Σὲ μόνην ἐκ πασῶν γενεῶν ἐξελίξατο ὁ κύριος, Θεοτόκε, καὶ ἐκ σοῦ ἐσαρκώθη, Θεώσας τὸ ἀνθρώπινον.

Ibid. die XXVI. Ode ε'. pag. 143. col. 1. A. Μόνην γενεῶν ἐκ πασῶν σε ἐξελίξατο ὁ πλαστουργὸς, καὶ ἀναπλάττει ἡμᾶς ἐν σοὶ οἰκήσας, Θεοτόκε ἀειπάρθενε.

b) Men. die XXV. Martii Ode ε'. pag. 115. col. 1. E. Πρὸς τὸν σὸν προπάτορα Δαυὶδ ἐπαγγειλάμενος θήσειν ἐκ καρποῦ τοῦ τῆς κοιλίας ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς βασιλείας αὐτοῦ, τὴν τοῦ Ἰακὼβ σε καλλονὴν μόνην ἐξελίξατο λογικὸν ἐνδιαίτημα.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1270. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Καὶ γὰρ ταύτης μᾶλλον ἱερᾷ μόνῃ, ὡς τῷ ἀκροτάτῳ τῆς καθαρότητος κεκοσμημένῃ.

d) Men. die XV. Ianuarii Ode ζ'. pag. 122. col. 2. E. Ὑμνοῦμεν τὸν τόκον σου, εὐλογημένη, δι' οὗ ἐλυτρώθημεν τῆς πάλαι κατακρίσεως, καὶ σὲ μακαρίζομεν, Θεομακάριστε, μόνην ἣν ἠγάπησεν ὁ ὢν εὐλογημένος καὶ ὑπερένδοξος.

1) Sentent. lib. II. cap. V. pag. 495. col. 1. D. opp. T. II.

2) Op. pasch. lib. II. cap. III. pag. 575. apud Gallandium T. IX.

Digitized by Google

solam qui est benedictus et supergloriosus [1]) *amavit.* » Quod *ipsa sola Deo fuerit praeparata mater,* uti [2]) Andreas cretensis notat inquiens: « Salve tu vere benedicta, *quae sola ex omnibus matribus creatori tuo mater fuisti praeparata.* » Quod *ipsa sola fuerit Dei capax,* sicut [3]) idem tradit: « Salve caelum, supercaeleste domicilium solis gloriae: salve, Dei qui nusquam capi potest, *in te autem sola continetur, bene capax locus.* » Itemque tradit [4]) Petrus chrysologus, cui haec debemus: « Vere benedicta, quae fuit maior caelo, fortior terra, orbe latior; *nam Deum quem mundus non capit, sola cepit.* » Ac tradunt [5]) Theophanes et [6]) Philotheus qui scribit: » Visa es, o Deipara, Cherubim et Seraphim excelsior; *tu namque sola,* o illibata, *incomprehensibilem Deum tuo sinu recepisti.* » Quod *ipsa sola Deum contubernalem eximiumque salvatorem habuerit,* quemadmodum testis est antiquus auctor ex graeca in Lucam catena [7]) a Combefisio editus, quique Deiparae hymnum enarrans ait: « *Et exsultavit spiritus meus in Deo;* quod nimirum iustitiae universalis varietatibus magnifice ornata sim, tamquam regis sponsa. Omnis [8]) enim gloria filiae regis ab intus. Idcirco ait: gaudio exsiliit spiritus meus *in Deo salvatore meo. Suum* hactenus salvatorem vocat *communem* salvatorem Deum, nec iniuria. Quamquam enim omnium salvator est, at nondum alios salvos fecerat; sed adhuc eramus omnes venumdati sub peccato. Ipsa vero iam liberata fuerat ac salva effecta, *quae sola Deum contubernalem habebat.* Quae enim antea quoque vitio illibata manserat, ut ne cogitatu tenus illius sator locum in ea habuerit; longe deinceps certiora salutis pignora habuit, nulla in eam vi pollente satana, postquam is

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. B. apud Gallandium T. XIII. Χαῖρε σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἡ μόνη πασῶν μητέρων προετοιμασθεῖσα μήτηρ τοῦ κτίστου σου.

b) Ibid. pag. 102. D. Χαίροις οὐρανὲ, τοῦ ἡλίου τῆς δόξης ὑπερουράνιον οἴκημα· χαίροις θεοῦ μυστικοῦ χωρητοῦ, ἐν σοὶ δὲ μόνῃ χωρητοῦ, χωρίον εὐρύχωρον.

c) Men. die XIII. Iulii Ode γ'. pag. 66. col. 1. C. Τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἐνδοξότερον, θεοτόκε· σὺ γὰρ μόνη ἐδέξω τὸν ἀχώρητον θεὸν ἐν σῇ γαστρὶ, ἀμόλυντε.

1) Praetermitti non debet quod monet Eustathius thessalonicensis in hymnum pentecost. Iohannis damasceni pag. 361. apud Mai in spicileg. rom. T. V., Deiparam ab ipso celebrari ὡς μόνην ἐκ πασῶν τῶν γενεῶν ἐμφορηθεῖσαν θεοῦ, καὶ ἠγαπημένην αὐτῷ: *tamquam solam ex omnibus generationibus Deo repletam, et ab ipso dilectam.*

2) Serm. CXLIII. de annuntiat. pag. 205. col. 1. A.

3) Men. die III. Iulii Ode ε'. pag. 14. col. 2. D. ubi Deipara audit ἡ θεὸν παντοκράτορα μόνη δεξαμένη.

4) Biblioth. concionat. T. VII. pag. 317. col. 1. D-E.

5) Ps. XLIV. 14.

Digitized by Google

qui implet omnia, in ea habitavit. » Et quod *ipsa sola fuerit in Dei matrem adscita*, sicuti unanimes confirmant [a]) Andreas cretensis: « Salve *sola Dei mater*, omni radio splendidior, et omni puritate purior. » Iohannes [b]) damascenus: « Salve *sola Dei mater* omni re venerabili venerabilior: » Psellus [d]) et [e]) Iosephus: « Nemo est uti tu inculpatus, o innocentissima Dei mater; *sola* siquidem a seculo Deum verum omniumque factorem, Deum Verbum, o innocentissima, genuisti. » Et ne omnes memorem, Theodorus [d]) studita: « Effundat caelum laetitiam et gratiam super terram; haec enim nunc caelo laetitiam vicissim reddidit, *solam Dei matrem*. »

1434. Sequitur non minus praeclara sententiarum classis excludentibus et metaphoricis concepta formulis, eoque pertinens ut Deipara praedicetur *solum lucis habitaculum, solum tabernaculum et templum, solus sanctitatis locus, solum tremendum sanctumque vas, sola porta, solus pons, et solus fons tum gratiae tum immortalitatis*. Ut vero specimen aliquod habeatur testimoniorum, quae haec communi suffragatione communita ostendunt, ista principio audiantur [e]) ex Octoecho: « O innocens, *sola fuisti habitaculum lucis* ex Patre effulgentis; propterea ad te clamo: animam meam passionibus obscuratam virtutum lumine illustra, et in lucidis tabernaculis me colloca in die iudicii, o immaculata. » Tum haec audiantur quae Georgium nicomediensem [f]) auctorem habent: « Lucis se-

a) Apud Nicodemum pag. 214. Χαίροις μόνη μήτηρ Θεοῦ, ἡ πάσης ἀκτῖνος φωτεινοτέρα, καὶ πάσης καθαρότητος καθαρωτέρα.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. B. Χαίροις μόνη μήτηρ Θεοῦ, ἡ παντὸς σεβάσματος σεβασμιωτέρα.

c) Men. die XXIII. Ianuarii Ode γ'. pag. 175. col. 2. D. Οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος ὡς σὺ, πάναγνε Θεομῆτορ· μόνη γὰρ ἐξ αἰῶνος τὸν Θεὸν τὸν ἀληθῆ, καὶ πάντων δημιουργὸν, Θεὸν λόγον, πάναγνε, ἐκύησας.

d) Men. die XXIII. Iulii Ode ϛ'. pag. 115. col. 1. B. Ῥανάτω οὐρανὸς εὐφροσύνην καὶ χάριν ἐν γῇ· ἀτίδωκα γὰρ αὕτη εὐφροσύνη εἰς ὕψος, τὴν μόνην Θεομήτορα.

e) Octoech. pag. 57. col. 1. C. Φωτὸς ἐνδιαίτημα, ἁγνὴ, μόνη ἐχρημάτισας τοῦ ἐκ πατρὸς ἀνατείλαντος· ὅθεν κραυγάζω σοι· τὴν ἐσκοτισμένην ψυχήν μου τοῖς πάθεσι, φωτὶ τῶν ἀρετῶν καταφαίδρυνον, καὶ ἐν σκηνώμασι φωτεινοῖς με κατασκήνωσον ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, ἄχραντε.

f) Men. die VII. Augusti Ode ϛ'. pag. 46. col. 1. D. Φωτὸς οἰκητήριον, καὶ νυμφῶν Θεοπρεπὴς τῆς ὑπὲρ νοῦν συλλάβουσας τοῦ τῶν ὅλων, παρθένε, δημιουργοῦ· σὺ γὰρ μόνη πέφυκας ἀξιόθεον τούτου ἐνδιαίτημα.

f) In offic. Metaphrastis pag. 240. apud Allatium de Symeonum scriptis.

Digitized by Google

des, et thalamus Deum decens supernaturalis incarnationis factoris universorum tu es, o Virgo; *tu siquidem sola fuisti dignum huius habitaculum.* » Consonant haec [a]) ex Paracletice: « *Tabernaculum* [1]) *sanctum* et caelis latius *sola* apparuisti semper Virgo, ut quae Dei Verbum, quod ab universa creatura comprehendi nequit, complexa sis. » Haec pariter quae scribit [b]) Theophanes: « O innocentissima Dei genitrix, quae angelos puritate superasti, *sola facta es divinum Verbi tabernaculum.* » Neque alio haec spectant quae docent [c]) sive Iosephus inquiens: « *Templum purum et intemeratum,* o semper virgo Deipara, *te solam* a seculo omnium opifex manifeste invenit, in quo inhabitans, utpote benignus, humanam naturam reformavit. » Sive [d]) Theodorus studites qui Deiparam his laudibus, prosequitur: « Te, Virgo sanctissima, *solam repertam locum sanctificationis* nos sanctificantis glorificamus. » Sive [e]) Petrus siculus qui Deiparam nuncupat *solum spiritale sanctum tremendumque animatum vas.* Accedunt quae frequentantur [f]) in hymno acathisto: « Salve, o Domina, *sola porta* per quam solum Verbum transiit, quae vectes infernique portas tuo partu contrivisti: salve o celebratissima, divina eorum semita qui salvantur. » Quae adhibet [g]) Stephanus hagiopolita de nata Virgine inquiens: « Haec dies Domini, exsultate populi. Ecce enim thalamus lucis ac liber Verbi vitae e sinu prodiit, et orientalis porta in lucem edita ingressum

a) Paraclit. pag. 117. col. 1. E. Σκηνὴ ἁγία καὶ πλατυτέρα οὐρανῶν, ὡς τὸν ἐν πάσῃ ἀχώρητον τῇ κτίσει λόγον Θεοῦ δεξαμένη μόνη ἐδείχθης ἀειπάρθενος.

b) Men. die XVI. Decembris Ode γ'. pag. 127. col. 1. E. Θεία γέγονας σκηνὴ τοῦ λόγου μόνη πάναγνε Θεοκυῆτορ, τῇ καθαρότητι ἀγγέλους ὑπεράρασα.

c) Octoech. pag. 9. col. 2. D. Ναόν σε καθαρὸν καὶ ἄχραντον, ἀειπάρθενε Θεοτόκε, ὁ παντουργὸς εὗρηκε μόνην σοφῶς ἐκ τοῦ αἰῶνος, ἐν ᾧ κατοικήσας ἀνεμόρφωσε τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν, ὡς φιλάνθρωπος.

d) Men. die XVIII. Iulii Ode δ'. pag. 89. col. 2. E. Ἁγιάσματός σε τόπον τοῦ ἡμᾶς ἁγιάσαντος, παναγία κόρη, μόνην εὑρεθεῖσαν δοξάζομεν.

e) Adver. Manich. n. II pag. 73. apud Mai in nova pp. biblioth. T. IV. P. II. Μόνον νοούμενον ἅγιον καὶ φοβερὸν ἔμψυχον σκεῦος.

f) Hymn. acathist. Ode γ'. ad calcem Paraclit. pag. 449. col. 1. A. et in Triod. pag. 317. col. 1. A. Χαῖρε πύλη μόνη, ἣν ὁ λόγος διῆλθεν μόνος, ἡ μοχλοὺς καὶ πύλας ᾅδου, δέσποινα, τῷ τόκῳ σου συντρίψασα· χαῖρε ἡ θεία εἴσοδος τῶν σωζομένων, πανύμνητε.

g) Men. die VIII. Septembris ad magn. vesp. pag. 55. col. 2. C. Αὕτη ἡμέρα κυρίου,

1) Neque praeteriri sententia debet, qua Paraclit. pag. 383. col. 2. B. Virgo audit ζωῆς τῆς ἀπαρθένου μόνη θεία σκηνή, *sola illibatae vitae divinum tabernaculum.*

Digitized by Google

opperitur magni sacerdotis, *sola* et solum introducens Christum in orbem terrarum ad animarum nostrarum salutem. » Quae scribit [a]) Cosmas hierosolymitanus ubi ait: « *Tu sola*, o Domina Deipara, es [1]) *firmus christianorum pons*, fidelium gaudium et perfugium, quae omnibus opitularis omnesque a periculis servas.» Quae docet [b]) Proclus, a quo Deipara vocatur [2]) *unicus Dei ad homines pons*. Quae usurpat [c]) Nicephorus Calistus de Virgine scribens: « De caelo *tu sola nobis vere effundis inexhaustas gratias*. » Quaeque habent tum [d]) Iacobus monachus, quo auctore Virgo est: « Fructus *solus caussa immortalitatis, solus qui benedictionis aperuit thesauros*. » Tum [e]) Iosephus qui canit: « Te, o virgo Deipara innocens, celebramus cherubicum currum, te e qua Deus genitus est; *tu siquidem sola facta es fons immortalitatis* omnibus vitam effluens. »

1435. Cum superioribus affinitate cohaerent testimonia maiorum, quibus Deiparae tributum accepimus, quod [f]) *ipsa sola sit*

ἀγαλλιᾶσθε λαοί· ἰδοὺ γὰρ τοῦ φωτὸς ὁ νυμφὼν, καὶ ἡ βίβλος τοῦ λόγου τῆς ζωῆς ἐκ γαστρὸς προελήλυθε· καὶ ἡ κατὰ ἀνατολὰς πύλη ἀποκυηθεῖσα προσμένει τὴν εἴσοδον τοῦ ἱερέως τοῦ μεγάλου, μόνη καὶ μόνον εἰσάγουσα Χριστὸν εἰς τὴν οἰκουμένην πρὸς σωτηρίαν τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

a) Triod. pag. 151. col. 1. D-E. Χριστιανῶν ἡ βεβαία γέφυρα, τὸ καύχημα τῶν πιστῶν, καὶ καταφυγὴ, δέσποινα Θεοτόκε, αὐτὴ ὑπάρχεις μόνη πάντας βοηθοῦσα καὶ σώζουσα ἐκ τῶν κινδύνων.

b) Orat. I. in Deiparam §. I. pag. 614. C. apud Gallandium T. IX. Ἡ μόνη Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους γέφυρα.

c) Pentecost. pag. 21. col. 1. A. Καταῤῥέεις οὐρανόθεν ἀκενώτως ἡμῖν χάριτας ὄντως μόνη.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1278. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ὁ καιρὸς, μόνος τῆς ἀφθαρσίας πρόξενος· μόνος τοὺς τῆς εὐλογίας δίνοιξε Θησαυρούς.

e) Triod. pag. 235. col. 1. E. Ὑμνοῦμέν σε, παρθένε Θεοτόκε ἁγνὴ, χερουβικὸν ὄχημα, ἐξ ἧς Θεὸς ἐτέχθη· σὺ γὰρ μόνη γέγονας πηγὴ ἀφθαρσίας πηγάζουσα πᾶσι ζωήν.

f) *Anatolius* in Men. die XXIV. Septembris pag. 152. col. 1. E. Ἄλλην κραταιὰν καταφυγὴν, καὶ ἰσχύος πύργον, καὶ τεῖχος ἄῤῥηκτον ὄντως οὐ κεκτήμεθα εἰ μὴ σὲ, πάναγνε, καὶ πρὸς σὲ καταφεύγομεν, καὶ σοὶ ἐκβοῶμεν· δέσποινα βοήθησον, μὴ ἀπολώμεθα·

1) Sententia huic simillima recurrit in Pentecost. pagg. 149. col. 2. C., 166. col. 2. D. et 217. col. 1. C., ubi Virgo salutatur ἡ μόνη πρὸς Θεὸν κόσμου γέφυρα, ἡ μετάγουσα θνητοὺς πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν: *solus mundi ad Deum pons, quae mortales ad sempiternam vitam transfert*. Cf. etiam quae eodem pertinentia referuntur in Men. die XXIII. Septembris ad Matut. p. 143. col. 1. C. et in Paraclit. p. 220. col. 2. E.

2) Quod decus ex sese atque primum Christo convenit, quem compellans vulgatus Gregorius neocaesariensis orat. in Theophan. pag. 33. A. inquit: σὺ ὁ τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν γεφυρώσας τῷ ἁγίῳ σου ὀνόματι: *tu qui terram caelumque tuo sancto nomine, quasi ponte, iunxisti*.

Digitized by Google

potens turris : « Aliud validum perfugium *et potentem turrim* et infractum murum vere non habemus, *nisi te*, o innocentissima, et ad te confugimus, tibique adclamamus : auxiliare, o Domina, ne pereamus, tuam in omnes gratiam ostende, et gloriam potentiae, et tuae magnitudinem pietatis. » Quod [a]) *ipsa sola sit secura firmaque anchora :* « Te *solam* [1]) habemus *securam et firmam anchoram*, tuamque tutelam possidemus. Salve, Domina, omnium auxilium, et gaudium, et salus animarum nostrarum. » Quod [b]) *ipsa sola sit invictum propugnaculum :* « Te, o Deipara, habens veluti *solam* tutelam, et robur, et murum, *et invictum* [2]) *propugnaculum*, retundo hostium impetus passionumque procellas; in te enim spes meas semper reposui, in te quae *sola* me a corruptione liberas. » Quod [c]) *ipsa sola sit tranquillus portus :* « *Sola* ostensa es, o Virgo, *tranquillus portus* fluctuantium, et perfugium ad quod huius vitae tempestate agitati confugientes servamur. » Quod [d]) *ipsa sola sit civitas turribus munita :* « Salve porta in portis sola clausa, *et sola e civitatibus munita turribus civitas.* » Quod [e]) *ipsa sola sit hominum auxilium :* « O Domina viri inscia, benedi-

δεῖξον τὴν σὴν χάριν εἰς πάντας, καὶ τῆς δυναστείας τὴν δόξαν, καὶ τῆς εὐσπλαγχνίας σου τὸ μέγεθος.

a) Paraclit. pag. 164. col. 1. E. Σὲ μόνην ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν ἄγκυραν ἔχομεν, καὶ τὴν σὴν προστασίαν κεκτήμεθα· χαῖρε, δέσποινα, ἡ πάντων βοήθεια, χαρὰ καὶ σωτηρία τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

b) *Theophanes* in Men. die XII. Iunii Ode θ'. pag. 47. col. 2. B. Ὡς προστασίαν σὲ μόνην, καὶ ἰσχύν, θεοτόκε, καὶ τεῖχος καὶ προπύργιον στερρὸν ἔχων, τροποῦμαι ἐχθρῶν προσβολὰς καὶ παθῶν ἐπικλύσεις· ἐν σοὶ γὰρ τὰς ἐλπίδας μου ἀεὶ ἀνεθέμην τῇ μόνῃ φθορᾶς ἀπαλλαττούσῃ με.

c) *Iosephus* in Men. die XII. Iulii Ode ν'. pag. 51. col. 2. C. Ὅρμος γαληνὸς μόνη ἐδείχθης, παρθένε, χειμαζομένων, καὶ προστάγιον ἔνθα καταφεύγοντες οἱ κλυδωνιζόμενοι ἐν τῷ τοῦ βίου κλύδωνι, περισωζόμεθα.

d) *Iohannes damascenus* Orat. in Deiparae annuliat. pag. 838. D. Χαίροις μόνη ἐν πύλαις πύλη κεκλεισμένη, καὶ μόνη πόλις ἐν πόλεσι πεπυργωμένη.

e) Paraclit. pag. 303. col. 2. B. Ἀνύμφευτε δέσποινα, εὐλογημένη θεοκυῆτορ, τοὺς ὑμνοῦντάς σε περίσωζε πάσης βλάβης, μόνη τῶν ἀνθρώπων βοήθεια.

1) Haec ils confirmantur quae prorsus simillima habentur in Pentecost. pag. 147. col. 1. A.

2) Quae mihi in mentem revocant Constitutionem; qua Bonifacius IX. festum Visitationis beatae Virginis ab Urbano VI. institutum confirmavit, et in qua post alia scribit apud Maraccium in pontificibus marianis pag. 187: « Haec est enim illa, de qua sacra canunt elogia, sole amicta, lunam habens sub pedibus, stellis coronari meruit duodenis. Haec est enim illa, quae in suis castis visceribus caeli terraeque gestavit opificem, *et sola cunctas haereses interemit*, et pro christiano populo et advocata strenua et exoratrix pervigil ad regem quem genuit, intercedit. »

Digitized by Google

cta Dei genitrix, eos qui te laudant serva ab omni malo, *o tu quae sola* [1]) *es hominum auxilium.* » Quod [a]) *ipsa sola sit fidelium refugium:* « Gloria fidelium, o Domina Deipara, *solumque refugium* omnibus adesto et a periculis serva. » Et quod [b]) *ipsa sit sola fidelium spes atque hominum salus:* « Salve *sola spes* [2]) *mortalium* atque tutela. » Ac [c]) rursum: « Salve, quia nostrum omnium oculi *in te, quae sola es pura, spem collocant.* » Itemque [d]): « Sapientiae quae omnem sapientiam superat, effecta es receptaculum, o innocentissima Dei genitrix, *sola fidelium salus* et laudatio. »

1436. Eodem comprehensa genere, haud paullo tamen enucleatiora videri illa debent maiorum auctoritate comprobata, quibus Deipara perhibetur [e]) *solum nostrum vadimonium:* « Spes mea, meaque opitulatrix, tu es, o innocens immaculatissima, fidelium salus; ad te propterea confugio, o Domina, vociferans et clamans, peccavi: salva me, o Virgo, salva tu *quae sola es verum peccantium vadimonium.* » Quibus [f]) perhibetur *sola mortalium omnium opitulatio:* « Tu, benigna mundi Domina, pro tua pietate me recipe *sola terrigenarum omnium opitulatio*, et divina potentiae tuae cu-

a) *Theodorus studita* in thesaur. hymnolog. T. III. pag. 108. Τὸ καύχημα τῶν πιστῶν, καὶ καταφυγὴ, ἀσίγητον θεοτόκε, αὐτὴ ὑπάρχεις μόνη, πάντας βοηθοῦσα καὶ σώζουσα ἐκ τῶν κινδύνων.

b) Paraclit. pag. 369. col. 2. D. Χαῖρε ἡ μόνη ἐλπὶς τῶν βροτῶν, καὶ ἀντίληψις.

c) *Iohannes damascenus* Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. E. Χαῖρε, ὅτι πάντων ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ εἰς σὲ τὴν μόνην καθαρὰν ἐλπίζουσι.

d) *Theophanes graptus* can. in fratrem Theodorum pag. 225. apud Leonem Allatium de Symeonibus. Σοφίας τῆς ὑπὲρ σοφοῦ γέγονας δοχεῖον, πάναγνε θεογεννῆτορ, μόνη τῶν πιστῶν σωτηρία καὶ ὕμνησις.

e) *Anatolius* in Men. die XXIV. Septembris pag. 148. col. 1. B. Ἐλπίς μου καὶ προστάτις μου, σὺ τῶν πιστῶν ἡ σωτηρία πέλεις, πανάχραντε ἁγνή· ὅθεν καὶ προσφύγω πρὸς σὲ, δέσποινα, κράζων καὶ βοῶν σοι τὸ, ἡμάρτηκα· σῶσόν με, κόρη, σῶσον ἁμαρτανόντων μόνη ὡς ἀληθῶς ἐγγύητρια.

f) Paraclit. pag. 258. col. 1. B. Ἡ μόνη τῶν γηγενῶν ἁπάντων ἀντίληψις, σὺ ἀντιλαβοῦ μου κατὰ τὸ ἔλεος, δέσποινα τοῦ κόσμου, ἀγαθὴ, καὶ φρούρησον τῇ θείᾳ ἐπισκοπῇ τῆς δυναστείας σου· ἔχεις γὰρ ἰσχὺν ἀνυπέρβλητον.

1) Etiam in Triod. pag. 52. col. 2. C. Deipara salutatur μόνη βοηθὸς ἀνθρώπων.

2) Semel ac rursum ab Iosepho in Men. die XVII. Aprilis Ode γ'. pag. 68. col. 1. B-C., die XX. Ode γ'. pag. 81. col. 1. D. et die XXVI. Ode ζ'. pag. 113. col. 1. E. Virgo appellatur ἡ μόνη ἐλπὶς πιστῶν, *sola fidelium spes.* Hinc quae ex latinorum hymnis refert Mone lateinische Hymnen T. I. pag. 61.

» Maria virgo virginum,
» Quae *sola spes es hominum*,
» Pro nobis ora Dominum.

Digitized by Google

stodia me tuere; polles siquidem virtute insuperabili. » Et [a]) rursum: « *Non habeo praeter te* [1]) *opitulationem in mundo*, o bona; propterea ante te procumbo et clamo, ne discesseris, o innocentissima, a servo tuo. » Ac [b]) denuo: « *Tu sola* [2]) *innotuisti opitulatio*, et spes et salus: tu perfugium meum, et murus et divinum animae meae solatium. » Quibus perhibetur [c]) *sola bonorum omnium conciliatrix:* « *Tu sola*, o Dei mater, iis qui in terra versantur, *facta es* [3]) *supernorum bonorum conciliatrix;* proindeque tibi offerimus illud *ave*. » Et [d]) alibi: « Genito deitatis igne, incombusta mansisti, o Virgo; iam pravas adure affectiones eorum qui fideliter tibi angeli vocem inclamant, *sola gaudii conciliatrix*. » Quibus perhibetur [e]) *sola tutela, solumque omnium patrocinium:* « Libera nos ex necessitatibus nostris, o mater Christi Dei, quae omnium creatorem genuisti, ut omnes tibi acclamemus: salve *sola animarum nostrarum tutela*. » Consentiunt haec [f]) ex canone supplici ad Christum Iesum: « O Virgo, quae meum Iesum peperisti, intercede ut liberer » gehenna, *sola* [4]) *afflictorum tutela* Deo gratissima, me-

a) Ibid. pag. 259. col. 2. A. Οὐκ ἔχω ἀντίληψιν ἐν τῷ κόσμῳ πλὴν σοῦ, ἀγαθή· διὸ σοὶ προσπίπτω, καὶ κραυγάζω σοι· μὴ ἀποστῇς ἀπὸ τοῦ δούλου σου, πάναγνε.

b) *Theophanes* in Men. die IV. Martii Ode θ'. pag. 13. col. 1. C. Σὺ μόνη ἀντίληψις ὀρθῆς, καὶ ἡ ἐλπὶς καὶ σωτηρία· σὺ καταφυγή μου, καὶ τεῖχος, καὶ τῆς ψυχῆς μου θεία παράκλησις.

c) *Iosephus* in Men. die XIII. Septembris Ode γ'. pag. 88. col. 2. D. Σὺ μόνη τοῖς ἐπὶ γῆς τῶν ὑπὲρ φύσιν ἀγαθῶν πρόξενος, μήτηρ θεοῦ, γέγονας· ὅθεν σοι τὸ χαῖρε προσάγομεν.

d) *Theodorus studites* in offic. quadrag. fer. V. hebd. Iciun. Ode ν'. pag. 122. et in Triod. pag. 115. col. 2. C. Διέμεινας ἄφλεκτος, τὸ πῦρ τεκοῦσα τῆς θεότητος, παρθένε· ἀλλὰ καταφλέξον πάθη ψυχῶν τῶν πίστει βοώντων σοι τὴν φωνὴν τοῦ ἀγγέλου, χαρὰς μόνη πρόξενε.

e) *Andreas hierosolymitanus* in Anthолog. pag. 90. col. 1. D. et in Paraclit. pag. 195. col. 2. C. Ῥῦσαι ἡμᾶς ἐκ τῶν ἀναγκῶν ἡμῶν, μῆτερ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ, ἡ τεκοῦσα τὸν τῶν ὅλων ποιητήν, ἵνα πάντες κράζωμέν σοι· χαῖρε ἡ μόνη πρωστασία τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

f) Can. suppl. ad Christum Ode γ'. pag. 491. col. 2. C. ad calcem Paraclit. Παρθένε ἡ τεκοῦσα τὸν Ἰησοῦν μου, ἱκέτευε ῥυσθῆναί με τῆς γεέννας, ἡ μόνη πρωστασία τῶν θλιβομένων, θεοχαρίτωτε καὶ καταξίωτον τῆς ζωῆς, πανάμωμε, τῆς ἀγήρω με.

1) Huic formulae altera respondet ex Paraclit. pag. 63. col. 2. B. et Pentecost. pag. 54. col. 1. D. σὺ γὰρ τῶν πιστῶν μόνη ἀντίληψις, *tu enim sola fidelium opitulatio*. Neque haec minus respondet ex Triodio pagg. 8. col. 2. D. et 50. col. 2. C. οὐκ ἐπίσταμαι πλὴν σοῦ ἄλλην ἀντίληψιν, *non novi aliam praeter te opitulationem*.

2) Hinc *Iosephus* in Men. die XXIV. Novembris Ode ϛ'. pag. 181. col. 1. B. Deiparam salutat inquiens: χαῖρε ἡ μόνη ἀντίληψις τῶν ἀνθρώπων: *ave sola hominum opitulatio*.

3) Haec eadem repetuntur in Anthолog. p. 36. col. 1. C., in Paraclit. pag. 168. col. 2. C., et in Men. die XXVIII. Septembris Ode γ'. pag. 180. col. 1. A. et die XX. Aprilis Ode γ'. pag. 81. col. 1. C.

4) In Paraclit. pagg. 175. col. 1. D., 267.

Digitized by Google

que, o immaculatissima, immortali vita dignum effice. » Atque similia consentiunt [1]) ex officio magni et angelici habitus, ex [a]) canone funereo pro pueris vita functis: « Deipara virgo afflictorum solamen, infirmorum salus, bellis oppressorum securitas, fluctuantium tranquillitas, *sola fidelium tutela*, civitatem populumque serva. » Ex officio de elevatione panis *παναγία sanctissima* nuncupati, in quo [b]) haec frequentatur oratio: « Annue, o immaculatissima, famulorum tuorum precibus, calamitatum insultus reprime, et ab omni afflictione nos libera: *te* namque *solam* securam firmamque anchoram habemus, *tuumque patrocinium* nacti sumus. Ne confundamur, o Domina, te invocantes, ad preces te invocantium accelera. Salve omnium auxilium, gaudium, et protectio, et salus animarum nostrarum. » Et [2]) ex Sophronio qui de Deipara ait: « Haec est Virgo, quae *sola* interemit universam haereticam pravitatem, *sola post Deum* quae nos confirmet in omni veritate, suisque commendet meritis, et precibus auxilietur. » Quibus [c]) perhibetur *sola protoparentum medicina:* « Benedicta tu in mulieribus, *quae sola Evae moerori medelam attulisti.* » Et quibus perhibetur *sola hominum salus.* Quo haec perspicue referuntur [d]) ex Paracletice: « Multis obsessi periculis, o Virgo, *te solam*, o Deipara, habe-

a) Eucholog. in can. fun. pro pueris vita functis Ode θ'. pag. 597. A. Μεταβολὴ τῶν θλιβομένων, ἀπαλλαγὴ τῶν ἀσθενούντων ὑπάρχουσα, Θεοτόκε παρθένε, σῶζε πόλιν καὶ λαὸν, τῶν πολεμουμένων ἡ εἰρήνη, τῶν χειμαζομένων ἡ γαλήνη, ἡ μόνη προστασία τῶν πιστῶν.

b) Eucholog. pag. 865. D. Νεῦσον παρακλήσεσι σῶν οἰκετῶν, παράμωμε, παύουσα δεινῶν ἡμῶν ἐπαναστάσεις, πάσης θλίψεως ἡμᾶς ἀπαλλάττουσα· σὲ γὰρ μόνην ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν ἄγκυραν ἔχομεν, καὶ τὴν σὴν προστασίαν κεκτήμεθα· μὴ αἰσχυνθῶμεν, δέσποινα, σὲ προσκαλούμενοι· σπεῦσον εἰς ἱκεσίαν τῶν σοι πιστῶς βοώντων· χαῖρε δέσποινα, ἡ πάντων βοήθεια, χαρὰ καὶ σκέπη καὶ σωτηρία τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

c) *Proclus* orat. V. in Deiparam §. III. pag. 631. C. apud Gallandium T. IX. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην.

d) Paraclit. pag. 165. col. 1. D. Πολλαῖς περιστάσεσι, παρθένε, κυκλούμενοι, μόνην σε σωτηρίαν, καὶ ἐλπίδα, καὶ τεῖχος ἔχομεν, Θεοτόκε.

col. 1. D. et 288. col. 1. A. Deipara solemniter celebratur tum ἡ μόνη προστασία τῶν πιστῶν, *solum fidelium patrocinium*, tum ἡ μόνη προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, *sola humani generis tutela*. Iisdem titulis ornatur in Triodio pagg. 12. col. 1. C., 184. col. 1. C., 328. col. 2. E. et 491. col. 2. C., quibus pag. 178. col. 1. A-B. ille additur quo audit ἡ μόνη τοῦ κόσμου προστασία, *solum mundi patrocinium*.

1) Eucholog. in offic. magni et ang. habitus Ode θ'. pag. 504. A.

2) Serm. in Deip. assumpt. pag. 652. col. 2. E. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

mus *salutem*, et spem, et murum. » Haec pariter ex [a]) Pentecostario: « Salve porta caelis amplior, salve *sola* [1]) *mortalium salus.* » Atque haec rursum [b]) ex Pseudo-Gregorio neocaesariensi, qui de Eva praevaricante scribit: « *In sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est.* »

1437. Ad quam ideam expoliendam, speciemque colorandam non minimum conferunt iterata veterum suffragia quae eo pertinent ut Deipara censeatur [c]) *sola captivorum redemptio*: « Ave gratia plena, ave *sola captivorum redemptio*, et sola exsulantium pulsorumque revocatio. » Ut *sola* [d]) censeatur *hominum penes Deum propitiatio:* « Materna apud tuum filium fiducia pollens, o innocentissima, ne, quaesumus, providentiae in nos congeneres obliviscaris, quoniam [2]) et *te solam* christiani *benignam coram Deo propitiationem* exhibemus. » Ut *sola* censeatur *quae commune debitum* [e]) *solverit*: « Per te, o Dei genitrix, concessa nobis est propitiatio; *tu* namque *sola*, o Virgo immaculata, *debitum solvisti* concipiens omnium Deum ac Dominum in communem salutem. » Ut *sola* censeatur [f]) *quae benedictionis aperuerit thesauros:* « *Solus* enim hic fructus *(Maria) benedictionis aperuit thesauros*, solus abditos revelavit gaudii sinus, solus aeternum humano generi regnum praenunciavit. » Quod *sola* [g])

a) Pentecost. pag. 161. col. 1. B. Χαῖρε πύλη τῶν οὐρανῶν πλατυτέρα· χαῖρε μόνη τῶν γηγενῶν σωτηρία.

b) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 11. A. Ἐν μόνῃ τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ τὸ ἰκείνης πταῖσμα ἀνασέσωσται.

c) *Iohannes damascenus* Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 840. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, χαῖρε ἡ μόνη τῶν αἰχμαλώτων λύτρωσις, καὶ μόνη τῶν ἐξορίστων καὶ ἐξωρισμένων ἀνάκλησις.

d) *Theophanes* in Men. die XXX. Aprilis Ode ε'. pag. 126. col. 1. D. Μητρικὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν υἱόν σου κεκτημένη, πάναγνε, συγγενοῦς προνοίας τῆς ἡμῶν μὴ παρίδῃς δεόμεθα· ὅτι σὲ καὶ μόνην χριστιανοὶ πρὸς τὸν δεσπότην ἱλασμὸν εὐμενῆ προβαλλόμεθα.

e) *Iosephus* in Men. die XVII. Iulii Ode ν'. pag. 87. col. 1. B. Ἱλασμὸς ἡμῖν, Θεοτόκε, διὰ σοῦ ἐδόθη· σὺ γὰρ μόνη ἀπέτισας τὴν ὀφειλήν, τῶν πάντων συλλαβοῦσα Θεόν τε καὶ δεσπότην, ἄχραντε παρθένε, εἰς πάντων σωτηρίαν.

f) *Iacobus monachus* Orat. in Deiparae nativit. pag. 1278. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Μόνος γὰρ οὗτος ὁ καρπὸς τοὺς τῆς εὐλογίας διήνοιξε θησαυρούς· μόνος τὰ τῆς χαρᾶς διανεκάλυψε ταμεῖα· μόνος τὴν αἰώνιον τῷ γένει προανεκήρυξε βασιλείαν.

g) *Iohannes euchaita* in Pentecost. pag. 217. col. 2. C. Ἔλυσας μόνη τὴν ἀρὰν, παρθένε ἄχραντε, τὴν τῆς Εὔας ἀληθῶς, ζωὴν δὲ τοῖς ἐν γῇ ἐπήγασας.

1) Suffragatur Iosephus in Men. die XXI. Augusti Ode γ'. pag. 118. col. 1. B.

2) Quae fides maiorum animis tam alte insederat, ut haec eadem repetita legamus in Paraclit. pag. 376. col. 2. C., in Triod. pagg. 329. col. 1. D. 367. col 1. C. et in Pentecost. pag. 258. col. 2. E.

Digitized by Google

maledictum tristitiamque sustulerit: « O Virgo intemerata, *vere tu sola Evae maledictum solvisti,* et vitam degentibus in terra effudisti. » Et [a]) rursum: « *Sola* inter mulieres, o Dei sponsa, *cessare fecisti protoparentum* [1]) *maledictum,* incircumscriptum gignens carne circumscriptum innovasti, o immaculata, naturae leges, et mirabili tua mediatione quae pridem dissidebant, coniunxisti. » Ac [b]) denuo: « Partus tuus editum serpenti fraude malum nunc sterile reddidit, o Virgo, *sola maledicti ablatrix;* quapropter te in omnia secula honoramus. » Quod *sola* [c]) *protoparentum nuditatem circumtexerit.* « Spes mea, meumque praesidium, o veneranda *quae sola partu tuo veterem lapsi Adami nuditatem circumtexisti,* me quoque, o innocens, fac immortalitate vestias. » Quod *sola* [d]) *sit gaudii caussa:* « Gabriel tibi super terram mirabiliter attulit caeleste *ave;* angelorum siquidem conditorem in te incarnatum videns, tibi, o veneranda, canit carmen gaudii, perque ipsum mortales edocet *quod tu omnibus hominibus tamquam sola* [2]) *gaudii caussa apparueris.* » Quod *sola* [e]) *portas mortis disiecerit:* « Mortuam animam

a) *Georgius* in Men. die XXX. Maii Ode θ'. pag. 113. col. 1. C. Ἔπαυσας μόνη γυναικῶν τὴν ἀρὰν τῶν πρωτοπλάστων, Θεόνυμφε, τὸν ἀπερίγραπτον σαρκὶ τεκοῦσα περιγραμμένον, ἀκαινοτόμησας θεσμοὺς φύσεως, ἀμόλυντε, τὰ δ' ἀστοῦτα τὰ πρὶν παραδόξῳ μεσιτείᾳ σου ἥνωσας.

b) *Iosephus* in Men. die XXVI. Novembris Ode ι'. pag. 200. col. 2. A. Σοῦ ὁ τοκετὸς τὴν τικτομένην βλάβην κακίᾳ τοῦ ὄφεως νῦν ἀπεστείρωσε, μόνη κατάρας ἀναίρεσις, παρθένε· ὅθεν σὲ τιμῶμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

c) *Christophorus* in Triod. pag. 68. col. 1. C. Ἐλπὶς καὶ σκέπη μου, σεμνὴ, ἡ τὴν γύμνωσιν πάλαι περιστείλασα μόνη τὴν τοῦ πεσόντος· Ἀδὰμ τῷ τοκετῷ σου, ἁγνὴ, ἀφθαρσίαν αὖθις με ἀμφίασον.

d) *Basilius pegoriotes* in Paraclit. pag. 229. col. 2. E. Γαβριὴλ σοι τὸ χαῖρε τὸ ἐπουράνιον ἐπὶ γῆς παραδόξως ἐναπεπόμισε· τὸν γὰρ ἀγγέλων ποιητὴν ἐν σοὶ σαρκούμενον ὁρῶν, τὸ μελῴδημα χαρᾶς ἀναμέλπει σοι, σεμνὴ, βροτοὺς δι' αὐτοῦ διδάσκων, ὡς σὺ μόνη χαρᾶς αἰτία πᾶσιν ἀνθρώποις πεφανέρωσαι.

e) *Theophanes* in Men. die XVII. Ianuarii Ode γ'. pag. 135. col. 1. E. Νενεκρωμένον μου τὸν νοῦν τῇ τῆς ζωῆς ἐνεργείᾳ τῆς ἐκ σοῦ φανερωθείσης τῷ κόσμῳ ἐξανάστησον, ἁγνὴ, καὶ πρὸς ζωὴν ὁδήγησον, ἡ τοῦ θανάτου πύλας λύσασα μόνη τῷ τόκῳ σου.

1) Sophronius in Triodio pag. 172. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. postquam monuit non alteri primum quam Deiparae a Christo redivivo delatum *ace*, continuo subdit: σοὶ γὰρ καὶ μόνῃ, ἄχραντε, πρέπει, ἡ τῆς Εὔας τὴν λύπην ἀφανίσασα. *Tibi enim, o immaculata, et tibi soli convenit, quae Evae tristitiam expunxisti.*

2) Eiusdem sententiae testes sunt *Cosmas hierosolymitanus* in Paraclit. pag. 36. col. 2. D. et *Proclus* in Men. die XX. Novembris Ode ν'. pag. 148. col. 1. C. ubi Deiparam compellat inquiens: χαῖρε τῆς πάντων αἰτία μόνη χαρᾶς. *Salve sola omnibus gaudii caussa.*

meam virtute vitae quae ex te mundo apparuit, o innocens, resuscita et ad vitam adducito, *quae sola* partu tuo *mortis portas dissipasti*. » Hinc illa [1]) Sedulii:

» Sola fuit mulier, patuit qua ianua lethi,
» Ex qua vita redit, *sola fuit mulier*.

Quod *sola* [a]) *paradisi portam reserarit*: « Salve quae maledictionem expulisti, et benedictionem introduxisti: salve *quae sola paradisi portam reserasti*. » Quod *sola nos liberarit, e mortuis excitarit ac funditus restituerit*. Huc sane ista [b]) referuntur: « *O sola* quae tuo super mentem partu *genus mortalium a maledicto* liberasti, intercessionibus tuis, o innocentissima, libera obnoxium carnalibus cupiditatibus. » Huc referuntur [c]) quae subdimus: « Mortuam hominum naturam *tu sola*, o Dei sponsa, *excitasti* gignens vitam immortalem Christum: benedicta tu in mulieribus, o immaculatissima. » Huc referuntur [d]) quae addimus: « Sinus tuus, o immaculatissima atque sanctissima, factus est lucis habitaculum, qua illuminati a tenebris erroris exempti sumus qui te efferimus veroque corde beatam celebramus, *o sola hominum restitutio*. » Atque ista [e]) rursum: « O innocens Dei genitrix, *sola lapsorum* [2]) *restitutio*, me quoque totum omnigenis contritum peccatis atque depressum restitue. » Quod tandem *sola nos a peccato exemerit, nos ornarit, atque nos inter ac Deum media intercesserit*. Quo quidem [f]) haec

a) *Iosephus* in Paraclit. pag. 293. col. 1. D. Χαῖρε κατάρας λύσις, καὶ εὐλογίας εἰσαγωγή· χαῖρε μόνη παραδείσου ἡ τὴν θύραν ἀνεῴξασα.

b) *Iosephus* in Paraclit. pag. 190. col. 2. A. Ἡ μόνη τῇ ὑπερ νοῦν κυήσει σου ἐλευθερώσασα ἐκ τῆς ἀρᾶς τὸ γένος τῶν βροτῶν, σαρκικοῖς ἀτοπήμασι δεδουλωμένον, πάναγνε, ταῖς ἱκεσίαις ἐλεύθερωσον.

c) *Theodorus studita* in Men. die XXIX. Iulii Ode ζ'. pag. 149. col. 1. D. Νενεκρωμένην τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἤγειρας μόνη σὺ ζωὴν ἀθάνατον τὸν Χριστὸν, θεονύμφευτε, γεννήσασα· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, πανάμωμε.

d) *Iosephus* in Men. die XVI. Iunii Ode θ'. pag. 62. col. 2. D. Φωτὸς οἰκητήριον ἡ σὴ, πανάμωμε παναγία, μήτρα γέγονεν, ᾧ φωτιζόμενοι τοῦ σκότους λυτρούμεθα τῆς πλάνης ὑμνοῦντές σε, καὶ πόθῳ ἀληθεῖ μακαρίζοντες, μόνη ἀνθρώπων ἐπανόρθωσις.

e) *Stephanus sabaita* in Triod. pag. 14. col. 2. C. Θεογεννῆτορ ἁγνὴ, ἡ τῶν κατερραγμένων ἀνανόρθωσις μόνη, ἐπανόρθωσον κἀμὲ παντοίαις ἁμαρτίαις συντετριμμένον ὅλον καὶ τεταπεινωμένον.

f) Antholog. die XXV. Novembris Ode γ'. pag. 138. col. 1. A. Νενεκρωμένον μου τὸν

1) Hymn. de vet. et nov. test. pag. 430. apud Thomasium opp. T. II.

2) *Anatolius* in Men. die V. Septembris ad Vesp. pag. 37. col. 2. A. et in Paraclit. pag. 84. col. 1. D. Deiparam vocat μόνην τῶν ἁμαρτανόντων τὴν διόρθωσιν, *solam peccantium restitutionem*.

Digitized by Google

pertinent: « Mortuam animam meam virtute vitae quae ex te mundo effulsit, suscita, *cicatrices notasque peccati tergens sola* Dei genitrix omni ex parte immaculata. » Tum [a]) haec: « Quae sola genuisti universi creatorem, *quae sola humanitatem ornasti* partu tuo, o immaculata, me a laqueis libera callidi Beliar. » Atque ista [b]) rursum: « O innocentissima, *quae sola* supra quam intelligi possit *media intercessisti creatorem inter atque homines*, deprecare filium tuum ut propitius sit peccatoribus servis tuis, illorumque propugnator. »

1438. Quibus Deipara aucta dotibus et insignita praeconiis, nil mirum *si nunc sola instar primitiarum naturae nostrae celebretur, nunc tamquam sola fidelium gloria habeatur, et nunc veluti solum gaudium ipsorum angelorum suspiciendam proponatur.* Certe [c]) Georgius nicomediensis postquam monuit nusquam in Scripturis legi, *vel in votis vel in consecrationibus fuisse feminam oblatam Deo,* de Virgine [d]) ait: « Sola enim feminei sexus, *sola nostri generis primitiae* cum promissa, tum Deo veluti anathema quovis honore potius reddita fuit. » Eadem mente Iohannes damascenus [e]) scribit: « Certabant inter se secula, quodnam ortu tuo gloriaretur. Sed eorum contentionem superavit praefinitum Dei consilium, a quo secula facta sunt, ac postrema evascrunt prima quibus tua fauste nativitas obtigit. Nam *ex te sola* omnium creator partem assumpsit, *primitias nostrae massae.* Caro eius ex carne tua, et san-

νοῦν τῇ τῆς ζωῆς ἐνεργείᾳ τῆς ἐκ σοῦ φανεροθείσης τῷ κόσμῳ, διανάστησον, οὐλὰς καὶ τύπους ἐξαλείφουσα τὰς ἁμαρτίας μόνη, θεογεννῆτος πανάμωμε.

a) *Bysantius* in Men. die XXIII. Septembris ad Matut. pag. 143. col. 1. D. et die XXIII. Iulii ad Matut. pag. 114. col. 2. B. Ἡ μόνη κυήσασα τὸν ποιητὴν τοῦ παντὸς, ἡ μόνη κοσμήσασα τὴν ἀνθρωπότητα τῷ τόκῳ σου, ἄχραντε, ῥῦσαί με τῶν παγίδων τοῦ δολίου Βελίαρ.

b) *Georgius* in Paraclit. pag. 117. col. 2. D. Πάναγνε ἡ μόνη τῷ πλαστουργῷ καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑπὲρ νοῦν μεσιτεύουσα, τὸν υἱόν σου ἵλεων τοῖς ἐπταικόσι δούλοις σου, καὶ ὑπέρμαχον χρηματίσαι δυσώπησον.

c) Orat. II. in concept. s. Annae pag. 1035. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἡ ἐν ἐπαγγελίαις, ἢ ἐν ἀφιερώσεσι θεῷ ἀνατιθέμενον θῆλυ.

d) Ibid. pag. 1038. A. Μόνη γὰρ τῆς γυναικείας φύσεως, ἡ μόνη τῆς ἀνθρωπότητος ἀπαρχὴ, καὶ ὑπεσχέθη, καὶ ὑπερτίμιον ἀπεδόθη θεῷ ἀνάθημα.

e) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 846. B-C. Ἠμίλλωντο οἱ αἰῶνες, ποῖός τις ἐγκαυχήσηται τῇ σῇ γεννήσει, ἀλλ' ἐνίκα τῶν αἰώνων τὴν ἅμιλλαν ἡ προωρισμένη βουλὴ τοῦ θεοῦ, τοῦ τοὺς αἰῶνας ποιήσαντος, καὶ γεγόνασιν οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, τὴν σὴν εὐμοιρήσαντες γέννησιν· ἐκ σοῦ γὰρ μόνης ὁ δημιουργὸς μοῖραν προσέλήφε, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος· σὰρξ αὐτοῦ ἐκ τῶν σαρκῶν σου, καὶ τὸ αἷμα ἐκ τῶν αἱμάτων σου.

Digitized by Google

guis eius ex tuo sanguine. » Quare Iosephus [a]) sic habet: « Gloriosa dicta sunt de te, o gloriosa innocens, *et sola fidelium gloria.* » Neque paullo illustrius [b]) Andreas cretensis inquiens: « Utpote *solum Angelorum gaudium*, o Deo gratissima, gaudio imple mentem meam contristatam et incuria depressam. »

1439. Haec praesto nobis erant quae in medium promeremus spectantia *tum ad apposita cum ad sententias, quibus non citra excludentem significationem maiores nostros de Deipara usos luculenter agnovimus.* Antequam vero quae cum hisce apta nexaque sint declaremus, operae pretium fuerit nonnulla praemonere quae viam insternant aditumque patefaciant. Et praemoneri quidem *initio* debet, quaecumque omnia de appositis ad Virginem relatis altera praesentis operis sectione tradidimus, heic non sine accessione repeti oportere. Me namque fugit, an ulla assignari *epitheta* possint *negantia aut affirmantia, gradu positivo aut superlativo expressa, absoluta aut comparata, propria aut metaphorica*, quae excludentibus affecta particulis uni Deiparae non asserantur. Praemoneri *deinde* debet, *plerasque omnes veterum sententias toto in opere commemoratas, quibus Virgo spectanda perhibetur uti cuiusvis nescia labis, uti locuples perfectissima sanctitate, ipsumque creatae sanctitatis fastigium assequuta*, heic nonnisi excludentibus intersertis particulis frequentari. Praemoneri *tandem* debet, *nihil a nobis suffragio maiorum fuisse comprobatum de Virgine a reliquo hominum genere secreta, angelis puriore, post Deum secunda, et cum Christo mediatore penitissime cohaerente*, quod in praesentia iis loquutionibus, quas excludentes dicimus, solemniter non usurpetur.

1440. E quibus *duplex* dimanat *consectariorum classis*, quarum prior *consectariis hermeneuticis*, et posterior *consectariis pragmaticis* absolvitur. Ut vero ab illis ordiar, I. manifestum est, *eam necessario improbari appositorum quae de Virgine usitata novimus interpretationem, qua semel constituta non alius eisdem sensus quam communis vel cum uno alterove Adami filio subiiciatur.* Eiusmodi

a) Paraclit. pag. 396. col. 2. A. Διεδοξασμένα περὶ σοῦ λελάληνται, διεδοξασμένη ἀγνὴ, ἡ τῶν πιστῶν δόξα μόνη χρηματίσασα.

b) Paraclit. pag. 145. col. 1. A. Ὡς μόνη τῶν ἀγγέλων χαρμονὴ, χαρᾶς μου πλήρωσον, Θεοχαρίτωτε, τὴν διάνοιαν σκυθρωπάζουσαν, καὶ ἀμελείᾳ βεβυθισμένην.

Digitized by Google

namque consortium non ferunt iteratae excludentes particulae, quibus soli Deiparae tribuuntur. Tum II. manifestum est, *neque eam probari posse acceptionem sententiarum ad Virginis dotes efferendas pertinentium, qua hae non unius Virginis propriae, sed aliis quoque communes videantur.* Huic enim acceptioni plane refragatur usus tam frequens, tamque solemnis excludentium formularum. Deinde III. manifestum est, *quaecumque omnia traditione christiana continentur de Virgine immaculata et immaculatissima, inculpata et inculpatissima, sancta et sanctissima: de Virgine electa et praeelecta, a seculo praeparata et beatissima: de Virgine filia Dei, filia vitae, Deoque simillima: de Virgine matre pura filii puri, agna immaculata agni immaculati, et radice venusta floris venusti: de Virgine quae cum filio et per filium lapsam hominum naturam erexerit, aegram sanarit, nudam operuerit, deformatam refinxerit, obscuratam illuminarit, damnatamque restituerit: et de Virgine quae cum filio et per filium nos inter Deumque offensum pia mediatrix exstiterit;* non alium fundere sensum, neque aliam pati significationem nisi eximiam, singularem ac penitus privam. Secus enim a veritate summopere dissideret quod tanta maiorum suffragatione confirmatum accepimus, haec aliaque hisce simillima uni solique Virgini inesse, atque in unam solamque Virginem apte quadrare. Postremo IV. manifestum est, in enarrandis christianis de Deipara monimentis vix quidquam illos omnes videre, qui in eisdem nihil reperiunt quod sit eximium, singulare ac privum, quodque nullum commercium nullamque societatem patiatur.

1441. *Hermeneuticis consectariis pragmatica* succedunt, quorum *primum* sic habet: ea in veterum monimentis recurrit de Virgine *onomatologia*, quae cum eiusdem originibus labe infectis ne aegerrime quidem componi potest. Hanc autem *onomatologiam* non modo iteratam in praesentia audivimus, verum etiam *adiectis excludentibus particulis* non leviter illustratam. Solemni igitur de Virgine *onomatologia* immaculatus illius conceptus perspicue demonstratur. *Praeterea* tam ea quae de Virgine negantur, quum ipsa dicitur *inculpata et inculpatissima, immaculata et immaculatissima:* quam ea quae de Virgine affirmantur, quum ipsa audit *pura et purissima, innocens et innocentissima, sancta et sanctissima*, comparata sic sunt ut ab originali innocentia divelli nequeant, quin a significatione eximia et singulari ad significationem quamdam plus

Digitized by Google

minusve cum aliis etiam communem detorqueantur. Huic autem detorsioni nullus omnino aditus patet, si ad ea animus advertatur quae praesenti articulo complexi sumus, quaeque *solam* Virginem et *nonnisi* Virginem iis auctam dotibus ostendunt. *Ad haec*, fieri nullatenus potest ut Virgo originalis conscia culpae existimetur, si quae de ipsa adhibetur *epithetorum summa* non quovis sensu, sed plenissimo eodemque nulla ex parte imminuto intelligatur. Iamvero hunc *dumtaxat* sensum plenissimum nullaque ex parte imminutum haberi sincerum germanumque posse, ad evidentiam usque persuadent *excludentes particulae quae ab illius summae consortio reliquos omnino omnes amandant. Rursum*, quae maiorum vestigiis inhaerentes constituimus de Virgine eximie dilecta, superbenedicta, singulariter praeparata, a reliquo hominum genere secreta et prorsus digna e qua Unigenitus carnem assumeret, cum originali eiusdem praevaricatione conciliari nequeunt, nisi sensu sumantur paullo laxiore, quique non omnem cum infecta et maledicta Adami posteritate societatem reiiciat. Sed incredibile dictu est, quantopere ab eiusmodi sensu laxiore, neque cuiusvis societatis inimico abhorreant *excludentes loquutiones*, quibus Virgo celebratur *sola benedicta, sola dilecta, sola Deo digna, sola maledicti ablatrix, et sola Deum inter nostrumque genus mediatrix ac propitiatio.*

1442. Denique ne singula persequar, nihilque curis studioque lectorum, reserato fonte, permittam, velim paullo diligentius perpendatur, *excludentibus formulis toties ingeminatis id prorsus effici, Deiparam ab universali hominum conditione seiunctam in triplici proprioque ordine splendidissime collocari.* Et *principio* quidem collocari *in singulari proprioque ordine redemptionis*, unde ipsi defertur [1]) *quod sola sit propitiatio, sola conciliatrix, sola maledi-*

1) Quo et haec pertinent ex Latinorum hymnis apud Mone Tom. II. pagg. 197-203-270-282-312-375:

» Spes lapsorum, contritorum
» Sola consolatio,
» Quam adorat et honorat
» Caeli congregatio.

» Salve splendor praecipue
» Supernae claritatis,
» Regina vincens strenue
» Scelus impietatis,
» Misericordiae tuae
» Munus impende gratis.
» Vita perennis caelica
» Per te nobis donatur,
» Dulcedo tua mellica
» Moerentes consolatur,
» Et spes nostra unica,
» Qua rens reperatur.

» Salve sola spes salutis,
» Nos in valle servitutis
» Pressos tot miseriis
» Iuva pia pietate,
» Tabescentes egestate
» Tuis reple gaudiis.

» Ave virgo mater Dei,
» Tu supernae sol diei,
» Et mundi noctis luna;
» Clementior prae ceteris
» Succurre nobis miseris
» Mortalium spes una.

» Gaude castitatis norma,
» Gaude speciosa forma,
» Summus princeps te elegit
» Et in nihilum redegit
» Hostilem nequitiam.
» Gaude mater miserorum,
» Sola salus contritorum,
» Dignitate singularis

Digitized by Google

cti expultrix, sola rescissae damnationis caussa, et sola quae sua mediatione nostrum genus cum Deo a quo peccando discesserat, restituto amicitiae foedere copularit. Deinde vero collocari *in singulari proprioque ordine ethico*, sive spectetur immunitas a culpa, unde Deipara dicitur *sola inculpata et sola immaculata*, sive spectetur decus innocentiae et sanctitatis, unde dicitur *sola innocens, sola sancta, solaque pura. Tandem* collocari *in singulari proprioque ordine eudaemonico*, sive ratio habeatur internae felicitatis, *unde ipsi tribuitur quod sola sit beata*, sive ratio habeatur felicitatis externae splendorisque qui felicitatem internam comitatur, *unde exhibetur sola gloriosa, et sola in omnibus generationibus celebratissima.* Atqui nemo est qui non continuo intelligat, haec omnia et singula quae ex unanimi traditione maiorum *propria* Virginis sunt illamque distinguunt, constare sibi non posse si etiam ipsa universali nostri generis ruina abrepta corruerit. *Sola* igitur ex unanimi maiorum traditione universalem ruinam evasit, et digna idcirco fuit quae *sola* praedicaretur innocens, *sola* inculpata, *sola* sancta, *sola* benedicta, *sola* Deo grata, et *sola* quae inter Deum iratum nostrumque genus condemnationi obnoxium faustissimas mediatricis partes obiret.

ARTICULUS II.

Maiorum testimonia eo pertinentia, ut Virgo tota expers labis, totaque innocentia et sanctitate insignis declaretur: praeclariora referuntur ac mutuo comparantur: insita eorumdem vis ac potestas, et cum hac cohaerens immaculati conceptus demonstratio.

1443. Ere visum nobis est suffragiis testimoniisque maiorum quibus Virgini assertum novimus, quod *sola* ex hominum genere inscia labis et *sola* splendore nitens purissimae sanctitatis suo merito censeatur, illa continuo subtexere quibus eadem *tota exsors culpae et tota insignis puritate atque innocentia* celebratur. E quo-

» Et a cunctis appellaris » Mater misericordiae.
» Gaude summa creatura, » Quae naturae frangis iu-
» Mater vera, virgo pura, ra,
» Quando in te fit factura » O Abigail placatrix,
» Factor admirabilis. » Sola mundi reparatrix,
» Valde prudens advoca- » Moabitis Ruth oratrix,
trix » Sunamitis regia.

Digitized by Google

rum albo illa reliquis praeferimus, quae [a]) Virginem exhibent *totam immaculatam*: « Spiritalis sponsus, o Dei mater, quum *te totam* invenerit sibi amicam et pulcram, et *immaculatum* purumque lilium, floremque convallium, in te inhabitavit. » Quibus haec [b]) adamussim respondent: « Te Salomon praevidens, » Deipara in Canticis dixit: *tota* propinqua mea, pulcra et *immaculata* est. » Ea deinde proponimus, quae [c]) Virginem sistunt *totam puram:* « O Virgo mater innocens, quum ille qui purus est *te totam puram* repererit, in tuo sinu habitavit, et caro citra peccatum factus est, ut nos ab errore revocaret. » Hinc [d]) Andreas cretensis Deiparam nuncupat « Solam sanctam, sanctisque omnibus sanctiorem, quae *tota pura* [1]) visa est ei, qui totus in illa et corpore et spiritu habitavit. » Tum ea in medium adducimus, quibus Virgo [e]) *tota sancta* perhibetur: « Tu pro eo quod [2]) scriptum est, speciosa es, tuumque virgineum corpus *totum sanctum*, totum purum, totum Dei domicilium. » Quo et haec [f]) manifestissime spectant: « Quum te, » immaculatissima, Gabriel noverit [3]) *totam* Spiritu *sanctifica-*

a) *Theophanes* in Men. die XXX. Iunii Ode ς'. pag. 124. col. 1. A. Ὅλην σὲ τὴν πλησίον, καλήν τε καὶ ἄμωμον καὶ καθαρὸν εὑρὼν κρίνον, καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ Θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς ἐν σοὶ κατεσκήνωσεν.

b) *Iohannes euchait. metropolit.* in Men. die IX. Septembris Ode γ'. pag. 68. col. 1. E. Ὅλη ἡ πλησίον μου, καλὴ καὶ ἄμωμος πέφυκε, σὲ προορῶν ἔφη, Θεοτόκε, Σολομὼν ἐν τοῖς ᾄσμασιν.

c) *Iosephus* in Men. die XI. Februarii Ode α'. pag. 72. col. 1. C. Ὅλην καθαράν σε, εἰρηκὼς ὁ καθαρὸς ἐσκήνωσεν ἐν τῇ νεότητί σου, ἁγνὴ παρθενομῆτορ, καὶ σὰρξ ἐχρημάτισε, δίχα τῆς ἁμαρτίας, ἵνα πλάνης ἡμᾶς ἀπαλλάξῃ.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 179. E. apud Gallandium T. XIII. Μόνην τὴν ἁγίαν, καὶ τῶν ἁγίων ἁπάντων ἁγιωτέραν, τὴν ὅλην ὅλῳ φανεῖσαν καθαρὰν τῷ σκηνώσαντι σώματί τε καὶ πνεύματι.

e) *Germanus* orat. in Deiparae dormit. pag. 1451. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Σὺ κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἐν καλλονῇ· καὶ τὸ σῶμά σου τὸ παρθενικὸν, ὅλον ἅγιον, ὅλον ἁγνὸν, ὅλον Θεοῦ κατοικητήριον.

f) *Iosephus* in Men. die XXVI. Martii Ode δ'. pag. 120. col. 2. C. Ὅλην σε τῷ πνεύματι ὁ Γαβριὴλ περιγνισμένην, πανάμωμε, κατανόησας, ἐκβοᾷ σοι ἐμφανῶς· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, καὶ τῶν προπατόρων ἀνάκλησις.

1) Quod *tota pura* fuerit Deipara, idcirco Photius eiusdem celebrans natalem diem pag. 1602. A. apud Combefis. Auctar. T. I., carnem Christi ex ea susceptam dicit ὅλον καθαρὸν τὸ φύραμα, *totam puram massam.*

2) Cant. II. 13.

3) *Tota* igitur Deiparae *sanctificatio* ipsam praevertit incarnationem, qua de re utiliter conferuntur quae habet Theophanes in Men. die XIX. Martii Ode ζ'. pag. 80. col. 1. B. inquiens: ὅλην σε καθαγιάζει ἅγιος, ὁ ἐκ τῆς σῆς σαρκὸς δεμησάμενος σάρκα ἑαυτῷ, Θεοτόκε, ὁ ἐν ἁγίοις κύριος κατοικῶν ὁ Θεὸς ἡμῶν.

Digitized by Google

tam, tibi splendide acclamat : salve maledicti solutio et protoparentum revocatio. » Accedunt quae [a]) Virginem *totam pulcram* depraedicant : « Quae *tota* electa et *pulcra* Deo apparuisti splendore luminis tui, o celebratissima, illos exhilara qui te extollunt. » Et [b]) denuo : « Tota electa, *tota venusta*, quam Deus sanctificavit quamque elegit, visa es, o Virgo semper glorificata ; te propterea in omnia secula laudamus. » Eaque pariter accedunt quae Virginem *totam bonam*, *totam venerabilem*, *totamque gloriosam* ostendunt. Et primum quidem diserte [c]) effertur his verbis : « O Domina, ut quae bonum pepereris et *tota sis bona*, miserum cor meum et voluptatum inundationibus corruptum bonum effice, meque ad bonas resipiscentiae ianuas adducito. » Ad alterum [1]) haec pertinent : « Dominus tecum, quae *tota venerabilis*, *tota gloriosa*, *tota bona* es. Dominus tecum, veneranda tu, incomparabilis, omnem claritatem superans, *tota lucis fulgoribus concreta*, Deo digna, beatificanda. » Postremum vero his perspicue efficitur, quibus Ephraemus [d]) Deiparam exorans ait : « O Virgo Domina, immaculata Deipara, Domina mea *tota gloriosa*, in me beneficentissima, multo purior solaribus splendoribus, radiis, fulgoribus, honorabilior Cherubim, et sine ulla comparatione caelestibus exercitibus gloriosior, virga vere apparuisti, et flos filius tuus verus Deus noster. »

1444. Haec autem intestino idearum consortio ea mihi in mentem revocant, quorum aliquod iam specimen habuimus, quaeque

a) *Theodorus studita* in Octoech. pag. 44. col. 2. A. et in Paraclit. pag. 326. col. 1. E. Ἡ ἐκλεκτὴ ὅλη καὶ καλὴ ἀναφαντίσσα τῷ Θεῷ τῇ λαμπρότητι, πανύμνητε, τῆς φωτοχυσίας σου, τοὺς ὑμνοῦντάς σε καταφαίδρυνον.

b) *Cosmas* in Men. die XXV. Septembris Ode ϛ'. pag. 157. col. 2. D. Ὅλη ἐκλεκτὴ, ἁγιασμένη ὅλη, θεὸς ἦν ἡγίασεν, ἣν ἐξελίξατο, ἄφθης, παρθένε καὶ δεδοξασμένη· ὅθεν σὲ ὑμνοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

c) *Metrophanes* in Paraclit. pag. 89. col. 2. C. Ἀγάθυνον, δέσποινα, τὴν ταπεινὴν καρδίαν μου ἡδονῶν κακωθεῖσαν ταῖς ἐπικλύσεσιν, ὡς τὸν ἀγαθὸν τεκοῦσα, καὶ ἀγαθὴ ὑπάρχουσα ὅλη, καὶ πρὸς μετανοίας με ἀγαθὰς πύλας εἰσάγαγε.

d) Orat. ad Deiparam pag. 545. E-F. opp. graec. T. III. Ὦ παρθένε δέσποινα, ἄχραντε θεοτόκε, κυρία μου ὁλόδοξε, ὑπερπανάγαθέ μου, ὑψηλοτέρα οὐρανῶν, ὑπερκαθαρωτέρα ἡλιακῶν μαρμαρυγῶν, ἀκτίνων, λαμπηδόνων, τιμιωτέρα τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἀσυγκρίτως πάντων τῶν οὐρανίων στρατιῶν ὑπερενδοξοτέρα, ῥάβδος ἐβλάστησε ἀληθῶς, καὶ ἄνθος ὁ υἱός σου Χριστὸς ἡμῶν ἀληθινὸς θεός.

1) *Theodotus ancyranus* orat. in Christi nativit. §. XII. pag. 476. A. apud Gallandium T. IX.

Digitized by Google

congestis cumulatisque sententiis continentur. Itaque [a]) Iohannes damascenus formam speciemque Virginis depingens ait: « *Tota thalamus* Spiritus, *tota civitas* Dei vivi quam laetificant fluminis impetus, sancti videlicet Spiritus fluenta gratiarum: *tota pulcra, tota Deo propinqua;* haec enim Cherubim superans et super Seraphim evecta, proxima Deo exstitit. » Quibus coloribus ipse etiam usus Ephraemus [b]) scribit: « Sanctissima Domina Dei genitrix sola purissima anima et corpore, sola supergressa puritatem omnem et integritatem et virginitatem, *sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus*, atque ideo etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate ac sanctitate animae et corporis, respice in me. »

1445. Nemo autem facilè dixerit, quantopere hisce illustrandis testimonia conducant, quae quum *significandi potestate* eodem spectent, *translatis tamen verbis metaphoricisque loquutionibus* exprimuntur. Quo sane censu comprehendi illa debent, quibus Deipara [c]) *tota columba et columbam in omnibus repraesentans* perhibetur: « Spiritalis sponsus, o Dei mater, quod te invenerit *totam columbam* [1]), perfectam et pulcherrimam, fulgidumque lilium, convalliumque florem, in te [2]) habitavit. » Hinc [3]) vulgatus Sophronius: « Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, et dealbata, nive candidior, Spiritus sancti muneribus *simplicitatem columbae*

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 848. B-C. Ὅλη παστὸς τοῦ πνεύματος, ὅλη πόλις Θεοῦ ζῶντος, ἣν εὐφραίνουσι τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα, τῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος χαρισμάτων κύματα· ὅλη καλὴ, ὅλη πλησίον Θεοῦ· αὕτη γὰρ ὑπεραναβᾶσα τὰ Χερουβὶμ, καὶ τῶν Σεραφὶμ ὑπεραρθεῖσα πλησίον Θεοῦ ἐχρημάτισεν.

b) Orat. ad Deiparam pag. 524. B-C. opp. graec. T. III. Παναγία δέσποινα Θεοτόκε, ἡ μόνη καθαροτάτη καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, ἡ μόνη πάσης ἐπέκεινα καθαρότητος καὶ σωφροσύνης καὶ παρθενίας· ἡ μόνη κατοικητήριον ὅλη γενομένη τῆς ὅλης χάριτος τοῦ παναγίου πνεύματος· κἀντεῦθεν καὶ αὐτὰς τὰς ἀΰλους δυνάμεις ἀσυγκρίτως ὑπερβάλλουσα τῇ καθαρότητι καὶ τῷ ἁγιασμῷ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος· ἔπειδή ἐπ' ἐμέ.

c) *Theophanes* in Men. die IX. Iunii Ode ς'. pag. 34. col. 1. E. Ὅλην σε περιστερὰν τελείαν καὶ πάγκαλον, καὶ πλαυγὲς·εὐρὺν κρίνον, καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ Θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς ἐν σοὶ κατεσκήνωσεν.

1) Repetuntur haec in Octoech. p. 61. col. 1. D.

2) Integrum mihi sit semel innuere: I. Verbi incarnati oeconomiam in evangelio Iohannis exhiberi veluti τοῦ λόγου σκήνωσιν ἐν ἀνθρώποις: et II. σκηνὴν, שְׁכִינָה, vocabula esse quae pro recepta apud Iudaeos cogitandi loquendique ratione hypostaticam Dei in mundo praesentiam significant.

3) Serm. de Deiparae assumpt. pag. 100. B. inter opp. Hieronymi T. XI.

Digitized by Google

in omnibus repraesentans. » Tum illa comprehendi debent, quibus [a]) Virgo *tota aurea* edicitur: « Ave gratia plena, urna mannae *tota aurea.* » Illa deinde [1]) quibus Deipara celebratur [b]) *nebula sed tota lucida, lucerna* [c]) *sed tota fulgens, porta* [d]) *sed tota splendida, virgo sed* [e]) *in qua totum lux sibi vindicet, Unigeniti tabernaculum, sed totum* [f]) *luminosum et divinitus fabricatum,* et [g]) Verbi *thalamus sed totus lumine nitens.* Unde illa: « Fortitudo hominumque robur salve o immaculata, locus sanctificationis gloriae, inferni mors, *thalamus totus nitens.* »

1446. Cum his porro sin minus externa dicendi forma, interna profecto significandi virtute adamussim conspirant haec primum [h]) ex Dionysio alexandrino qui Deiparam extollit *a pedibus usque ad caput benedictam.* Tum haec [i]) ex Sophronio hierosolymitano, qui Paulum inducit his verbis de Virgine loquentem: « *Tua namque omnia optima,* vita pia in Deum intenta, preces purae quas fundebas, me Deo conciliabant. » Haec item [2]) ex Emanuele paleologo, qui de Virgine ait: « Nulla ratione fieri potest ut loquaris de illa, et laus non sit quod loqueris; *quandoquidem et ipsa et quidquid spectat ad ipsam,* celebratissimam habent gloriam. » Qua

a) *Germanus* Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1423. C. apud Combefis. Auctar. T. I. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ τοῦ μάννα στάμνος ὁλόχρυσος.

b) *Acoluth. totius hebd.* pag. 100. col. 1. A. Νεφέλη ὁλόφωτος.

c) Antholog. pag. 149. col. 2. D., Paraclit. pag. 253. col. 1. B. Ἡ ὁλόφωτος λυχνία.

d) *Iosephus* in Men. die I. Novembris Ode ζ'. pag. 8. col. 2. B., et Ode θ'. pag. 9. col. 2. B. et Antholog. pag. 95. col. 1. D. Ἡ πύλη ὁλόφωτος.

e) *Theodorus studita* in Paraclit. pag. 57. col. 1. D. Φωτοδότην τέξασα θεὸν, ὁλόφωτε παρθένε, τὰ ὄμματα τῆς καρδίας μου κατάυγασον.

f) *Theophanes* in Men. die XXIII. Aprilis Ode ζ'. pag. 101. col. 1. A. Ὁλόφωτε σκηνὴ θεοδόμητε.

g) *Hymn. acathist.* Ode α'. pag. 499. col. 1. E. Ἰσχὺς καὶ ὀχύρωμα ἀνθρώπων χαῖρε, ἄχαρπε, τόπε ἁγιάσματος τῆς δόξης, νίκωσις ᾅδου, νυμφὼν ὁλόφωτε.

h) Con. Paulum samosat. q. X. pag. 278. A. Ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς εὐλογημένην.

i) Anacreont. XXII. vv. 79-83. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. pag. 124.

Τὰ σὰ γὰρ φέριστα πάντα,
Βίος εὐσεβὴς θεόφρον,
Καθαροὶ λιτῶν πορεῖαι
Ἐμὲ πρὸς θεὸν συνῆπτον.

1) Cf. nn. 366. seqq.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 59. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

Digitized by Google

persuasione imbutus de eiusdem obitu [1]) scribit: « Oportebat migrationem eius esse natura superiorem et nostrae non adsimilem; *quum in ea quidquid fuit, natura sublimius fuerit.* » Et [2]) mox: « At quid ego abutor aequalitatis nomine, ubi nulla mensura, nulla prorsus fieri potest comparatio? *Tanto enim intervallo distant a nobis quae spectant ad Virginem, quanto amplius est bulla caelum.* » Quare [3]) Paschasius Ratbertus osores refellens ornamentorum Virginis exclamat: « Alioquin quid est quod legem naturae requirunt in Maria, *ubi totum quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus?* » Hinc Coptorum ecclesia ipsam salutat [a]) his verbis: « O immaculata, veneranda *et in omni re sancta*, quae nobis Deum adduxisti. » Hinc quae ad Cantici [b]) verba, *quam pulcra es amica mea, quam pulcra es, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*, Matthaeus cantacuzenus [c]) notat inquiens. « Ad magnum illud Dei humanam sumentis naturam intendens mysterium, et ad universalem hinc hominum futuram salutem, tamquam numine afflatus Mariam virginem divinae dispensationis officinam exaltabundus beatam praedicans, eam pluribus in locis pulcram esse repetiit, quod in ea habitaret pulcritudinis auctor, salvator Deus. *Oculi tui columbae*, tamquam ea quae in oculis nihil habeat iniquitatis, *sed omnia pura, omnia veneranda*, quemadmodum eam decebat quae esset habitaculum unigeniti filii Dei. » Hinc Sophronii senioris *abstractis* concepta *verbis* sententia, qua [4]) de Virgine ait: « Quidquid in ea ge-

a) Theotoch. tetrast. IX. pag. 130.

Ⲧⲁⲧⲟⲱⲗⲉⲃ ⲛⲥⲉⲗⲙⲏ ⲁⲩⲟⲩ ⲉⲃⲟⲗⲧⲁⲃ ⲁⲃⲏⲛ ⲉⲱⲃ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲁⲩⲱ ⲉⲧⲁⲥⲙⲏ ⲡⲁⲛ ⲁⲫⲧ.

b) Cant. IV. 1. Ἰδοὺ εἶ καλὴ ἡ πλησίον μου· ἰδοὺ εἶ καλὴ, ὀφθαλμοί σου περιστερᾶς ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου.

c) In comm. ad h. l. pag. 10. Πρὸς τὸ μέγα τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ ἀποβλέψας μυστήριον, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἐκ ταύτης γενησομένην παγγενῆ σωτηρίαν, ὅστις ἔνθους ὑφ' ἡδονῆς γενόμενος, τὸ τῆς οἰκονομίας ἐργαστήριον, τὴν παρθένον μακαρίζων Μαρίαν, καλὴν ταύτην εἶναι πεπολλαπλασίαικε, διὰ τὸ ἐνοικῆσαι ἐν αὐτῇ τὸν καλοποιὸν σωτῆρα Θεόν· ὀφθαλμοί σου περιστεραί· ὡς μηδὲν ἔχουσα πρὸ ὀφθαλμῶν αὐτῆς πρᾶγμα παράνομον, ἀλλὰ τὰ πάντα καθαρὰ, τὰ πάντα σεμνὰ, δοχεῖον γεγενημένη τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

1) Ibidem pag. 74.
2) Ibidem pag. 75.
3) De partu Virginis pag. 3. apud Acherium in spicileg. T. XII.
4) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 100. C. inter opp. Hieronymi T. XI.

Digitized by Google

stum est, *totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit, totum misericordia et iustitia* quae de caelo prospexit, et ideo immaculata, *quia in nullo corrupta.* » Hinc verba [a]) Theophanis : « Totum in te renovat hominem, o innocentissima, *totus tibi toti unitus*, neque paternum relinquens sinum, et tuum ad habitandum suscipiens uterum qui propter divitias misericordiae se sponte demisit, mundumque divinitate locupletavit. » Hinc quae Symeon logotheta [b]) Deiparae tribuit filium ita alloquenti : « De caelo progressurus, meum in mundum progressum exspectasti, quum non haberes vas capax divinitatis eaque dignum. *Tibi soli* et antequam ipsa conciperer, parentes mei desponderunt. In lumen hoc vitae educta sum, et brevissimo tempore cum parentibus commorata, *tota toti* tibi reddor et in templo offeror, templum tibi futura purissimum. » Atque hinc Ephraemi fusa [c]) ad Deiparam precatio : « Virgo Domina Dei genitrix, quae unigenitum Dei Verbum, unum Trinitatis Deum, Deum pariter et hominem supra naturam et supra captum genuisti, habitaculum divinitatis, *totius sanctitatis et gratiae receptaculum* in quo plenitudo divinitatis habitavit corporaliter ex Dei beneplacito atque operatione sancti Spiritus, *quae supra omnem creaturam regali et prope divina dignitate collocata es et superemines*, gloria et oblectatio et inexplicabilis laetitia angelorum, *omnium charismatum caelestium ac miraculorum mare*

a) Men. die. IX. Februarii Ode d^{N}. pag. 56. col. 2. B. Ὅλον ἐν σοὶ ἀνακαινίζει τὸν ἄνθρωπον, ὅλος ὅλῃ, πάναγνε, ἐνούμενος ὁ πατρικοὺς κόλπους μὴ λιπών, καὶ τὴν σὴν γαστέρα οἰκῆσαι καταδεξάμενος, ὁ πλούτῳ εὐσπλαγχνίας ἐκουσίως πτωχεύσας καὶ πλουτήσας τὸν κόσμον θεότητι.

b) Orat. in lugubrem Deiparae lamentat. pag. 248. penes Allatium de Symeonum scriptis. Μέλλων οὐρανόθεν καταφοιτᾶν τὴν ἐμὴν εἰς τὸν κόσμον ἀνέμενες πρόοδον, μὴ ἔχων σκεῦος ὑποδοχῆς θεότητος ἄξιον· σοὶ μόνῳ κατεγύησαντό με καὶ πρὸ συλλήψεως οἱ γεννήτορες· εἰς φῶς ἐξῆχθην τοῦτο τοῦ βίου, καὶ βραχύτατα τοῖς γονεῦσι παρέμεινα, ὅλη ὅλῳ προσεπεδόθην σοι, καὶ ναῷ ἀνετέθην, ναὸς γενησομένη σοι καθαρώτατος.

c) Orat. ad Deiparam pag. 551. A-E. opp. grace. T. III. Παρθένε δέσποινα θεοτόκε, ἡ τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ λόγον, τὸν ἕνα τῆς τριάδος θεόν, θεόν τε καὶ ἄνθρωπον ὑπὲρ φύσιν καὶ λόγον γεννήσασα, τὸ σκήνωμα τῆς θεότητος, τὸ πάσης ἁγιωσύνης καὶ χάριτος δοχεῖον, ἐν ᾧ κατῴκησε τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, εὐδοκίᾳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ συνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἡ πάσης κτίσεως βασιλικῷ καὶ θεοπρεπεῖ ἀξιώματι ἀνυπερβλήτως ὑπερκειμένη καὶ ὑπερίσχουσα, ἡ δόξα καὶ τρυφὴ καὶ ἄῤῥητος εὐφροσύνη τῶν ἀγγέλων, ἡ πάντων τῶν θεοπρεπῶν χαρισμάτων τε καὶ θαυμάτων ἀνεξάντλητος θάλασσα· σοῦ δεόμεθα καὶ σὲ παρακαλοῦμεν τὴν συμπαθεστάτην μητέρα τοῦ φιλανθρώπου δεσπότου.

Digitized by Google

indeficiens; te oramus et te deprecamur matrem maxime misericordem benignissimi Domini. »

1447. Itaque si maiorum auctoritate commovemur, illorumque testificationi adquiescimus, fateamur necesse est, credi Deiparam oportere *negative* quidem [1]) *totam immaculatam, nullaque in re plane corruptam: affirmative* vero [2]) *totam puram, totam sanctam, totam pulcram, totam venustam, totam electam, totam bonam, totam venerandam, totamque gloriosam.* Sed adiectivum ὅλον *totum*, quod *de quantitate* acceptum idem valet ac *integrum secundum* [3]) *omnes partes*, ad ordinem *ethicum* traductum, siquidem cum *negantibus* copuletur *epithetis*, omnem ex sese culpae naevum a subiecto arcet, sin autem cum *epithetis aientibus* cohaereat, perfectionem omnibus expletam numeris ex sese subiecto vindicat. Quum igitur Deipara tum *negantibus sententiis* dicatur *tota immaculata, nullaque in re plane corrupta*, tum sententiis *aientibus* praedicetur *tota pura, tota sancta, tota pulcra, tota bona, tota venusta, tota electa, tota veneranda et tota gloriosa;* consequens prorsus est ut ab ipsa quaevis culpae labes amandetur, ipsique vicissim integra et omnibus absoluta partibus sanctitas tribuatur. Neutrum vero fieri posset, si et ipsa originali vitiata tabe censeretur. Reliquum est igitur, ut ex praescripto maiorum originalis exsors transgressionis habeatur. Sed forte ultra quam par sit, verbis insistimus, illorumque significationem vehementius urgemus. Sci-

1) Quo et haec sponte sua revocantur ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 166-234:

» O Maria tota munda, » A peccatis nos emunda
» Per haec septem gaudia.

» Ave totius criminis » Ave beata femina,
» Expers, plena dulcedinis, » Virtutum caeli domina,
» A caelorum opifice » Per quam regem superbiae
» Coronata mirifice. » Vicit Christus rex gloriae.

» Ave tota dealbata » Luna nigra reputatur,
» Virgo, cui comparata » Sol cum stellis obscuratur.

» Tu caelorum ornamentum, » Nulla pars est caritatis
» Peccatorum testamentum, » In te neque pietatis,
» Tu firma spes ea veniae; » Sed es tota caritas:
» Tu reorum advocata, » Flos totius suavitatis,
» Tu iustorum forma grata » Flos es vivus bonitatis,
» Tu fons totus gratiae. » Tu es omnis pietas.

2) Quibus confirmandis haec insigniter conferunt ibidem pagg. 234-301-372-403:

» Ave Virgo pulcra tota, » Digna Dei ad altare,
» Inter innocentes lota, » Quod est Christus, ministrare,
» Ave gloria, gaudium » Ave caelorum regina,
» Et corona omnium » Cui plenariter divina
» Sanctorum. » Est infusa gratia.

» Ave caelum spirituale, » Tu mons ille non incisus,
» Summum, intellectuale, » Tu caelestis paradisus,

Hinc illa quibus in opere de corona Virginis cap. II. pag. 395. Deipara salutatur »Omnium gratiarum Virgo plena, tota clara et serena, sanctum et benedictum reclinatorium, aureum et perlucidum, in decorem et gloriam Dei Filio coaptatum.«

3) Hinc proverbium, ὅλον ἴλιος, quo significatur *res tota quanta est molestiis referta:* atque hinc alexandrinorum interpretum usus, quo non modo hebraicum כֹּל *omne*, verum etiam hebraicum כָּלִיל, *omnibus absolutum partibus et undequaque integrum, reddunt* ὅλον.

Digitized by Google

licet non vitio sed dandum laudi est, quod in enarrandis veterum monimentis *proprietas significationis* diligenter teneatur. Praesertim quum omnia persuadent, voces formulasque non laxius et improprie sed proprie ac presse fuisse frequentatas. Atqui nihil omnino est, quod proprium pressumque earumdem usum in praesentia non persuadeat.

1448. Etenim I. persuadet quod christianorum monimentorum peritis nequit esse incompertum, formulas sententiasque a nobis adductas de Virgine sic adhiberi, ut nuspiam [1]) de alio quamquam sanctissimo, originali tamen culpa semel infecto, usurpatae reperiantur. Persuadent II. *formulae translatae*, quibus *propriae* illustrantur ac Deipara perhibetur *tota columba, columbam in omnibus repraesentans, tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei, tota aurea, tota lucida, et tota lucis radiis concreta.* Persuadent III. *formulae aequipollentes*, tum eae quibus Virgo dicitur *a pedibus ad caput usque benedicta*, tum eae quibus affirmatur, *omnia ad ipsam spectantia fuisse optima, quidquid ad ipsam pertinuit, nihil nisi gloriam praetulisse, quidquid in ipsa exstitit, natura fuisse sublimius et totum a Spiritu sancto possessum, ipsam omni in re fuisse sanctam, et omnia in ipsa fuisse pura, omniaque veneranda.* Persuadent IV. *formulae abstractae*, quibus Deiparae asseritur *quod totum in ea fuerit puritas, totum veritas, totum gratia.* Persuadent V. *formulae caussales*, quibus edicitur *propterea Deiparam in genitricem Verbi fuisse selectam, propterea carnem Unigeniti ex ea sumptam fuisse totam puram, et propterea ipsam fuisse parem ut cum Filio et per Filium solveret maledictum et protoparentes erigeret, quod tota exstiterit immaculata, tota pura, tota venusta, totaque luce micans auroque resplendens.* Persuadent VI. *formulae consequentes*, quibus Deiparae idcirco defertur, *quod longe purior fuerit solaribus radiis, gloriosior Cherubim, facta domicilium universarum gratiarum, Deo proxima et tota toti unita*, quod proprium eiusdem sit ut *tota pura, tota lucida et tota Dei thalamus* celebretur. Persuadent tandem VII. *formulae excludentes*, superiori articulo explanatae quaeque cum praesentibus coniunctae Deiparam

1) Neque sane mirum, quando ex originalis culpae participatione consequitur I. ut omnes illa infecti, etsi deincepa iustificati, corpus gestent mortis et conqueri cum Apostolo debeant de inhabitante in ipsis propriaque carne peccato. Atque adeo II. consequitur ut tribui quidem ipsis possit ac debeat ea sanctitas quae peccato *formali* opponitur, quaeque meritum damnationis excludit, nullatenus vero *eiusmodi sanctitas*, qua *toti* sancti *totique* puri nuncupentur.

Digitized by Google

sistunt *solam et totam immaculatam, solam et totam* [1]) *sanctam, solam et totam pulcram*, idest eiusmodi quae in proprio collocata ordine tum immunitatis a culpa, tum perfectissimae sanctitatis, non minus a consortio abhorreat communis transgressionis, quam supra omnem creatam naturam innocentia et sanctitate praecellat.

ARTICULUS III.

Unus Christus θεάνθρωπος idemque hominis filius ex universo nostro genere semper purus, semper sanctus, semperque immaculatus: haec praerogativa quae uni hominis filio ex sese primumque convenit, ipsi quoque Deiparae gradu altero et benevolo participationis consortio ex traditione maiorum tribuenda est: quam varie quamque luculenter suam mentem maiores prodiderint, fidemque declararint: expoliuntur ipsorum testimonia, et conceptus Deiparae originali puritate nitens demonstratur.

1449. Universum hominum genus sic rite dispescitur, ut totum quantum est absolvatur hinc quidem protoparentibus, inde vero ipsorum ad finem usque seculi exstitura posteritate. Quemadmodum vero indubitanter novimus [2]) protoparentum culpam atque ruinam, ita fide [3]) tenemus per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines mortem pertransiisse, in quo omnes peccaverunt. Nemo est igitur ex universo nostro genere, qui credi dicique possit *semper* purus, *semper* sanctus, *semperque* immaculatus. Quod sane quum verissimum sit de nudis purisque hominibus intellectum, a vero tamen quam longissime abest si ad θεάνθρωπον extendatur, atque ad illum propterea extendatur qui [4]) in libris N. T. eximio proprio-

1) Libet heic describere quae in schollis Casparis Valckenarii in I. ad Corinth. epist. cap. I. pagg. 36-37. de propria significatione vocis *sanctus* ecite traduntur. Ille ergo sic habet: » Haec est verbum ab origine derivandi facillima norma: ἅγω, ἅγος, ἁγιος, ἁγία, ἁγιάζω, ἁγιασμένος proprie *sanctus*. Illud enim latinum contractum ex *sancitus* a v. est *sancio*, quod a vetustiori *sacio* vel *saco*, unde *sacer*. *Sacio* proxime oritur a gr. ἄζω, quod idem ac ἅγω. Forma media ἄζεσθαι, *venerari*, Homero frequentatur. Nomen ἅγιος redditur *sanctus*; sic et reddi solet ἱερός. Non tamen existimandum est, eamdem esse utriusque vocis significationem aut eumdem usum. Ἀνὴρ ἱερὸς *sacerdotem* significat, qualibuscumque tandem sit moribus etsi pessimis, ut erant plerique. Contra ἀνὴρ ἅγιος notat *integrum vitae scelerisque purum*, sive *hominem castis moribus praeditum*. *Spiritus sanctus* nonaginta tribus vicibus in scriptis N. T. πνεῦμα dicitur ἅγιον, numquam dicitur πνεῦμα ἱερόν. Ἅγιος semper respicit *internam animi sanctimoniam*, ἱερὸς nihil aliud quam *externam* quamdam *consecrationem*. Castis moribus christiani, in his puriae religionis primordiis, Paulo in epistolis saepe dicuntur ἅγιοι et ἡγιασμένοι, ne semel quidem ἱεροί.

2) Gen. III. 6. seqq.

3) Rom. V. 12.

4) Matth. VIII. 20., IX. 6., X. 23., XI. 19., Marc. II. 10-28., VIII. 31-38., IX. 9-12-31., Luc. V. 24.,

Digitized by Google

que [1]) sensu ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis* nuncupatur. Quum enim is in mundum venerit ut lucem afferret, *numquam* fuit in tenebris : quum venerit ut vitam impertiret, *numquam* fuit in morte: quum venerit ut peccatum tolleret, peccato *numquam* servivit: quum venerit ut dissolveret opera diaboli, ad eius regnum *numquam* spectavit: et quum venerit ut Deum inter hominesque conciliatoris partes obiret, *numquam* fuit a Deo seiunctus et peccati obice separatus. De ipso igitur deque ipso solo *primum atque ex sese* certissima fide profitemur, quod *semper* fuerit innocens, *semper* impollutus, et *semper* a peccato et peccatoribus infinito prope intervallo segregatus ac divisus.

1450. Hoc tamen non impedit, quominus altero gradu benignaeque participationis consortio decus unius θεανθρώπου proprium, ad ipsam quoque pertinere θεοτόκου censeatur. Immo ea hucusque praemisimus, quae non obscure sed omnino luculenter ostendunt fas non esse aliter existimare. In qua quidem sententia tamquam exploratissima, christianaeque traditionis testificatione suffulta mirifice confirmabimur, si ad ea animum adverterimus quibus Deipara *semper* innocens, *semper* sancta, *semperque* a peccato libera in priscis monimentis splendidissime celebratur. Atque huc sane initio faciunt quae [2]) in veteri prosa de nativitate Domini his verbis efferuntur:

» Angelus consilii
» Natus est de Virgine,
» Sol de stella.
» Sol occasum nesciens,
» Stella *semper* rutilans,
» *Semper* clara.

Ubi in oculos sponte incurrit duplex comparatio, altera Iesu ceu *solis* cum Maria tamquam *stella:* et altera eiusdem ceu solis *occasum nescientis* cum Maria tamquam stella *semper rutilante* et *semper clara*. Quod posterius comparationis membrum egregie explanant quae [3]) beatus Columbanus ad verba [4]) psalmi, *et deduxit*

VI. 6-22., VII. 34., IX. 22-26-44-56-58., Ioh. I. 52, III. 13-14., V. 27., VI. 27-53-62.

1) Licet non raro tamquam synonyma usurpentur אֱנוֹשׁ et בֶּן־אָדָם, ἄνθρωπος et υἱὸς ἀνθρώπου, *homo* et *filius hominis*; e re tamen fuerit de hac formula contulisse quae monent Possinus in spicileg. evangel. §. XXXII., Less. in programm. *de filio hominis* et Vorstius philolog. sacr. cap. XIII.

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 61., et inter opp. Bernardi T. V. pag. 921. E. Eumdem sensum ista fundunt apud Mone T. II. pag. 220:

» Alma virgo parens,
» Pare semper carens,
» Clare semper clarens
» Angelorum lux.

3) Qui claruit seculo sexto, et cui ex critica Vallarsii coniectura in admonit. ad breviarium in psalmos Hieronymo tributum, pag. XXI. hoc ipsum breviarium non inepte defertur. Illud exploratum est, breviarium esse optimae notae, neque seculo sexto recentius.

4) Ps. LXXVII. 14.

eos in nube diei, notat [1]) inquiens: « Ecce Dominus venit in Aegyptum in nube levi. Nubem levem aut proprie Salvatoris corpus debemus accipere, quia leve fuit et nullo peccato praegravatum est; aut certe nubem levem debemus sanctam Mariam accipere nullo semine praegravatam. Ecce Dominus venit in Aegyptum seculi istius super nubem levem, Virginem. *Et deduxit eos in nube diei.* Pulcre dixit, *diei:* nubes enim illa non fuit [2]) in tenebris, sed *semper in luce.* »

1451. Utique numquam fuit in tenebris, sed in luce *semper* versata est, quemadmodum uno ore testantur Theodorus studita et Leo magister; ille [a]) ubi Deiparam compellat inquiens: « Salve mons Dei: salve lampas *semper lucida:* salve caelestis ager: salve mens radiis corusca: salve Domini templum: salve celebratissima. » Alter [b]) ubi de ipsa scribit: « O mirabile portentum! Iam tacite significatur quod ineffabile futurum est, et symbolis conspicuis hodie intelligibilia innuuntur. Quae mundo effudit divinam lucem, sponsae ritu in divinum templum deducitur, quam celebremus tamquam supernaturale divinitatis templum, sanctuarium *semper lucidum* Christi lucis datoris. » E quibus pronum est intelligere quo spectarint tum [c]) alexandrinus Cyrillus ad Deiparam clamans: « Salve Maria lampas [3]) *inextinguibilis*. » Tum [d]) vulgatus Epiphanius de eadem inquiens: « O candelabrum virgineum, quod *dispulit tenebras* et lucem illustravit. » Dicitur nimirum lampas *inextinguibilis*, quod

a) Triod. pag. 274. col. 1. C. Χαῖρε τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ· χαῖρε ἀείφωτε λαμπάς· χαῖρε νὶε οὐρανέ· χαῖρε νοῦς ἀστράπτων· χαῖρε ναὲ κυρίου· χαῖρε πανύμνητε.

b) Men. die XXII. Novembris ad Vesp. pag. 161. col. 2. B-C. Ὦ τοῦ παραδόξου θαύματος· προϋπογράφεται νῦν τὸ ἰσόμενον ἄῤῥητον, ἐν συμβόλοις σήμερον ὁρατοῖς τὰ νοούμενα· ἡ φῶς γὰρ κόσμῳ θεῖον ἐκλάμψασα νυμφαγωγεῖται πρὸς ναὸν ἔνθεον· ἵν' εὐφημήσωμεν ὡς ναὸν θεότητος ὑπερφυῆ, ἅγιον ἀείφωτον τοῦ φωτοδότου Χριστοῦ.

c) Encom. in Deiparam pag. 381. opp. T. V. P. II. Χαίροις Μαρία ἡ λαμπὰς ἡ ἄσβεστος.

d) Orat. de laudibus Deiparae pag. 296. A. in opp. Epiphanii T. II. Ὦ λυχνία παρθενική, ἡ τὸ σκότος ἀπελαύνουσα, καὶ τὸ φῶς καταυγάζουσα.

1) Breviar. in Psalter. ad Ps. LXXVI. p. 201. D. inter opp. Hieronymi T. VII.

2) Ex incisorum nexu opus est supplere particulam *numquam*, ac si scriptum esset: *nubes enim illa non fuit unquam in tenebris.*

3) De voce ἄσβεστος sic habet Phavorinus, ἄσβεστος· ἀκατάπαυστος, *qui non cessat*; et scholiastes ad Homeri Od. IV. 584. ἀσβέστου κλέος interpretatur ἀκατάπαυστον κλέος. Plutarchus in Numa pag. 66. Vestalium ignem dicit πῦρ ἄσβεστον, ignisque infernus qui Matth. III. 12., Marc. IX. 43-45. et Luc. III. 17. vocatur τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, in loco parallelo Matth. XVIII. 8. audit πῦρ αἰώνιον, *ignis sempiternus*. Quum ergo ἄσβεστον *proprie* idem valeat quod *nequit extingui*, *metaphorice* notat quod *sempiternum est et numquam cessat.*

Digitized by Google

semper luxerit, eique propterea *tenebrarum expulsio* defertur, quod nihil commune cum tenebris umquam habuerit.

1452. Cum qua imagine aptissime illa consentiunt, quibus inter Deiparae dotes ornamentaque censetur nunc quod ipsa sit *virga atque vitis semper florens*, nunc quod sit *germen atque paradisus semper virescens*, et nunc quod sit *decus nostri generis semper nitens*. Profecto quotquot originis labe infecti gignimur, etsi in aliam inserti arborem florere deinde possimus ac virescere, principio tamen stipitem nostrum referimus, atque ex ipso arefacto ac mortuo aridi squalentesque subolescimus. Atqui vulgatus neocaesariensis Gregorius Deiparam [a]) sic compellat: « Ave gratia plena, flos vitae immaculatus, pratum fragrantissimum, *vitis semper virens*. » Et alibi [b]) de ipsa ait: « Haec *semper vigens immortalitatis* [1]) *paradisus*, in qua lignum vitae plantatum cunctis fructum immortalitatis suppeditat. » Similia habet [c]) Chrysippus hierosolymitanus inquiens: « *Virgam Iesse semper* virentem, quae universo hominum generi vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore convenit beatam praedicare et laudibus extollere. » Similia Modestus eiusdem ecclesiae praesul, a quo Deipara [d]) primum dicitur *sola inter mulieres benedicta*, et [e]) continenter, *semper florens virga Iesse*. Similia [f]) Andreas cretensis Deiparam appellans « Davidicum ramum, virgam Iesse, *germen Iuda semper floridum*, ex qua altissimus Dei filius secundum carnem germinavit. » Et similia Iohannes damascenus ac Georgius nicomediensis, ille [g]) ubi ait: « Glo-

a) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 12. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τὸ τῆς ζωῆς ἀμίαντον ἄνθος, ὁ λιμὴν τῆς εὐωδίας, ἡ ἄμπελος ἡ ἀειθαλής.

b) Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 18. A. Αὕτη ὁ ἀειθαλὴς τῆς ἀφθαρσίας παράδυσος, ἐν ᾗ τὸ ζωοποιὸν ξύλον φυτευθὲν τοῖς πᾶσιν χωρηγεῖ ἀθανατίας καρπούς.

c) Orat. in Deiparam pag. 424. E. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Τὴν ἀειθαλῆ ῥάβδον Ἰεσσαὶ, τὴν ὅλῳ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει καρποφορήσασαν τὴν ζωὴν, ἐν παντὶ μὲν πρέπει χρόνῳ μακαρίζειν, ἀνευφημεῖν.

d) Encom. in Deiparam §. III. pag. 14. Ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη.

e) Ibid. pag. 16. Ἀειθαλὴς ῥάβδος Ἰεσσαί.

f) Orat. in Deiparae nativit. pag. 179. apud Gallandium T. XIII. Τὴν Δαυϊδικὴν ὄρπηκα, τὴν ῥάβδον τοῦ Ἰεσσαὶ, τὸν ἀειθαλῆ τοῦ Ἰούδα βλαστὸν, ἐξ ἧς ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς σαρκικῶς ἐξεβλάστησε.

g) Men. die VIII. Septembris Ode ε'. pag. 60. col. 2. C. Δόξα σοι τῷ δοξάσαντι τὴν

1) Quibus illustrandis haec inserviunt ex Theodoro heracleota in Es. LXV. 22. pag. 237. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. VI. P. II. Τὰ γὰρ ἀειθαλῆ φυτὰ ἐν τῷ παραδείσῳ ἀειζώους καρποὺς φέρει. *Etenim plantae semper florentes fructus semper vivos in paradiso proferunt.*

ria tibi qui hodie [1]) sterilem glorificasti; peperit siquidem ex promissione *virgam semper florentem*, ex qua effloruit Christus flos vitae nostrae. » Alter, ubi [a]) laudatis Deiparae parentibus pergit: « Decebat ut ex ingenua radice germen summe ingenuum pullularet, ex bonis lumbis optimus palmes surgeret, *illud semper virens generis decus*, pulcherrimum illud naturae germen. » Fuit igitur cur [2]) Anselmus caneret:

» Balsamum aromatizans,
» Thus mirae fragrantiae,
» *Flos aeternus*, rosa senis,
» *Lignum semper viride.*
» Stella solis claritatem
» Suo vincens iubare;
» Semper mater, quia numquam
» Eris sine sobole.

1453. Ab his autem vix aut ne vix quidem ea distant veterum testimonia, quibus Virgo cum *fonte* comparatur, sed *perenni, semper fluente, quemque aestus numquam exsiccarit.* Cuiusmodi [b]) haec sunt: « Fideles magnificamus Deiparam, fontem vitae datorem *semper* [3]) *fluentem*, lucernam luciferam atque ex toto auream, animatum templum, immaculatum tabernaculum caelo terraque patentius. » Atque haec item, quibus [c]) de Virgine dicitur: « Haec *fons semper fluens*, in quo aqua viva scaturiit, et Domini in carne adventum produxit. » Neque vero haec [d]) praeteriri possunt: « Salve [4])

στείραν σήμερον· ἔτεκε γὰρ τὴν ῥάβδον τὴν ἀειθαλῆ ἐξ ἐπαγγελίας, ἐξ ἧς ἀνεβλάστησε Χριστὸς, τὸ ἄνθος τῆς ζωῆς ἡμῶν.

a) Orat. III. in Deiparae concept. pag. 1063. D. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἔδει ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφῦναι βλαστόν· ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κλῆμα, τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα· τὸ τῆς φύσεως ὡραιότατον βλάστημα.

b) *Iosephus* in Men. die VI. Decembris Ode θ'. pag. 54. col. 1. A. Τὴν ζωοδόχον πηγὴν τὴν ἀέναον, τὴν φωτοφόρον λυχνίαν τὴν πάγχρυσον, τὸν ναὸν τὸν ἔμψυχον, τὴν σκηνὴν τὴν ἄχραντον, τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς πλατυτέραν τὴν θεοτόκον οἱ πιστοὶ μεγαλύνομεν.

c) *Pseudo-Gregorius neocaes.* Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 18. B. Αὕτη πηγὴ ἀέναος, ἐν ᾗ τὸ ζῶον ὕδωρ ἔβλυσε, τὴν ἔνσαρκον τοῦ κυρίου παρουσίαν.

d) *Germanus* in Men. die II. Septembris Ode θ'. pag. 21. col. 1. D. Χαῖρε τὸ ἀείζωον

1) *Sterilem* intelligit Annam, diemque significat natae Virginis.

2) Hymn. I. in Deiparae laudem, pag. 307. col. 2. D. Quibus haec consonant apud Mone T. II. pagg. 187-195.

» Gaude cedrus exaltata,
» In amore radicata,
» Oliva semper viridis,
» Ramis iocunda floridis.

Gaude flos qui numquam marcet,
» Cuius odor virus arcet,
» Amantum corde reficit,
» Quos taedium non afficit,
» Nulla prorsus macula.

Tum haec in corona Virginis cap. XXIV. pag. 432. « Gratia qua fuisti repleta, fecit te semper virentem et viridem. »

3) Ἄενος, ἀέννος, ἀείνως, *semper fluens*, et metaphorice *perpetuus ac perennis.*

4) Quae eo pluris ducenda sunt, quo manifestius Chrysippus ipsum quoque Christum *aquam* pa-

Digitized by Google

flumen semper vivens immortalitatis, salve tota lucida solis nebula, salve totius divinitatis currus, salve arca sanctificationis. » Quibus factum est, ut [a]) Nicetas paphlago de concepta atque in lucem edita Virgine scripserit: « Anna vero *promissam veritatem* in lucem profert, illamque cunctis hominibus *animatum atque viventem fructum producit*. » Numquam igitur Virgini ullum fuit *cum mendacio* consortium, numquam *cum morte*, sed *veritatem vitamque* nacta est cum suis originibus consertam et omnino contemporalem.

1454. Quae aditum mihi ad ea patefaciunt, quibus maiores nostri idem doctrinae caput non metaphoris exhibent neque imaginibus aduinbrant, sed propriis apertisque verbis profitentur. Ad quam professionem ea revocari principio debent, quibus [1]) Theodotus ancyranus, naevis omnibus a Virgine depulsis, ait: « Longe haec facessant et similia, neque enim [2]) tenebris ad lucem ulla communio est. » Tum [3]) eam nobis caelitus donatam scribit « Quae *necdum nata*, *auctori Deo consecrata sit*, legis discipula, divina gratia ut palliolo amicta, *Deo corde nupta*, tota pulcra. » Concinit Iohannes damascenus, qui Deiparam sic [b]) alloquitur: « O divinum vivumque simulacrum, quod mentem divinitus gubernatam habet, *Deoque soli addictam*. » Et [c]) mox: « Vitam natura potiorem habebis, *Deo hanc habebis*, *cuius gratia in vitam prodiisti*. » Numquam ergo alteri addicta Virgo fuit nisi *soli Deo*, neque alteri umquam vixit *nisi Deo*. Quod [d]) Iohannes geometra luculenter significavit ubi Deiparam cum Eva conferens ait: « Pro illa quae

ῥεῖθρον τῆς ἀφθαρσίας· χαῖρε ἡ ὁλόφωτος τοῦ ἡλίου νεφέλη· χαῖρε ὄχημα τῆς θεότητος ὅλης· χαῖρε κιβωτὲ τοῦ ἁγιάσματος.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 441. A. apud Combefis. Auctar. T. III. Ἄννα δὲ τὴν χρησμοδοθεῖσαν ἀλήθειαν ἀνίσχει, καὶ ταύτην πᾶσιν ἀνθρώποις ἔμψυχον καὶ ζῶντα προβάλλει καρπόν.

b) Orat. I. in Deiparae nativitat. §. IX. pag. 847. D. Ὦ θεῖον ἔμψυχον νοῦν μὲν ἔχον θεοκυβέρνητον, καὶ μόνῳ θεῷ προσανέχοντα.

c) Ibid. pag. 847. D-E. Ζωὴν τῆς φύσεως κρείττονα ἕξεις· ἕξεις θεῷ, δι' ὃν εἰς τὸν βίον ἐλήλυθας.

d) Collect. exeges. in Luc. per Nicetam diaconum pag. 630. apud Mai scriptt. vett. T. IX. Διὰ τὴν κακῶς τῷ δαίμονι ψιθυρίσασαν, ἐκλέγεται ἡ δικαίως τῷ θεῷ προσομιλήσασα.

pellat *semper vivam*, quum Deiparam salutans ait (Orat. in Deiparam pag. 426. D. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.): χαῖρε τὸ φρέαρ τοῦ ἀεὶ ζώντος ὕδατος. *Salve puteus semper viventis aquae.*

1) L. c. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. C. apud Gallandium T. IX.

2) II. Cor. VI. 14.

3) Loc. cit. pag. 475. D.

male cum diabolo sermones miscuit, ea seligitur quae [1]) *semper cum Deo conversata est.* » Utique *semper* cum Deo conversata est, quippe cum ipso *sempiterno foedere* copulata, ut [2]) Hildephonsus toletanus his verbis testatur: « Haec est anima illa beata, per quam auctor vitae ingressus est mundum, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, et caelestis benedictio in toto venit mundo. Haec est Virgo, in cuius utero omnis ecclesia subarrhatur. *Coniuncta Deo foederé sempiterno creditur.* » Cuius foederis sempiterni, et cui nullum praecesserit dissidium, auctor quoque est Matthaeus cantacuzenus, qui [a]) haec verba [b]) Cantici, *ego eram in oculis ipsius inveniens pacem*, de Virgine sumens aït: « Ac si diceret, ante illius oculos *semper* manebam, qui et ante mundi constitutionem mysterii magnitudinem, ipsius in me descensum, praedestinaverat. *Inveniens pacem*, gratiam scilicet et fiduciam penes ipsum. » Eodem haec [3]) pertinent:

» Ave, quam ante seculum
» Sibi in habitaculum
» Providit Dei filius
» Mundo per te propitius.
» Ave lucis verae mater,
» Quam emisit Deus pater,
» Ipse semper te deduxit,
» Et ad montem sanctum duxit.

Tum [4]) haec:

» Gaude quia semper tecum
» Deus manet et tu secum,
» Per quem precor ut sis mecum
» Et cor meum lustres tecum
» Vultus tui lumine.
» Vale thorus delicatus
» Manu Dei fabricatus,
» Dei digito ornatus,
» Christo sponso praeparatus,
» Castitatis thalamus.

1455. Fac itaque perconteris ecquandonam primum Spiritus sanctus Deiparae adfuerit? Vetustus auctor Athanasii nomine vulgo insignitus, ubi de verbis [5]) agit, *virtus Altissimi obumbrabit tibi*,

a) In Cant. VIII. 10. pag. 62. Ἤτοι, πρὸ ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ἀεὶ ἐμένην, καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου τὴν τοῦ μυστηρίου πρὸς ἐμὲ ἄνεσιν, αὐτοῦ συγκατάβασιν, προορίσαντος· εὑρίσκουσα εἰρήνην· χάριν δηλαδὴ καὶ παῤῥησίαν πρὸς αὐτόν.

b) Cant. VIII. 10. Ἐγὼ ἤμην ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, εὑρίσκουσα εἰρήνην.

1) Hesychius, διηνεκῶς· ἀεὶ ὅλου, διὰ βίου. Etymolog. M. διηνεκές· τὸ ἐνίμπτωτες, ἀδιάλειπτον. Unde Hebr. VII. 3. *μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές*, *manet sacerdos in aeternum*. Quo sensu *εἰς τὸ διηνεκές*, *in perpetuum*, *semper*, iterum adhibetur Hebr. X. 12-14., et penes Symmachum qui verba אַל־מוֹט ex Ps. XLVIII. 15. ab Alexandrinis reddita *εἰς τοὺς αἰῶνας*, interpretatur *εἰς τὸ διηνεκές*, *semper*.

2) Serm. II. in Deiparae assumpt. p. 672. col. 1. D. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII.

3) Apud Mone T. II. pag. 235.

4) Ibid. pag. 270.

5) Luc. I. 35.

Digitized by Google

sic [a]) reponit : « Neque enim arbitror *ad* tempus in Virgine factum illud esse, *sed omni tempore, et tum et iam et in perpetuum* habet Virgo obumbrantem sibi virtutem Altissimi, et Spiritum in se supervenientem, ut plena gratia maneat. Sic enim ea de re cogitamus. Erant illi *omnia* gratia plena per Spiritum sanctum et per virtutem Altissimi. » Fac perçonteris, ecquando primum Deipara particeps fuerit divinae magnificentiae ? Respondebitur [b]) his verbis : « Christus *semper* tibi *magnifica* fecit, quem semper deprecare, o Deo gratissima, ut in me magnificet divitias misericordiae suae. » Fac perconteris, ecquando primum Deipara fuerit glorificata ? Haec in maiorum libris [c]) reperies : « Nos omnes propter peccatum mortuos tu vitam pariens ad vitam revocasti ; propterea ad te clamamus, o Virgo Dei genitrix *semper glorificata*. » Et [d]) rursum : « Te laudo quae sola potior es omni laude, te glorifico *o semper divinitus glorificata*, et te beatam celebro quam generationes omnes beatificant, o Virgo divinitus beatificata. »

1456. Quod si quaeras an misera propter peccati labem aliquando fuerit, vel contra propter innocentiam suis consertam primordiis *numquam non fuerit felix semperque beata ;* tum ex superioribus de fide maiorum statuere certo potes, tum ex hisce quae [e]) adiungimus : « Ex infecunda radice germinasti, et malitiae spinas funditus exscidisti divino tuo super naturam germine, o Dei ge-

a) Orat. in Deiparae annunt. n. 9. pagg. 397-398. inter opp. Athanasii T. II. Οὐδὲ γὰρ πρὸς καιρὸν, ὡς πίθομαι, τοῦτο ἐγίνετο ἐν τῇ παρθένῳ, ἀλλ' ἐν παντὶ καιρῷ, καὶ τότε, καὶ νῦν, καὶ εἰς τὸ διηνεκὲς ἐπισκιάζουσαν αὐτῇ ἔχουσα τὴν δύναμιν τοῦ ὑψίστου ἡ παρθένος, καὶ τὴν ἐπίλευσιν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπερχομένην αὐτῇ, ἵνα κεχαριτωμένη μένῃ· οὕτω γὰρ διανοούμεθα περὶ τούτου· ἦσαν αὐτῇ πάντα κεχαριτωμένα διὰ τοῦ πνεύματος καὶ τῆς τοῦ ὑψίστου δυνάμεως.

b) *Iohannes monachus* in Men. die XXX. Novembris Ode ϛ'. pag. 225. col. 1. D. Μεγαλεῖά σοι ἀεὶ ἐποίησατο Χριστός· ὃν ἱκέτευε ἀεὶ μεγαλύνειν ἐν ἐμοὶ τὰ πλούσια αὐτοῦ ἐλέη, Θεοχαρίτωτε.

c) *Iosephus* in Men. die III. Martii Ode ζ'. pag. 10. col. 1. A. Νεκρωμένους ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ πάντας, ζωὴν τεκοῦσα ἀνέζωσας· διὸ σοὶ κραυγάζομεν, Θεονύμφευτε κόρη ἀεὶ δεδοξασμένη.

d) *Theophanes* in Men. die IV. Ianuarii Ode ϛ'. pag. 35. col. 2. B. Ὑμνῶ σε μόνη πανύμνητε, δοξάζω σε ἀεὶ Θεοδόξαστε, καὶ μακαρίζω σε, ἣν γενεαὶ μακαρίζουσι τῶν γενεῶν, παρθένε Θεομακάριστε.

e) *Theophanes* in Antholog. pag. 17. col. 2. D. et in Men. die VII. Septembris Ode ϛ'. pag. 51. col. 1. E. Ἀκάρπου ῥίζης ἐβλάστησας, καὶ πρόῤῥιζον κακίας τὴν ἄκανθαν τῷ ὑπὲρ φύσιν σου θείῳ βλαστῷ ἐκριπίσασα, Θεογεννῆτορ κόρη ἀειμακάριστε.

Digitized by Google

nitrix Virgo [1]) *semper beatificata.* » Quo titulo Deiparam passim exornant [2]) Anatolius, Theophanes [3]), Byzantius [4]) et [a]) Cosmas qui ait: « O Deo gratissima, quae divinum lumen edidisti, animam meam peccatis obtenebratam, quaeso, illumina, meque a sempiternis tenebris libera, ut te magnificem teque glorificem, *o semper beatificata.* » Accedit non uno in loco [b]) Iosephus scribens: « Generationes generationum *te semper beatificatam* [5]) nunc beatam celebrant; caelorum virtutes te extollunt ut quae inferna cum supernis copulaveris, o sola in mulieribus benedicta et lapsi Adami revocatio. » Accedunt et liturgica monimenta, in quibus [c]) haec vel hisce similia non infrequenter occurrunt: « Dignum est te vere laudare Deiparam *semper beatificatam*, et ab omni labe immunem, et matrem Dei nostri, Cherubim venerabiliorem et prae Seraphim incomparabiliter gloriosiorem.»

1457. Neque vero ab hac *perpetuae beatitudinis* praerogativa, qua numquam Deipara miseriae obnoxia fuerit, sciungi ullatenus potest *perpetua benedictio* qua *ipsam unam* prae universa Adami

a) Paraclit. pag. 342. col. 2. D. Φῶς ἡ τεκοῦσα τὸ θεῖον, θεοχαρίτωτε, τὴν σκοτισθεῖσαν ψυχήν μου ταῖς παραβάσεσι φώτισον, δέσμαι, καὶ σκότους αἰωνίου ἐλεύθερόν με δεῖξον, ὅπως σε μεγαλύνω καὶ δοξάζω, ἀειμακάριστε.

b) Men. die XXIII. Novembris Ode θ'. pag. 177. col. 1. C., Antholog. pag. 92. col. 1. A. et Paraclit. pag. 398. col. 2. A. Γενεαὶ γενεῶν σὲ τὴν ἀειμακάριστον τῶν μακαρίζουσιν· οὐρανῶν δυνάμεις ὡς τὰ κάτω τοῖς ἄνω συνάψασαν εὐφημοῦσι, μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, τοῦ πεσόντος Ἀδὰμ ἡ ἀνάκλησις.

c) Cf. Chrysostomi Missam in Euchолog. pag. 78. B. Ἄξιόν ἐστιν ὡς ἀληθῶς μακαρίζειν σὲ τὴν Θεοτόκον τὴν ἀειμακάριστον, καὶ παναμώμητον, καὶ μητέρα τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τὴν τιμιωτέραν τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν Σεραφίμ.

1) E re fuerit cum Philippo Buttmanno in sua grammatica, cui titulus *Ausführliche* griechische Sprachlehre T. I. §. 162. n. 5. pag. 401. memoria reputare I. *verbalia* in τέος et τός insita significatione, respondere participiis Latinorum in *tus*, atque adeo στρεπτέον valere *conversum*, ποιητόν *factum* et κατασκευαστέον *praeparatum*: tum vero II. usu obtinuisse ut eadem rei expressae *possibilitatem* notarent, aequipollerent adiectivis Latinorum in *ilis*, proindeque στρέπτον esset *versatile*, ὁρατόν *visibile*, et ἀκουστόν *quod audiri potest.*

2) Men. die II. Ianuarii Ode ε'. pag. 19. col. 1. C. Μακαρίζομέν σε τὴν ἀειμακάριστον καὶ μελῳδοῦμεν. *Beatificamus te semper beatificatam hymnisque extollimus.*

3) Men. die II. Novembris Ode ϛ'. pag. 16. col. 1. C. Ὑμνολογῶ σε, θεόνυμφε, τὴν ἀειμακάριστον. *Laudo te, o Dei sponsa, semper beatificatam.*

4) Men. die XVI. Ianuarii ad Vesp. pag. 125. col. 1. D. Ἵνα σε δοξάζω, καὶ πόθῳ ὑμνῶ καὶ προσκυνῶ καὶ μεγαλύνω σε, δέσποινα, τὴν ἀειμακάριστον. *Ut te glorificem, et cupide laudem et colam et magnificem, o Domina, te semper beatificatam.*

5) Quibus haec ex eodem respondent in Men. die XXXI. Iulii Ode α'. pag. 154. col. 2. C. Ὡς πανσέβα ἔμψυχον θεοῦ, καὶ θυμιατήριον τοῦ νοητοῦ καὶ φωτοφόρου ἄνθρακος, τὴν ἀειμακάριστον ὑμνήσωμεν θεοτόκον κραυγάζοντες· χαῖρε ἡ αἰτία τῆς σωτηρίου ἀναπλάσεως. *Uti animatum Dei thalamum, et thuribulum spiritalis ac lucriferi carbonis, celebramus Deiparam semper beatam clamantes: salve causa salutaris reformationis.*

Digitized by Google

posteritate quae *maledicto* obligata gignitur, divina bonitas locupletarit. Atque in christianis sane monimentis [a]) legimus: « Salve gratia plena, Deipara Virgo, portus et perfugium generis humani; ex te siquidem caro factus est mundi redemptor: *sola* namque es mater et virgo, *semper benedicta et glorificata*. Christum Deum exora, ut universo orbi pacem impertiat. » Tum [b]) legimus: « Terra sancta in qua Christus habitavit, petra vitae, porta lucis intelligibilis, mons vere non excisus, paradisus gloriae et aurea lucerna praemonstrata es, o immaculata Virgo *semper benedicta*. » Itemque [c]) legimus: « Quum Verbum carne indueris quod omnes benedictionibus coronavit, nos ab originali maledicto liberasti, o innocens *semper benedicta*, athletarum decus et peccantium expiatio. » Et [1]) ne singula memorem, rursum [d]) legimus: « Te veram Deiparam confitentes, tibi fideliter acclamamus angelicum ave; sola namque gaudium in terra peperisti, o gratia plena *semper benedicta*. »

1458. E qua *perpetua benedictione*, quae non successerit maledicto, sed quae nullum maledicto locum fecerit, repetendum est quod [2]) Emmanuel paleologus recensitis Deiparae ornamentis subdit: « Quid igitur ex his concluditur? Illum quem beata Virgo sine viro peperit, *coniunctum illi semper fuisse intime*. » Repetendum est

a) *Iohannes damascenus* in Anthолog. pag. 4. col. 5. C. et in Men. die I. Septembris ad Vesp. pag. 4. col. 5. C. Χαῖρε κεχαριτωμένη, Θεοτόκε παρθένε, λιμὴν καὶ προστασία τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων· ἐκ σοῦ γὰρ ἐσαρκώθη ὁ λυτρωτὴς τοῦ κόσμου· μόνη γὰρ ὑπάρχεις μήτηρ καὶ παρθένος, ἀεὶ εὐλογημένη καὶ δεδοξασμένη· πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ εἰρήνην δωρήσασθαι πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ.

b) *Ignatius* in Men. die XI. Septembris Ode ϑ'. pag. 85. col. 5. C. Γῆ ἁγία, ἐν ᾗ Χριστὸς ἐσκήνωσεν, ἡ πέτρα τῆς ζωῆς, πύλη φωτὸς τοῦ νοητοῦ, ἀλατόμητον ὄντως ὄρος, παράδεισος δόξης, καὶ λυχνία χρυσῆ προηγόρευσαι, ἄχραντε παρθένε ἀεὶ εὐλογημένη.

c) *Iosephus* in Men. die XXIII. Decembris Ode ϑ'. pag. 193. col. 1. D. et die XVII. Aprilis Ode γ'. pag. 68. col. 1. A. Κατάρας προγονικῆς ἡμᾶς ἠλευθέρωσας εὐλογίαις πάντας τὸν στεφανώσαντα λόγον σωματώσασα, ἁγνὴ ἀεὶ εὐλογημένη, τῶν ἀϑλοφόρων ἐγκαλλώπισμα, καὶ ἁμαρτανόντων ἐξίλασμα.

d) *Theophanes* in Men. die XV. Decembris Ode ϑ'. pag. 118. col. 1. D. Ἀληθῶς Θεοτόκον ὁμολογοῦντές σε, τοῦ ἀγγέλου τὸ χαῖρε πίστει βοῶμέν σοι· μόνη τὴν χαρὰν ἐπὶ γῆς γὰρ ἐκύησας, κεχαριτωμένη ἀεὶ εὐλογημένη.

1) Similia namque videri possunt apud Basilium pegoriotem in Men. die XXI. Novembris Ode ζ. pag. 158. col. 1. A.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 67. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

Digitized by Google

quod [a]) Coptorum ecclesia frequentat canens: « Quapropter omnes te exaltant, Domina mea Deipara, *omnique tempore pura.* » Repetendum est, quod Hermannus monachus [1]) enarrans [2]) Geneseos verba, *ut operaretur et custodiret illum*, ait: « Quod vero dicitur, *et custodiret eum*, expositione non indiget, quoniam et *prius* quam in beata Virgine incarnaretur, et *cum* in ea clausus fuit, et *postquam* ex ea natus est, *semper eam in omni sanctitate et munditia servavit.* » Repetendum est quod his verbis [3]) effertur:

» O Domina Deo cara, » Semper casta, semper pura,
» Stirpe decens et praeclara, » Semper Deo placitura,
» Sed meritis praeclarior » Numquam levis numquam vana,
» Moribusque nobilior. » Ac si esses non humana.

Repetendum est, quod [b]) Petrus siculus aliquot commemoratis Scripturarum testimoniis ad Virginem pertinentibus, subdit: « Sed enim [4]) *de perpetua filia*, proprie vereque gloriosa Deipara semperque virgine Maria, oratio aliquantum differatur. » Quemadmodum ergo Deiparam appellatam novimus [5]) τὴν Θεόπαιδα *Dei filiam*, et [6]) τὴν μόνην Θεόπαιδα *solam Dei filiam*; ita heic dictam audimus τὴν ἀείπαιδα *semper filiam* et numquam inimicam. Haec tandem [c]) repeti debent: « Sponsa et genitrix visa es omnium regis; tu nam-

a) Theotoch. pag. 55. B.

Ѳѳѣ ѳаі отопшѣеп, себісі ѥшо таѳоеіс ѳеоѳѳкос еѳотаѣ ѥсноѵ шѣеп ѧ.

b) Hist. manich. n. 6. pag. 9. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. IV. P. II. Ἀλλ' ὁ μὲν περὶ τῆς ἀείπαιδος κυρίως καὶ ἀληθῶς δεδοξασμένης Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας λόγος, μικρὸν ἀναμενάτω.

c) *Theodorus studita* in Men. die XXIX. Iulii Ode θ'. pag. 150. col. 1. D. Νύμφη καὶ γεννήτρια ὤφθης τοῦ τῶν ἁπάντων βασιλέως· σὺ γὰρ ἀπ' αἰῶνος ἐφάνης ἁγιωτέρα πάσης τῆς κτίσεως· καὶ διὰ σοῦ σωζόμενοι σὲ, Θεοτόκε, μεγαλύνομεν.

1) Tract. de incarnat. Domini cap. VIII. p. 390. col. 1. C-D. apud Gallandium T. XIV.

2) Gen. II. 8.

3) Apud Mone T. II. pag. 382.

4) Ne Petrus videatur bis idem frustra repetiisse, atque adeo inepte scripsisse, *de semper virgine proprie ac vere gloriosa Deipara et semper virgine Maria*, existimemus oportet nomine τῆς παιδός heic *virginem* non designari. Restat igitur ut illud sumatur vel *de puella virilem aetatem nondum assequuta*, vel *de filia*, quo filii filiaeque sensu ὁ, ἡ παῖς apud profanos iuxta ac sacros ecclesiasticosque scriptores crebro usurpatur. Hinc illud Hesychii, παῖς· πᾶς ὁ φύσει υἱός ὢν. Atque hinc N.T.loca (Matth. XII. 18., Actt. III. 13-26., IV. 27-30.), in quibus Christus Iesus ὁ παῖς τοῦ Θεοῦ, *Dei filius* nuncupatur. Sed prior *aetatis* significatio probari nequit, quum oppido falsum sit Deiparam esse ἀείπαιδα, neque ex ea aetate unquam excessisse quam τὸν παιδικὸν ἡλικίαν nominamus. Altera ergo seligatur necesse est, qua selecta patet Deiparam vocari ἀείπαιδα *semper filiam*, videlicet Dei.

5) Cf. nn. 1383. seqq.

6) Cf. nn. 1429. seqq.

Digitized by Google

que *a seculo apparuisti omni creatura sanctior*, et per te salvati, te, o Deipara, magnificamus. » Et ne cui anceps sit quo pertineat [1]) dictio ἀπ' αἰῶνος *a seculo*, is animum ad ea advertat quae [a]) subiicimus: « Visa es, o innocens, caelis sublimior *et Seraphim semper sanctior*, ut quae super naturam universorum Dominum regemque pepereris. »

1459. Quare possumus ac vero etiam debemus rationes ita subducere. Nemo est qui originis labe gignatur infectus, quique non antea degerit in tenebris quam in luce versaretur, non antea ariditate et siccitate squaluerit quam vigendo floreret, non antea addictus fuerit satanae quam Deo consecratus, non antea serpentis virus ebiberit quam vivifico Spiritus halitu recrearetur, non antea miser sordidusque iacuerit quam consortio divinae gloriae divinaeque felicitatis augeretur, non antea fuerit maledicto obnoxius quam superna benedictione locupletatus, et non antea exstiterit servus peccati et diaboli germen quam innocentia et adoptiva Dei filiatione niteret. Atqui praeclarissima veterum testificatione edocemur, I. Deiparam fuisse *stellam semper rutilantem, semper claram semperque fulgentem, semper in media luce sitam*, atque *lampadem semper lucidam:* II. haberi Deiparam oportere *ceu vitem semper virentem, ceu virgam semper floridam, ceu germen semper nitens, ceu lignum semper viride, ceu decus nostri generis semper florens, ceu paradisum semper vigentem et ceu florem aeternum:* III. non aliter existimandam esse Deiparam *ac fontem semper fluentem, et flumen semper aquarum vitam emittens:* IV. *Deiparam nondum natam auctori Deo fuisse consecratam, ipsi soli addictam, ipsi soli viventem, ante ipsius oculos semper manentem, cum ipso semper familiarissime versatam et sempiterno foedere cum ipso coniunctam:* V. *Spiritum sanctum adfuisse Deiparae omni tempore, et omnia ad Deiparam spectantia fuisse gratia plena:* VI. *fuisse Dei-*

a) *Iosephus* in Men. die XVI. Iulii Ode γ'. pag. 79. col. 2. D. Ὤφθης οὐρανῶν, ἁγνὴ, ὑψηλοτέρα, καὶ τῶν Σεραφὶμ ἀεὶ ἁγιωτέρα, ὡς τῶν ἁπάντων δεσπότην καὶ βασιλέα ἀπερφυῶς κυοφορήσασα.

1) Ex sese nihil prorsus impedit, quominus dictio ἀπ' αἰῶνος reddatur *ab aeterno*. Significatio namque aeternitatis voci αἰών inest ex etymologia ἀεὶ εἶναι: atque inest ex usu, ut ostendunt exempla Actt. XV. 18. γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ephes. III. 9. τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν Θεῷ, et Ephes. III. 11. κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων.

Digitized by Google

param semper glorificatam, semper magnificatam et semper beatificatam: ac tandem VII. *fuisse Deiparam semper benedictam, semper cum Deo cohaerentem, semper in omni sanctitate servatam, semperque filiam.* Manifestum igitur est ac prorsus evidens, opposita quaeque facilius posse componi, quam Deipara possit ex traditione maiorum infecta originis macula existimari.

1460. Praesertim quum I. eadem vocetur *a seculo omni creatura sanctior, et semper Seraphim sanctior.* Praesertim quum II. in omnibus propemodum ecclesiasticis Graecorum [a]) libris de ipsa dicatur: « Isaias, o Virgo, mentis puritate e longinquo praenunciavit, te, o veneranda innocentissima, in lucem edituram creaturae auctorem; *tu namque* [1]) *sola a seculo visa es penitus immaculata.* » Quod immutatis nonnihil verbis alibi [b]) recurrit: « Omnes terrae fines, o Virgo Dei genitrix, tuo partu illuminas; *tu siquidem sola a seculo expiata apparuisti,* iustitiae solem possidens. » Praesertim quum III. haec de Virgine [c]) frequententur: « *Tota,* o puella, *tota* es pulcra, *tota* lucida et lucifera, Deumque ferens, *tota unica* et splendida. » Et [d]) rursum: « Naevus in pulcritudine tua *penitus* non est; tu namque *sola a seculo,* o innocentissima, omni ex parte

a) Men. die IV. Novembris ad Vesp. pag. 26. col. 1. D., die XXVI. ad Vesp. pag. 195. col. 1. C., Pentecost. pag. 188. col. 1. B., et Paraclit. pagg. 269. col. 2. C. 294. col. 2. C. Νοὸς καθαρότητι ὁ Ἡσαΐας, παρθένε, πόρρωθεν προέφησε σοφὴν τῆς κτίσεως τεχομένην σε, ὦ σεμνὴ πάναγνε· σὺ γὰρ ὄφθης μόνη ἐξ αἰῶνος παναμώμητος.

b) *Iohannes damascenus* in Men. die XVIII. Ianuarii Ode ϛ'. pag. 143. col. 1. D. Φωτίζεις τῷ τοκετῷ σου πάντα τὰ πέρατα, θεογεννῆτος παρθένε· σὺ γὰρ μόνη ὄφθης καθαρμένη ἀπ' αἰῶνος, δικαιοσύνης ἥλιον ἔχουσα.

c) *Philotheus* in Men. die XIII. Iulii Ode η'. pag. 69. col. 1. D. Ὅλη, κόρη, ὅλη εἶ καλή, ὅλη φωτοειδὴς καὶ φωσφόρος, ὅλη μόνη καὶ λαμπρά.

d) *Theophanes* in Men. die VIII. Augusti Ode η'. pag. 52. col. 1. D. Μῶμος ἐν τῷ κάλλει σου ὅλως οὐκ ἔστι· σὺ γὰρ μόνη πανάχραντος ὄφθης ἐξ αἰῶνος, πάναγνε.

1) Equidem mihi ne in mentem quidem venit reperiri aliquem posse, qui ingeminatas de Virgine sententias, *eam fuisse semper lucidam, semper benedictam, semper sanctam,* ita accipiendas esse opinetur, Deiparam fuisse *semper lucidam, sed post tenebras,* fuisse *semper benedictam, sed post maledictum,* et fuisse *semper sanctam, sed post peccatum.* Praeterquam enim quod I. eiusmodi interpretatio penitus dissidet ab insita particulae *semper,* ἀεί, virtute, quae virtus est numquam abruptae interpellataeque continuationis: et II. penitus abhorret a recepto loquendi usu, qui non sinit ut absolute simpliciterque dicatur vel *semper liber qui aliquando servierit,* vel *semper dives qui aliquando cum inopia contenderit,* vel *semper nobilis qui ad quintam plebis classem aliquando spectarit;* nullatenus III. cum adiectivo *sola,* μόνη cohaereret, quod tum additur, cum Virgini defertur, *quod sola a seculo et semper fuerit immaculatissima.* Innumeri siquidem fuerunt et sunt, qui purgati semel originis macula, nullas deinde labes contraxerunt.

Digitized by Google

inviolata apparuisti. » Quibus haec [a]) consona sunt: « Salve aurum purum, *et malitiae rugam* [f]) *nusquam referens*. » Atque haec item [b]) quibus perhibetur: « *Sola tota* facta domicilium totius gratiae sanctissimi Spiritus. » Praesertim quum IV. de Virgine haec [c]) atque hisce similia legantur: « Videns olim legislator rubum ab igne non conbustum, typum novit partus tui, o Dei genitrix *sola semper benedicta*. » Quae cum his [d]) cohaerent: « O puella virgo mater, porta lucis luce tua eos illumina qui ad te accurrunt; tu namque es spes et praesidium, *sola sanctissima semper benedicta*. » A quibus [e]) haec seiungi nequeunt: « Salve *flumen semper vivens incorruptionis*, salve *nebula tota lucida* solis, salve currus totius divinitatis, salve arca sanctificationis. »

1461. Itaque non modo Deiparae suffragio maiorum tribuitur, quod *semper fuerit benedicta, semper sancta, semperque gloriosa;* verum etiam *simul* atque *coniunctim* eidem defertur nunc quidem quod *sola a seculo* fuerit penitus immaculata, nunc vero quod eo usque *tota* fuerit pulcra, ut eius pulcritudo quovis *penitus* naevo caruerit, malitiaeque rugam *nusquam* receperit, nunc tandem quod *sola tota* totius gratiae domicilium effecta, *semper* fuerit omni ex parte sancta, *semper* lucida, *semperque* benedicta. Atqui vel haec copulatio satis est, ut Virgo cuiusvis semper exsors labis videatur, vel nihil satis est, nihilque ad ostendendas eiusdem origines immaculatas accommodatum. Reliquum est igitur ut cum auctore

a) *Iohannes damascenus* orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 856. A. Χαῖρε χρυσίον καθαρὸν, καὶ μηδαμοῦ ῥυτίδα κακίας φέρουσα.

b) *Ephraemus* orat. ad Deiparam pag. 524. B. opp. graec. T. III. Ἡ μόνη κατοικητήριον ὅλη γενομένη τῆς ὅλης χάριτος τοῦ παναγίου πνεύματος.

c) *Cosmas monachus* in Paraclit. pag. 213. col. 1. C. Φλόγα τὴν βάτον πάλαι μὴ πυρπολοῦσαν βλέπων ὁ νομοθέτης, ἐδιδάσκετο τὸν τύπον τοῦ τόκου σου, Θεοκυῆτορ μόνη ἀεὶ εὐλογημένη.

d) *Iosephus* in Paraclit. pag. 232. col. 2. E. Πύλη τοῦ φωτὸς, παρθενομῆτορ κόρη, φωτί σου καταύγασον τοὺς σοὶ προστρέχοντας· σὺ γὰρ ὑπάρχεις ἐλπὶς καὶ προστασία, μόνη παναγία ἀεὶ εὐλογημένη.

e) Antholog. in acoluth. anonym. pag. 71. col. 2. B. Χαῖρε τὸ ἀείζωον ῥεῖθρον τῆς ἀφθαρσίας, χαῖρε ἡ ὁλόφωτος τοῦ ἡλίου νηφάλη, χαῖρε ὄχημα τῆς θεότητος ὅλης, χαῖρε κιβωτὲ τοῦ ἁγιάσματος.

f) Μηδαμοῦ, οὐδαμοῦ, *nusquam*, *nullo in loco*. Nullo igitur in loco Deipara malitiae labem praetulit. Praetulisset autem in sinu materno, si fuisset in peccato concepta.

Digitized by Google

coronae beatae Virginis sic eam [1]) compellemus: « Tuis meritis confunditur diabolus, evacuatur tartarus, illustratur mundus, tripudiat angelus, repletur paradisus. In tuo sancto pectore residet Dei sapientia, in ventre tuae matris gratia fuisti repleta. Nulla sorde umquam polluta, nullo contagio maculata. » Ac rursum compellemus [2]) his verbis:

» Sancta Maria nobilis puerpera,
» Mater sine macula
» Quae lavantem maculam seculi
» Genuisti, ora.

» Ave vas sinceritatis,
» Lux lucens in tenebris,
» Ave stella claritatis,
» Luna sine nebulis;

» Ave decus sanctitatis;
» Virgo venerabilis,
» Ave nympha venustatis
» Honor nostri generis.

» Ave quam ante seculum
» Sibi in habitaculum
» Providit Dei filius,
» Mundo per te propitius.

» Ave Virgo quae gustasti
» Quam sit dulcis, quem gestasti,
» Beata spes quae perfecit,
» Quam tam sanctam Deus fecit.

» Salvatoris mater pia,
» Mundi huius spes, Maria,
» Ave plena gratia.

» Inter spinas flos fuisti,
» Sic flos flori placuisti
» Pietatis gratia.

CAPUT VI.

De eo argumenti genere, quo effectibus negatis caussa cum illis intime atque necessario cohaerens vicissim negatur: Deipara ex traditione maiorum ab iis libera fuit penitusque soluta, quae totidem veluti effectus ab originali praevaricatione tamquam a caussa dimanant: recensentur, propriisque articulis comprehenduntur: hinc tam ex singulis quam ex omnium summa colligitur, doctrinam de immaculato Deiparae conceptu splendidissima maiorum traditione comprobari.

1462. Inter genera argumentorum quae in omnibus disciplinis recepta sunt, quaeque insito pretio *decretoria* existimantur, illud etiam obtinet, quo ex effectibus qui adsint vel qui contra

1) De corona Virginis cap. XX. pag. 625. in collect. pp. tolet. T. I.

2) Apud Mone T. II. pagg. 235-262-284-317.

Digitized by Google

desint, existentia et caussae operatio statuitur aut negatur. Utuntur hoc argumenti genere physici, utuntur astronomi, atque ii utuntur omnes qui cum de factis sermo est, non hypothesibus serviunt, sed mentis iudicia ad illius principii normam exigunt, quod *principium caussalitatis*, vel etiam paullo latius, *rationis sufficientis principium* appellant. Immo quod nobis multo potius videri debet atque opportunius, sapientissimi patres iidemque nobilissimi vindices dogmatis de propagata originis culpa in universam Adami sobolem, in huius argumenti usu ita versantur, ut illud [1]) crebro adhibeant passimque frequentent. Quod ex iis sane luculentissimum est, quae contra caelestianos et pelagianos Augustinus disseruit, quaeque [2]) magna ex parte eo spectant, ut ex effectibus primae transgressionis qui in Adami posteritate semet produnt, eadem infecta originali praevaricatione comprobetur. Neque minus ex iis luculenter innotescit, quae vel post Augustinum [3]) litteris consignarunt Gelasius romanus pontifex, patres africani in Sardinia exsules, et synodus II. arausicana, vel ante Augustinum [4]) unanimes tradiderant Irenaeus, Methodius, Macarius senior, Athanasius, Basilius, Gregorius nazianzenus, et ex Latinis Tertullianus, Cyprianus, Reticius augustodunensis, Hilarius pictaviensis et Ambrosius. Haec enim ne perfunctorie quidem obiterque legi possunt quin continuo deprehendatur, nervos catholicae defensionis ad hanc prope summam redire: *quicumque ex Adamo gignuntur, iidem morti ac dissolutioni obnoxii sunt, doloribus anguntur, ignorantia caecutiunt, cupiditate torquentur, seque mendacio deciperent nisi Deum his verbis exorarent, dimitte nobis debita nostra. Quicumque igitur ex Adamo geniti in lucem veniunt, iidem paternae transgressionis culpa vitiati nascuntur.*

1463. Et ratio profecto aderat eaque gravissima, cur his veluti lineis in asserendo catholico dogmate prisci doctores insisterent. Has enim lineas duxerat Paulus, eoque duxerat loco quo plenius dataque opera fidem de universali propagatione originalis transgres-

1) Cf. Bossueti opus inscriptum; *Defense de la Tradition et des saints Pères*, lib. VIII. capp. II. seqq.

2) Con. duas pelag. epistt. lib. II. cap. II., lib. IV. cap. IV., con. Iulian. lib. I. cap. XXXI., lib. II. capp. CXVIII-CXX-CXXXI-CXXXVIII. et lib. II. de peccato orig. cap. XI.

3) Gelasius in epist. ad episcopos per Picenum data anno CCCCXCIII., episcopi in Sardinia exsules in lib. de incarnat. et grat. cap. XIV., quo Scythiae monachis responderunt anno DXX. et synodus arausicana II. habita anno DXXIX. can. II.

4) Horum omnium testimonia accurate prae ceteris referunt Gerardus Vossius in hist. pelag. lib. II. part. I. thes. VI. et Bernardus de Rubeis in tract. de peccat. orig. capp. XXI. seqq.

Digitized by Google

sionis exponit ac tuetur. Ecquid enim hisce [a]) splendidius, *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et* [1]) *per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt?* Ubi mors et peccatum *caussali nexu* ita iunguntur, ut *peccatum* instar caussae, *mors* [2]) vero effectus instar exhibeatur. Quid hisce rursum [b]) manifestius? *Sed regnavit* [3]) *mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt* [4]) *in similitudinem praevaricationis Adae.* Ubi ex regno universali mortis, universalis peccati propagatio stabilitur.

1464. Itaque rei natura, catholicorum patrum disserendi ratio, ipsaque Apostoli auctoritas efficiunt, nihil desiderari posse hac deducendi forma validius, nihilque evidentius: *originalis transgressio certis se prodit indiciis et numquam a certis separatur effectis. Haec igitur si adsint, si extent, si emineant, de existentia deque labe originalis corruptelae dubium esse non poterit.* Quid porro si forte in aliquo desint, ac semet nuspiam prodant ac manifestent? Argumentum habebitur quavis exceptione maius, consortium originalis transgressionis ad ipsum nullatenus pertinere. Quod quidem argumentum in praesentia usurpabimus, illudque distinctis articulis ita expoliemus ut nobis tandem concludere hoc pacto liceat. *Rei natura, maiorum doctrina et explorata Apostoli auctoritas omnino flagitant, ne is originalis praevaricationis particeps habeatur, in quo necessarii eiusdem constantesque effectus nusquam comparent. Atqui capitibus christianae traditionis istud etiam connumerari debet, Deiparam ab effectis fuisse immunem, quae cum originali praevaricatione devincta illam ubivis comitantur ac veluti signa demonstrant. Capitibus ergo christianae traditionis istud etiam accenseatur oportet, nulla unquam paternae transgressionis labe Deiparam fuisse vitiatam.*

a) Rom. V. 12. Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

b) Ibid. v. 14. Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ.

1) Quum διά *per* sit particula *caussalis*, ipsa verborum structura ostendit, propagationem *peccati* veluti caussam transfusae *mortis* haberi.

2) *Mortis* nomine heic venire *mortem physicam et corporis*, persuadent *distinctio* mortis a peccato, orationis *series* atque contextus v. 14. et insignis locus *parallelus* I. Cor. XV. 21. seq.

3) Tam heic, quam I. Cor. XV. 26. insignis est prosopopoeia, qua *mors* spectanda depingitur.

4) Praepositio *ἐπί* sumitur *de norma*, adeoque *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι* apte redditur *secundum similitudinem*, *vel ad similitudinem*.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De incorrupto Virginis corpore: huius facti argumenta, atque illud inprimis quod ex assumpta in carne Virgine, festoque assumptionis repetitur: illud deinde quod apertis maiorum suffragiis coalescit: eruitur praerogativa Virginis, qua exsors fuit latae in Adami prolem sententiae, pulvis es et in pulverem reverteris: promuntur quae de huius praerogativae caussis maiores tradiderunt, eaque prae ceteris commemorantur quae Virginem nesciam originalis transgressionis ostendunt: his accedunt quae de eiusdem morte inculcata reperimus, quaeque Deiparae origines immaculatas praeseferunt.

1465. Quum plurima sint quae mortiferum originalis transgressionis virus oculis prope subiiciunt, horrificum illud est quod humani corporis sanie et in nativum pulverem resolutione continetur. Lata namque divinitus in auctorem originalis praevaricationis [1]) sententia, *pulvis es, et in pulverem reverteris*, universam complectitur infectam posteritatem, neminem praeterit, suasque tabificas vires in omnes exercet. Una tamen perhibetur Virgo quae evaserit, una quae corruptionis ignominiam non subierit, et una quae carnis in sepulcro dissolutionem non persenserit. Cuius eximiae singularisque immunitatis illud inprimis argumentum est, quod christianae antiquitatis persuasio de assumpta in corpore Virgine luculentissimum praebet. Neminem fugit innumeros propemodum exstitisse qui de hoc facto splendide disseruerint: sed neminem pariter fugit hos inter tum eruditione tum nominis claritate reliquis non minimum praecellere [2]) Petrum Canisium, Caesarem Baronium [3]), Mabillonium [4]), Ruinartium [5]), Martenium [6]), Asemanum [7]), Strozium [8]), Muratorium [9]), Trombellium [10]) et [11]) Benedi-

1) Gen. II. 19.

2) De Deipara lib. V. C. V. cum quo confer quae in dypt. marianis Part. II. punct. habet Theophilus Raynaudus opp. T. VII.

3) In notis ad Martyrolog. die XV. Augusti.

4) De Liturg. gallic. lib. II. pagg. 118. 119., praefat. ad Sacrament. gallic. pag. 278. et in notis ad idem Sacrament. pag. 297. T. I. Mus. italic.

5) In notis ad Gregorii turonensis de gloria martyrum lib. I. capp. IV-IX. pagg. 734-730. Adde Antonii Beaugendre adnotationem ad serm. I. in festo assumpt. Deiparae, auctore Hildeberto cenomanensi p. 523.

6) De antiquis monach. ritibus lib. IV. cap. I. pagg. 539-554-565. et cap. VII. pag. 617. Itemque de antiq. eccles. disciplina in div. celebr. officiis cap. XXXIII. pagg. 577-578.

7) Kalend. eccles. univ. ad diem XV. Augusti pagg. 527-528. T. VI.

8) In opere italice conscripto, et cui titulus est, *L'assunzione al cielo della madre di Dio dimostrata secondo il sentimento di santa chiesa.*

9) Dissert. de rebus liturg. cap. V. pagg. 58-59. Liturg. rom. T. I.

10) In vita Deiparae diss. XLV. pagg. 305. seqq. T. IV.

11) De festis lib. II. cap. VIII. pagg. 489. seqq. opp. T. X. Quibus omnibus merito suo adduntur Adrianus Baillet in vitis sanctorum ad diem XV. Augusti,

ctum decimum-quartum. Qui quidem omnes pro ea qua pollebant eruditione nihil non excussum reliquerunt, ut uberiorem quam possent splendidioremque testium copiam in lucem proferrent. Neque votis impensisque studiis exitus defuit isque secundissimus, quum in ipsorum libris de assumpta in corpore Virgine testes legantur [1]) ex Graecis quidem [2]) Modestus hierosolymitanus, Andreas cretensis [3]), Germanus constantinopolitanus [4]), Iohannes damascenus [5]), Leo cognomento sapiens [6]), Metaphrastes [7]), Iohan-

Petrus Lambecius in diario sacri iteneris cellensis, et denuo novis curis in comm. de biblioth. caesarea lib. VIII. pagg. 132. seqq. et Antonius Morcellius in comm. kalend. constantinopolit. ad diem XV. Augusti, qui de titulo festi loquens, ait pag. 196: « Antiquissimus festi huius titulus est ἡ κοίμησις τῆς παναγίας Θεοτόκου, quem Latini quoque imitati sunt. Nam Sergius pontifex maximus ante annum DCC. ut in libro pontificali legimus, *constituit ut diebus adnunciationis Domini, dormitionis et nativitatis sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae ac sancti Simeonis, quod Ypapanti Graeci appellant, litaniae exeant e sancto Hadriano, et ad sanctam Mariam populus accurrat.* Tum in martyrologiis Bedae, Adonis, Usuardi et in aliis item *(Vide Sollier. in Usuard. ad hunc diem, item Geory. in Adon. pag. 407.)*, festum enunciatur *sanctae Mariae dormitio;* vel ut in kalendariis Allatii et Frontonis, *sollemnia de pausatione sanctae Mariae.* Nec tamen recentes appellationes sunt μετάστασις apud Graecos, *adsumptio* apud Latinos: antiqua immo est utraque non minus, quam κοίμησις et *dormitio.* In Menologio basiliano quum lemma sit ἡ κοίμησις τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, in ellogio scriptum est, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς προσλαβεῖν αὐδόκησε τὴν ἑαυτοῦ μητέρα, δι' ἀγγέλου αὐτῇ τὴν αὐτῆς μετάστασιν κατημήνυσεν. *Quum placuisset Deo genitricem suam ad se adsumere, ipsi per angelum translationem eius adnunciavit.* Ado autem et Usuardus qui hodie habent, *sanctae Mariae dormitio*, pridie huius diei vigiliam sic indicant, *vigilia adsumptionis sanctae Mariae.* Atque hanc vocem et sacramentaria vetera et pleraque martyrologia usurpant, quae cuique recognoscere licet. In quibusdam vero binas esse solemnitates reperias, ut mortis quidem memoria agatur die XVIII. mensis Ianuarii, adsumptionis hoc die. Iude porro quid Latinis esset *adsumptio*, satis apparet; nec dubium, idem fuisse quod Graecorum μετάστασιν. At rem melius sollemnes ecclesiae precationes et patrum scripta declarant. » Quod mox allatis testimoniis evincit.

1) Trombellius diss. cit. q. I. cap. I. n. 3. scribit: « Antiquissimum ac locupletissimum huiusce mysterii testem profert synodus hierosolymitana, praeside Dositheo Hierosolymorum patriarcha, adversus calvinistas an. MDCLXXII. celebrata, Cyrillum scilicet alexandrinum in hom. *de dormit. Virginis* haec proferentem. » Tum adductis Cyrilli verbis, subdit: « Porro Cyrillum alexandrinum Cave ad an. CCCCXII. refert. » Ac tandem n. 4. infert: « Si hunc Cyrilli locum novisset vir. cl. Florentinius non tantum operae impendisset, ut faventem corporeae Virginis assumptioni opinionem a chalcedonensi concilio, quod ut norunt omnes an. CCCCLI. celebratum est, repeteret. » Atqui operam non perdidit Florentinius, quum homilia de dormitione Deiparae in hierosolymitana synodo laudata auctorem habeat non veterem Cyrillum Theophili successorem, lumen ephesini concilii et nobilissimum τῆς Θεοτόκου assertorem, sed Cyrillum multo recentiorem, cognomento Lucaris, schismaticum, quique seculo XVII. vixit. Cf. Harduinum concil. T. XI. pagg. 187-190., Kimmel in Proleg. ad monumenta fidei eccles. orientalis, ipsaque gesta synodi hierosolymitanae, in quibus cap. I. pag. 341. praemittitur, ἐκλογαί τινες ἐκβληθεῖσαι ἐκ τῶν Κυρίλλου ὁμιλιῶν, ἃς ἐπὶ τῇ κοιμήσει τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ἐνώπιον τοῦ κλήρου καὶ τοῦ λαοῦ αὐτὸς Κύριλλος τῷ ἰδίῳ στόματι ἔλεξε; tum p. 268. dicitur, ἐκ τῆς εἰς τὴν κοίμησιν τῆς Θεοτόκου ὁμιλίας: ac tandem pag. 356., ea promuntur quae Trombellius veteri alexandrino Cyrillo tribuenda esse existimavit.

2) Hom. in Deiparae dormit. cuius meminit Photius cod. CCCLXXVI., quam Romae an. MDCCLX. edidit Angelus Giacomellus, quaeque incipit: Ἅφατος ἡ παντέρπος γνῶσις τῶν σεπτῶν.

3) Oratt. tres in Deiparae dormit. quarum prior incipit, Ὅσοι τὸ σεπτὸν τοῦτο: altera, Μυστήριον ἡ παρουσία πανήγυρις: et tertia, Καλεῖ πάλιν ἡμᾶς τὸ συνεχές; apud Combefisium in edit. Andreae cretensis pagg. 115-131-143. His quarta addatur ex cod. bavarico CXLVI. cuius initium est, Οἱ τὸν ἐν πνεύματι θεωρίαν τῷ αὐτῷ.

4) Orationes duae in Deiparae dormit. apud Combefis. Auctar. T. I. quarum exordium est, Ὁ χρυσοῦν πάντοτε τὸν ἴδιον. Et, Παυσάσθωσαν τῶν αἱρετικῶν αἱ ἀμαθεῖς.

5) Oratt. tres in Deiparae dormit. apud Lequienium opp. T. II. Prioris initium est, Ἔστιν μὲν ἀνθρώπων οὐδείς. Alterius est, Μνήμη δικαίων μετ' ἐγκωμίων. Et postremae, Ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐρωτικοῖς.

6) Orat. in Deiparam dormit. quae incipit. Μητρὸς θεοῦ ἑορτὴν τιμῶμεν. Apud Combefis. Auctar. T. I. pagg. 1733. seqq.

7) Orat. in Deiparae dormit. apud Fabricium

Digitized by Google

nes Geometra [1]), Iohannes euchaitarum antistes [2]), Callistus patriarcha constantinopolitanus [3]), Manuel Paleologus [4]) et [5]) Isidorus thessalonicensis; ex Latinis vero [6]) Gregorius turonensis, vulgati [7]) Sophronius et [8]) Hildephonsus toletanus, Autbertus [9]), synodus moguntina [10]) celebrata anno DCCCXIII., annales bertiniani [11]), Paschalis I. et Leo IV. [12]), sanctus Odilo [13]), Hildebertus cenomanensis [14]), Fulbertus carnotensis [15]), Petrus Damiani [16]), Pseudo-Augustinus [17]), Bernardus [18]), Hugo victorinus [19]), Petrus blesensis [20]), Sicardus cremonensis [21]), et ne recentiores appellem [22]), Bartholomaeus tridentinus.

1466. Qua sane testium copia sicuti difficile admodum est non commoveri, ita pronum est ac plane dixerim necessarium eidem adquiescere. Praesertim quum christianae antiquitatis persuasio ac sententia non eorum dumtaxat suffragio communiatur, quorum illustria nomina memoravimus, et quibus merito adiiciuntur [23]) Theodorus studita, Hincmarus rhemensis [24]) et [25]) Atto vercellensis, sed festo praeterea comprobetur, quod ab antiquissimis usque temporibus ad recolendum mysterium assumptae in corpore Virginis celebratum scimus. De eo namque festo praeclare sermones testantur, quorum prolixum satis catalogum texuimus. Testantur Kalendaria,

biblioth. graec. lib. V. cap. XXXIX. pag. 284. T. X. Orditur his verbis, Οἱ κατὰ καιρὸν Πανηγυριστῆς.

1) Orat. in Deiparae dormit. apud Fabricium l. c. pag. 283. al. pag. 117. T. IX. Initium est, Θαμβεῖν μὲν τὸν λόγον εἰς ὀλίγον.

2) Orat. in Deiparae dormit. ibidem. Incipit, Ἐπὶ τὴν μητέρα τοῦ λόγου καὶ τὸν λόγον ὁ λόγος.

3) Orat. in Deiparae dormit. in cod. caesar. CXI. n. 13. et apud Lambecium IV. p. 137. Exordium est, Μέγα καὶ παράδοξον.

4) Orat. in Deiparae dormit. apud Fabricium l. c. pag. 284. Incipit, Ὦ θεοῦ μῆτερ, καλὸν γαῖρ εἶμαι.

5) Orat. in Deiparae dormit. apud Fabricium l. c. pag. 283. Initium est, Εἰ δὲ οὐρανοῦ κάλλους καὶ αὐγὴν ἡλίου.

6) De gloria martyrum lib. I. capp. IV-IX.

7) De assumpt. ad Paulam et Eustochium inter opp. Hieronymi T. XI.

8) De assumpt. serm. VI.

9) Orat. de Deiparae assumpt. in actis sanctorum Benedict. Sec. III. P. II. pag. 241. edit. Venet.

10) Capit. XXXVI. in T. IX. Concil. pag. 337. edit. Coleti.

11) In Actis ss. Benedict. Sec. IV. P. II. pagg. 232-233.

12) Penes Anastasium bibliothecarium in vitis utriusque.

13) Orat. de Mariae assumptione.

14) Serm. I. in fest. assumpt.

15) Serm. II. De Virginis nativit. «Credit christiana pietas, quia Christus Deus, Dei filius matrem suam gloriose resuscitaverit et exaltaverit super caelos.»

16) Orat. in Deiparae assumpt.

17) Lib. de assumpt. inter opp. Augustini T. VI.

18) Serm. I. de assumpt. nn. 1-4. et serm. IV. n. 1.

19) Lib. III. erudit. theolog. ex miscell. secundi codicis cap. CXXV.

20) Serm. XXVIII. de assumpt.

21) Mitral. lib. IX. de festiv. sanct. de assumpt. Mariae.

22) Vitae et act. ss. per an. circ. cap. XCVIII.

23) Orat. VI. in Deiparae dormit. pagg. 54. seqq. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III.

24) Carm. dogmatic. ad b. Virginem Mariam vv. 85-90. pag. 456. apud Mai classic. scriptt. T. V.

25) Serm. XVII. in assumpt. beatae Dei genitricis, pagg. 38. seqq. apud Mai scriptt. vett. T. VI. P. II. Ceterum de Attone huius sermonis parente conferri debent quae notat em. editor in praefat. §§. XVII. seqq., quaeque habentur in diatriba de Attonibus ex auctore anonymo seculi XVIII. pagg. 129. seqq.

Digitized by Google

Martyrologia, Menologia, evangeliorum Capitularia, receptaque in Oriente atque in Occidente ecclesiastica Officia, quae quum numero et antiquitate [1]) commendentur, non sinunt ut festum assumptae Deiparae [2]) recentius seculo VI. videatur. Ne autem hoc festo secundissimus potius obitus quam assumptio in carne celebrata existimetur, omnino flagitant tum quae innuimus monimenta, tum discrimen festi assumptionis a festo dormitionis, quod in plerisque ecclesiis [3]) observatum accepimus. Testantur postremo monimenta liturgica, cuiusmodi potissimum sunt [4]) Sacramentaria gelasianum, gregorianum, gallicanum, gothicum et mozarabicum, in quibus non Missa solum habetur de assumpta in caelum Deipara, sed eae insuper adhibentur preces, eaque recitantur quae ipsam in carne sublimatam manifestissime ostendunt.

1467. Fuit ergo cur Hildebertus cenomanensis [5]) scriberet: « Hodie beata Virgo et animae beatitudinem et glorificationem corporis est adepta, quod ne cui veniat in dubium auctoritatibus [6]) adstruamus. Hodierna clamat [7]) oratio, *nec tamen mortis nexibus*

1) Haec magno numero collegerunt Ioh. Baptista Sollerius in notis et auctariis ad Martyrologium Usuardi die XV. Augusti pagg. 468. seqq. T. VII. Iunii, et Franciscus Vezzosius in praefat. ad T. VI. opp. Card. Thomasii §. VIII. pagg. XXII. seqq. Placet heic subnectere Wandelberti versiculos:

« Octava et decima, mundi lux flosque Maria,
» Angelico comitata choro petit aethera Virgo.

2) Quod quum negasset Basnagius, et primordia festi assumptionis ad seculum X. revocasset, omnium fastidio exceptus fuit et a Muratorio in diss. de rebus liturg. pagg. 58. seqq. diligenter refutatus.

3) Testimonia quae hoc splendide confirmant, prae ceteris dabit Strozzius in op. cit. cap. XII. pagg. 80. seqq., qui et illud efficit, penes Aethiopes atque Coptos ab antiquissimis usque temporibus obtinuisse, ut festum dormitionis die XXI. Ianuarii, festum vero assumptionis die XV. Augusti ageretur.

4) De hisce monimentis conferendus est Trombellius diss. cit. pagg. 338. seqq. et 354. seqq., qui illa in medium promit ac sedulo expendit.

5) Serm. I. in Deiparae assumpt. pagg. 527. E. et 528. A-C.

6) Persuasio igitur maiorum de assumpta in carne Deipara non ea fuit, quae monimentis apocryphis niteretur, cuiusmodi est narratio Iohanni apostolo tributa, quae incipit Τῆς ἁγίας ἐνδόξου Θεοτόκου, et de qua accurate egerunt Lambecius in itinere Cellensi et Fabricius in codice apocrypho novi testamenti. Hinc Autberti verba in sermone de Assumptione, quem habuit seculo VIII: « Pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra invenitur, nec adsumptio eius cum carne, *ut in apocrypha legitur, in catholica recipitur historia*. Quibus dicendum est, quia si Moysis corpus ab homine non invenitur in terris, cum quo loquutus est Deus facie ad faciem; illius quaerere dementia est, per quam idem maiestatis Deus incarnatus effulsit in terris. Neque enim dignum est de corporis eius notitia sollicitum quempiam esse, *quam non dubitat* super angelos elevatam cum Christo regnare. Sufficere debet tantum notitiae humanae, hanc vere fateri reginam angelorum, pro eo quod regem peperit angelorum. » Eccui igitur valido stabilique fundamento maiorum persuasio innitebatur? Innitebatur solemnibus ecclesiae precibus, innitebatur praedicationi tot sermonibus expressae, quibus et ille addi potest quem Nicephorus H. E. lib. XV. cap. XIV. Iuvenali hierosolymitano tribuit, innitebatur ecclesiasticis Scripturarum accommodationibus, innitebatur ductis ex eodem fonte consectariis, innitebatur praeclarae analogiae et inductioni, innitebatur eximiis Deiparae praerogativis, innitebatur praestantissimae eiusdem formae quae maiorum mentes occupaverat, atque adeo innitebatur penitissimae coniunctioni qua Θεοτόκος cum Σταυρῷ cohaeret.

7) Habetur in omnibus codicibus Sacramentarii gregoriani ad XV. diem mensis Augusti, describitur a Muratorio T. II. liturg. rom. pag. 114., et eruditorum consensione tribuitur vel ipsi Gregorio vel Leoni. Ad eamdem vero precem, tamquam ad munitissimum propugnaculum, se quoque recipit Petrus blesensis serm. XXVIII. de assumptione.

Digitized by Google

deprimi potuit. Eamdem etiam ad imitationem angelorum in ascensione Domini [1]) dicentium, *quis est iste qui ascendit de Edom?* Fuit etiam [2]) prophetice praedicta de ascensu Virginis: *quae est ista quae ascendit velut aurora coruscans, pulcra ut luna, electa ut sol?* Non solet in Scriptura pulcritudo solis et lunae nisi corporibus propric aptari. Inde etiam scriptum est, fecundae Virginis caelum amplectitur praesentiam, cum mater mediatoris venit. Et [3]) illud; *elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo*. Illud autem davidicum [4]) quomodo implebitur, *adducentur regi virgines post eam*, si usque ad communem adductionem [5]) dilata est adduci? Adhuc probabili inductione exempli idipsum probari potest: vir et uxor duo sunt in carne una. Expressius autem mater et filius una sunt caro. Sane sunt sancti patres qui Spiritu sancto dictante decreta promulgarunt, ius in coniugibus sanxerunt, quod si alter deserens seculum adhaereat Deo, alter non remaneat in seculo. Unius enim carnes tam violenter distrahi ius non esse visum est eis. Sic et in ceteris videri debet, si pars altera carnis virgineae sit in caelo, et pars altera reddatur solo; parti alteri datum sit non videre corruptionem, et altera solvatur in cinerem. Sicut enim beata Virgo a maledictione mulieris, cui [6]) dictum est, *in dolore paries*, facta est immunis quia peperit sine dolore; sic et a communi viri et mulieris maledictione, cui dictum est, in cinerem ibis, facta est immunis. Unde et ab angelo benedicta esse dicitur, quia a primordiali maledicto liberata est. » Fuit cur Thomas [7]) maledictionibus recensitis, quibus nostrum genus propter originalem praevaricationem obnoxium est, subderet: « Tertia *(maledictio)* fuit communis viris et mulieribus, ut scilicet in pulverem reverterentur: *et ab hac immunis fuit beata Virgo, quia cum corpore est assumpta in caelum. Credimus* enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in caelum. Ps. CXXXI. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* » Et fuit cur nobilissimi quique [8]) theologi

1) Is. XXII. 1.

2) Cant. VI. 9.

3) Habac. III. 11.

4) Ps. XLIV. 15.

5) Suspicatur editor satius forte legi *resurrectionem*.

6) Gen. III. 16.

7) Opusc. IV. quo exposit. angelicae salutat. continetur. Similia docet III. p. q. XXVII. a. 1., et q. LXXXIII. a. V. Atque huic quidem indubitatae sententiae nullatenus obesse quae scribunt sive Usuardus et Ado in Martyrologiis ad diem XV. Augusti, sive venerabilis Beda in libello de locis sanctis cap. VII., sive auctor sermonis de assumptione ad Paulam et Eustochium, qui Hieronymo aut veteri Sophronio tribui consuevit; praeclare docet atque confirmat Petrus Lambecius in comm. de biblioth. caesarea lib. VIII. pagg. 144. seqq.

8) Baronius in notis ad Martyrolog. rom. ad XV. Augusti, Canisius lib. V. de Deipara cap. V.,

Digitized by Google

sententiam promerent cum hac [1]) Melchioris Cani adamussim conspirantem: « Beatam Virginem non esse in caelo cum corpore assumptam, licet fidei minime [2]) adversum sit, quia tamen communi ecclesiae [3]) consensioni repugnat, *petulanti temeritate* diceretur. »

1468. Factum igitur assumptae cum corpore Virginis connumerari iis debet, quae quum sint testatissima, nequeunt sine manifesto errore denegari. Ab hoc autem facto alterum divelli nullatenus potest *incorruptionis et immunitatis a dissolutione in pristinum nativumque pulverem*. Immunitas ergo a dissolutione, et virgineae carnis incorruptio ad illorum spectat censum quae comperta sunt ac prorsus indubitata. Et eo evidentius indubitata, quo manifestius omnigena antiquitatis testimonia perspicuis disertisque verbis eidem veritati suffragantur. Cui inprimis suffragantur *monimenta liturgica*, » quibus [4]) Sacramentarium gregorianum in die assumptae Virginis hanc habet precem: « Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas opem conferat sempiternam. In qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, *nec tamen nexibus mortis* [5]) *deprimi potuit*, quae Filium tuum Dominum nostrum genuit incarnatum. » Quinam vero sunt *mortis nexus*, quibus etiam sanctissimi mortalium deprimuntur? Corruptio et pulvis, quibus mors regnat, suamque tyrannidem exercet. Ea ergo fuit Deipara, quae neque potuit in pulverem resolvi, neque dedecus corruptionis subire. Quod in utroque Missali gothico et gallicano maiori etiam evidentia formulisque splendidioribus confirmatur. Principio

Dominicus Sotus in IV. dist. XLIII. q. II. a. I., Suarius in III. p. q. XXXVII. a. IV. disput. XXV. sect. II., Thommasinus de diebus fest. lib. II. cap. XX. et Benedictus XIV. de canonizat. ss. lib. I. cap. XLII. n. 15.

1) De locis theolog. lib. XII. cap. X.

2) Secus ac Catharinus defenderit lib. IV. con. Caietanum, et in opusc. de conceptione affirmans, corpoream Deiparae assumptionem esse *de fide*.

3) Cui consensioni quantopere deferendum sit, vidit vel ipse Casaubonus exercit. XIV. §. IX. inquiens, *ecclesiae sensum ne tacitum quidem esse contemnendum*.

4) Sacrament. gregor. pag. 114. C. apud Muratorium T. II.

5) Testatur Roncaglia ad H. E. Natalis Alex. sec. II. cap. IV. §. unica, non defuisse qui Sacramentarii verba, *nec tamen nexibus mortis deprimi potuit*, sic acceperint, *nec tamen nexibus mortis*, idest peccati quod mors audit, *deprimi potuit*. Sed absurdum commentarium refellit I. series sermonis, quae ostendit de morte agi non animae sed corporis: refellit II. auctoritas veterum, Hildeberti, Petri blesensis et aliorum, qui verba Sacramentarii unanimes acceperunt de nexibus mortis corporeae: refellit III. ratio festi de quo usurpantur, quod est festum assumptae cum corpore Deiparae: et refellit IV. sensus plane ineptus qui ex eo commentario consequeretur, quique huc rediret, *Deiparam non potuisse deprimi nexibus mortis*, idest peccati mortalis, quod unice mors animae appellatur. Quare non sine stomacho scripsit Serry exercit. LXVI: « His porro mortis nexibus, quais non est depressa Virgo, quid verius certiusque quam corporis resolutionem corruptionemque intelligamus, quas ipsa triumphali in caelos adscensu devitavit? Quod enim mortis nexibus peccata intelligi dicunt aliqui, levitatis plenum est. Illos enim mortis nexus Gregorius intelligit, qui ceterorum iustorum mortem communi lege consequuntur. Quis vero peccata iustorum mortem consequi sibi fingat; cum potius morte ipsa felicem quamdam impeccantiam iusti quilibet sortiantur? »

Digitized by Google

namque [1]) dicitur: « Generosae diei dominicae genitricis inexplicabile sacramentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter homines assumptione Virginis *singulare*. Apud quam vitae [2]) integritas obtinuit filium, *et mors non invenit par exemplum*. Nec minus ingerens stuporem de transitu, quam exsultationem ferens unico beata de partu. Non solum mirabilis pignore quod fide concepit, *sed translatione praedicabilis* qua migravit. » Tum [3]) subditur: « Habitatorem virginalis hospitii, sponsum beati thalami, dominum tabernaculi, regem templi, qui eam innocentiam contulit genitrici, qua dignaretur incarnata deitas generari: quae nihil seculi [4]) conscia, tantum precibus mens attenta, tenuit puritatem in moribus, quam perceperat angeli benedictione visceribus: *nec per assumptionem* [5]) *de morte sensit* [6]) *inluviem*, quae vitae portavit auctorem. Fratres carissimi, fusis precibus Dominum imploremus, ut eius indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro, *quo beatae Virginis translatum corpus est de sepulcro*. » Quibus postremo [7]) adiicitur: « Dignum et iustum est, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito gratias agere tempore celeberrimo, die prae ceteris honorando, quo fidelis Israel egressus est de Aegypto, quo Virgo Dei genitrix de mundo migravit ad Christum. *Quae nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro*, pollutione libera, germine gloriosa, assumptione secura. » Et [8]) mox: « Sed iam veteres gemitus in gaudia nova vertamus. Ad te ergo revertimur, Virgo foeta, mater intacta, nesciens virum, puerpera, honorata per filium non polluta. Felix, per quam nobis inspe-

1) Missale goth. *Missa in adsumptione s. Mariae matris Domini nostri* pag. 545. et Missali gallicano pag. 811. apud Muratorium T. II.

2) Haec *vitae integritas*, qua Virgo obtinuit filium, mox dicitur *talis innocentia ipsi collata divinitus, propter quam incarnari ex ipsa Verbum dignaretur*. Nescio autem I. an maior significari potuerit vitae integritas: et II. an potuerit praeclarius innui illam semper fuisse illaesam et cuiusvis maculae expertem.

3) Ibidem *in collectione post nomina* pag. 548.

4) Sicut *αἰών* graece, ita *seculum* latine plus semel idem notat ac *ingenium aetatis et mundum non tam physice quam ethice consideratum*. Exempla quae hanc significationem tuentur, affatim dabunt Suicerus in thes. ecclesiast., Fesselius in adversariis sacris lib. III. cap. II. et Pittmannus de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis. Quum ergo Deipara celebratur *nihil conscia seculi*, tantumdem valet ac si celebraretur *nihil conscia mundi ethice spectati*. Sed quod in mundo ethice spectato primum se prodit, est originalis transgressio de qua legimus, *peccatum intravit in mundum, et ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Videant ergo sapientes, an non hac formula decus immaculati conceptus adumbretur.

5) Qua loquendi ratione ostenditur, a priscis omnino seculis obtinuisse ut *assumptionis* nomine de Virgine adhibito eiusdem *cum corpore* in caelum sublimatio exprimeretur.

6) *Inluvies, illuvies*, ἀλουσία, λῦμα sunt sordes non lotae, immunditia, atque hinc etiam tabes quae mortem consequitur.

7) Ibidem *in contestatione*, pag. 547. et in Sacrament. gallic. pag. 812.

8) Ibid. pag. 548.

Digitized by Google

rata gaudia successerunt. Cuius sicut gratulati sumus ortu, tripudiavimus partu; ita glorificamur in transitu. Parum fortasse fuerat si te Christus solo sanctificasset introitu, nisi etiam talem matrem adornasset egressu. Recte ab ipso suscepta es in assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem: *ut quae terrae* [1]) *non eras conscia, non teneret rupes inclusa.* Vere diversis [2]) infolis anima redempta, cui apostoli sacrum reddunt [3]) obsequium, angeli cantum, Christus amplexum, nubes vehiculum, assumptio paradisum, inter choros virginum gloria principatum. »

1469. Itaque quod in gregoriano sacramentario de Deipara vita functa exprimitur verbis, *nec tamen nexibus mortis deprimi potuit*, idipsum in Missali gothico et in Sacramentario gallicano plenius declaratur, quum *eiusdem obitus appellatur singularis, sine exemplo et translatione praedicabilis*, qua translatione effectum est, *ut ipsius corpus non maneret in sepulcro, non rupe contineretur inclusum, non sentiret inluviem de morte neque resolutionem sustineret.* Quae incorruptionis praerogativa, ac de morte deque sepulcro victoria similibus verbis eodemque sententiarum splendore in liturgia mozarabica semel ac rursum celebratur. Celebratur namque [4]) in *missa, in oratione post nomina* [5]), *in oratione ad pacem* [6]), *in inlatione* [7]), *in prece post sanctus* [8]) et [9]) *in oratione* tandem *post pridie.* Si ergo ex monimentis liturgicis dirimenda contentio sit, nihil ratum magis ac fixum quam Deiparam a poena corruptionis immunem fuisse penitusque solutam. Cui doctrinae altero loco suffragantur ecclesiastica officia, e quibus satis sit deprompsisse tum [a])

a) *Cosmas* in Men. die XV. Augusti ad Matut. pag. 82. col. 2. A. Ἐν τῇ γεννήσει σου, σύλληψις ἄσπορος· ἐν τῇ κοιμήσει σου, νίκρωσις ἄφθορος.

1) Haec formula conferri debet cum superiore, *nihil seculi conscia.* Ex hac enim comparatione liquebit, *de terra* sermonem esse quae non spectetur *physice* sed *ethice*, et quatenus maledicto obnoxia est. Quum ergo Virgini defertur, *quod terrae non esset conscia*, a maledicto ipsa subtrahitur, atque adeo a consortio universalis culpae, quo maledicti caussa continetur.

2) Coniicit Mabillonius legendum *infulis:* sed erat etiam cur coniiceret legendum continuo non *redempta* sed *redimita.* Legatur ergo, *vere diversis infulis*, ornamentis videlicet atque insignibus, *anima redimita.*

3) Respicitur ad historiam, quam inter alios accurate persequuntur Gregorius turonensis de gloria martyrum lib. I. cap. IV. et Epiphanius monachus in historia de vita Virginis a Mingarellio primum ac deinde a Dresselio edita.

4) In festo assumpt. s. Mariae virginis p. 362. col. 1. D.

5) Ibid. pag. 362. col. 2. D.

6) Ibid. pag. 363. col. 1. C.

7) Ibid. pag. 363. col. 2. A-D.

8) Ibid. pag. 364. col. 1. B-D.

9) Ibid. pag. 364. col. 2. B-C.

Digitized by Google

haec: « In tua generatione, conceptio sine semine; in tua dormitione, *mors incorrupta*. » Tum vero [a]) haec: « Tibi rex omnium Deus quae supra naturam sunt impertit; sicut enim in partu te virginem custodivit, *ita in sepulcro corpus tuum servavit incorruptum* divinaque translatione glorificavit, te matrem utpote filius donis augens. »

1470. Quid autem patres veteresque scriptores? Ut funditus taceam de Pseudo-Melitone, qui [1]) incorruptam Virginis carnem extollit, eiusdem a resolutione immunitatem uno ore proponunt ac docent [2]) Engelbertus abbas, Petrus cellensis [3]), Bernardus [4]), Hildebertus cenomanensis [5]), Atto vercellensis [6]), Michael Glycas [7]),

a) *Ioh. damascenus* ibid. Ode ς'. pag. 84. col. 1. E. Νίμει σοι τὰ ὑπὲρ φύσιν ἄναξ ὁ πάντων Θεός· ἐν γὰρ τῷ τίκτειν παρθένον ἔσωσε ἐφύλαξεν, οὕτως ἐν τάφῳ τὸ σῶμα διετήρησεν ἀδιάφθορον, καὶ συνεδόξασε θείᾳ μεταστάσει, γέρα σοι ἅτε υἱὸς μητρὶ χαριζόμενος.

1) De transitu s. Mariae, pag. 649. col. 1. B-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII. ubi pagg. 643. seqq. tam de hoc quam de ceteris apocryphis libris idem argumentum versantibus criticum iudicium profertur.

2) Tract. de gratiis et virtutibus b. Mariae P. IV. capp. XVIII-XXX. pagg. 724-741. apud Pezium anecdot. T. I. P. I. ubi Engelbertus ex ordine probat I. *Quod sobrietati ecclesiae consonet credere, b. Virginem in corpore et anima assumptam:* II. *Quod assumptio b. Virginis in anima et in corpore fuit Deo condecens, condigna et condebita*: III. *Quod pietati fidei consonet credere b. Virginem in corpore et anima assumptam:* IV. *Quod in se fuit debitum et congruum b. Virginem assumi ad caelum in corpore et anima:* et V. *Quod assumptio b. Virginis in corpore et in anima non fuit differenda.*

3) De assumptione Deiparae sermones omnino octo habuit Petrus cellensis opp. pagg. 201-219., e quibus ne unus quidem est, quo incorruptio virgineae carnis non affirmetur.

4) Bernardi quatuor habemus in assumptionem Deiparae sermones, opp. T. III. pagg. 1001-1012., in singulis decus incorrupti corporis praedicatur.

5) Ter de assumpta Virgine sermonem habuit Hildebertus opp. pagg. 524-538., et eiusdem incorruptionem pluribus commendavit.

6) Serm. XVII. in assumpt. pagg. 38-40. apud Mai scriptt. vett. T. VI. P. II. ubi post alia legimus: « De morte ipsius nullam fingamus dubietatem, quam et in sui filii cognovimus humanitate. Morti tamen succumbere diu non meruit, quam ex ea sumpta caro iam resurgendo devicit: nempe cuius filius caelos ascendit per maiestatem, matrem illuc assumere poterat per pietatem. Nec dubium est ei suam impertisse gloriam, eamque totius mundi constituisse dominam. » Ubi praeter alia discrimen innuitur *inter ascensionem filii et assumptionem matris*, quod Petrus Damiani in serm. I. de assumpt. elegauter explanat.

7) Annal. P. III. pagg. 431-435. in corp. hist. byzant. T. XXX., ubi Iuvenalis hierosolymitani et Germani constantinopolitani auctoritate Glycas ostendit, Virginem gustata morte, naturae legibus sic obtemperasse, ut illas devicta corruptione superarit. Porro in epistola ad Alypium monachum, quam Vitus Giovenazzius in adversariis Scipionis Sgambati reperit, quamque edidit Morcellius in comm. ad kalend. constantinopolitanum in diem XV. Augusti, Michael Glycas aliis quoque utitur testibus ac patres nominatim appellat, qui aliquando in ecclesia hierosolymitana versati sunt, ut praeter Iuvenalem, Cosmas melodus et Andreas cretensis. « Unde, *subdit Morcellius pagg.* 208. *seqq.*, illud quoque patet, Graecos in ea opinione perdiu fuisse, Dominam nostram Hierosolymis non Ephesi vita esse defunctam: in quorum sane vicinia locum etiam, ubi sepulta fuerat, indicabant Gethsemanem, ut τὸν ἅγιον Γεθσημανεῖ se videre ait Theodorus studites in epistola ad patriarcham Hierosolymorum, ἐφ' ᾧ ὁ τάφος τῆς παναγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. Animadvertendum autem est, huius sententiae eum maxime auctorem haberi qui concilio ephesino adfuerat, Iuvenalem patriarcham Hierosolymorum, de quo egimus ad diem II. mensis Iulii. Quare fatendum est, a Iuvenali inprimis longe aliter quam Tillemontius *(Mem. eccl. T. I. pagg.* 461-467.*)* volebat, accepta esse illa concilii verba ad clerum populumque constantinopolitanum scribentis, damnatum *(Apud Harduin. Concil. T. I. pag.* 1444.*)* Ephesi Nestorium, ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης καὶ ὁ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία, ubi (quae alii de sepul-

Digitized by Google

Metaphrastes [1]), Anselmus [2]), Theodorus studita [3]), Hincmarus rhemensis [4]), vetustus auctor [5]) libri de assumptione Augustino tributi, Iohannes damascenus [6]), Leo sapiens [7]), Germanus constantinopolitanus [8]), Andreas cretensis [9]) et [10]) Modestus hierosolymitanus. Quorum omnium testimonia quum eodem pertineant, idemque simillimis omnino formulis praeseferant, ex plurimis quae colligi possent, pauca eaque non admodum usu trita decerpam. Itaque Pe-

ero, alii de templo intelligunt) *theologus Iohannes et Deipara virgo sancta Maria*. Nisi potius dicendum sit, haec esse additamentum e margine perperam in contextum postea relatum. Primum enim illa si demas, oratio non modo nihil hiat, sed etiam felicius fluit: quod prolatis epistolae periodis duabus, quas illa verba intersecant, planum fiet: *οὐδεὶς τολμήσας τῷ ἰδίῳ κτίστῃ ἀνταποδῶναι, ἔμεινεν ἐκτὸς θείας δίκης, ἀλλ' εὐθύς, ὅσον ἦκε καὶ εἰς ἀνθρωπίνην ὄψιν, ἡμείφθη μερικῶς διὰ τὸ τὴν τελειοτέραν ἀμοιβὴν τῷ μέλλοντι καιρῷ κατ' αὐτοῦ φυλάττεσθαι, ὅθεν καὶ Νεστόριος, ὁ τὴς δυσσεβοῦς αἱρέσεως ἀνακαινιστὴς, ἐλθὼν εἰς τὴν Ἔφεσίων, . . . τοῦ συλλόγου τῶν ἁγίων πατέρων καὶ ἐπισκόπων ξενώσας ἑαυτόν, καὶ καιρῷ τῷ συνεδρίῳ ἀπαντήσαι μὴ τολμήσας, μετὰ τρίτην κλῆσιν· ψήφῳ δικαίᾳ τοὺς ἁγίας τριάδος καὶ τῆς αὐτῶν θεοσυλήτου κρίσεως καταδικάζεται, καὶ ἐκβέβληται ἐγγράφως ἐπὶ πρώξεως ὑπομνημάτων πάσης ἱερατικὴς ἀξίας. Nemo umquam creatori suo obsistere ausus divinam vindictam evasit, sed quantum quidem humanus adspectus consequi potuit, statim aliquam suppliciorum partem, siquidem plenior retributio contra ipsum in futuro seculo reservatur, dependit. Quare et Nestorius impiae haereseos instaurator, quum in Ephesiorum civitatem pervenisset, ... a sanctorum patrum et episcoporum coetu ultro seipsum abalienans, malaeque conscientiae reatu impeditus accedere non audens, post trinam citationem iusta sanctae Trinitatis sententia, divinoque patrum iudicio condemnatus et omni sacerdotali dignitate privatus est, atque illius condemnatio et exauctoratio scriptis mandata et in actorum commentarios relata est.* Tum si patres verba illa, post *ἐν τῇ Ἐφεσίων*, ipsi vel invita addidissent, profecto idem initio actionum multo commodius de sepulcro sanctae genitricis Dei aliquid adiecissent: qui tamen locum concilii his tantum ubique verbis indicarunt: *ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τῇ καλουμένῃ Μαρίᾳ*. Nec vero Iohannes antiochenus qui apud senatum constantinopolitanum questus est (*ibid. pag. 1461.*) per epistolam, sibi et suis a Cyrillo et Memnone Ephesi interclusa esse templa, ne sepulcra martyrum et Iohannis evangelistae tumulum venerari possent, de monumento sanctae Virginis tacuisset, quod prae ceteris in pretio esse debebat, siquidem Ephesi in Hierosolymis esse constabat. Quid, quod multo ante Polycrates episcopus ephesinus, ut scribit (*H. E. lib. V. cap. XXIV.*) Eusebius, quum Victori pontifici maximo ostendere vellet, se non sine maiorum exemplo celebrare pascha luna quartadecima, sic eos qui Ephesi sepulti erant, enumeravit ut nullam de sancta Virgine mentionem faceret, Iohannem et Philippi filiam et martyres quos vere poterat, omnes proferret? An vero ne unus quidem ex Ephesiis inventus esset, qui de tanto thesauro urbis suae gloriaretur? Vel monumenti illius fama ne ad finitimos quidem perveniisset, ut scriptorum aliquis memoriam posteritati commendaret? Praesertim quum et peregrini Ephesum itare solerent, ut Iohannis apostoli sepulcrum inviserent: quod de Iohanne quodam anachoreta in Moschi limonario apud Cotelerium (*T. II. mon. eccl. gr. p. 437.*) leges. *Ἦν γὰρ φιλόμαρτυς ὁ γέρων, καὶ τῶν μὲν ἁγίων πρὸς τὸν ἅγιον Ἰωάννην εἰς Ἔφεσον, τῶν δὲ εἰς τὸν ἅγιον Θεόδωρον εἰς Εὐχαΐτας. Erat enim senex martyrum studiosus, et nunc quidem pergebat Ephesum ad sanctum Iohannem; nunc autem Euchaitas ad sanctum Theodorum.* Atque hic quidem multo magis ob sepulcrum sanctae genitricis Dei Ephesum profectus esset, quum idem ibidem eximia erga eam pietate fuisse dicatur. »

1) Orat. de Deipara in vitis apud Lippomanum T. VI. pag. 180.

2) Orat. XLIX. ad Virginem pag. 285.

3) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 1. p. 54. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III. E re fuerit vel hoc saltem incisum descripaisse: *Σήμερον τοιγαροῦν ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς τῷ τῆς ἀφθαρσίας περιβολαίῳ ἐλισσόμενος, ἐξαλλάττεται εἰς διαμονὴν τὴν βελτίονά τε καὶ μακαριωτέραν. Hodie igitur terrarum caelum incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem aeternamque mansionem.*

4) Carm. dogmat. ad b. Virginem pag. 455. apud Mai classic. auctor. T. V.

5) Opp. August. T. VI. pagg. 730. seqq. Auctor qui a maurinis editoribus dicitur *plus*, censetur etiam haud paullo aetate Caroli magni vetustior.

6) Passim in tribus orationibus de dormitione Deiparae pagg. 857. seqq.

7) Orat. VI. in Deiparae dormit. pagg. 360. seqq. edit. Gretseri.

8) In utraque oratione de dormit. Deiparae apud Combefis. Auctar. T. I. pagg. 1446. seqq.

9) Orat. in Deiparae dormit. pag. 147. seqq. apud Gallandium T. XIII.

10) Frequentissime in Virginis encomio.

Digitized by Google

trus cellensis [1]) ad Deiparam relatis [2]) prophetae verbis, *virgo Israel revertere in civitates tuas*, scribit: « Primo revertere a captivitate mundi, quia captivitati non debet subiici, per quam captivi a captivitate sunt absoluti sua. Secundo revertere ab homine sine corruptibilitate carnis; quia sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertio revertere ad libertatem gloriae filiorum Dei: quia sicut peccatum numquam regnavit in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui etiam in carne virginali eadem spiritus libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia angeli ab ipsa sua creatione sive potius confirmatione. Quarto revertere ut intueamur te a dignitate angelorum ad superexcellentiam iam beatificatorum spirituum; quia sicut in facie filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulcritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnimodis satagimus. » Tum de carne Virginis [3]) interrogat: « Quid autem caro Virginis? Nonne fuit praeiacens materia, de qua opifex Trinitas naturam humanam fabricavit, quam inseparabiliter univit Verbo Dei una simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione? » Post quae [4]) subdit: « De hac sanctificata massa partem sibi Filius Dei assumpsit, quam statim assumendo deificavit, et tam illa quam de illa in tota protoplasti massa, tam redemptione quam sanctificatione operatus est salutem totius eiusdem humani generis; ac deinde sprevit, dereliquit, oblitusque est lectuli sui, cubiculi sui, templi sui, ortus sui, paradisi sui, matris suae? Absit. Etsi mater, inquit [5]), oblita fuerit filii sui, ego non obliviscar tui. Nemo carnem suam odio habet, nec Iesus distulit quidem in matre vincula carnis solvere, nec destitit mansionem iuxta se etiam parare. »

1471. Consentit [6]) Hincmarus rhemensis de Christo redivivo inquiens:

» Qui dum surrexit, multorum corpora fecit
» Surgere, quos secum vexit ad astra poli.
» Sanctior his cunctis Verbum quae gignere vitae
» Facta es digna tuo corpore virgineo,
» Quae caro sancta Dei non est corrupta sepulcro,
» Nec tua qua corpus sumpserat ipse Deus.

1) Serm. II. de assumpt. pagg. 203-264.
2) Ierem. XXXI. 21.
3) Serm. VII. de assumpt. pag. 217.
4) Ibidem.
5) Is. XLIX. 15.
6) Carm. dogmat. in Deiparam vv. 84-90. p. 455. apud Mai classic. scriptt. T. V.

Digitized by Google

Consentit Iohannes damascenus [a]) qui exclamat: « O praeclarissimum excessum, qui tibi hoc praestat ut ad Deum migres! Si enim et omnibus Deum ferentibus hominibus hoc divino munere concessum est; at infinitum Dei servorum matrisque discrimen est. Ecquo igitur nomine mysterium in te peractum appellabimus? An mortem? Sed quamvis sacratissima et beata anima tua, ut fert naturae ratio, a beatissimo et immaculato corpore tuo disiungatur, et corpus legitimae sepulturae mandetur; haud tamen in morte perseverat, nec corruptione dissolvitur. Nam cuius in partu virginitas incolumis mansit, eadem e vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum sed in melius diviniusque tabernaculum mutatum sit, quod non iam morte interrumpatur, sed in infinita seculorum secula perduret. » Quod eleganti similitudine [b]) continuo illustrans pergit: « Quemadmodum enim sol iste splendidissima perennique luce praeditus, tametsi quum a lunari tantisper corpore obtegitur, modo quodam deficere et caligine obrui et fulgorem cum tenebris mutare videatur, non tamen luce sua destituitur, verum sui luminis fontem perpetuo scaturientem habet, quinimmo ipse luminis fons est indeficiens, sicuti ab eius conditore Deo sta-

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 865. A-C. *Ὢ τῆς καλλίστης ἐκδημίας, ἣ τὴν πρὸς θεὸν ἐκδημίαν χαρίζεται· τί γὰρ καὶ πᾶσι τοῖς θεοφόροις θεράπουσι πρὸς θεοῦ τοῦτο κεχάρισται· ἀλλά γε τὸ διάφορον ἄπειρον δούλων θεοῦ καὶ μητρός· τί τοίνυν τὸ περὶ σὲ τοῦτο μυστήριον ὀνομάσομεν; θάνατον; ἀλλὰ καὶ φυσικῶς ἡ πανίερος καὶ μακαρία σου ψυχὴ τοῦ πανολβίου καὶ ἀκηράτου σου χωρίζεται σώματος, καὶ τὸ σῶμα τῇ νομίμῳ ταφῇ παραδίδοται, ὅμως οὐκ ἐναπομένει ἐν τῷ θανάτῳ, οὐδ' ὑπὸ τῆς φθορᾶς διαλύεται· ἧς γὰρ τικτούσης ἀλώβητος ἡ παρθενία μεμένηκε, ταύτης μεθισταμένης ἀδιάλυτον τὸ σῶμα περιφύλαχται, καὶ πρὸς κρείττονα καὶ θειοτέραν σκηνὴν μετατίθεται, οὐ διακοπτομένην θανάτῳ, ἀλλ' εἰς ἀπεράντους αἰῶνας αἰώνων διαιωνίζουσαν.*

b) Ibid. pag. 865. C-E. *Ὥσπερ γὰρ οὗτος ὁ ὁλολαμπὴς καὶ ἀείφωτος ἥλιος ὑπὸ τοῦ σεληνιακοῦ πρὸς μικρὸν κρυπτόμενος σώματος, δοκεῖ μέν πως ἐκλιμπάνειν, καὶ τῷ ζόφῳ καλύπτεσθαι, καὶ τῆς αἴγλης ἀντιλαμβάνειν τὸ σκότος, ὅμως αὐτὸς τοῦ οἰκείου φωτὸς οὐκ ἐξίσταται· ἴσχει δὲ ἐν ἑαυτῷ πηγὴν φωτὸς ἀένναον βρύουσαν, μᾶλλον δὲ αὐτὸς πηγὴ φωτὸς ὑπάρχει ἀνέκλειπτος, ὡς ἡ κτίσας αὐτὸν θεὸς διετάξατο· οὕτω καὶ σὺ ἡ πηγὴ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς ἡ ἀέννασς, ὁ ἀδάπανος τῆς αὐτοζωῆς θησαυρός, ἡ ἀναψιλὴς τῆς εὐλογίας ἀνάβλυσις, ἡ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν αἰτία καὶ πρόξενος, εἰ καὶ πρός τι χρονικὸν διάστημα καλύπτῃ σωματικῶς τῷ θανάτῳ, ἀλλὰ βρύεις ἀφθόνως ἡμῖν φωτὸς ἀπειρεσίου, καὶ ἀμβροσίας ζωῆς, καὶ τῆς ὄντως μακαριότητος ἀνελλιπῆ καὶ καθαρὰ καὶ ἀδαπάνητα ῥεύματα, ποταμοὺς χάριτος, ἰαμάτων πηγάς, εὐλογίαν ἀέννασν.*

Digitized by Google

tutum fuit; sic tu quoque fons veri luminis, et inexhaustus ipsiusmet vitae thesaurus, uberrimaque benedictionis scaturigo quae cuncta nobis bona conciliasti et attulisti, etsi ad tempus aliquod ad corpus quod attinet morte obtegeris, attamen immensi luminis, immortalisque vitae ac verae felicitatis puros et inexhaustos latices, gratiae flumina, sanationum fontes, perennemque benedictionem fundis. » E quibus [a]) infert: « Quamobrem sacrum transitum tuum minime mortem appellabimus, sed somnum et migrationem, vel ut aptiori voce utar, praesentiam ad Deum. Excedens enim e corpore, iis quae potiora sunt ades. » Hinc [b]) comparata Deipara cum arca et eius sepulcro cum Iordane, subdit: « Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit. Non est relictum in terra immaculatum omnisque labis expers corpus tuum, sed in regias caelorum sedes regina tu, hera, domina, veraque Dei genitrix translata es. » Quod altera quoque comparatione vel satius oppositione [c]) efficit inquiens: « Eva siquidem quae serpentis nuntio aures praebuit, hostisque suggestionem auscultavit, maeroris et tristitiae sententiam retulit ut dolores partus sustineret, et una cum Adamo morte condemnata in imis inferni recessibus collocatur; hanc autem vere beatissimam quae Dei verbo aures submisit, et Spiritus sancti operatione impleta est, atque archangelo sequestro, de complacito Patris praegnans effecta, quaeque sine voluptate ac viri congressu Dei Verbi personam, cuius omnia plena sunt,

a) Ibid. pag. 865. D-E. Ἐντεῦθεν οὐ θάνατον τὴν ἱεράν σου μετάστασιν λέξομαι, ἀλλὰ κοίμησιν, ἢ ἐκδημίαν, ἢ ἐνδημίαν εἰκότερον· ἐκδημοῦσα γὰρ τῶν τοῦ σώματος, ἐνδημεῖς πρὸς τὰ κρείττονα.

b) Ibid. §. XII. pag. 866. E. Οὐ κατελείφθη γὰρ ἡ ψυχή σου εἰς τὸν ᾅδην, ἀλλ' οὐδὲ ἡ σάρξ σου εἶδε διαφθοράν· οὐκ ἀπελείφθη ἐν γῇ τὸ σὸν ἄχραντον καὶ πανακήρατον σῶμα, ἀλλ' ἐν οὐρανῶν βασιλείοις μοναῖς ἡ βασιλὶς, ἡ κυρία, ἡ δέσποινα, ἡ θεομήτωρ, ἡ ἀληθὴς θεοτόκος μετατεθεῖσα.

c) Orat. II. in Deiparae dormit. §. III. pag. 870. D-E. Εὔα μὲν γὰρ τὴν ἀκοὴν ὑποθεῖσα τῇ ἀγγελίᾳ τοῦ ὄφεως, ἀκουτισθεῖσα δὲ τοῦ δυσμενοῦς τὴν παραίνεσιν, λύπης καὶ ὠδῖνας ἀποφάσιν ἀποφέρεται, καὶ τόκων ὠδῖνας ὑφίσταται, καὶ σὺν τῷ Ἀδὰμ θάνατον κατακρίνεται, καὶ ἐν ᾅδου μύχοις κατοικίζεται· ταύτην δὲ τὴν ἀληθῶς παμμακάριστον, τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ τὴν ἀκοὴν ὑποκλίνασαν, καὶ τῆς ἐνεργείας πλησθεῖσαν τοῦ πνεύματος, καὶ δι' ἀρχαγγέλου τὴν πατρικὴν εὐδοκίαν ἐγκυμονήσασαν, καὶ ἡδονῆς παρὲξ καὶ συναφείας συνελθοῦσαν τοῦ θεοῦ λόγου τὴν πάντα πληροῦσαν ὑπόστασιν, καὶ προσφυῶν ὠδίνων ἄνευ γεννήσασαν, καὶ ὅλην θεῷ ἐνωθεῖσαν, πῶς κατασπᾷ ὁ θάνατος; πῶς ὁ ᾅδης εἰσδέχεται; πῶς διαφθορὰ τοῦ ζωοδόχου κατατολμήσει σώματος; ἀλλότρια ταῦτα, καὶ πάντη ξένα τῆς θεοφόρου ψυχῆς καὶ σώματος.

Digitized by Google

concepit, ac pro eo ut decebat, sine doloribus peperit, quaeque totam se cum Deo copulavit, quomodo mors devoraret? Quomodo inferi susciperent? Quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est? Abhorrent haec alienaque omnino sunt a deifera illa anima et carne. »

1472. Neque aliter sive Germanus, sive Modestus, e quibus ille Deiparam alloquens [a]) scribit: « Tu quemadmodum [1]) scriptum est, speciosa es, tuumque illud corpus virginale totum sanctum est, totum innocens, totum Dei domicilium, ut ideo quoque a resolutione in pulverem deinceps sit liberum: quod quidem ceu humanum ad summam incorruptionis vitam sit immutatum, maneat nihilominus ipsum incolume et pergloriosum, perfectae vitae consors et pervigile, quatenus [2]) impossibile erat ut mortuorum sepulcro clausum teneretur quod vas foret Deum suscipiens, et sanctissimae Unigeniti deitatis animatum templum. » Et [b]) aliquot interiectis subdit: « Nam quomodo carnis dissolutio potuisset in cineres ac pulverem te redigere, quae humanum genus a mortis corruptione per Filii ex te assumptam carnem liberasses? » Modestus vero [c]) suum in Virginem encomium his omnino verbis absolvit: « Propterea ut gloriosissima mater Christi salvatoris Dei nostri, qui vitae et immortalitatis largitor est, ab ipso vivificatur, consors cum eo incorruptibilitatis in omnia secula, qui illam a sepulcro excitavit, et apud se assumpsit, ut ipse solus novit. »

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1451. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Σὺ κατὰ τὸ γεγραμμένον ἐν καλλονῇ· καὶ τὸ σῶμά σου τὸ παρθενικὸν, ὅλον ἅγιον, ὅλον ἁγνὸν, ὅλον θεοῦ κατοικητήριον· ὡς ἐκ τούτου λοιπὸν καὶ ἀλλότριον χοϊκῆς ἀναλύσεως· ἐναλλαγὴν μὲν ὡς ἀνθρώπινον πρὸς ἄκραν ἀφθαρσίας ζωήν· σῶον δὲ τοῦτο καὶ ὑπερένδοξον, ζωοτελὲς καὶ ἀκοίμητον· καθ' ὅτιπερ οὐδὲ ἦν δυνατὸν παρὰ νεκροποιοῦ συγκλεισμοῦ τοῦτο κρατηθῆναι, ὡς σκεῦος ὑπάρχον θεηδόχον, καὶ ἔμψυχος ναὸς τῆς τοῦ μονογενοῦς παναγίας θεότητος.

b) Ibid. pag. 1454. B. Πῶς γὰρ εἶχε διάλυσις σαρκὸς πρὸς χοῦν καὶ κόνιν ἀνθυποστρέψαι, σὲ τὴν ἀπὸ θανάτου καταφθορᾶς τὸν ἄνθρωπον διὰ τῆς τοῦ υἱοῦ σου λυτρωσαμένην σαρκώσεως;

c) Encom. in Deiparam §. XIV. pag. 56. Διὸ δὴ καὶ ὡς μήτηρ πανένδοξος τοῦ χορηγοῦ τῆς ζωῆς καὶ ἀθανασίας Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ ζωοποιεῖται ὑπ' αὐτοῦ σύσσωμος ἐν ἀφθαρσίᾳ εἰς αἰῶνας, τοῦ ἐκ τάφου ἐγείραντος, καὶ προσλαβόντος αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν, ὡς αὐτῷ μόνῳ ἔγνωσται.

1) Cant. II. 13. 2) Actt. II. 16.

Digitized by Google

1473. E quibus diligenter inspectis mutuoque collatis non modo factum incorruptae virgineae carnis testatissimum apparet, sed multiplices praeterea eiusdem caussae splendide innotescunt. Innotescit namque *caussa antithetica* [1]) eo pertinens, ut caro Virginis a resolutione immunis propterea existimetur, *quod alia prorsus ipsa fuerit ab Eva corruptionis origine, nullumque secus ac illa seductioni et nullum veneno serpentis locum aditumque permiserit.* Innotescit *caussa analogica*, quae sic efferri non incommode potest. *Minime decuit ut quae praeter ac supra statas leges* [2]) *concepit et peperit, eadem communi dissolutionis legi in obitu subiiceretur. Sed Deipara praeter ac supra statas leges virgo concepit, virgo peperit, nullumque experta partus dolorem illibata permansit. Decuit ergo ut eiusdem obitus praeter ac supra statas leges nulla purissimi corporis tabe sordesceret.* Innotescit *caussa theologica* in eo sita *quod fieri nullatenus* [3]) *potuerit, ut ignominia corruptionis violaretur quae filium Dei genuit incarnatum, quae vitae gestavit auctorem, quae thalamus, quae templum, quae Verbi paradisus fuit, quae fuit vitae thesaurus, et ex cuius carne Unigenitus carnem suscepit.* Innotescit *caussa oeconomica* inde ducta, *quod non debuerit resolutione corrumpi quae bonorum omnium per suam carnem principium fuit, homines a corruptione liberavit, mortisque regnum pessum dedit.* Innotescit tandem *caussa legalis, qua Virgo ab universali damnatione*, pulvis es et in pulverem reverteris, *idcirco immunis ostenditur, quod fuerit nihil conscia seculi, nihil conscia* [4]) *terrae, quod in ipsa peccatum numquam regnaverit, quod*

1) Quo haec pertinent ex Glycae epistola ad Alypium penes Morcellium pagg. 202-203. *Καὶ μὴ θαυμάζε τοῦτου ἕνεκεν, ἐπειδὴ γὰρ τὰ δύο τῶν πρωτοπλάστων σώματα τῇ λύμῃ τῆς φθορᾶς ὑπέπεσον διὰ τὴν παράβασιν, κἀντεῦθεν τὸ τοιοῦτον ἰῶμα κακὸν διαδόσιμον ἐξ ἅπαν γέγονεν τὸ ἀνθρώπινον· διὰ τοῦτο καὶ τῶν πρώτως δύο σώματα τὴν φθορὰν ἀποτινάξάμενα, ἀπαρχὴ τῆς ἐλπιζομένης ἀφθαρσίας γεγόνασιν. Neque idcirco mirere. Nam postquam duo corpora eorum, qui primo formati fuerant, corruptionis labe ceciderunt ob culpam, atque inde malum huiusmodi proserpens hereditarium factum est in omne nomen humanum; propterea etiam nunc primum duo corpora, corruptione ab se repulsa, facta sunt primitiae speratae incorruptionis.*

2) Scite Cosmas hymnographus adductus a Glyca penes Morcellium pag. 205. *Νενίκηνται τῆς φύσεως οἱ ὅροι ἐν σοί, παρθένε ἄχραντε· παρθενείαν γὰρ τόκος, καὶ ζωὴν πρόμητορεύεται θάνατος. Victi in te sunt, Virgo illibata, naturae limites, namque partus virginalis est, et mors vitam procatur.*

3) En quae idem Cosmas habet l. c. pag. 200. *Νικητικὰ μὲν βραβεῖα ἤρω κατὰ τῆς φύσεως, ἀγνὴ θεόν κυήσασα, ὅμως μιμουμένη σὲ τὸν ποιητήν σου καὶ υἱὸν ὑπὲρ φύσιν, ὑπερβαίνεις τοῖς τῆς φύσεως νόμοις· διὸ θνήσκουσα σὺν τῷ υἱῷ, ἐγείρῃ συνδιαιωνίζουσα. Victricia tropaea de natura extulisti, pura Deum enixa, simulque factorem et filium imitata tuum supra naturam naturae succumbis legibus. Idcirco aeque ac filius mortua, excitaris simul semper victura.*

4) Quod in Missali mozarabico in festo assumptionis pag. 362. his verbis exprimitur: « Sicut turris David *aedificata es, et reprehensio non est in te.* Quam speciosa et decora facta es in ornamento tuo, et odor unguentorum tuorum sicut odor Libani super omnia aromata. » Hinc illa Germani in Glycae

integra fuerit et corruptione peccati, et quod tota fuerit sancta, tota innocens, tota Dei domicilium.

1474. Harum porro caussarum ne una quidem est, quae veterum auctoritate confirmari uberius validiusque non possit. Et antiquus sane auctor libri de assumptione beatae Mariae virginis ea habet, quae singulis roborandis non minimum conferunt. Sic enim [1]) orditur: « De sanctissimo igitur corpore perpetuae virginis Mariae, eiusque sacrae animae assumptione quantum Dominus donaverit, loqui suscipientes, hoc primum dicamus, quod in divinis Scripturis postquam Dominus [2]) in cruce matrem discipulo commendavit, ut castis castitas tueretur obsequiis, nihil de ea reperitur praeter id quod Lucas [3]) commemorat in actibus apostolorum, commemoratis eisdem nominatim, dicens: *hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu et fratribus eius.* » Tum [4]) ait: « Hoc dicimus, quia tanto quae magna sunt, cautius tractanda exsistunt, quanto specialibus auctoritatum testimoniis non possunt ad liquidum roborari. Sed quia quaedam Scriptura sancta indagationum studiis quaerenda reliquit, non sunt superflua aestimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta. Fecunda est enim veritatis auctoritas, et dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est cognoscitur. Saepe enim discussa veram convenientiam parit, quam manifestis sermonibus abscondit; et saepe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil praeter id quod sonuit quaerendum invitat: ut est quod [5]) Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam et fratres eius, et cetera talia in quibus sola tenenda est littera. Quaedam autem sic commendat, ut pariter litteram ut mysticum intellectum insinuet: ut in transitu maris rubri, et manna caelesti, et tabernaculo Dei atque arca testamenti, ubi futurorum figura, baptismi videlicet

epistola l. c. pag. 206. Τὸ μὲν σῶμά σου τὸ παρθενικόν, ὅλον ἅγιον, ἐκλλαγὲν μὲν πρὸς ἄφθαρσίαν ζωῆς, σῶον δὲ τοῦτο ζωτελὲς καὶ ἀκείμενον, ὡς σεαυτοῦ ὑπάρχον ἀναλόχου· ἔρρέτω λοιπὸν ὁ θάνατος, ἔρρέτω τάφος, ἔρρέτω χοῦς ἐπὶ σοὶ θεοτόκε. *Corpus tuum virgineum, totum sanctum, in omnimodam quidem vitae incorruptionem immutatum, at salvum idem et vivens et vigil, ceu vas Deo plenum est. Procul igitur mors, procul sepulcrum, procul pulvis post te, Dei mater recedat.* Et mox Servatorem perhibet qui genitricem unice caram iamque morituram sic alloquitur: Μὴ διστάζε, προσανακλιτὶ τῷ μνήματι, καὶ παρευθὺς ἐρχομαι παραληψόμενος σοῦ συνοικεῖν ἐν ἐμοί· ὡς γὰρ ἐγὼ, καὶ σὺ μετὰ τὴν τοῦ λειψάνου κατάθεσιν, πρὸς ζωὴν αὐτίκα μετατεθήσῃ. *Ne dubites reclinare in monimento, et statim venio te suscepturus ut mecum habites. Nam ut ego, ita et tu post reliquiarum depositionem, ad vitam illico restitueris.*

1) De assumpt. Virginis cap. I. pag. 730. D-E. inter opp. Augustini T. VI.

2) Ioh. XIX. 27.

3) Actt. I. 14.

4) Loc. cit. capp. I-II. pag. 730. E-F.

5) Matth. I. 2.

Digitized by Google

Christi et Ecclesiae ostensa est praerogativa. Quaedam tantum mystice, ut cum Deum dicit insufflasse in faciem Adae spiraculum vitae, qui tamen os ad spirandum non habet, nec manus ad operandum, cum dicat [1]) propheta, manus tuae, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me. Sunt etiam quaedam, quae quamvis commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur, ad quod ipsa convenientia rei quemadmodum dux et praevia creditur.» Quod ut uno alterove comprobavit exemplo, ad caussam accedens [2]) scribit: « Quid ergo de Mariae morte, quid de eius assumptione dicendum est, unde divina Scriptura nihil commendat, nisi quaerendum ratione quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua necesse est nec valeat auctoritas? » Via hoc pacto complanata [3]) praestituit: « Memores enim conditionis humanae, mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem certe eius Filius, qui et Deus et homo est, lege sortis humanae sustinuit: et hoc quia homo de eius susceptus et profusus est utero. » Quo praestituto [4]) pergit: « Sed si dicitur eam mortis teneri vinculis, et resolutam in communem putredinem, vermem ac cinerem; librandum est, si hoc conveniat [5]) *tantae sanctitati, tantae aulae Dei praerogativae.* Scimus enim dictum [6]) primo parenti, quia pulvis es, et in pulverem ibis. Quod si de morte dicitur, generalis est sententia; si de resolutione in pulverem, hanc conditionem *Christi caro evasit de carne Mariae sumpta*, quae corruptionem non sustinuit. De hoc enim scriptum est [7]) per David prophetam dicentem, quoniam non derelinques animam meam in

1) Iob. X. 8.

2) Ibid. cap. II. pag. 730. F. Aliter de Scripturarum silentio existimavit Glycas scribens l. cit. pag. 202: «Quod porro et genitricis Dei perinde atque filii eius resurrectio futura esset e mortuis, beatus David illis verbis (Ps. CXXXI. 8.) ostendit: *exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*, sed et in iis, in quibus propheta (Ps. XLIV. 10.) ad verbum sic est loquutus, *adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, perpetuam virginem Domini matrem indicavit, eamque corpore praeditam filio dominoque suo corpore praedito adfuturam, quemadmodum de his agens magnus dicit Athanasius. Nam ubi ait *in vestitu deaurato*, corpus τῆς παναγίου immaculatissimae adumbravit, et quam immortalitatem praeter omnem consuetudinem esset acceptura.» Et infra pagg. 206-207: «Ut ut enim naturae lege morti succubuit, supra naturam tamen a se illam repulit, ad eius prope exemplar quem genuerat. Atque hoc est quod beatus dixit David, *exurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*. Quid hoc manifestius, quamdiu sanctorum patrum et magistrorum nostrorum vestigiis insistamus?»

3) Ibid. cap. II. pag. 731. A.

4) Ibid. cap. III. pag. 731. A-C.

5) De qua sanctitate initio scripserat pag. 729. D-E. «Venerabile est enim mihi, Domine, et praecordiis meis reverendissimum de matre Filii tui loqui, *et de sanctissimo corpore eius* linguam sermonibus occupare, *quae sola meruit* Deum et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei et aula regis aeterni.» Et mox pag. 729. F. de incarnatione Unigeniti ait: «Humilitatis naturam de sanctificato corpore sumens sanctam, *et immaculatam de immaculato*. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam qui concipiendus praebuit, conceptus et natus non abstulit.»

6) Gen. III. 19.

7) Ps. XV. 12.

Digitized by Google

inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De quo autem sancto dictum sit, archangelus prodidit qui ad Mariam [1]) ait: et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vere sanctum et sanctum sanctorum, unde et illa sancta sanctorum dicuntur, quae illa servabant quibus ille figurabatur, qui veraciter solus sanctus sanctorum dicitur. Hic enim est, de quo idem archangelus Gabriel Danieli loquitur inter cetera quae futura ostendit [2]) dicens: et impleatur visio et prophetia, et unguatur sanctus sanctorum. Hic enim sanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho de inferis rediens resurrexit. *Caro eius quae de Maria sumpta est*, etsi mortua est ex infirmitate, revixit ex Dei virtute. Sed hoc ille, qui quando voluit mori, quando voluit resurgere, potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia *de Virgine sumpta natura*. Quod si non Mariae congruit, congruit tamen filio quem genuit. » Quibus *caussa tam legalis quam theologica continetur:* haec quidem quum caro Christi de Maria sumpta, et una atque eadem cum Mariae carne perhibetur: illa vero quum dicitur librandum esse, utrum corruptio conveniat tantae sanctitati et tantae aulae Dei praerogativae. Gradum mox facit *ad caussam analogicam*, illamque proponit [3]) inquiens: «Post haec quae Adae dicta sunt, de quibus excipitur Mariae filius, contuenda sunt quae etiam Evae dicta sunt, si cunctis feminis sint generalia, et si in aliquo excipiatur Maria. Scriptum quippe [4]) est: mulieri quoque dixit Deus, multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos. In dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Aerumnam Maria sustinuit, cuius animam [5]) gladius passionis Christi pertransivit: sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri, idest mariti potestate deguit, quae integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, et virginitatis integritate manente virgo permansit. Quem quia sine peccati collusione et sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, et sine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permansit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo etsi communicat aerumnis Evae, non communicat parturiendo cum dolore. *Promeruit enim hoc singularis* [6]) *sanctitas*

1) Luc. I. 35.
2) Daniel. IX. 24.
3) Loc. cit. cap. IV. pag. 731. C-E.
4) Gen. III. 16.
5) Luc. II. 35.
6) Haec spectant *ad caussam legalem*, osten-

Digitized by Google

eius et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter aestimata est digna. Non immerito ergo excipitur a quibusdam generalibus vera aestimatione, quam tanta [1]) servat gratia et attollit dignitatis praerogativa. Quantum enim Christi potestas possit, mundi ostendit universitas; quantum gratia, Mariae monstrat integritas: quae sicut diversa est a natura, ita diversa est ab usu. Quid ergo si in tanta diversitate eam dicimus humanae sortis mortem subiisse, nec tamen eius vinculis retineri, per quam [2]) Deus voluit nasci et carnis substantia communicare? » Iungit deinde [3]) *utramque caussam theologicam et analogicam* scribens: « Numquid non pertinet ad benignitatem Domini *matris servare honorem,* qui legem [4]) non solvere venerat, sed adimplere? Lex enim sicut honorem matris praecipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita prae ceteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere singulari salvatione eam in morte et speciali gratia honorasse. Potuit enim eam a putredine et pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginem relinquere. Putredo namque et vermis humanae est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Iesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Iesu caro est Mariae, et multo specialius quam Ioseph Iudae ceterorumque fratrum eius, quibus [5]) dicebat, frater enim et caro nostra est. » Neque *caussam oeconomicam* omnino praetermittit, immo quantum satis est patefacit, quum compendio superiora resumens [6]) ait: « Ac per hoc videtur digne laetari Maria laetitia inenarrabili anima et corpore, in proprio filio, cum filio proprio, per filium proprium, nec ullam sequi debere corruptionis aerumnam, *quam nulla sequuta est* [7]) *tantum filium pariendo integritatis corruptio:* ut sit semper incorrupta, *quam tanta* [8]) *perfudit gratia;* sit integriter vivens, *quae omnium* [9]) *integram perfectamque genuit vitam;* sit cum illo, *quem* [10]) *in suo gessit utero,* sit apud illum *illa quae genuit, fovit et aluit illum* Maria Dei genitrix, Dei nutrix, Dei ministratrix et Dei secutrix. »

duntque non debuisse Virginem corruptioni subesse, utpote quae *sanctitatis praestantia* nullam peccati labem contraxerit.

1) Mutuus aperitur nexus inter gratiam Deiparae propriam, divinaeque maternitatis praerogativam.

2) His innuitur *caussa theologica* ex coniunctione Virginis cum Verbo incarnato profecta.

3) Loc. cit. cap. V. pag. 721. E-G.

4) Matth. V. 18.

5) Gen. XXXVII. 27.

6) Loc. cit. cap. VIII. pag. 733. A-B.

7) His effertur *caussa analogica.*

8) Haec exhibent *caussam legalem.*

9) Haec *ad caussam oeconomicam* referuntur.

10) His *caussa theologica* continetur.

Digitized by Google

1475. Caussas igitur plerasque omnes incorruptae virgineae carnis confirmatas audivimus, e quibus nescio an vel unam reliquam fecerit Amadeus lausannensis [1]) inquiens: « Quaeritur enim, cur ascendente in caelum Domino, mater eius quae tanto eum amplectebatur affectu, non statim [2]) sequuta est? Cum enim nulla peccati nube depressa, nulla vitae macula respersa, super ignem ruberet ob caritatem, luce clarior ob castitatem, ipsis etiam praeclara caeligenis ob virginei partus novitatem, mirum videbatur quare cum filio non statim ad aethera provehebatur. Certe Enoch [3]) in cordis munditia cum Deo ambulavit, et non comparuit quia transtulit illum Deus. Elias quoque [4]) charitatis igne nimio succensus, curru igneo et equis igneis raptus memoratur. Illa vero excedens Enoch cordis munditia, et amoris praerogativa maior Elia, quare cum illo quem genuit, non illico in caelum efferebatur? Erat namque plena gratia et in mulieribus benedicta. Deum verum de Deo vero sola meruit concipere, quem virgo peperit, virgo lactavit, fovens in gremio, eique in omnibus almo ministravit obsequio. Passa est demum magis spiritu quam carne cum moriente, revixit spiritu Dei cum resurgente, et quare non ascendit cum ascendente? Eius quippe sacratissima caro, quae de Spiritu sancto gravida fuit, quae germine magnifici regis intumuit, in qua Deus homo, Verbum caro factum est, et mediante Christo plenitudo [5]) divinitatis mansit in ea corporaliter, assumpto Domino videretur inferenda caelo. Ut quid enim retardata est vel ad momentum? Aut passa nati divortium? Quoniam ista dilatio discipulorum Christi non minima consolatio fuit. » Ad *legalem* vero *caussam* haec nominatim [6]) pertinent: « Advertendum itaque optimi meriti ac *singularis iustitiae* Mariam, quae super angelos meruit exaltari, prius heic in senecta uberi debuisse multiplicari. Quod ubi provenit ex divino munere, absconditus honor eius et forma gessit in occulto, effecta luce clarior et omni elegantia praestantior, ora in se supernorum civium animosque mirabili dilectione convertit. Iamvero quis digne laudibus efferat sacratissimam eius assumptionem? Quis fatu explicet, quam laeta migravit a corpore, quam laeta vidit

1) Hom. VII. de Virginis assumpt. p. 1274. E-G. in max. pp. biblioth. T. XX.

2) Corporea Deiparae assumptio Amedeo indubitata est, et quum ob oculos *caussas* haberet quae illam postulabant, id quaerit unum, cur Filio ascendente, ipsa pariter non fuerit assumpta.

3) Gen. V. 24.

4) IV. Reg. II. 11.

5) Coloss. II. 9.

6) Loc. cit. pag. 1275. G-H.

Digitized by Google

filium, *sicut expers totius corruptelae*, sic immunis ab omni molestia? » Atque haec [1]) item: « Unde Dominus assistens egressae de corpore ita praedicat laudes eius. Tota [2]) pulcra es mater mea, et macula non est in te. Tota, ait, pulcra es, pulcra in cogitatu, pulcra in verbo, pulcra in actu, pulcra ab ortu [3]) usque in finem. »

1476. De *caussa* porro *antithetica* nihil hisce praeclarius quae [a]) habet Michael Glycas, quum ad Filium redivivum assumptamque Matrem relatis psalmi [4]) verbis, *surge Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*, pergit: « Nam quia duo illa primum omnium creatorum hominum corpora interitui facta sunt obnoxia propter inobedientiam, indeque autem subsequutum aliud, nimirum ut malum eiusmodi latius serpens in universam naturam humanam sese dideret; idcirco nunc quoque primum omnium duo corpora excusso depositoque interitu facta sunt primitiae quasi quaedam eius immortalitatis, quam spe certa nobis pollicemur. » Neque ad ceteras illustrandas caussas minus accommodata videri debent quae Leo sapiens [b]) his verbis complectitur: « Illius *quae sola* [5]) *gratia est plena* ad perpetuum gaudium transitum celebramus. Etenim Dei illud capax tabernaculum ab iis tabernaculis emigrans quae dissolvuntur et intereunt, ad ea quae manent atque consistunt, transfertur, fluxamque ac labilem vitam stabili firmaque commutat. E terris ad caelos transvehitur quae mortalibus facta est scala,

a) Annal. P. III. pag. 434. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ δύο τῶν πρωτοπλαστῶν σώματα τῇ λύμῃ τῆς φθορᾶς ὑπέπεσε διὰ τὴν παράβασιν, κἀντεῦθεν τὸ τοιοῦτον ὑφίστον κακὸν διαδόσιμον ἐφ' ἅπαν γέγονε τὸ ἀνθρώπινον· διὰ τοῦτο καὶ νῦν πρώτους δύο σώματα ἀποτιναξάμενα ἀπαρχὴ τοῖς ἐλπιζομένοις ἀφθαρσίας γεγόνασι.

b) Orat. in Deiparae assumpt. pagg. 1734. E. et 1735. A-C. Τῆς μόνης κεχαριτωμένης πρὸς τὴν ἄλεκτον χαρὰν τὴν μετάβασιν ἑορτάζομεν· ἡ γὰρ θεοχώρητος σκηνὴ τῶν λυομένων ἀπαίρουσα σκηνωμάτων, πρὸς τὰ μένοντα μετοικίζεται, καὶ τοῦ ῥέοντος βίου ἀμείβει τὸν ἄρυστον· γῆθεν πρὸς οὐρανοὺς διαπορθμευομένη ἡ διαβατήριον τοῖς ἐν γῇ γενομένη πρὸς τὰ οὐράνια, ἀπὸ τοῦ θαύματος· τῷ ἀμυδεῖ θανάτῳ προσομιλεῖ ἡ τῆς φρικτῆς ἐκείνου ὁμιλίας τὴν ἀπαλλαγὴν τῷ γένει παρασχομένη· καὶ λαγόνες κρύπτουσι φθοροποιαὶ ἧς ἐξεφάνη λαγόνων ἡ ἀφθαρσία, καὶ ἀφεγγέσι ξενίζεται κευθῶσιν, ἡ τοὺς ἐν ἀλαμπεῖ ταλαιπωρουμένους στενοχωρίᾳ, φαεινοτάταις ἐν λήξεσιν ἀναπαύουσα.

1) Ibid. 1276. B-C.

2) Cant. IV. 7.

3) Uti intelligi *ortus* debet non modo ex utero, verum etiam in utero, quod et vis nominis patitur, et prorsus exigit tum comperta Amadei sententia, tum solemnis affirmatio, qua Deipara *tota* pulcra nuncupatur.

4) Ps. CXXXI. 8.

5) His significatur *caussa legalis*, quum *plenitudo gratiae* uni adscripta Deiparae omnem ab ipsa amandet culpae labem, ipsamque adeo a poena corruptionis solutam ostendat.

qua ad caelos adscendant. O miraculum! cum tristi morte commercium habet quae tremendi cum ea commercii liberationem humano generi contulit, et tabificos sepulcri sinus subit, ex cuius virginali utero integritas et incorruptio exsistit: obscurisque in cavitatibus ac in terrae ventre hospitatur, quae illos qui in tenebrosis misere degebant angustiis in lucidissimis mansionibus requie donavit. »

1477. Accedit Theodorus studita, qui [a]) *antitheticam caussam* promit inquiens: « Quum in superiora evolaverit columba innocentissima, inferiora haec protegere non desinit: corpore egressa, spiritu nobiscum est: caelo inlata, daemones fugat facta apud Dominum mediatrix. Olim quidem per progenitricem Evam mors ingressa mundum imperio premebat, nunc autem beatam illius filiam adgressa, depulsa [1]) est; indidem victa, unde olim potentiam [2]) sumpserat. Laetetur igitur femineum genus, pro ignominia gloriam sortitum. Gaudeat Eva, quae iam deinceps non est maledicta, postquam benedictionis sobolem [3]) Mariam protulit. Exsultet creatura universa, quae immortalitatis fluenta ex virgineo fonte mystice haurit, quibus a mortifera siti liberatur. » Promit [b]) vero et *caussam*

a) Orat. VI. in Deiparae dormit. n. 2. pagg. 55-56. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. V. P. III. *Ἄνω δὲ ἀναπτᾶσα ἡ πάναγνος περιστερὰ, τὰ κάτω φυλάττειν οὐ παύεται· τοῦ σώματος ἐξιλθοῦσα, τῷ πνεύματι σὺν ἡμῖν ἐστιν· εἰς οὐρανοὺς εἰσαχθεῖσα, ἐξοστρακίζει τοὺς δαίμονας μεσιτεύουσα τὰ πρὸς κύριον· πάλαι μὲν διὰ τῆς προμήτορος Εὔας ὁ θάνατος εἰσελθὼν ἐκοσμοκράτησε, νῦν δὲ τῇ μακαρίᾳ θυγατρὶ αὐτῆς ὁμιλήσας ἀποκέκρουσται, ἐκεῖθεν ἐκνικώμενος ὅθεν τὸ κράτος εἰσεδέξατο· ἀγαλλιάσθω τοίνυν τὸ γυναικεῖον γένος ἀντ' ὀνείδους δόξαν καταπληρούμενον· εὐφραινέσθω ἡ Εὔα, οὐκέτι γὰρ ἐπάρατος εὐλογίας γόνον τὴν Μαρίαν περιφέρουσα· σκιρτάτω ἡ σύμπασα κτίσις, τὰ τῆς ἀφθαρσίας νάματα μυστικῶς ἐκ τῆς παρθενικῆς πηγῆς ἀρυομένη, καὶ τοῦ θανατηφόρου δίψους ἀποπαύουσα.*

b) Ibid. n. 1. pagg. 54-55. *Σήμερον τοιγαροῦν ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς τῷ τῆς ἀφθαρσίας περιβολαίῳ ἐλισσόμενος, ἐξαλλάττεται εἰς διαμονὴν τὴν βελτίονά τε καὶ μακραιῶνα· σήμερον ἡ νοητὴ καὶ θεοφώτιστος σελήνη τῷ τῆς δικαιοσύνης ἡλίῳ συνεισβάλλουσα, ἐκλείπει μὲν τοῦ τῆς παραυτίκα ζωῆς προσκαίρου, ἐν τ' αὐτῷ δὲ ἀνατέλλουσα καταλαμπρύνεται τῷ τῆς ἀθανασίας ἀξιώματι· σήμερον ἡ χρυσότευκτος καὶ θεοκατασκεύαστος κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματος ἐκ τῶν ἐπιχθονίων σκηνωμάτων ἀναίρουσα πρὸς τὴν ἄνω Ἰερουσαλὴμ μετακομίζεται εἰς κατάπαυσιν ἀτελεύτητον.*

1) Ideo ne depulsa mors dicitur, quod Maria non obierit? Minime, sed quod nullum morti ius fuerit in Mariam, quae sui corporis assumptione illius tyrannidem superavit.

2) Quae his cognata sunt quae de salutifera cruce canit ecclesia: *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; et qui per lignum vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

3) Prodiit ergo Maria ex Eva, sed *soboles* prodiit *benedictionis*. Quicumque autem ex ea gignuntur infecti originali labe, hi *soboles* prodeunt *maledictionis*.

Digitized by Google

legalem his verbis: « Hodie igitur terrenum [1]) caelum incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem aeternamque mansionem. Hodie spiritalis atque a Deo illuminata luna in iustitiae solem incurrens, deficit quidem a praesenti temporali vita simulque exoriens immortalitatis dignitate illustratur. Hodie ex auro condita et divinitus fabricata [2]) sanctitatis arca de terrenis tabernaculis ad supernam Hierusalem commigrat, in requiem fine carentem. »

1478. Ad easdem incorruptionis caussas perspicue referuntur quae Andreas cretensis [a]), post adducta Pseudo-Dionysii [3]) verba, subdit inquiens: « Lucidum itaque ac plane decorum spectaculum quod id temporis afflatis divinitus viris illuxit, fuit, ut quidem explico, illustrissima virginalis tabernaculi a Deo effulgentia, per quam corpus Deiparae vitae principium totumque luminosum viderunt. Corpus supra nos nostramque conditionem, per quod nobis divinioris vitae principium vitae auctor Iesus donavit, nostras primitias quas sibimetipsi ex virgineo utero supernaturaliter conflavit, vitae principium efficiens. Quod si delibatio sancta, iuxta Apostolum, plane et massa: et si radix sancta, utique et rami. Est ergo Deiparae corpus vitae principium, quod ipsam totam deitatis vitalem vitaeque initiativam plenitudinem in se suscepit. » Quibus utraque incorruptionis *caussa oeconomica et theologica* eo splendore effertur, ut maior evidentia ne desiderari quidem posse videatur. Quam

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 155. B-D. apud Gallandium T. XIII. Θέα φαντιδής τε καὶ τύπτεπτὴς ἡ τότε τοῖς θεολήπτοις φανεῖσα εἴη ἄν, ὡς ὁ ἱμὸς λόγος, ἡ παμφαὴς τοῦ παρθενικοῦ σκήνους θεολαμπία, καθ' ἣν τὸ ζωαρχικὸν καὶ ὁλόφωτον ὥφατο τῆς θεοτόκου σῶμα· τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς, καὶ ἡμέτερον, δι' οὗ ζωῆς ἡμῖν θεοτέρας ἀρχὴν ὁ ζωαρχικὸς Ἰησοῦς ἐχαρίσατο, τὴν ἡμετέραν ἀπαρχὴν ζωῆς ἀρχὴν ποιησάμενος, ἣν ἐκ παρθενικῆς ἑαυτῷ ὑφύος ὑπερφυῶς ἐσχεδίασεν· εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, κατὰ τὸν ἀπόστολον, καὶ τὸ φύραμα ὅλον· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι δήπουθεν· ζωαρχικὸν ἄρα τῆς θεοτόκου τὸ σῶμα, ὅλον αὐτὸ τῆς θεότητος τὸ ζωαρχικὸν ἐσδυξάμενον πλήρωμα.

1) Dicitur Virgo *terrenum caelum*, quod ex terra habuerit naturam, sed utpote caelum terrae sordes non contraxerit.

2) Quae quum *origines* Virginis exhibeant, illas aureas, puras, Deoque dignas ostendunt.

3) Verba Pseudo-Dionysii ex litteris ad Timotheum sic habent: Καὶ ἡμεῖς μὲν οὖν, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνελθόντες, παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων ἀκρότης. *Et nos quidem una tecum multisque sacris fratribus, ceu meministi, ad spectandum corpus illud vitae principium Deumque continens convenieramus, simul vero aderant frater Domini Iacobus, et Petrus supremus ille apostolorum vertex.* Verba quae apud Dionysium sequuntur, eoque pertinent ut laudibus efferant τὴν ἀπειρόδυναμον ἀγαθότητα τῆς θεαρχικῆς ἀοθενείας, accurate expendit et a corruptelis vindicat Petrus Lambecius in comm. de biblioth. caesar. lib. VIII. pagg. 181. seqq.

Digitized by Google

tamen evidentiam haec ex Iohanne damasceno [a]) sumpta aemulantur: « Qualia angelorum satellitia matris illius ex qua vita orta est, obitum cohonestant! Qualia apostolorum Deo afflante proloquia, corporis huius quod Deum suscepit, funus exornant! » Cumulum haec adiiciunt quibus praestantiam virginei sepulcri adhibita similitudine repraesentans [b]) ait: « Quemadmodum enim siquis ingentis pretii unguentum vestibus aut loco alicui imponat rursusque auferat, suavitatis reliquiae etiam ablato unguento restant; ita quoque divinum tuum et sacrum et omnis prorsus maculae expers divinaque fragrantia refertum corpus, copiosa illa gratiae scatebra, quum in sepulchro esset collocatum, moxque ad praestantiorem sublimioremque regionem abreptum, nequaquam sepulcrum honore vacuum reliquit, sed divinum odorem et gratiam impertivit, effecitque ut sanationum, bonorumque omnium fons illis esset qui cum fide accedunt. » Tum [c]) haec, quibus commemorata Virginis assumptione pergit: « Siquidem divinum illud domicilium, illum minime effossum aquae remissionis fontem, illam paternae miserationis olivam vernantibus perpetuo [1]) foliis pulcherrimisque fructibus onustam, terrae penetralibus claudi minime conveniebat. Quin potius sicut sanctum incorruptumque illud corpus, quod Deus

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. IV. pag. 860. D-E. *Οἷαι ἀγγέλων δορυφορίαι τὴν τῆς ζωαρχικῆς μητρὸς καταγλαΐζουσι κοίμησιν· οἷαι ἀποστόλων θεηγορίαι τὴν κηδείαν τοῦ θεοδόχου σώματος μακαρίζουσι.*

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XIII. pag. 867. B-D. *Ὥσπερ γὰρ εἴ τις μύρου πολυτελὲς τοῖς ἱματίοις ἢ τόπῳ τινὶ ἐναπέθοιτο, εἶτα ἀφέλοιτο, ἐναπομένει τῆς εὐωδίας τὰ λείψανα καὶ μετὰ τὴν τοῦ μύρου ἀφαίρεσιν, οὕτω καὶ τῶν τὸ θεῖον σῶμα καὶ ἱερὸν καὶ πανάμωμον καὶ τῆς θείας εὐωδίας ἀνάπλεον, ἡ ἄφθονος κρύπτη τῆς χάριτος, ἐν τῷ τάφῳ τεθὲν, εἶτα πάλιν ἁρπασθὲν πρὸς κρεῖττονα χῶρον καὶ ὑψηλότερον, οὐκ ἀφῆκε τὸν τάφον ἀγίραστον, ἀλλὰ μεταδίδωσι μὲν τῆς θείας εὐωδίας καὶ χάριτος, πηγὴν δὲ τῶν ἰαμάτων καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῖς πίστει προσίουσι τὸ μνῆμα κατέλιπε.*

c) Orat. II. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 876. D-E. *Ἔστι γὰρ τοῦτο τὸ θεοπρεπὲς ἐνδιαίτημα, τὴν ἀνόρυκτον πηγὴν τοῦ τῆς ἀφέσεως ὕδατος, τὴν ἀειθαλῆ καὶ καλλίκαρπον ἐλαίαν τοῦ πατρικοῦ ἐλέου, τοῖς κευεῶσι τῆς γῆς μὴ καθείργεσθαι· ἀλλ' ὥσπερ τὸ ἐξ αὐτῆς τῷ θεῷ λόγῳ ἐνυποστὰν σῶμα τὸ ἅγιον καὶ ἀκήρατον τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μνήματος ἐξανέστατο, οὕτω δὴ καὶ ταύτην ἐξαρπασθῆναι τοῦ τάφου, καὶ πρὸς τὸν υἱὸν τὴν μητέρα μεθαρμοσθῆναι, καὶ ὥσπερ αὐτὸς πρὸς αὐτὴν ἀναφέρεσθαι, τὴν μείζονα καὶ τελειοτέραν σκηνὴν, εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν.*

1) Haec *legalem* exhibent *caussam* inde repetendam, quod Deiparae virorem numquam peccati frigus decoxerit.

Digitized by Google

ex ea personae suae copulaverat, tertia die e monumento surrexit; sic etiam hanc e tumulo abripi, matremque ad filium migrare par erat: et ut ipse ad eam descenderat, sic eam ad maius praestantiusque tabernaculum, hoc est ad ipsum caelum deferri. » Atque haec rursum, quibus Deiparam [a]) primum salutans his verbis, *ave per quam mors expulsa est, vita autem importata,* continuo [b]) sepulcrum alloquens subdit: « Iamvero o sacrorum omnium sepulcrorum, secundum Domini sepulcrum quod vitae initium dedit resurrectionisque fons fuit, sacratissimum, ubi tandem illud sincerum aurum est, quod apostolorum manus in te condiderunt? Ubi inexhaustae opes? Ubi pretiosum monile quod vitam suscepit? Ubi gratiae abyssus? Ubi fons ex quo vita parta est? »

1479. Mihi autem religioni ducerem Germanum constantinopolitanum praeterire, cuius hac de re testimonia sane luculentissima habentur. Luculentissimum namque est quod Deiparam [c]) compellans ait: « Neque enim fieri poterat, ut quae vas fores Dei capax, emortuum corpus corrumpente pulvere diffluueret. Quod enim is qui in te fuerat exinanitus, Deus esset a principio et vita sempiterna, utique par quoque erat, ut vitae mater contubernalis pariter vitae fieret. » Et luculentissimum est quod [d]) virtutem patrocinantis Deiparae extollens scribit: « Tu enim omnino es verae vitae parens, tu fermentum reformationis Adae, tu opprobriorum Evae liberatio; illa pulveris mater, tu mater luminis, illius venter, venter cor-

a) Ibid. §. XVI. pag. 878. D. Χαίροις, δι' ἧς παρωθεῖται μὲν θάνατος, ἡ δὲ ζωὴ εἰσκεκόμισται.

b) Ibid. §. XVII. pag. 878. D-E. Σὺ ὦ τάφον ἱερῶν ἱερώτατε, μετά γε τὸν ζωαρχικὸν τοῦ δεσπότου τάφον, ὃς πηγὴ ὑπῆρξε τῆς ἀναστάσεως, ποῦ χρυσὸς ὁ ἀκίβδηλος, ὃν ἀποστόλων χεῖρες ἐν σοὶ ἐθησαύρισαν; ποῦ πλοῦτος ὁ ἀδαπάνητος; ποῦ τὸ θεοδόχον κειμήλιον; ποῦ ἡ τῆς χάριτος ἄβυσσος; ποῦ ἡ ζωοτόκος πηγή;

c) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 1454. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Οὐδὲ γὰρ ἐνεδέχετό σε θεοχώρητον οὖσαν ἀγγεῖον, τῆς ἀναλύσεως νεκροφθόρῳ διαῤῥυῆναι χοΐ· ἐπειδὴ γὰρ ὁ κενωθεὶς ἐν σοὶ, θεὸς ἦν ἀπ' ἀρχῆς καὶ ζωὴ προαιώνιος, καὶ τὴν μητέρα τῆς ζωῆς σύνοικον ἔδει τῆς ζωῆς γεγόναι.

d) Ibid. Orat. II. pag. 1458. A-B. Σὺ γὰρ εἶ τῆς ὄντως ἀληθινῆς ζωῆς ἡ μήτηρ· σὺ εἶ τῆς ἀναπλάσεως τοῦ Ἀδὰμ ἡ ζύμη· σὺ εἶ τῶν ὀνειδισμῶν τῆς Εὔας ἡ ἐλευθερία· ἐκείνη μήτηρ χοὸς, σὺ μήτηρ φωτός· ἐκείνης ἡ μήτρα, φθορᾶς, ἡ δὲ σὴ γαστὴρ, ἀφθαρσίας· ἐκείνη θανάτου κατοίκησις, σὺ μετάστασις ἀπὸ θανάτου· ἐκείνη βλεφάρων καταχθονισμὸς, σὺ γρηγορούντων ὀφθαλμῶν ἀκοίμητος δόξα· ἐκείνης τὰ τέκνα, λύπη, ὁ δὲ σὸς υἱὸς παγγενὴς χαρά· ἐκείνη ὡς γῆ οὖσα εἰς γῆν παρῆλθε, σὺ δὲ ζωὴν ἡμῖν ἔτεκες, καὶ πρὸς τὴν ζωὴν ἐπανῆλθες, καὶ ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ μετὰ θάνατον, προξενεῖν κατίσχυσας.

Digitized by Google

ruptionis, tuus autem sinus, sinus incorruptionis; illa mortis demoratio et sedes, tu a morte translatio; illa palpebrarum in terram demissio, tu insomnis vigilantium gloria; proles illius, dolor, tuus filius gaudium omnigenum; illa ut terra in terram cessit, tu autem vitam nobis peperisti, et ad vitam rediisti, vitamque hominibus etiam post mortem conciliare potuisti. » Cum his autem opportune conferuntur tum alia, tum [a]) haec: « Corpus tuum corruptioni fuit inaccessum, et naturae lege sepulcro creditum, manet incorruptum. » Haec [b]) item: « Clama, o David, cuiusmodi est praesens festum? Illud, inquit, quod in psalmorum libro celebravi: Christus qui ex ipsa sine semine genitus est, ipsam tamquam puellam *Dei filiam* et virginem transtulit ad supernas mansiones, propterea laetantur matres et puellae et sponsae Christi clamantes: salve quae ad caelestia regna assumpta es. » Atque ista [c]) rursum: « Neque sepulcrum neque mors sibi subiecerunt Deiparam in intercedendo pervigilem et immotam suo praesidio spem; qui enim sinum semper virgineum habitavit, ipsam utpote vitae matrem ad vitam transtulit. Victae in te sunt, o Virgo immaculata, naturae leges, partus enim virginitatem obsignat, et mors vitam conciliat. Post partum virgo, et post mortem vivens serva semper, o Deipara, tuam hereditatem. » A quibus haec minime abludunt [1]) Armeniorum usu recepta: « Conversata in corpore immaculatis moribus, hodie ab apostolis sepulta [2]) superno nutu assumpta es in regnum filii tui

a) *Anatolius* in Men. die XVII. Augusti ad Vesper. pag. 98. col. 1. E. Σῶμά σου τῇ φθορᾷ ἀπρόσιτον ὑπῆρξε, καὶ πρὸς ταφὴν ἐδόθη τῆς φύσεως τῷ νόμῳ, μένει δὲ ἀδιάφθορον.

b) *Iosephus* in Men. die XV. Augusti ad Matut. pag. 82. col. 1. D. Ἀναβόησον Δαυὶδ τίς ἡ παροῦσα ἑορτή; ἣν ἀνύμνησά, φησιν, ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν ψαλμῶν· ὡς θυγατέρα θεόπαιδα καὶ παρθένον μετέστησεν αὐτὴν πρὸς τὰς ἐκεῖθεν μονὰς Χριστὸς, ὁ ἐξ αὐτῆς ἄνευ σπορᾶς γεννηθείς· καὶ διὰ τοῦτο χαίρουσι μητέρες καὶ θυγατέρες καὶ νύμφαι Χριστοῦ βοῶσαι, χαῖρε ἡ μεταστᾶσα πρὸς τὰ ἄνω βασίλεια.

c) *Iohannes damascenus* in Men. die XV. Augusti Ode ϛ'. pag. 84. col. 2. C. Τὴν ἐν πρεσβείαις ἀκοίμητον θεοτόκον, καὶ προστασίαις ἀμετάθετον ἐλπίδα τάφος καὶ νέκρωσις οὐκ ἐκράτησεν· ὡς γὰρ ζωῆς μητέρα πρὸς τὴν ζωὴν μετέστησεν ὁ μήτραν οἰκήσας ἀειπάρθενον.

Ibid. Ode θ'. pag. 87. col. 1. C. Χενίζονται τῆς φύσεως οἱ ὅροι ἐν σοὶ, παρθένε ἄχραντε· παρθενεύει γὰρ τόκος, καὶ ζωὴν προμηνοτεύεται θάνατος· ἡ μετὰ τόκον παρθένος, καὶ μετὰ θάνατον ζῶσα σώζεις ἀεὶ, θεοτόκε, τὴν κληρονομίαν σου.

1) Confess. eccles. armen. pag. 49.

2) De universa historia Deiparae sepultae atque in caelos assumptae videsis Lequienium in notis ad orat. II. Ioh. damasceni de Deiparae dormit. p. 879.

Digitized by Google

et Dei nostri, ut pro iis intercedas qui te confitentur. Verbum incorporeum quod ex te incarnatum est, ulnisque tuis gestatum, o Maria, veniens hodie cum multitudine exercitus angelorum te curru speciem ignis habente ad lucem sine obscuritate elevavit. »

1480. Locupletissima igitur suffragatione maiorum *factum* incorruptae virgineae carnis ita continetur, ut *multiplices* quoque *eiusdem caussae* insigniter explicentur. Iamvero ex facto pariter atque ex adductis eiusdem caussis ea dependent quae ad stabiliendam immaculati conceptus praerogativam illamque dextere tuendam mirifice conferunt. Atque *ex facto* quidem *inprimis* dependet, *fas non esse de Deipara indiscriminatim affirmare, quae alioqui universalia esse atque communia novimus.* Ecquid enim aut corruptione carnis universalius, aut resolutione in pulverem communius? Atqui ab utraque immunis fuit Deipara, quae neque corruptionem passa est, neque resolutionem in nativum pulverem sensit. Tum dependet, *ex iis non pauca quae unius Christi* διαθρόπου *propria sunt, Virgini quoque* διοτόκῳ *benevola participatione convenire.* Unius namque Christi proprium est quod [1]) David praedixit, quodque Petrus [a]) repetiit: *quoniam non derelinques animam meam* [2]) *in inferno, nec* [3]) *dabis* [4]) *sanctum tuum* [5]) *videre corruptionem.* Atqui divina bonitas impediit quominus ipsius etiam Virginis caro tabe corruptionis laederetur. Dependet postremo, *Virginem a poena corruptionis solutam censeri obstrictam eo flagitio non posse, propter quod constituta illa fuit atque sancita.* Porro constituta illa fuit ac sancita propter originalem praevaricationem vel proprio admissam actu vel miserrima hereditate contractam. Necesse igitur est ut Deipara consortio originalis transgressionis integra videatur.

a) Acts. II. 27. Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν.

1) Ps. XV. al. XVI. 9.

2) Nomine ᾅδου, hebraice שְׁאוֹל, loca intelliguntur in infernis terrae partibus (Ephes. IV. 9.) sita, quibus ante Christi adscensum defunctorum animae recipiebantur. Hinc symboli articulus, quo Christum *descendisse ad inferos* profitemur.

3) *Dare*, hebraice נָתַן, valet etiam *concedere* et *permittere*.

4) Codices hebraici variant, quum alii habeant חסידך *sanctos tuos*, alii contra legant חסידך *sanctum tuum*. Sed hanc alteram lectionem unice sinceram esse, ostendunt maior codicum numerus, versiones antiquae, contextus et Petri allegatio. Cf. Bernardum de Rossi var. lectt. ad h. l. et in supplem. ad var. lectt. ad h. l.

5) Solemne fuit Hebraeis verbo *videre*, רָאָה, id etiam efferre quod nos *experiri* dicimus.

Digitized by Google

1481. Quod multo apparebit liquidius si *ad caussas* attendatur, quibus ex doctrina maiorum effectum est ne Deipara corruptionem experiretur. Licet enim *eiusmodi caussae in se sint variae ac multiplices, mutuo tamen cohaerent, et a praerogativa immaculati conceptus seiungi nequeunt.* Et in se quidem variae sunt ac multiplices, quum I. veluti caussa proponatur *antithesis*, quam Deus inter utramque Evam constituit, et qua repetendum est *ut secunda Eva prioris opprobria deleret, atque hac in pulverem resoluta, illa incorrupta maneret.* Quum II. veluti caussa proponatur *analogia*, quae non tulit *ut Deipara a ceteris Evae poenis soluta, damnatione corruptionis obligaretur.* Quum III. veluti caussa proponatur [1]) *naturalis Deiparae cum Verbo incarnato affinitas et cognatio, propter quam sicut ipsa vere fuit aula Dei, capax Dei tabernaculum, totam in se suscipiens vitalem deitatis plenitudinem; ita ipsius caro fuit caro Christi, dignaque omnino ut de illa quoque impleretur, non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quum IV. veluti caussa proponatur *oeconomia Deiparae propria, qua genuit omnium vitam et qua, morte expulsa et corruptione profligata, universalem attulit incorruptionem.* Et quum V. veluti caussa proponatur *ratio legis*, qua Deus in universum hominum genus corruptionis poena animadvertit. Ea namque fuit originalis transgressio, et eiusdem in universam posteritatem diffusio. *Sed Deipara nulla fuit peccati nube depressa, nulla vitae macula respersa, omnis expers naevi, columba innocentissima, semper vernans, sola gratia plena, tota pulcra ab ortu in finem, aurum sincerum, ex auro condita et divinitus fabricata, filia Dei, soboles benedictionis, et ea sanctitate eaque iustitia insignis, ut sola non minus a quavis corruptione abhorruerit, quam Deum concipere Deumque parere meruerit.*

1482. Etsi vero caussae incorruptae virgineae carnis a maioribus propositae ex sese variae sint ac multiplices, penitissime tamen cohaerent, et quum principe loco haberi debeat *caussa theologica*

1) Hinc illa Bernardi de assumpt. serm. I. n. 2: »Quem in castellum mundi huius intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exsultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in caelis regali solio, in quo Mariam hodie Mariae filius sublimavit:« Et n. 4: »Christi generationem et Mariae assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiae in terris adepta est prae ceteris, tantum et in caelis obtinet gloriae singularis.« Atque hinc illa ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pag. 166:

» Laetetur mater ecclesia, » In Trinitatis solio
» Nova colens solemnia, » Iuncta est rosa lilio.

Digitized by Google

divina maternitate comprehensa, hanc necessaria conspiratione reliquae omnes excipiunt. Excipit enim, ut quisque facile cernit, et nos plus semel aperuimus, *caussa antithetica*, excipit *caussa analogica*, excipit *caussa oeconomica*, atque ipsa etiam excipit [1]) *caussa legalis*. Atqui *legalis caussa* non differt ab illius transgressionis consortio, quae corruptionis poena mulctata divinitus fuit. Eccur igitur Deipara sepulcri tenebras subiit? Eccur vitae mater mortualia ligamenta sustinuit? Non ideo sane quod horum debito teneretur, quum a legali caussa indictae corruptionis libera esset ac expedita. Subiit ergo sepulcrum, fasciasque mortuarias sustinuit ut Filium in semetipsa [a]) ad unguem exprimeret.» Si incomprehensibilis eius fructus, per quem caelum exstitit, tamquam mortalis sponte sepulcrum tulit, ecquonam pacto quae viri nescia ipsum protulit, sepulcrum devitaret?».

1483. Quibus plane moneor ut animum ad ea convertam, quae *de Deiparae obitu* veterum monimentis consignata reperiuntur. Ponamus enim maiores nostros in ea fuisse opinione versatos, qua Deiparae origines labe infectae existimantur. An iidem potuissent de illius morte dubii esse et ancipites? An potuissent illam a moriendi debito solutam praedicare? An potuissent stupore percelli, quod beatissima illius anima integerrimum corpus dereliquisset? An potuissent anxie caussas propemodum venari, quibus factum defunctae Virginis explicarent? Haec omnia absurda forent, et indigna prorsus quae commemorarentur. De iis namque omnibus qui originali praevaricatione laesi concipiuntur, sempiternis litteris [2]) scriptum est: *statutum est hominibus semel mori: sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: in omnes homines*

a) *Iohannes damascenus* in Men. die XV. Augusti Ode d^{ν}, pag. 64. col. 1. A. Εἰ ὁ ἀκατάληπτος ταύτης καρυὸς, δι' ὃν οὐρανὸς ἐχρημάτισε, ταφὴν ὑπέστη ἑκουσίως, ὡς θνητὸς, πῶς τὴν ταφὴν ἀρνήσεται ἡ ἀπειρογάμους κυήσασα;

1) Haec caussarum copulatio ostendit quam nihil ii agant, qui praerogativam immaculati conceptus cum praerogativa incorruptionis iunctam ideirco negant, quod patres multiplices huius caussas ab immunitate originalis transgressionis diversas in medium proferant. Videlicet I. hae omnes caussae cum illa cohaerent, illamque *adsignificant*; et praeterea II. ipsam ipsam caussam non infrequenter usurpant. Hoc igitur III. est reliquum, ut immaculati conceptus coniunctio cum praerogativa incorruptionis nunc *mediate* et nunc *immediate* significata censeatur.

2) Hebr. IX. 27., I. Cor. XV. 22., II. Cor. V. 14., Rom. V. 12-14.

Digitized by Google

mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.

1484. Iamvero, ut hinc exordium sumam, non defuerunt sanctissimi patres qui de morte Virginis dubitarint. Et dubitavit sane [a]) Epiphanius, conceptumque animo dubium his verbis expressit: « Quamquam [1]) non prorsus affirmo, neque aut immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit, confirmare possum. Quippe Scriptura humanam mentem praetergressa rem in incerto reliquit, propter vas illud eximium ac praestans, ne quis carnis propriam ullam ei foeditatem adscribat. » Sed in incertum ne Scriptura reliquit, utrum ii omnes mortui sint, quorum conceptum originalis noxa vitiarit? Nihil minus. Horum igitur numero Deiparam Epiphanius non comprehendit, quemadmodum etiam adiuncta ab eo silentii caussa patefacit. Eccur enim de obitu Deiparae Scripturae tacuerunt? Quod tanta fuerit illius praestantia, tantaque dignitas, ut nulli obnoxia naevo censeri possit. An igitur censeri obnoxia poterit originali foeditati, quae animum dehonestat, corpusque reddit carnem peccati? Similis dubitatio, neque dissimilis dubitandi

a) Haeres. LVIII. al. LXXVIII. adver. antidicomarianitas §. XI. pag. 1043. D. opp. T. I. *Οὐ πάντως δὲ ὁρίζομαι τοῦτο, καὶ οὐ λέγω ὅτι ἀθάνατος ἔμεινεν, ἀλλ' οὔτε διαβεβαιοῦμαι εἰ τέθνηκεν· ὑπερίβαλε γὰρ ἡ γραφὴ νοῦν τὸν ἀνθρώπινον, καὶ ἐν μετεώρῳ εἴασε, διὰ τὸ σκεῦος τὸ τίμιον καὶ ἐξοχώτατον· ἵνα μή τις ἐν ὑπονοίᾳ γένηται περὶ αὐτῆς σαρκικῶν πραγμάτων.*

1) Nihil quidem praetermittit Epiphanius ut collyridianos refellat atque profliget, qui beatissimae Virgini per summum nefas deitatem tribuentes, illam mortis funditus expertem, et Henochi instar atque Eliae in caelum translatam arbitrabantur. Et ne suffragio Scripturae prorsus destituti viderentur, ad ea provocabant quae legimus Apoc. XII. 13-14: *et postquam vidit draco quod proiectus esset in terram, persequutus est mulierem quae peperit masculum; et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis*. Ceterum haeresi, uti par erat, dissecta, de ipso Deiparae obitu suspensus haeret, animumque ancipitem in medio veluti continet. Sed enimvero quamquam Scriptura sileat, et Epiphanius ambigat, nos tamen citra omnem dubitationem profitemur, beatissimam Dei genitricem supremum obiisse diem, mortemque gustasse. Quam quidem certissimam persuasionem tum alia tuentur, tum recepta apud Graecos loquendi ratio, qua festum assumptae Deiparae nuncupant ἑορτὴν τῆς κοιμήσεως, *festum obdormitionis*, non quidem ut Virginis ἀνάληψιν εἰς οὐρανὸν *assumptionem in caelum* denegent, sed ut suam fidem adversus collyridianos patefaciant. Immo etiam ut vocabulo ipso testentur, se ab illorum dissidere opinione, qui, Epiphanio referente in haeresi antidicomarianitarum, innixi Symeonis verbis apud Lucam cap. II. 34-35. contendebant, sacrosanctam Deiparam cruentum christianae fidei subiisse martyrium et gladio occubuisse. Est namque κοίμησις lenioris significationis vocabulum quam θάνατος, et metaphora praesius accepta, non quamlibet praefert *mortis* speciem, sed illam duntaxat quae *somni instar et obdormitionis* est placidissima.

Digitized by Google

caussa occurrit [1]) in prisco de assumpta Virgine sermone, qui olim Augustino tributus adscribi deinceps Fulberto consuevit. Aberant igitur perquam vehementer maiores nostri ab ea opinione, qua Virginis exordia maculata perhibentur.

1485. Verum nonne plerique omnes illam vita functam testantur? Ita plane, et iure [2]) quam qui optimo. Monent tamen nullo moriendi debito Deiparam fuisse obnoxiam, stupent quum illam exanimem contemplantur, easque promunt mortis caussas quae a consortio originalis culpae funditus abhorrent. En quae ex recepta penes Armenios doctrina scribit [3]) narecensis Gregorius: « Evolasti in alta caelorum, utpote caro dissolutionis et corruptionis non patiens, a qua rubore suffusum mortis debitum refugit: facta es incola terrae viventium, et vitae Domini tui consors, o sancta Domini mater. » En quae tradit [a]) Iohannes damascenus: « O quomodo vitae fons ad vitam media morte trahitur! O quomodo quae pariendo naturae leges excesserat, nunc eius legibus cedit, *et corpus immaculatum* morti subiicitur! Oportet enim hoc mortali [4]) posito, induere incorruptionem, quandoquidem naturae Dominus mortis periculum facere non recusavit. » Quibus ista [b]) respondent: « Hodie [5]) vitae thesaurus, gratiae abyssus vivifica morte obtegi-

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 864. E. *Ὡ πῶς ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς πρὸς τὴν ζωὴν διὰ μέσου θανάτου μετάγεται· ὦ πῶς ἡ ἐν τῷ τόκῳ τοὺς ὅρους ὑπερβᾶσα τῆς φύσεως, τῶν ὑποκύπτει τοῖς ταύτης θεσμοῖς, καὶ θανάτῳ τὸ ἀκήρατον καθυποβάλλεται σῶμα· δεῖ γὰρ αὐτὸ θνητὸν ἀποθέμενον τὴν ἀφθαρσίαν ἀμφιάσασθαι, ἐπεὶ καὶ ὁ δεσπότης τῆς φύσεως τὴν τοῦ θανάτου πεῖραν οὐκ ἀπηνήνατο.*

b) Orat. II. in Deiparae dormit. §. II. pag. 870. A-D. *Σήμερον ὁ τῆς ζωῆς θησαυρὸς, ἡ τῆς χάριτος ἄβυσσος θανάτῳ ζωηφόρῳ καλύπτεται, καὶ τούτῳ ἀδείμαντος πρόσεισιν ἢ τούτου καταλυτὴν κυήσασα, εἰ καὶ θάνατον προσωγορεῦσαι χρεὼν τὴν αὐτῆς πανίερον καὶ ζωτικὴν ἀποβίωσιν· ἡ γὰρ τοῖς πᾶσι τὴν ὄντως ζωὴν ἀναβλύσασα, πῶς θανάτῳ γένοιτ' ἂν ὑποχείριος; ἀλλ' εἰκαῖ τῷ τοῦ οἰκείου τόκου θεσμοθετήματι, καὶ ὡς θυγάτηρ μὲν τοῦ πάλαι Ἀδὰμ τὰς πατρικὰς ἀδῖνας ὑπερίσχεται· ἐπεὶ καὶ ἡ ταύτης υἱὸς, ἡ αὐτοζωὴ, ταύτας οὐκ ἀπηνήνατο· ὡς δὲ θεοῦ ζῶντος μήτηρ ὑπάρξασα, πρὸς αὐτὸν ἀξίως μεταχωμίζεται.*

1) Orat. de Virginis assumpt. pag. 660. col. 1. A-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

2) Cf. Baronium ad annum XLVIII. nn. 11-12. et Trombellium in vita Deiparae P. I. diss. XXXXV. q. I. nn. 1. seqq.

3) Orat. de laudibus Deiparae pag. 63. edit. Venet. MDCCCXXVII.

4) I. Cor. XV. 55.

5) Quamquam nulla facile sit doctrina testatior, quam mortem in hoc quo degimus ordine, stipendium esse suppliciumque peccati: huic enim pari evidentia suffragantur Scripturae oracula, synodorum decreta, patrum auctoritas et scholae unanimis consensus; mirum tamen quantopere fallerentur qui neminem nisi propter peccatum vita functum contenderent. Emisit namque spiritum Christus, sed ut pec-

Digitized by Google

tur, ac sine metu ad eam illa accedit, quae ipsius profligatorem pepererat, modo tamen mortem sacrosanctum et vitalem eius obitum appellare liceat. Nam quae veram vitam cunctis protulit, qui tandem morti subdita fuisset? Sed cedit legi ab eo latae quem genuit, et ut filia veteris Adami paternam sententiam [1]) subit. Nam et eius filius qui vita ipsa est, eam non recusavit: ut autem Dei viventis mater ad eum merito transfertur. » Et [a]) mox: « Ipsius enim adspectum mors quoque pertimuit, quippe quae quum ipsius filium adorta esset, ex his quae pertulit erudita, periculo suo prudentior evaserat. » Ac [b]) rursum: « Papae, papae, fons vitae, Domini mei mater moritur? Oportebat enim ut quod e terra conflatum erat, ad terram reverteretur, atque ita in caelum transmitteretur. »

1486. Suffragatur praeclara oratione [c]) Andreas cretensis in-

a) Ibid. §. III. pag. 870. E. Ταύτῃ καὶ προσβλέπων ὁ θάνατος δέδοικε· τῷ γὰρ αὐτῆς υἱῷ προσβαλὼν, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε, καὶ πύρα μαθὼν σεσωφρόνισται.

b) Orat. III. in Deiparae dormit. §. III. pag. 884. B-C. Βαβαὶ βαβαὶ, τέθνηκεν ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς, ἡ τοῦ κυρίου μου μήτηρ· ἔδει γὰρ τὸ ἐκ γῆς συντεθὲν παλινοστῆσαι πρὸς γῆν, καὶ οὕτω μεταναστῆσαι πρὸς οὐρανόν.

c) Orat. in Deiparae dormit. pag. 149. D-E. apud Gallandium T. XIII. Καὶ γὰρ εἰ χρὴ λέγειν τ' ἀληθῆ, καὶ μέχρις αὐτῆς ὁ φυσικὸς τῶν ἀνθρώπων ἐχώρησε θάνατος, οὐ

catum tolleret, nullatenus vero ut poenam contracti sceleris lueret. *Principio* itaque secerni accurate debet *moralis causa mortis ab efficiente eiusdem causa:* quum enim illa sit originale peccatum, quo primus homo tam sibi quam universae posteritati praeternaturale bonum immortalitatis amisit, haec vicissim ex ipsa humanae naturae indole ac temperie repetenda est. Praeclare Augustinus de Gen. ad litt. lib. VI. cap. XXV: « Quodammodo creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitae, non de conditione naturae. Mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. Non enim immortale erat quod omnino mori non posset, quod non erit nisi quum fuerit spirituale. » *Ad haec* animadverti debet, nihil impedire quominus moralis causa mortis eademque demeritoria praeternaturalis boni immortalitatis seiungatur a causa physica et efficiente. Ac seiunctam reipsa credimus in Christo Iesu, cuius *mors*, teste Augustino tract. III. in cap. I. Iohannis, *munus* fuit *misericordiae, non poena peccati.* Sed quamquam non fuerit poena peccati, nihil tamen verius quam Christum (de civ. Dei lib. XIII. cap. XXIII.) *tale habuisse corpus, quale necessitatem habebat moriendi:* et nihil verius quam (de peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXIX.) *quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluisse ab ipsa exortum infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus.* Porro si contingit, ut moralis causa mortis ab efficiente atque physica separetur, tum mors ipsa non *poena* sed *poenalitas* et effectus suapte sponte consequens ex naturae ordine praeternaturalibus destituto donis existimari debet. De quo poenae et poenalitatis discrimine dignus est qui prae ceteris consulatur Aquinas in S. I. II. q. LXXXVII. a. VII. Iamvero obiit quidem Deipara, sed eius mors quin poena fuerit ac supplicium, non aliam praetulit rationem nisi poenalitatis ac defectus, qui humanam naturam praeternaturali immortalitatis charismate destitutam intestino nexu comitatur. Ergo I. verba Pauli, *et per peccatum mors*, nequeunt de Virgine sic accipi, ac si eiusdem mors poena fuerit contractae labis. Ergo II. nequeunt ad Virginem nisi hoc sensu referri, quod per originale peccatum humanum genus praeternaturali immortalitatis bono fuerit exspoliatum. Ergo III. summopere falluntur, qui ex Virginis obitu hereditariam eiusdem culpam inferendo deducunt.

1) Propter consortium ne paternae transgressionis? Hunc sensum plane reiiciunt sequentia. Subiit ergo Deipara paternam sententiam, non uti *poenam*, sed uti *defectum* qui ex esse humanam naturam comitatur, et cui Deus concesso *praeternaturali* immortalitatis dono consuluerat.

Digitized by Google

quiens: « Quippe ut quod est vere fateri oporteat, et ad hanc usque progressa est mors [1]) hominum naturalis, non tamquam velut carcere cohibuerit, quemadmodum in nobis accidit, vel sibi subiecerit: apage, nisi quantum oportuit ut somnum illum ceu exstaticum quemdam, ut ita dicam, impetum experiretur, quo a terrenis ad bona illa in spe posita in deiformem quemdam statum immutati transmittimur: ac qualis exempli caussa fuit primus ille somnus quem primus dormivit homo, quum costa ad humanam explendam speciem subtracta, quod deesset abstractae partis recepit. » Quam imaginem ad Deiparae obitum continuo [a]) transferens pergit: « In hunc arbitror modum soporata et ipsa quidem gustavit mortem, haud tamen detenta mansit, nisi tantum ut naturae cederet legibus ac dispensationem impleret quam ab initio providentia omnia pervadens in hominum genus fixisset ac voluisset immotam. Quum enim iuxta divinum oraculum non sit homo qui vivat et non sit visurus mortem: erat autem homo et etiam homine potior quam celebramus; probatum utique perspicue manet eamdem et ipsam nobiscum naturae legem implesse, etsi non ea qua ipsi, sed altiori et supra hominem ratione ac praeter eam qua id ipsi omnino cogimur sustinere. »

1487. Quibus plenius assequendis e re fuerit haec memoria reputasse quae Germanus constantinopolitanus [b]) Deiparam alloquens

μὴν καθείρξας, ὡς ἐν ἡμῖν, ἢ χειρωσάμενος· ἄπαγε· ἢ ὅσον αὐτοῦ ὕπνου πεῖραν λαβεῖν, ἐκείνου τοῦ πρὸς τὰ ἐλπιζόμενα τῶν τῇδε ἡμᾶς, ὥσπερ τινὸς ἐκστατικῆς ἵν' οὕτως εἴπω, φορᾶς πρὸς θειοτέρᾳ μεταποιουμένους κατάστασιν παραπέμποντος· ὡς φέρε εἰπεῖν, τὰ κατὰ τὸν πρῶτον ὕπνον ἐκεῖνον, ὃν ὁ πρῶτος ὑπνωσεν ἄνθρωπος, καὶ τὴν πλευρὰν ἀφῃρέθη πρὸς τὴν τοῦ καθ' ἡμᾶς εἴδους συμπλήρωσιν, καὶ τοῦ ἀφαιρεθέντος μέρους τὸ λειπὸν ἀπείληφε.

a) Ibid. pag. 149. D-E. *Τούτῳ οἶμαι τῷ τρόπῳ καὶ αὐτὴ φυσικῶς ἀφυπνώσασα, θανάτου μὲν ἀπεγεύσατο, οὐ μὴν δι' ἡμονὴν κάτοχος, ἢ ὅσον τοῖς φυσικοῖς εἶχε θεσμοῖς, καὶ τὴν οἰκονομίαν πληρῶσαι, ἣν ἐξ ἀρχῆς ἡ πάντων δίκοῦσα περὶ ὑμᾶς ἐπήξατο πρόνοια· εἰ γὰρ οὐκ ἐστι, κατὰ τὸ λόγιον, ἄνθρωπος ὃς ζήσεται καὶ οὐκ ὄψεται θάνατον· ἄνθρωπος δὲ καὶ ἀνθρώπων ἐπέκεινα καὶ ἡ νῦν ὑμνουμένη, δι' ἐδείκτου δήπου τρανῶς, ὡς καὶ αὕτη τὸ ἴσον ἡμῖν ἐκπεπλήρωκε νόμον τῆς φύσεως, εἰ καὶ μὴ καθ' ἡμᾶς ἴσως, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμᾶς, καὶ τὴν αἰτίαν ὑπὲρ ἧς τοῦτο πάντως παθεῖν ἀναγόμεθα.*

b) Orat. I. in Deiparae dormit. pag. 1453. B-E. apud Combefis. Auctar. T. I. *Μετέστης γοῦν τῶν ἐπιγείων, τοῦ δείχθῆναι τὸ τῆς φθορᾶς ἐνανθρωπήσεως βεβαιούμενον ἀφαντάστως μυστήριον· ὃν τρόπον καὶ ὁ σὸς υἱὸς καὶ πάντων θεὸς, καὶ αὐτὸς, ὅσον εἰπεῖν, δι' ὅλου τὸν παντὸς ἀποθήσκοντα τοῦ γένους ἡμῶν ἄνθρωπον, τοῦ ὁμοίου σαρκικῶς ἀπεγεύσατο θανάτου.*

1) Scite mors Virginis dicitur *naturalis*, ne quis de *poenali* eiusdem morte cogitare posit.

Digitized by Google

scribit: «Migrasti ergo ex humanis, ut horrendae incarnationis sacramentum non phantasia sed solida veritate constans innotesceret. Quo etiam modo filius tuus ac Deus universorum ob nostrum, ut ita dicam, universi generis mortuum hominem, similem et ipse mortem carne gustavit.» Hinc quae in libris ecclesiasticis solemnibusque officiis [a]) passim frequentantur: «Quomodo subiacuisti morti quae inferni profligatorem peperisti, et eum qui mortuis hominibus per te vitam largitus est? Stupor et exstasis perculit Verbi mystas te, o immaculata, mortuam videntes et sine voce, te vitae matrem. Retulisti, o innocens, victricia supra naturam praemia quum Deum peperisti; similiter autem factorem tuum filiumque imitata super naturam naturae legibus caput submittis; propterea mortua cum filio excitaris semper victura. Ex te vita progerminavit, non resignata virginitate; quomodo igitur immaculatum tabernaculum tuum vitaeque principium experimentum mortis cepit? Mirum non est Virginem mori mundo salutiferam, quum mortuus carne sit mundi conditor. Vivit semper Dei mater, etsi die decima quinta mortem obierit. Iesus filius tuus et Dominus noster, o Deipara, duas praestans suimetipsius naturas, ut homo quidem

a) *Iosephus* in Men. die XIV. Augusti Ode α'. pag. 74. col. 2. C. Νίκρωσιν πᾶς ὑπέστης ἡ τὸν νεκρωτὴν ᾅδου κυήσασα, καὶ νεκροῖς τοῖς ἀνθρώποις διὰ σοῦ τὴν ζωὴν χαρισάμενον;

Ibid. Ode δ'. pag. 75. col. 2. A. Θάμβος εἶχε καὶ ἔκστασις τοὺς τοῦ λόγου μύστας ὁρῶντας, ἄχραντε, σὲ νεκρὰν οὖσαν καὶ ἄφωνον, τῆς ζωῆς μητέρα χρηματίζουσαν.

Cosmas ibid. die XV. Ode α'. pag. 83. col. 1. B. Νικητικὰ μὲν βραβεῖα ἥρω κατὰ τῆς φύσεως, ἁγνὴ, θεὸν κυήσασα· ὅμως μιμουμένη δὲ τὸν ποιητήν σου καὶ υἱὸν ὑπὲρ φύσιν ὑποκύπτεις τοῖς τῆς φύσεως νόμοις· διὸ θνήσκουσα σὺν τῷ υἱῷ ἐγείρη διαιωνίζουσα.

Iohannes damascenus ibid. Ode ς'. pag. 84. col. 2. B. Ἐκ σοῦ ζωὴ ἀνατέταλκε, τὰς κλεῖς τῆς παρθενίας μὴ λύσασα· πῶς οὖν τὸ ἄχραντον, ζωαρχικόν τέ σου σκήνωμα τῆς τοῦ θανάτου πείρας γέγονε μέτοχον;

Ibidem in stichis post Synaxarium, pag. 83. col. 2. E.

Οὐ θαῦμα θνήσκειν κοσμοσώτειραν κόρην,
Τοῦ κοσμοπλάστου σαρκικῶς τεθνηκότος.
Ζῇ ἀεὶ θεομήτωρ, κἂν δεκάτῃ θάνῃ πέμπτῃ.

Leo imperator die XVII. pag. 102. col. 1. E. Πιστούμενος Ἰησοῦς ὁ υἱός σου, θεοτόκε, καὶ θεὸς ἡμῶν τὰς δύο φύσεις αὐτοῦ, ὡς μὲν ἄνθρωπος θνήσκει, ὡς δὲ θεὸς ἐξανίσταται· καὶ σὺ, θεομῆτορ, νόμῳ φύσεως θανεῖν εὐδόκησεν, ἵνα μὴ τοῖς ἀπίστοις φαντασία νομισθῇ ἡ οἰκονομία.

Iosephus ibid. die XVI. Ianuarii Ode γ'. pag. 126. col. 1. D. Ἔστη μέχρι σοῦ ὁ θάνατος τῆς ἀκαταισχέτου ὁρμῆς· σὺ γὰρ μόνη ἔτεκες τὴν πηγὴν τῆς ἀθανασίας, θεοτόκε μητροπάρθενε.

Digitized by Google

moritur, ut Deus autem resurgit. Te quoque, o Dei mater, disposuit legi naturae obsequi, ne infidelibus oeconomia species ac phantasia videretur. Mors suo impetu invicta ad te usque constitit; tu namque sola, o Deipara virgo mater, immortalitatis fontem peperisti. »

1488. Mirantur ergo stupentque maiores dum Deiparam vita functam contuentur. Quanam vero de caussa? Quod aliena ipsa fuerit a poenali mortis debito, et quod mors ipsius etiam adspectum trepida devitarit. Ecquis enim fieri poterat ut mortis imperio subiiceretur, quae fuit *vitae fons, vitae thesaurus, vitae mater, fontemque peperit immortalitatis?* Quae *veram vitam cunctis protulit, nostrumque genus a mortalitate liberavit?* Quae *supra communes naturae leges reliquis hominibus splendidissime antecelluit?* Et quae *vas fuit eximium, praestantissimum, nullius patiens sordis, immaculatum et undequaque purissimum?* Mortua nihilominus est, supremumque diem obiit? Utique: sed I. *ut filium imitaretur,* qui impollutus licet et a peccatoribus segregatus, *propter* [1]) *delenda* tamen *peccata* mortem gustavit. Sed II. *ne cui ansa foret suspicandi, incarnationis sacramentum sola nudaque specie constitisse.* Sed III. *ut nostrae non quidem labis, verum naturae* [2]) *consors appareret.* Sed

1) Sunt haec Augustini verba ex conc. II. in Ps. XXXIV. n. 3., qui de peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXIX. n. 48. de Christo subdit: « Quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exortus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus. » Iuverit autem et ea recoluisse quae Andreas cretensis tradit tum oratione in ramos palmarum pag. 145. D-E. apud Gallandium T. XIII., tum oratione in Deiparae dormitionem pagg. 147-148. ubi filii matrisque obitum mutuo componens, de obitu filii ait: Ἔχειν δέ, οἶμαι, μὴ πάντη τὰς ἀρχαίας ἀρὰς ἀποτεθῆναι τὰ ἐρριζώσατο· διὸ γὰρ ἦν φωνή, τοὺς ἅπαξ ἀπὸ γῆς πεφυχθέντας εἰς γῆν ἐπανάγεσθαι· ὅτι μὴ τῆς ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ δουλείας ἡ πρὶν ἀποφαυθεῖσα φύσις τοὺς ἀπελευθέρωτο· ἔδει δὲ τὸν κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθέντα χωρὶς ἁμαρτίας, πάντα ἐν αὐτῷ τὰ τῆς φύσεως παραδεῖξαι γνωρίσματα· ὃς διὰ τοῦτο, θεὸς ὤν, ὑπὲρ φιλανθρωπίας ἐγένετο ἄνθρωπος· καὶ παθὼν ἀπηγιάσατο πρὸς ἔνδειξιν τῆς πρὸς ἡμᾶς οἰκειώσεως, εἴ πω τοῖς τοῦ ἀπαθοῦς παθεσιν ἔξω παθῶν καταστείημεν· τοῦτο γὰρ καὶ φθορᾶς πεῖραν λαβεῖν κατεδέξατο, καὶ θανάτῳ προσομιλῆσαι, καὶ τὴν ἡμετέραν τοῦ ᾅδου χάριν καταλαβεῖν, ἵν' ἡμεῖς τῶν ἐντεῦθεν ἀπαλλαττόντες δεσμῶν, εἰς ἀφθαρσίαν μετακομισθείημεν. *Par autem, quod existimo, erat ne prorsus antiquae maledictionis iura abolerentur. Quippe divinitus latum decretum erat, ut qui semel e terra educti essent, in terram reverterentur; nondum natura quae tracta e terra fuerat consequuta libertatem a servitute, quae ortu interituque continetur. Plane autem oportebat, ut qui per omnia factus esset fratribus similis excepto peccato, omnia naturae velut insignia in seipso ostenderet: qui propterea Deus existens, impensiori in humanum genus studio factus esset homo, humanasque gustasset affectiones, ut suam in nos homines magnitudinem proderet, si quando eius affectionibus qui ab affectionibus erat immunis, immunes ipsi et liberi ab affectionibus redderemur. Propterea etiam interitionis periculum facere sustinuit ac subire mortem et ad tristem inferni regionem venire, ut ipsi infernis exuti vinculis in incorruptionem transferremur.*

2) Scite Leo Augustus oratione in Deiparae dormitionem pag. 1735. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I., qui commemorato Deiparae obitu, exclamat: Τί τοῦτο; ἢ βούλεται ἡ τοῦ πράγματος οἰκονομία τὴν κοινὴν τὰς τοῦ πλάσματος ἀναπλάσεων αἰτίαν, τὴ κοινῇ τῶν ἀνθρώπων τὰς ἐντεῦθεν ἀναχωρήσεως συνηθείᾳ, καὶ αὐτὴν ἀπαιρεῖν, ἵνα μὴ τὰ πάντα καινοτομεῖν, τὸν φύσιν τὰς συγγενείας χωρίζεται; *Quidnam hoc rei est? An postulat rei oeconomia, ut ipsa etiam quae humanae instaurationis communis caussa esset, communi hominum e vivis hinc excedentium consuetudine emigraret, ne rerum omnium innovatio naturam necessitudine suaque affinitate privet?*

tandem IV. *ut supra naturam naturae legibus morem gereret, quemadmodum supra easdem leges virgo concepit et virgo peperit.* Quare priscam vulgatamque penes maiores doctrinam complexa est hierosolymitana synodus anno MDCLXXII. contra calvinianos, praeside Dositheo, celebrata, quum ex homilia Cyrilli Lucaris retulit suoque suffragio comprobavit [a]) quae sequuntur: « Nullam u contagione peccati [1]) mortis suae caussam habuit Virgo sanctissima, sed ex ipsis dumtaxat naturae principiis, quibus vel ante peccatum homo constabat; morti quippe suapte natura [2]) obnoxius erat ille, quamvis optima. Id vero beneficii Deus illi contulit, ut in eo nequaquam operante natura sed gratia, immortalitatem sibi conciliaret. Hoc ipsum et sanctissimae Deiparae contigit, quae etsi bonis affluebat, ac peccatum nesciebat vel minimum, eadem illa quae morti addicunt hominem, naturae elementa gestabat, ac pariter subinde mortalis erat. Verum eam a Deo gratiam obtinuit, ut mortem, si ita voluisset, numquam obiret, sed caelo etiamnum vitae compos inferretur: hac tamen praerogativa uti noluit. »

a) Synod. hierosolym. cap. I. pagg. 355-356. edit. Kimmel. Ἡ παναγία παρθένος ὁπου ἐκοιμήθη, ἡ αἰτία τῆς κοιμήσεως της δὲν ἦτον ἐξ ἁμαρτίας, μόνον ἀπὸ ταῖς ἄλλαις αἰτίαις ταῖς φυσικαῖς, ταῖς ὁποίαις καθὼς ὁ ἄνθρωπος ταῖς εἶχε καὶ πρὶν ἁμάρτῃ, καὶ ἦτον ὑποκείμενος τῇ φθορᾷ φυσικὰ ἂν καλά· καὶ ὁ θεὸς τὴν εἶχε χάριν δόσμένην, νὰ μὴν ἐνεργῇ εἰς ἐκεῖνον ἡ φύσις, μόνον ἡ χάρις, καὶ δὲν ἠμπορεῖ νὰ ἀποθάνῃ· οὕτω καὶ εἰς τὴν παναγίαν, ἥτις ἂν καλὰ καὶ ἁμαρτίαν δὲν εἶχε, πλὴν εἶχεν ἐν ἑαυτῇ τὰ φυσικὰ, καὶ ὡς ἄνθρωπος ὑπέκειτο τῷ θανάτῳ· ὅμως εἶχεν ἀπὸ τὸν θεὸν τοιαύτην χάριν, ὁπου ἂν θέλῃ, δὲν ἀπέθανε, μόνον ἔτζι ζῶσα ἐπήγαινεν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, πλὴν οὐκ ἐβούλετο.

1) Quid ergo si forte ab uno alterove ex antiquis Virgo *propter peccatum* mortua affirmetur? Intelligendum id est non de peccato quod innocentissima Virgo admiserit aut contraxerit, sed quo factum est ut humana natura *dono* expoliata quo poterat non mori, suisque permissa elementis neque praeter insitam conditionem evecta, physicae moriendi necessitati obnoxia evaserit.

2) Prudenter dicitur *suapte natura*, unde haec nihil cum iis cognationis habent quibus Prosper in carmine de Ingratis cap. I. explanans pelagianam haeresim canit:

» Dogma quod antiqui satiatum felle draconis
» Pestifero vomuit coluber sermone britannus
» Hac primos homines creatos ditione ferebat:
» Ut seu praeceptum mandatum transgrederetur,
» Sive inculpati, servata lege, manerent,
» Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
» Oppeterent. Quae non peccato parta, sed ipso
» Instituente Deo, comes esset fixa creatis.
» Progenitos igitur nullum traxisse reatum
» De patribus, neque dissimiles nunc nascier illo
» Ortu primorum, qui libertate male usi
» Peccarunt, forma nocui, non semine proli.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De lege qua Deus Gen. III. 16. *in Evam ac mulieres omnino omnes originalis transgressionis consortes animadvertit: ostenditur Deiparam huic legi nulla ex parte fuisse subiectam: quid cum hac praerogativa nexum censeri debeat, et quam haec apte ad asserendum tuendumque immaculatum Deiparae conceptum adhibeatur.*

1489. Eiusmodi non est originale peccatum, quod aut uno se indicio signoque prodat, aut ex quo nonnisi unus alterve effectus dimanarit. Immo quemadmodum profecti ex eo effectus varii sunt ac multiplices, et ad utrumque ordinem *praeternaturalem ac supernaturalem tam ethicum quam eudaimonicum referuntur;* ita plura sunt signa, indiciaque plura quibus innotescit. Innotescit namque *poenali* morte in universam Adami posteritatem grassante, innotescit humanae carnis in pulverem resolutione, de qua [a]) homericum illud, *at vos in tellurem omnes abeatis et undam*, itemque [b]) illa Euripidis, *reddenda terrae terra*, et *spiritus caelum repetit, corpusque terram;* atque his rursum innotescit quibus offensus Deus [1]) in Evam matresque omnes illius praevaricationis participes animadvertit: *multiplicabo* [2]) *aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios, et sub viri potestate* [3]) *eris, et ipse dominabitur tui.*

1490. Iamvero quod ad Deiparam spectat, non solemne dumtaxat est nostrae professionis dogma, ipsius non fuisse multiplicatos conceptus, neque ipsam sub viri fuisse potestate; *sed concors praeterea est maiorum traditio, ipsam citra corruptionem peperisse, peperisse sine dolore, ipsius conceptum partumque a contagio, libidine atque peccato fuisse solutissimum, ipsamque a lata in Evam*

a) Iliad. VII. 99. Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

b) In Hypsipyle. Εἰς γῆν φέροντες γῆν. Et in Supplicibus. Πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

1) Gen. III. 16.

2) Hebraice, *multiplicando multiplicabo dolorem et conceptum tuum*, idest, ἐν ἐπὶ ἐνεῖν, *dolorem conceptus tui.*

3) Hebraice, וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ. Est autem שׁוּק penes Arabes *pellere*, hinc substantivum תְּשׁוּקָה *impulsio ad aliquam rem*, penes alexandrinos interpretes, ἡ ἀποστροφή, *conversio.* Reddi igitur pressius verba possunt, *et ad virum conversio tua.* Quod Vulgatus haud paullo clarius expressit inquiens, *sub viri potestate eris.*

Digitized by Google

lege penitus fuisse immunem et undequaque expeditam. Testimonia quae hanc penes maiores nostros ratam fixamque doctrinam ostendunt, tam numero quam perspicuitate praecellunt; e quibus tamen nonnisi paucissima deflorabo, quod in re manifesta contendendum anxie non sit, et quod plura [1]) iam attulerim et pro opportunitate [2]) explanaverim.

1491. Et de partu quidem virgineo nulla penitus corruptione afflato, digna principio est quae audiatur [3]) Armeniorum ecclesia: « Incorruptibilem virginem Mariam Deiparam confitetur sancta ecclesia, a qua datus est panis immortalitatis, et poculum quod nos laetificat. Templum incorruptibile Verbi Patris benedicunt chori spirituales; nos quoque laudamus consonantes caelestibus. » Tum digna est quae audiatur ecclesia Graecorum, in cuius monimentis [a]) legimus: « Constitit torrens corruptionis, Virgo namque citra corruptionem peperit Deum Verbum, supra naturam mentemque virgo manens. Conceptum undequaque intemeratum, partum incorruptum tu sola ostendisti virgo manens; Deum siquidem, o innocens, concepisti hominem factum ad omnium fidelium salutem et redemptionem. Sola in humanitatem induxisti novam generationem, sola non fuisti obnoxia corruptioni quae est ex natura, incorrupte partum sustinens sine semine; propterea te, uti oportet, veluti Deiparam fideles glorificamus. » Non est autem cur de exploratissima Latinorum conspiratione dicamus. Liquet igitur Virginis partum non ea fuisse universali lege constrictum, qua matres omnes originalis transgressionis participes non citra corruptionis labem enituntur.

1492. Neque minori evidentia liquet ab altera lege fuisse immunem, qua constitutum divinitus est ut dolorum aerumnarumque

a) *Theophanes* in Men. die XXI. Iulii Ode s'. pag. 107. col. 2. C. Ῥοῦς ἵστη τῆς φθορᾶς· ἡ παρθένος ἀφθόρως γὰρ ἐκύησε θεὸν λόγον, ὑπὲρ φύσιν καὶ λόγον παρθένος διαμείνασα.

Iosephus in Men. die XXVI. Septembris Ode ζ'. pag. 171. col. 2. C. Πανάχραντον σύλληψιν τόκον σὺ μόνη ὑπέδυξας παρθένος διαμείνασα· θεὸν γὰρ συνέλαβες, τὸν ἐπὶ πάντων, ἁγνὴ, ἄνθρωπον γενόμενον πιστῶν πρὸς σωτηρίαν καὶ ἀπολύτρωσιν.

Iohannes damascenus in Triod. pagg. 60. col. 1. B. et 317. col. 1. C. Μόνη εἰσήγαγες τῇ ἀνθρωπότητι ξένην γέννησιν· μόνη οὐχ ὑπέστης τὴν ἐκ φύσεως φθοράν, ἄσπορον ἀφθόρως τοκετὸν ὑπομείνασα· διὸ σὲ, ὡς θεοτόκον, κατὰ χρέος οἱ πιστοὶ δοξάζομεν.

1) Vide quae nn. 1082. seqq. diximus de appositis.
2) Confer quae nn. 1283. seqq. disserentes de antithesi inter utramque Evam descripsimus.
2) Confess. eccles. armen. pagg. 33-35.

Digitized by Google

acerbitas muliebres partus comitetur. Cuius praerogativae testes sunt Graeci, qui in suis ecclesiasticis libris haec atque hisce similia [a]) passim frequentant: « Leni, obsecro, fluctus miserrimae animae meae, meaeque carnis afflictiones seda tu quae sola citra dolores Deum incarnatum peperisti. Soluti sunt cruciatus progenitricis Evae, tu namque viri nescia pariens immunis a doloribus fuisti; quapropter, innocentissima, te manifeste Deiparam agnoscentes omnes celebramus. » Testis Gregorius antiochenus qui [b]) Deiparam exhibet his verbis loquentem: « Nam partum sum experta sine partu; quid enim eloquar? Laboris expers et corruptelae nunc et passionis. Neque voluptatem novi. » Et [c]) mox: » Nullos partus dolores experta, cur [1]) animo crucior? » Testis Hincmarus rhemensis [2]) scribens:

» Alvo virgineo quae nullum passa dolorem,
» Atque utero clauso, es virgo parens pariter.

Testis Sophronius hierosolymitanus qui [d]) Deiparam salutans canit: « Sine doloribus, o Dei genitrix Domina, eum peperisti qui Evam doloribus expedivit, quibus decepta [3]) cibi voluptate constricta fuit.»

a) *Iosephus* in Men. die XXVIII. Iunii Ode ε'. pag. 108. col. 1. D. Κύματα πράϋνον τῆς παναθλίας μου ψυχῆς, δέομαι, καὶ τῆς σαρκὸς παῦσον τὰς ὀδύνας, ἡ μόνη τεκοῦσα ἄνευθεν ὠδίνων θεὸν σωματούμενον.

Octoech. pag. 43. col. 2. B. et Paraclit. pag. 325. col. 1. A. Λέλυνται αἱ ὀδῖναι, αἱ τῆς προμήτορος Εὔας, ὀδύνας λαθοῦσα γὰρ ἀπειρογάμους τέτοκας· ὅθεν σαφῶς θεοτόκον, πάναγνε, εἰδότες σε πάντες δοξάζομεν.

b) Tragoed. Christus patiens vv. 63-65. pag. 1210.

Τόκον γὰρ ἔγνων ἄτοκον· τί γὰρ φράσω;
Πόνους φυγοῦσα, καὶ φθορὰν νῦν καὶ πάθη.
Οὐκ οἶδα τέρψιν.

c) Ibid. v. 70. pag. 1212.

Πόνους φυγοῦσα, πῶς ὀδύνωμαι κέαρ;

d) Triod. pag. 170. apud Mai spicileg. rom. T. IV. Ἄνευ ὠδίνων τέτοκας τὸν τὴν Εὔαν ῥυσάμενον ἐκ τῶν ὀδυνῶν, ὃν ἡδονῇ τῆς βρώσεως κλαπεῖσα ἐκέκτητο, θεοκυῆτορ ἀσπόρως.

1) Propemodum diceret, quae a reliquis poenis singulari benignitate exempta fui, cur animi doloribus crucior et angor? Haec autem evincunt Gregorio fuisse persuasum, nullatenus ad Deiparam spectasse *poenas*, quae consortium originalis praevaricationis comitantur. Indoluit ipsa quidem, et indoluit vehementer, miraque supernae providentiae dispositione effectum est ut ipsius animum doloris gladius pertransiret. Sed horum nihil *tamquam obnoxia poenae* sustinuit, verum ut perfectissimam filii imaginem in seipsa praeseferret. Quare confixa merito fuit propositio LXXIII. ex baianis: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali. Hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum sanctorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. »

2) Carm. dogmat. ad b. Virginem vv. 10-11. pag. 453. apud Mai classic. scriptt. T. V.

3) Non ergo in Eva et una cum Eva decepta fuit et Virgo. Sed nemo huius deceptionis est exsors, qui hereditariae praevaricationis consors sit.

Et testis Anastasius [1]) antiochenus qui de utraque Verbi generatione, sempiterna qua Deus est et Patris filius, ac temporali qua homo est et filius Mariae [2]) scribit: « Gignitur namque verbum in corde generatione quadam incomprehensibili et incorporea, et intus occultum manet: gignitur etiam altera generatione corporea labiorum ope, et hoc pacto omnibus innotescit, quin tamen ab anima ipsum gignente separetur; ut per duas verbi nostri generationes perspicue duas divini Verbi nativitates imagine aliqua et similitudine edoceamur. Genitum namque est invisibiliter et ineffabiliter ante secula ex Patre, et occultum manet ceu in quadam anima apud Patrem, donec veluti ex quodam corde, ex sancta [2]) Virgine incorrupte et citra laborem genitum fuit secundum carnem, et nobis corporaliter per secundam generationem apparuit. »

1493. Quid vero auctor libri de assumptione Mariae, qui seculo octavo recentior haberi nequit? Is commemorata [3]) lege [4]) in Evam dicta, pergit: « Aerumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransivit, sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri, idest mariti, potestate deguit, quae integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, et virginitatis integritate manente virgo permansit. Quem quia sine peccati colluvione et sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit et sine integritatis violatione pudore virginitatis integra per-

a) Serm. *de eo quod est secundum imaginem* pag. 621. *Γεννᾶται γὰρ ὁ λόγος ἐν τῇ καρδίᾳ, γέννησίν τινα ἀκατάληπτον καὶ ἀσώματον, καὶ μένει ἔνδον ἀγνώριστον· καὶ γεννᾶται δευτέραν γέννησιν τὴν σωματικὴν διὰ χειλέων, καὶ τότε τοῖς πᾶσι γνωρίζεται, τῆς δὲ γεννησάσης αὐτὸν ψυχῆς οὐ χωρίζεται· ἵνα διὰ τῶν δύο τοῦ λόγου ἡμῶν γεννήσεων, σαφῶς τὰς δύο τοῦ θεοῦ λόγου γεννήσεις κατ' εἰκόνα τινὰ καὶ ὁμοίωσιν μάθωμεν· γεγέννηται γὰρ ἀοράτως καὶ ἀνερμηνεύτως πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ πατρὸς, καὶ μένει ἄγνωστος, ὡς ἔν τινι ψυχῇ πρὸς τὸν πατέρα· ἔως ὅστερ ἐκ καρδίας τινὸς, τῆς ἁγίας παρθένου, ἀφθόρως καὶ ἀπόνως γεγέννηται τὸ κατὰ σάρκα, καὶ ἐνεφανίσθη ἡμῖν σωματικῶς διὰ δευτέρας γεννήσεως.*

Virgo igitur haberi nequit consortio hereditariae transgressionis obstricta.

1) In adnotatione subiecta ad Anastasii antiocheni fragmentum inscriptum *ἐκ τοῦ κατ' εἰκόνα*, sic habet em. Mai scriptt. vett. T. IX. pag. 619. « Guilielmus Caveus in hist. litt. tit. Anastasii ita scribit: « *Inter codices baroccianos in biblioth. bodleiana cod.* 197. *fol.* 263. *habetur sermo Anastasii patriarchae antiocheni περὶ τοῦ κατ' εἰκόνα, idest, ut arbitror*, de illo quod homo ad imaginem Dei conditus sit. *Incipit*, *ἀλλαί γε δεῖ ἐπὶ etc.* Huius ergo sermonis, seu opusculi non fragmentum ex vaticano codice nunc divulgamus. »

2) Ingenue fateor, me hoc generationis vinculo quo una atque eadem Unigeniti hypostasis cum Patre et cum Virgine cohaeret, ita commoveri animoque percelli, ut mihi facilius quidquam persuaserim, quam intemeratam Virginem ulla unquam potuisse peccati labe maculari.

3) De assumpt. Deiparae pag. 663. col. 2. C-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII.

4) Gen. III. 16.

Digitized by Google

mansit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo etsi communicat aerumnis Evae, non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas eius et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter aestimata est digna. Non immerito ergo excipitur a quibusdam generalibus vera aestimatione, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa. » Quibus etsi perspicuis haud tamen paullo luculentiora sunt quae Hildephonsus toletanus sive Paschasius Ratbertus tum habet quum Deiparae insignia [1]) vindicans ait: « Dicunt autem, quod non aliter natus dici queat Christus, nisi aequa sorte naturae ut ceteri; quasi aequa conditione in Scripturis divinis semper nativitas esse dicatur, quum longe alia sit ista nativitas omnium quae sub sorte maledictionis nascuntur, et alia si Eva non peccasset. Quia ista sub maledictione est et aerumna, illa autem tota in flore benedictionis fructum afferret sine gemitu et dolore. Unde, quaeso, saltem illam isti concedant nativitatem Christo de Maria virgine, qua nascerentur communi lege omnes, si non peccasset Eva; quae nunc nativitas nota est [2]) soli Deo, et ignota forte hominibus: et non adscribant ei maledicta, gemitus et aerumnas pro gaudio matris attulisse, quae tanto magis Virgo libera fuit a corruptione passionis, a dolore carnis, a sordibus ignominiae, quanto gratia plena et incorrupta, quasi Spiritu sancto Domino dedicata et virtute divina adumbrata. » Et [3]) mox: « Nativitas vero ipsa, quomodo ad nos (Christus) exierit, utrumne ea conditione qua Eva peperisset si non peccasset, an gloriosius quia Deum et hominem genuit et virgo permansit? Quod illa non esset ut reliquae dum parerent, superflue quaeritur. In quo opere nemo sanctorum vult dubitare, sed catholica fide hoc certum omnes praedicant, quia nec in delicto et dolore cum corruptione peperit, nec Christus ex ea ullum peccatum traxit: quod si ex ea peccatum non traxit, nec admisit qui nullis cruciatibus in nascendo matris vexavit pudorem, nec in aliquo eius commaculavit virginitatem. » Pluribus vero intersertis [4]) concludit: « Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio intervenit, nulla vexatio

1) Serm. de parturit. et purificat. s. Mariae pag. 223. col. 2. C-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VI.

2) His verbis hanc subiicit Combefisius adnotationem: « Alludit forte ad opinionem Nysseni, Chrysostomi et aliorum, de alio nascendi modo in statu innocentiae, quae communiter modo non probatur. »

3) Ibid. pag. 223. col. 2. E.

4) Ibid. pag. 224. col. 2. D-E.

Digitized by Google

carnis, nulla foeditas dirae conditionis; et [1]) in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primae originis ut cruciaretur, viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando Virgo concepit sine semine, Virgo peperit sine dolore et gemitu, et permansit fecunda prole. Nam et ecclesia Christi omnis tam romana quam et graeca sic sua et divina fidenter canit auctoritate, quod peperit Virgo sine dolore, quod permansit inviolata; quoniam eam in omnibus illaesam servavit Spiritus sanctus, ut Virgo haberet filium, et servaretur ei honor tanto munere dignus, quanta sanctificatione uterus Deo fuerit dedicatus. »

1494. De quo doctrinae capite, eximiaque Virginis dote ea praeteriri nullatenus debent, quibus [2]) in Missali gothico ipsa salutatur: « Nesciens damna de coitu, sumens vota de fructu, non subdita dolori per partum, non labori per transitum. » Neque ea praeteriri debent, quibus [3]) utriusque Evae comparatione instituta subditur: « Siquidem ista mundo vitam protulit, illa legem mortis invexit. Illa praevaricando nos perdidit, ista generando salvavit. Illa nos pomo arboris in ipsa radice percussit, ex huius virga flos exiit qui nos odore reficeret, fruge curaret. Illa maledictione in dolore generat, ista benedictionem in salute confirmat. » Gemina [4]) in Sacramentario gallicano frequentantur, itemque in Missali mozarabico, e quo [5]) haec inprimis depromo: « Erigamus quaeso, fratres carissimi, in sublime oculos nostros, visuri gloriam Salvatoris. Quomodo Virginem dignatur ut concipiat, quomodo matrem remuneratur ut pariat. Ipse et munus factus et filius, qui et infusus confert quod deerat, et effusus non aufert quod donarat. Qui nec gerentem honore fraudat, nec genitricem labore contristat. Qui et nascendi [6]) abiurgat gemitum, et nati consignat affectum. Neque enim fas erat ut haberet illa suspiria, quae omnium gaudium pariebat, aut origo exsultationis nosceret vim doloris. » Tum haec [7]) ex be-

1) Respicit ad Ambrosii verba ex hymno in Domini natalem: « Hinc quoque beatus Ambrosius hymnidicis laudibus testatur, quod claustrum pudoris permanserit, et vexilla virtutum in ea effulserint, in qua tota maiestas deitatis versatur, quousque plenitudo temporis advenit pariendi. »

2) Apud Muratorium liturg. rom. T. II. p. 547. C.

3) Ibid. pag. 547. D.

4) Ibid. pag. 812. B-E.

5) In festo annunciat. Deiparae p. 33. col. 2. A-D.

6) Lesleus in subiunctis notis T. II. pag. 484. ad vocem *abiurgat*, monet: « Iohannes Tamaius in Martyr. hispan. T. II. pag. 383. habet *abiugat*: fortasse legendum *abigit gemitum*. Sanctus Ephraem orat. de margar. pret. beatam Virginem *conveniebat matrem absque dolore fieri*. Apud Sacramentarium bobiense in contestatione Missae in adsumptione sanctae Mariae legitur, quod Dei genitrix *non subdita fuit labori per partum, non dolori per transitum*. Plura lege apud Petavium de theolog. dogm. T. VI. lib. XIV. cap. VI. §. XIII. »

7) Ibid. pag. 177. col. 2. C.

Digitized by Google

nedictione paschalis cerei: « Non hic thureis adoletur flamma virgultis, nec in sabeicis proscinduntur ligna nemoribus quae suavitatem cinnamomi [1]) rorantes exhalant. Sed cera famulatur ex lumine, quae non polluitur ex parente. Cuius natura de flore, cuius ortus ex virgine. Cui illa dat genitrix nativitatis originem, quae corruptionis nescit errorem. »

1495. Utramque praerogativam tertia excipit, qua virgineus conceptus et partus cuiusvis exsors fuit libidinis, cuiusvis contagii et cuiusvis peccati, quacumque tandem potestate licet amplissima peccati nomen usurpetur. Egregie [2]) Hildebertus cenomanensis: « Sicut enim beata Virgo a maledictione mulieris cui [3]) dictum est, *in dolore paries*, facta est immunis quia peperit sine dolore; sic et a communi viri et mulieris maledictione, cui dictum est, in cinerem ibis, facta est immunis. Unde et ab angelo benedicta esse dicitur, quia a primordiali maledicto liberata est. » Neque [4]) alibi minus praeclare: « Caro Christi in divina Scriptura diversis exprimitur similitudinibus, modo per arcam ubi manna et virga et tabulae, quia in carne anima paternorum secretorum conscia: modo per tabernaculum [5]) in quo militat, *in sole posuit tabernaculum suum:* item in nube, unde [6]) propheta, *ascendet Dominus super nubem levem;* hic [7]) autem per diadema quo mater sua Maria eum coronavit. Et bene dicitur coronasse, quia non de arbore libidinis concepit, nec peccato originali, sicut aliae solent, deturpavit eum aut dehonestavit; sed immaculata et intacta et immunis ab omni peccato sanctum sanctorum edidit, munditiae florem, omnium redemptorem. » Accedit [8]) anonymus sed probe eruditus auctor [9]) tractatus adversus Iudaeum, qui ad tuendum virgineum partum inter cetera [10]) scribit: « Natura non potest contra naturae Dominum, nec usus contra Deum qui omnipotens est, et nihil eius voluntati

1) Quem locum ita Leuleus legendum praecipit pag. 521. col. 2. B: « Non hic thureis adoletur flamma virgultis, nec in sabeicis proscinduntur ligna nemoribus, quae suavitatem cinnamomi rorantia exhalant. »

2) Serm. I. in festo assumpt. pag. 522. C-D.

3) Gen. III. 16.

4) Serm. III. in assumpt. pagg. 536. E. et 537. A.

5) Ps. XVIII. 6. »

6) Is. XIX. 1.

7) Cant. III. 18.

8) De tempore editi tractatus constat ex ipso tractatu nn. 34-48. ubi haec habentur: « Millesimus centesimus sexagesimus, meis dico temporibus, iam annus evolvitur, ex quo Filius virginalis effulsit in mundo. »

9) Dignus qui numeretur cum Gilberto westmonasteriensi, Ruperto tuitiensi, Petro cluniacensi, Guiberto de Novigento et Petro blesensi, qui iisdem prope temporibus iudaicam perfidiam detegendam profligandamque susceperunt.

10) Tract. con. Iudaeum n. 74. pag. 1585. B-D. apud Martenium anecdott. T. V.

Digitized by Google

difficile. Poterit ergo verum esse quod ipse disposuit, videlicet quod virgo concipiat. Sed cum tantum sint creator et creatura, et virgo non possit de viro concipere ut in conceptu virgo permaneat, nec homo possit ab alia creatura concipi nisi ab homine; restat ut si virgo concepit, non de creatura sed de creatore concipiat, et cum omnis conceptus ex carnis voluptate proveniat, attestante propheta qui [1]) ait, *in peccatis concepit me mater mea,* nemo concipitur sine peccato. Sed ipse Dominus hoc signum daturus est, quod virgo concipiat; ergo conceptus iste sine peccato erit. Concipiet itaque cum integritate virginitas non de carne sed de spiritu, nec carnis ardorem sed divinum florem, super quem requiescet idem Spiritus septiformis. » Et nonnihil [2]) inferius: « Virgo concipiet non ex ardore carnis sed ex amore divino, de virtute non de vitio, de creatore non de creatura, hoc est de Spiritu sancto. Virtus Altissimi erit quod concipiet, et Virtutem Altissimi, hoc est Dei filium pariet. Et quia non erit vitium in conceptu, non erit difficultas in partu; quia virgo concipiet, et virgo pariet. »

1496. Consentit antiquus auctor sermonis [3]) Augustino tributi inquiens: « Quid igitur nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor Patris elegit? Quid castius ea, quae corpus sine contagione corporis, Deum et hominem generavit? Virgo quippe supra omnes virgines fuit non solum corpore sed et mente. » Consentit germanus Augustinus, de quo Lesleus [4]) sic habet: « Augustinus in enchiridio citatus a s. Hildephonso hom. adv. asserent. b. Virginem contra legem Dominum peperisse, docet Christum non talem natum esse, *qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione maledicti cuius reatus regeneratione diluitur, sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat.* » Consentit Andreas cretensis [a]), qui relatis angeli [b]) verbis, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus*

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 106. E. apud Gallandium T. XIII. Οὐ μεσιτεύσει σαρκὸς ἁδρὸν μητρὸς θεοῦ τοκετῷ· τῶν γὰρ τῆς φύσεως ὁρῶν ὑπερανίστηκε.

b) Luc. I. 35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι.

1) Ps. L. 7.

2) Loc. cit. pag. 1565. D-E.

3) Serm. CXCIV. de assumpt. n. 3. pag. 453. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. I.

4) In notis ad Missale mozarabic. pag. 484. E re autem fuerit ea praeterea contulisse, quae ad praesentem caussam accommodatissima traduntur serm. XV. de tempore, al. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 2. pag. 157. E-F. inter opp. Augustini T. V.

Digitized by Google

Altissimi obumbrabit tibi, illico subdit: « Nulla carnalis voluptas partui illi Deiparae intermedia futura est; naturae quippe terminos superat. » Et [a]) mox: « Nulla ergo in temporali partu futura passio est, qualis humanos partus comitari semper solet, quando nec passio aliqua aeternam nativitatem consequuta sit. » Hinc [b]) Unigeniti templum exstructum docet « In sinu Virginis veluti in quodam passionum eremo. » Consentiunt [c]) Gregorius nyssenus et Theodotus ancyranus, qui [d]) ad rubum alludens a Moyse visum [e]) interrogat: « Dic mihi: quid est vilius, rubus ne an uterus virgineus « passionibus peccati purus? » Neque obscure consentit alexandrinus Clemens qui [f]) generationis osores his verbis expugnat: « Sin autem malum est generatio, in malo blasphemi dicant fuisse Dominum qui particeps fuit generationis, in malo Virginem quae genuit. »

1497. Quapropter mirum esse omnino oporteret, nisi perspicua veterum suffragia haberentur, quibus sola inter matres Deipara a lege condemnationis in Evam lata immunis celebraretur. Sed habentur plane, quemadmodum ex superioribus non pauca ostendunt, eaque insuper ostendunt tum quae [g]) Emanuel paleologus et [h]) Petrus Damiani testantur, *Virginem fuisse ab Evae lege liberrimam*, tum quae eadem mente [i]) Cyrillus alexandrinus repetit, tum quae ex unanimi orthodoxorum fide Paschasius Ratbertus docet atque propugnat. Principio namque in adversarios [k]) invectus ait: « Alioquin quid est quod legem naturae requirunt in Maria, ubi totum quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus? » Tum pressius rem agens [l]) subdit: « Nam et ipsa lex naturae, sub qua nunc mulieres concipiunt et pariunt, ut ita dicam, vere non est lex naturae quodam-

a) Loc. cit. pag. 106. E. Οὐκ οὖν πάθος περὶ τὴν κατὰ κύησιν, ὅ, τι ἴχνι συναὶ, μηδὲ περὶ τὴν ἄνω γένησιν ἐπακολούθησε.

b) Ibid. pag. 107. A. Ἐν τῇ κατὰ τὴν ἔρημον τῶν παθῶν τῆς παρθένου ὑιοῦ.

c) Hom. in Domini nativ. n. 2. pag. 450. apud Gallandium T. IX. Τί γὰρ εὐτελέστερον, εἰπὲ, βάτος ἢ μήτρα παρθενικὴ καθαρὰ τῶν ἁμαρτίας παθῶν;

d) Stromat. lib. III. §. XVII. pag. 558. Εἰ δὲ ἡ γένεσις κακὸν, ἐν κακῷ λεγόντων οἱ βλάσφημοι τὸν γενέσεως μετειληφότα κύριον, ἐν κακῷ τὴν γεννήσασαν παρθένον.

1) In Cant. hom. XIII. pag. 667. B-D. opp. T. I.

2) Ex. III. 12.

3) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 68. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

4) Hymn. in Deiparae annuntiat. p. 9. col. 1. A. opp. T. IV.

5) De adorat. lib. XV. et apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI. pag. 202. col. 2. D-E.

6) De partu Virginis pagg. 2. D. et 3. A. apud Acherium spicileg. T. XII.

7) Ibid. pag. 3. B-D.

modo, sed maledictionis et culpae; quoniam nisi Adam et Eva primum peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non naturae est, sed corruptionis et vitii. Maria autem quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore neque sub corruptione genuit. Quod si ex corruptione aut cum dolore natus est Christus, iam ex maledicto natus est. De quo maledicto [1]) Genesis testatur quod dixerit Dominus Evae: *multiplicans multiplicabo dolores tuos et conceptus tuos*. Pro quo Symmachus, *afflictiones tuas* dixit. Origines vero et Theodotion nec non et Septuaginta, *tristitias tuas* dixerunt *et gemitus*. Ubi et Theodotion et Symmachus pro gemitibus aerumnas posuerunt, in quibus omnibus [2]) non lex naturae designatur, ut isti physiologi volunt imperite satis, sed lex vindictae multiplicatur et augetur caussa peccati, labores in partu, afflictiones, tristitiae et aerumnae atque gemitus. » E quibus [3]) infert: « Unde omnes quae pariunt, non ex natura primae originis sic pariunt, sed ex vitio culpae et ex maledicto iustae vindictae Dei. At vero benedicta et gloriosissima virgo Maria non dico quod non ex communi lege naturae, verum etiam nec ex natura primae originis filium, neque ex semine viri sed de Spiritu sancto ex sua carne divinitus procreatum sine ulla vitiorum colluvione Deum et hominem profudit. » Iisdem autem vestigiis [4]) insistens addit: « Ergo in qua et per quam tanta benedictio effloruit et gratia manavit, non est credendum quod eius puerperium doloribus et gemitibus more feminarum subiacuerit. Et quia beata Dei genitrix tristitiis non subiacuit et aerumnis, libera ab omni maledictionis naevo fuit.» Et [5]) post pauca: « Alias autem secundum carnem nec gemitus nec dolor sine corruptione viscerum, nec corruptio sine dolore et gemitu: gemitus et corruptio in partu feminarum nonnisi ex delicto primae originis veniunt. Unde interrogemus istos sequaces Helvidii haeretici, qui etsi virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant et gratiam qua plena praedicatur, quando communi lege vitiatae naturae dicunt eam peperisse. Quod si ita peperit, ergo adhuc ac si in massa primae damnationis con-

1) Gen. III. 16.

2) Utique non designatur lex naturae, cuiusmodi ex praeternaturali Dei munere constituta primitus fuit.

3) Loc. cit. pagg. 3. D. et 4. A.

4) Ibid. pagg. 8. D.

5) Ibid. pagg. 9. D. et 10. A-B.

Digitized by Google

tra angeli vocem maledictioni subiacuit, et Verbum Patris de carne peccati, quod absit, ut homo fieret hominem assumpsit. Sed quia contra fidem catholicam est sic sapere, beata Virgo plena gratia neque dolorem sensit neque corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit a culpa Spiritu sancto in ea cooperante et virtute Altissimi qua obumbrabatur, in tantum extranea a maledicto primae damnationis, nec non et a gemitu et doloribus, quibus vexantur omnes filiae Evae quum pariunt. »

1498. Iam [1]) illud colligamus quod ex his omnibus confectum esse censemus. Corruptio, aerumnae, genitus, sordes, libido quemadmodum matrum omnium conceptus partusque comitantur, quae piae licet ac sanctae hereditariam tamen labem contraxerint; ita totidem effectus sunt qui probant, et totidem indicia quae participationem originalis transgressionis patefaciunt. Atqui horum nihil est quod a conceptu partuque Deiparae non longissime abfuerit, et nihil quod eiusdem conceptum infecerit partumque vel levissime dehonestarit. Hoc igitur superest, ut Deiparam sicuti nesciam effectuum, nullisque originalis praevaricationis notatam signis, ita ab illius consortio immunem liberamque arbitremur. Nimirum, inquiunt, valeret consequutio neque eius infringi robur posset, si cum antecedentibus necessario iungeretur. Quis vero necessariam eiusmodi copulationem affirmet, quum immunitatis adeo eximiae alia prorsus caussa, eaque ex conceptu virgineo divinaque maternitate sumpta proferatur? Intelligo quo spectet animadversio, ne-

1) Loquens Augustinus de propagatis hereditariae culpae effectibus scribit de peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXIII: « Sic enim ab eis *(protoparentibus)*, transitum fecit in posteros ista lex *(peccati)*, initium mortis, quemadmodum labor quo cuncti homines laborant in terra, quemadmodum in feminis parturitio cum doloribus. Haec enim cum de peccato arguerentur, Dei sententia meruerunt, quae non in eis solum sed etiam in successoribus eorum, in aliis magis, in aliis minus, tamen *in omnibus* videmus impleri. » His autem duo perspicue traduntur, quorum primum est, non minus ex lege peccati quae transitum fecit in posteros, dimanasse mortem et labores, ac ex eadem partus cum dolore consequuti sint: alterum vero, hosce effectus esse prorsus universales, atque ab illis neminem ex Adami posteris integrum solutumque reperiri. Hinc quae Augustinus subdit cap. XXXIII: « Nullum resistere illis verbis divini libri quae posuit de labore hominum, et de parturitione mulieris cum dolore, nisi qui prorsus alienus a fide catholica eiusdem litteris adversatur. » Atque hinc quae de peccat. orig. contra Pelagium et Caelestium lib. II. cap. XXXVI. ait: « Se non invenire sine dolore et gemitu parturientem, nec sine futura morte nascentem; et tamen secundum Scripturarum sanctarum veritatem gemitus parturientis et mors hominis non fuissent, si peccatum non praecessisset. » Itaque si fidem Augustino adiungimus, adversantur Scripturis, illarumque spernunt auctoritatem qui non unam eamdemque fatentur universalem amplitudinem tum diffusi originalis peccati, tum mortis in omnes grassantis ac doloris quo parientes mulieres anguntur. Atqui nullas partus aerumnas subiit Deipara, neque fletus inter et lacrimas suum edidit primogenitum. Quid igitur eruemus? Scilicet eruemus I. universales etiam loquutiones ad Virginem non necessario pertinere: et II. eam merito exortem credi originalis praevaricationis, quum exors ipsa fuerit poenae quae eam hac penitissime devincitur.

que tamen a praestituta consequutione vel lato ungue discedendum esse contendo. Ecquae enim putari caussa debet, quae ex conceptu virgineo divinaque maternitate repetitur? Talis ne quae priorem excludat, an potius quae illam complectatur ac postulet? Profecto vel superiore articulo ab eo quod verum est et maiorum suffragio communitum toto, ut loquuntur, caelo aberravimus, vel fateamur oportet conceptum virgineum, divinamque maternitatem eas esse dotes, quae cum primordiis ab originali culpa integris medullitus cohaerent. Caussae igitur ex conceptu virgineo, divinaque maternitate desumptae quin excludant, includunt contra et virtute caussam complectuntur quae ex originibus a consortio paternae culpae solutis efflorescit. Neque sane mirum quum quae ad Deiparam pertinent, sic essent Dei numine temperanda, ut non ab invicem dissona sed mutuo consona viderentur. Apparuissent autem non consona sed plane dissona, si talis fuisset ordo divinitus praestitutus, ut hinc quidem Virgo, utpote originali contagione vitiata, illius subiici effectis debuisset, inde vero ab iis, utpote Deipara, immunis ac prorsus integra esse oporteret.

1499. Non latuit hoc dissidium patres scriptoresque ecclesiasticos, qui propterea ne ullum eidem aditum permitterent, caussarum copulationem praeclarissima verborum sententiarumque varietate docuerunt. Petatur namque [1]) ab iis, cur Virginis conceptus et

1) Dum Thomas in controversiam adducit in S. III. p. q. XXX. a. II., *utrum annuntiatio beatae Virginis fieri debuerit per angelum*, altero sibi loco opponit: « Si in hoc oportebat servari communem ordinem, secundum quem divina hominibus per angelos revelantur, similiter divina ad mulierem per virum deferuntur, unde et Apostolus dicit I. Cor. XIV. 34. *mulieres in ecclesiis taceant, siquid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Ergo videtur quod beatae Virgini debuerit annuntiari mysterium incarnationis per aliquem virum. » Quibus e vestigio occurrens inquit ad 2: « Dicendum quod sicut Augustinus dicit in serm. de assumpt. cap. IV., *beata virgo Maria vera aestimatione a quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicavit, nec sub viri, idest mariti potestate fuit, quae integerrimis visceribus de Spiritu-sancto Christum suscepit.* Et ideo non debuit mediante viro instrui de mysterio incarnationis, sed mediante angelo. » Dum autem in controversiam adducit q. XXXV. a. VI., *utrum Christus fuerit natus sine dolore matris*, pro negante sententia ita disserit: « Videtur quod Christus non fuerit natus sine dolore matris. Sicut enim mors hominum subsequuta est ex peccato primorum parentum, secundum illud Gen. II. 17. *quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; ita etiam dolor partus, secundum illud Gen. III. 16. *in dolore paries filios.* » Mox autem subdit: « Sed contra est quod Augustinus dicit in serm. de nativitate alloquens virginem matrem, *nec in conceptione*, inquit, *inventa es sine pudore, nec in partu inventa es cum dolore.* » Tum pergit. « Ad primum ergo dicendum, quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde Gen. III. postquam dictum est, *in dolore paries*, subditur, *et sub viri potestate eris.* Sed sicut dicit Augustinus in serm. de assumpt. *ab hac sententia excipitur virgo mater Dei, quia sine peccati coluvione et sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit, et sine integritatis violatione*, pudore virginitatis integro permansit. » Quum igitur pleraeque omnes leges etsi communes et originalem praevaricationem consequantur neque ad Virginem spectent, neque suo ipsam ambitu comprehendant; operam perdunt qui universales sententias de transfuso originis peccato ea mente inculcant et urgent, ut Deiparam quoque illo infectam demonstrent.

Digitized by Google

partus nihil eorum praesetulerint, quae communes conceptus partusque universali stataque lege comitantur. Unanimes reponunt, quod *Dei genitricem, quod gaudii caussam, quod originem totius sanctitatis ac munditiae neque corruptela et aerumnae, neque dolores et gemitus ulla ratione decerent.* At minus ne ipsam dedecebant culpae sordes, et turpissima hereditariae transgressionis macula? Ab iis rursum petatur, cur Deiparae conceptus et partus nullas subierint labes, quibus reliquarum matrum conceptus partusque infuscantur. Una est omnium vox, quod talis honos illi deberetur *quae esset immaculata, intacta, immunis ab omni peccato, quae singulari sanctitate et gratia niteret, quaeque tantam accepisset gratiae plenitudinem, quanta requirebatur ut praestantiae divinae maternitatis responderet.* Atqui tantumdem hoc est ac immunitatem Deiparae a communi matrum lege *e caussa ethica legalique* derivare. Ad quam maiores evidentissime provocant, quum ideo Deiparam communi matrum conditioni obnoxiam inficiantur, *quod ipsa sola tota fuerit in flore benedictionis, quod singulariter benedicta culpam corruptionis non habuerit, quod nullum in ipsa viguerit primae originis peccatum ut cruciaretur, quod corruptionis errorem nesciverit, quod libera fuerit et penitus extranea a maledicto primae damnationis, quodque maledictionis massa numquam fuerit comprehensa.*

1500. E quibus haec ex ordine consequuntur. I. Illos omnes in enarranda maiorum traditione non minimum falli, qui ubi de caussis agitur Virginis ab effectibus originalis transgressionis exemptae, non illas coniungunt sed separant, et quod pluribus simul tribui oporteret, uni aut alteri seorsim vindicandum propugnant. II. Immunitatem Virginis ab ea lege, quam primum in Evam ac per ipsam in omnes deinde matres latam credimus, non minus ex conceptu virgineo divinaeque maternitatis charismate, quam profectam ex eo esse, quod Virgo ad massam originalis damnationis numquam spectaverit. III. Ad tribuendam Virgini originalem praevaricationem nihil esse ea ratione imbecillius, quae ex universali eiusdem propagatione et universalibus quibus effertur formulis, peti

Rursum si Bernardus enarrans verba, *signum magnum*, et ad poenas atque effectus originalis praevaricationis respiciens verissime scripsit, *in Ais quoque siderum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fecunda, quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera*; nihil pronius quam Virginem ab ipsa poenarum caussa liberam et ab hereditaria transgressione solutam arbitrari.

Digitized by Google

consuevit. Tandem IV. duplici eaque legitima inferendi forma praerogativam immaculati conceptus ex ea hauriri maiorum traditione, qua Virginem solutam ab Evae lege confirmant. Vel enim in ipsorum testimoniis spectatur unice factum quod proponunt, vel ad caussas insuper attenditur quas adducunt. Illud si fiat, hoc exsistit argumentum: *nullum ibi probari potest originalis praevaricationis consortium, ubi effectus negantur qui cum illo stata lege cohaerent. Sed de Virgine concipiente ac pariente ii negantur effectus qui ex consortio originalis transgressionis stata universalique lege dimanant. Opus est igitur ut Virgo a consortio originalis transgressionis soluta existimetur.* Sin vero altera ineatur ratio, eiusmodi est quae ex illa prodit argumentatio. *Fieri nequit ut Virgo eo putetur infecta contagio, quod ipsam poenali legi subiecisset, qua matres universim omnes obstringuntur. Sed communi matrum legi fuisset omnino subiecta, si hereditario polluta contagio primum exstitisset. Huius igitur exsors labis concepta fuit, humanamque maculam funditus ignoravit.* Quod in Missali gothico his verbis auro carioribus [1]) significatur: « Hodie Dominus noster Iesus Christus dignatus est visitare mundum. Processit de sacrario corporis virginalis, et descendit pietate de caelis. Cecinerunt angeli, gloria in excelsis, cum humanitas claruit Salvatoris. Omnis denique turba exsultabat angelorum, quia terra regem suscepit aeternum. Maria beata facta est templum pretiosum, portans Dominum Dominorum; genuit enim pro nostris delictis vitam praeclaram, ut mors pelleretur amara: illa enim viscera *quae* [2]) *humanam non noverant maculam*, Deum portare meruerunt. »

1) In Missa de nativit. Domini pag. 521. D. apud Muratorium liturg. rom. T. II.

2) Quaenam vero proprie est diciturque *macula humana*? Quae ipsam consequitur humanam naturam, quae cum ipsa natura contrahitur, quaeque universam inficit humanitatem. Haec autem est hereditaria labes, vitiumque originale. Maria igitur neque hereditariam novit labem, neque vitium originale suscepit.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De malo concupiscentiae eiusque nexu cum originali praevaricatione: traditio maiorum qua Virgo cuiusvis exsors concupiscentiae declaratur: propositae traditionis expolitio, et disceptatio inter Petrum cellensem et Nicolaum sancti Albani monachum: praerogativa immaculati conceptus insigniter confirmatur.

1501. Frequentes sunt [1]) apud patres felicissimae illius vitae descriptiones, quam protoparentes omnigenis aucti donis in paradiso degebant. « Faciebat hoc ordo iustitiae, *inquit* [2]) *Augustinus*, ut quia eorum anima famulum corpus a Deo acceperat; sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundia nunc pudet, quod in carne, in cuius servitutem ius accepit potestatis, nescio qua infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, et se volente moveantur. Quapropter hoc in quovis casto merito appellantur *pudenda*, quod adversus dominam mentem quasi suae sint potestatis, sicut libitum est excitantur. Idque solum iuris in his habent fraena virtutis, ut ad immundas et illicitas corruptiones ea pervenire non sinant. Haec igitur carnis inobedientia quae in ipso motu est, etiamsi non habere permittatur effectum, non erat in illis primis hominibus, quando nudi erant, et non confundebantur. » De quibus alibi [3]) scribit: « Quid autem timere aut dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum? Ubi nec mors timebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur: nec inerat, quod carnem animumque hominis feliciter viventis offenderet. Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida et sincera societate viventium: et ex hoc amore grande gaudium. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum quod contristaret, irrucbat. »

1) Huc faciunt quae litteris consignarunt Athanasius in orat. con. gentes nn. 3-17., Gregorius nazianzenus orat. XXXVIII. quae est in Christi nativitatem, Chrysostomus hom. VIII. in Genesim, Hilarius pictaviensis in Matth. X. n. 23., Ambrosiaster ad Rom. VII. 15. et Constantinus diaconus in laudatione omnium martyrum nn. 27-35. pagg. 139-154. apud Mai in spicileg. rom. T. X. P. I.

2) De peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXII.

3) De civ. Dei lib. XIV. cap. X.

Digitized by Google

1502. Sed quum primum nostri generis auctores sibi tantos sumpserunt animos, ut superbissima rebellione divinum mandatum transgrederentur; continuo tranquillitati pacis intestinum successit duellum, et ordinem integramque valetudinem perturbatio saevique morbi exceperunt. E quibus morbis ille est omnino amarissimus, et malorum prope omnium inexhaustum seminarium, qui in Scripturis [1]) dicitur ἐπιθυμία *concupiscentia*, ἐπιθυμία κακή *concupiscentia mala*, ἐπιθυμία σαρκὸς *concupiscentia carnis*, φρόνημα τῆς σαρκὸς *prudentia cărnis*, cui opponitur φρόνημα τοῦ πνεύματος *prudentia spiritus*, *lex membrorum*, cui adversatur ὁ νόμος τοῦ νοός *lex mentis*, νόμος τῆς ἁμαρτίας *lex peccati*, et interdum [2]) etiam ἡ ἁμαρτία peccatum. Hunc morbum sollerter [3]) Augustinus distinguit *a sentiendi vivacitate, utilitate ac necessitate*, tum vestigiis Scripturae et maiorum inhaerens [4]) illum vocat *pondus vitiosae naturae, indomitam carnalem consuetudinem, vitium substantiae bonae, spiritus carnisque discordiam, sentiendi libidinem ac peccatum*. Cuiusmodi vero peccatum sit, non uno in loco diligenter explanat. Explanat enim [5]) inquiens: « Alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccatum sit. » Explanat [6]) ubi ait: « Vocatur peccatum, quia peccatum si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat. » Et iterum [7]) explanat scribens: « Tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt, sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt quidem, sed non eis obeditur; nec malum perficitur quia non eis obeditur, nec bonum quia sunt. Sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiae malae non consentitur, et ex aliqua parte remanet malum, quia concupiscitur. »

1503. Hoc autem acerbissimum concupiscentiae malum, quod nonnisi temeraria [8]) Iuliani impudentia inter naturae bona et Dei

1) Rom. VII. 7-8., XIII. 14., Iacob. I. 14., II. Petr. II. 18. I. Ioh. II. 15-16-17. alibi.

2) Rom. VI. 1-12. Quo pertinent verba synodi tridentinae sess. V. in decreto de peccato originali: « Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. »

3) Con. Iulian. lib. IV. cap. XIV.

4) De civ. Dei lib. XXII. cap. XXII. n. 2. « Apparet in quid vel pondere suo proclivis et prona sit vitiosa natura. » De doctr. christ. lib. I. cap. XXIV. n. 25. « Caro concupiscit adversus spiritum. Dictum est propter indomitam carnalem consuetudinem. » Enchirid. cap. XXIII. et op. imp. lib. III. n. 186.

5) De perfect. Iustitiae cap. XXI. n. 35.

6) De nuptiis et concupiscent. lib. I. cap. XXIII. n. 25.

7) Ibid. cap. XXVII. n. 32.

8) Iuliani mentem sententiamque perspicue pandunt quae penes Augustinum ex eo desumpta reperimus. De nuptiis et concupiscent. lib. II. cap. IX.

Digitized by Google

conditoris munera numerare potuit, talis est poena quae sicuti originale peccatum eiusque consortium rata fixaque lege consequitur, ita nequit ab eo facilius seiungi ac fumus ab igne, vel a sole qui occiderit, tenebrae separentur. Quare Thomas verissime [1]) scripsit: « Ex ipsa poena possumus certificari de culpa. Patitur autem communiter genus humanum diversas poenas et corporales et spirituales. Inter corporales potissima est mors, ad quam omnes aliae tendunt. Inter spirituales autem est potissima debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis. » Et difficultatibus occurrens [2]) addit: « Sic igitur secundum doctrinam fidei ponimus, hominem a principio taliter esse institutum quod quamdiu ratio hominis Deo esset subiecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab eius subiectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale; Deo et sua gratia supplente quod ad hoc perficiendum natura minus habebat. Ratione autem aversa a Deo, et inferiores vires rationi repugnarent, et corpus vitae quae est per animam, contrarias passiones susciperet. » Praeiverat Augustinus [3]) Iulianum sic alloquens: « Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta, et in iis quae non pateris, compatere patientibus. Quamvis et ipse, quantalibet terrena felicitate praepollens, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris, implere conaris.

« Voluptas ergo ista, quam diabolicam *(tu Augustine)* vis videri, iam in supradictis coniugibus *(Adamo et Eva adhuc innoxiis)* habebatur; quae ut institutione bona, ita etiam benedictione permansit. Non enim dubitatur de hac ad Noe et ad filios eius corporum commixtione dictum, cuius iam usus inoleverat: crescite et multiplicamini et replete terram. » Ibidem cap. X. « Certe hanc concupiscentiam, sine qua nulla fecunditas est, malum naturaliter *(tu Augustine)* definisti. Unde ergo per donum caeleste in senibus *(Abrahamo et Sara)* excitatur? Adstrue iam hoc, si potes, ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro merito. » Omitto quae simillima traduntur ibidem cap. XII., con. duas epist. pelagian. lib. I. cap. XV. n. 31. et con. Iulian. lib. IV. cap. XIII. n. 63.

1) Con. gentes lib. IV. cap. LII.

2) Ibidem. Quibus haec praemiserat: « Si quis recte consideret, satis probabiliter poterit aestimare, divina providentia supposita quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc coniunxit, ut ei dominaretur: et si quod huius dominii impedimentum ex defectu naturae contingeret, eius speciali et supernaturali beneficio tolleretur. Ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturae quam corpus, tali conditione credatur corpori esse coniuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae, per quam corpus vivit. Et similiter si ratio in homine appetitui sensuali coniungitur et aliis sensitivis potentiis; quod ratio ab istis non impediatur, sed magis eis dominetur. Sic igitur huiusmodi defectus quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte eius quod est in ea inferius; tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanae naturae, satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus esse poenales. Et sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum. »

3) Con. Iulian. lib. IV. cap. XVI. n. 83.

Digitized by Google

Sed parvuli quot et quanta mala patiuntur? In quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescunt? Deinde iam grandes, etiam Deo servientes, tentat error ut decipiat, tentat moeror ut sternat, tentat typhus ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur iugum super filios Adam? Quid igitur restat nisi ut caussa istorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut poena primi veterisque peccati? Sed quia nec iniustus nec impotens est Deus, restat quod non vis sed cogeris fateri, quod grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum praecessisset. » Neque alia mente ubi denuo [1]) scribit: « Quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, haec ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quaedam profunditas ignorantiae, ex qua omnis error exsistit qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, et ex hoc genus omne flagitiorum? Haec hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat, cum quanta ignorantia veritatis quae iam in infantibus manifesta est, et cum quanta abundantia vanae cupiditatis quae in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam; ita ut si dimittatur vivere ut velit, et facere quidquid velit, in haec facinora et flagitia perveniat? »

1504. Itaque pro instituto divinitus humanae naturae ordine censeri argumentum debet nullis exceptionibus convellendum, quod hac similive forma proponatur. *Eo usque se protendit originalis transgressionis consortium, quo se usque porrigit vanae noxiaeque cupiditatis participatio. Sed quotquot sunt homines vana noxiaque cupiditate torquentur. Omnes igitur homines consortio paternae transgressionis obstringuntur.* Cum hoc autem argumento alterum necti-

1) De civ. Dei lib. XXII. cap. XXII. Porro de doctrina christ. lib. I. cap. XXIV. n. 25. ait: « Ut corpus, eius concupiscentia edomita, sit spiritui subiugatum, naturalis ordo desiderat. » Quod in prima hominis conditione factum fuisse enarrat de peccat. merit. et remiss. lib. II. cap. XXII. Alia vero quae huc pertinent et ad universam caussam expoliendam praeclarissime conducunt, tradit Augustinus lib. IV. ad Bonifacium capp. III-V., con. Iulianum lib. I. capp. LIX-LX., de nuptiis et concupiscent. lib. I. capp. I. seqq., et alibi frequenter. Cum Augustini vero doctrina operae pretium fuerit contendisse quae narrat Hypognosticon scriptor in prologo, quo potiora capita pelagianae perversitatis complectitur.

Digitized by Google

tur, quod pari vi pollens eadem evidentia commendatur. Sic porro se habet. *Quum duo stata lege cohaerent, neque aliter secum ipsis conserta sunt, ac effectus cum caussa, signum cum re et poena cum culpa devinciuntur; altero deficiente, alterum quoque desit necesse est. Atqui talis est habitus quo vana noxiaque cupiditas et consortium originalis praevaricationis ad invicem referuntur. Si ergo concupiscentiae noxiaeque cupiditati nullus sit reliquus locus, opus omnino est ut quivis pariter aditus consortio originalis praevaricationis obstructus existimetur.* Quae quum perspicua sint et a nemine adduci in controversiam possint, occasionem nobis praebent opportunissimam ut ulterius progressi subiiciamus: *atqui concors est maiorum traditio, immaculatam Virginem nulli fuisse membrorum legi obnoxiam, nullisque cupiditatum facibus vexatam. Eiusdem igitur auctoritate traditionis efficitur, immaculatam Virginem a consortio paternae labis immunem fuisse penitusque solutam.*

15o5. Verum ea ne praesto nobis sunt, quibus traditionem cui innitimur, comprobemus? Ita plane, siquidem praesto nobis inprimis est *species atque idea Virginis*, quam ex fide maiorum suis locis [1]) adumbravimus, quaeque omne concupiscentiae vitium penitus excludit. Praesto deinde nobis sunt ex iis non pauca quae identidem ac superiori nominatim [2]) articulo memoravimus, quaeque comparata sic sunt ut Virginem cuiusvis expertem cupiditatis, carnalisque consuetudinis funditus nesciam demonstrent. Tum haec nobis praesto sunt quae [3]) Alcuino vel satius [4]) Ambrosio Autperto in acceptis referimus: « Cunctis fidelibus liquet, nequaquam redemptoris matrem ex eius nativitate maculam contraxisse, qua illorum dierum [5]) spatio a sacris aedibus abstinens purgaretur, quae sine humana concupiscentia, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, et sine fine virgo permanet; ac plus hoc nec masculus ex ea natus vulvam eius aperuit.» Quo et haec pertinent [a]) ex dogmatica panoplia, quae [6]) seculo

a) Panopl. dogmat. q. III. n. 3. pag. 609. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. II. Καὶ οὐ

1) nn. 30. seqq.

2) nn. 1449. seqq.

3) Sermonem in purificatione, e quo verba decerpsimus, Alcuino tribuit Baluzius miscell. lib. I. pag. 382.

4) Sermonem tribuendum esse Ambrosio Autperto censuit Martenius, illumque retulit vett. script. T. IX. pag. 235. Verba quibus utimur, leguntur n. 3. pag. 236. E.

5) Luc. II. 22.

6) Cf. editoris monitum de dogmat. panoplia pagg. 595-596.

Digitized by Google

septimo recentior haberi vix potest: « Neque dicendum est, quoniam Virginis conceptus divinae fuit creationis opus, idcirco hominis quidem formam habuisse illum quem nobis peperit Virgo Christum, non tamen corpus de matre revera sumptum: nam proprie vereque ex ipsa sumptum fuit corpus dominicum, matris virginitate inviolata manente: etenim vim quidem genitivam Spiritus sanctus Virgini attribuit, carnis autem materiam immaculata Virgo suppeditavit concupiscentiae nescia: Sapientia videlicet sibi domum aedificante, quo tempore salutatio angeli ad sanctam Virginem facta est. » Dos igitur ac praerogativa fuit Virginis, *ut humana careret concupiscentia, ipsamque concupiscentiam nesciret.*

1506. Cuius ornamenti testes praeterea sunt Andreas cretensis qui [1]) Virginem dicit *passionum eremum*, et Paulus diaconus [2]) qui de ipsa ait: « Hanc egregiam Virginem gloriosissimus prophetarum Isaias praesago spiritu praevidens [3]) dixit: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Et quam decenter beata haec Virgo et mater appellatione signata est, quae et perfecti operis intentionem ad superna emicuit, et vitiositatis nodis funditus carens, flexibilis per humilitatem effulsit. » Consentit Petrus Damiani qui de Virgine enarrans [4]) Cantici verba, *quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris*, post cetera [5]) ait. « In myrrha continentiam, in thure devotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem lucis aeternae conversa est. » Neque minus Iohannes damascenus consentit [a])

χρὴ λέγειν ἐπιπτῶσι ἡ σύλληψις τῆς παρθένου θείας ἔργον γεγένηται δημιουργίας, εἶχε μὲν ἀνθρώπου μορφὴν ὁ τεχθεὶς ἡμῖν ἐκ παρθένου Χριστὸς, οὐκ εἶχε δὲ τοῦ μητρῴου σώματος τὴν ἀλήθειαν· κυρίως γὰρ κατ' ἀλήθειαν, ἐξ αὐτῆς τὸ κυριακὸν προσελήφθη σῶμα, τῆς παρθενίας τῆς μητρὸς ἀκηράιου μενάσης· τὸ μὲν γὰρ γόνιμον τῇ παρθένῳ τὸ ἅγιον πνεῦμα παρέσχε· τὴν δὲ τῆς σαρκὸς ὕλην ἡ ἄχραντος παρθένος ἐχορήγησεν ἐπιθυμίαν ἀγνοήσασα, τῆς σοφίας ἑαυτῇ οἶκον οἰκοδομούσης ἵνίκα γέγονεν ὁ ἀσπασμὸς ἐκ τοῦ ἀγγέλου τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ.

a) Orat. II. in Deiparae dormit. §. II. pag. 869. E. Σήμερον ἡ παρθένος ἡ ἄχραντος, καὶ γηΐνοις μὴ προσομιλήσασα πάθεσι, ἀλλ' οὐρανίοις ἐντραφεῖσα νοήμασιν, οὐκ εἰς γῆν

1) n. 1494.
2) Serm. in Deiparae assumpt. pag. 288. B-D. apud Martenium scriptt. vett. T. IX.
3) Is. XI. 1.
4) Cant. III.
5) Serm. XL. in Deiparae assumpt. pag. 92. col. 1. E. opp. T. II.

Digitized by Google

de assumpta in caelum Virgine scribens: « Hodie Virgo immaculata, quae nihil terrenarum affectionum [1]) admisit, sed caelestibus enutrita cogitationibus, non in terram reversa est; sed quum vere caelum esset animatum, in caelestibus tabernaculis collocatur. » Quare illam his verbis [2]) compellat: « O divinum animatumque simulacrum, cuius conditor Deus pulcritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam, cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est et amore dignum intentam, iram autem erga peccatum dumtaxat eiusque parentem. Vitam natura potiorem habebis. » Hinc [3]) in Missali gothico veluti ea perhibetur « Quae nihil seculi conscia, tantum precibus mens attenta, tenuit puritatem in moribus, quam perceperat angeli benedictione visceribus. » Hinc in libello [4]) de corona beatae Mariae de ipsa legimus: « Thronus [5]) eburneus fuisti, quia tria sunt in ebore quae plenissima in te fuerunt. Est enim mirabilis candoris, natura frigidus, de casto nascitur elephante. Ita et tu, gloriosissima Virgo, candida fuisti, quia ab omni pollutione segregata: frigidissima, quia ab aestu carnalis concupiscentiae elongata, de castis patriarcharum amplexibus generata. Grandis ideo diceris, quia si multa in creaturis magna sunt, nihil tamen tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. » Atque hinc quae in Latinorum hymnis [6]) frequentantur:

» Servans matrem a fomite
» Labis, dum alvo clauditur,
» Plenaque donis inclite
» Ut stella fulgens oritur.

» O mira redundantia
» Gratiae data Virgini,
» Qua cuncta sunt fragrantia
» Et grata summo Numini.

ἀπελήλυθεν, ἀλλ' ἔμψυχον ὄντως οὐρανὸς χρηματίσασα, ταῖς οὐρανίαις σκηναῖς ἐνοικίζεται.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. D-E. Ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα, ἐφ' ᾧ ὁ δημιουργὸς εὐφράνθη θεός, νοῦν μὲν ἔχον θεοκυβέρνητον, καὶ μόνῳ θεῷ προσαρίχοντα· ἐπιθυμίαν ἅπασαν τεταμένην πρὸς τὸ μόνον ἐφετόν τι καὶ ἀξιέραστον· τὸν θυμὸν κατὰ μόνης τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ταύτην κυήσαντος.

1) Cum προσομιλεῖν idem notet ac *versor cum aliquo*, *et cum aliquo mihi est consuetudo atque consortium*, Damasceni verba aptius redduntur, *quae cum terrenis affectionibus nihil habuit consuetudinis nihilque consortii.*

2) Missa in assumpt. pag. 646. D. apud Muratorium liturg. rom. T. II. Cum quibus iuverit contulisse quae Nerses claiensis tradit epist. II. pagg. 90-91. et comm. in Matthaeum pagg. 62-63.

3) De corona b. Mariae cap. XXV. pagg. 432-433. in collect. pp. tolet. T. I.

4) III. Reg. X. 18.

5) Apud Mone T. II. pagg. 30-33-243.

Digitized by Google

» Singularis
» Ordinaris
» Ab initio,

» Ut sis parens
» Omni carens
» Carnis vitio.

» Ave vellus virgineum,
» Carnis ignorans vitium,

» Quod suscepit ut pluviam
» Verbum Dei per gratiam.

1507. Quoniam vero concupiscentia sentiendique libido in conceptu sese vehementius prodit et explicat, idcirco fuit cur ab hac speciatim immunis Deipara celebraretur. Et immunis sane a Leone celebratur, qui de opere redemptionis [1]) scribit: « Non itaque iuste *(satanas)* amitteret originalem humani generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine conceptus est Christus ex Virgine, quam non humanus coitus sed Spiritus sanctus fecundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde [2]) purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non provenit, peccati se illic origo non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. » Celebratur [a]) a Gregorio antiocheno qui Deiparam exhibet his verbis loquentem: « Primum autem incipiam dicere, unde factum est ut primum evaderem mater, ferens immaculatum usque in hanc diem corpus. Neque voluptatem novi, nequidem [3]) verbis audiens aut pictura cernens: neque enim ad haec spectanda proclivis sum, quum animam geram virginalem. » Celebratur et quidem splendidissime [4]) a Paschasio Ratberto, qui Prudentii et Petri ravennatis testimonia usurpans, principio ait: « Hinc itaque Prudentius poeta suo praeludens carmine idipsum confirmat dicens:

a) Tragoed. Christ. pat. vv. 519-525. pag. 1236.

Πρῶτα δ' ἄρξομαι λέγειν,
Ὅθεν μ' ὑπῆλθε πρῶτον εἶναι μητέρα,
Φέρουσαν ἁγνὸν εἰς τόδ' ἡμέρας σῖτον·
Οὐκ οἶδα τέρψιν, ἢ λόγῳ κλύειν φέρω
Γραφῇ τε λεύσειν· οὐδὲ ταῦτα γὰρ σκοπεῖν
Ἐγὼ πρόθυμος, παρθένον ψυχὴν δ' ἔχω.

1) Serm. XXII. al. XXI. in nativit. Domini II. cap. III. pag. 70.

2) Quamnam vero? eam ne qua a sordibus mundaretur? Nihil minus, quum esset penitus immaculata. Purgationem ergo traxit, per quam pura purior, sancta sanctior, immaculata immaculatior redderetur.

3) Ac si diceretur, a voluptate eo usque abhorreo, ut ne verbum quidem quod delectet audire, aut pictam tabellam quae oculos pelliciat cernere queam.

4) Fragment. de partu Virginis pag. 320. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

» Intactam thalami virtus divina puellam
» Sincero afflatu per viscera casta maritat.
» Incomperta ortus nativitas iubet ut Deus esse
» Credatur Christus : sic conditus innuba Virgo
» Nubit Spiritui, vitium nec sensit amoris.
» Pubertas signata manet gravis, intus et extra
» Incolumis, florens de fertilitate pudica.
» Virginitas et prompta fides Christum bibit alvo
» Cordis, et intactis condit paritura latebris. »

Tum [1]) pergit : « Idcirco sicut Petrus ravennas in sermone suo inquit, stulte, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre ? Unde sordes in ea, quae nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem ? Unde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, sed solus ad eam fabricator Dominus venit, vestem quam non habebat induit, eamque sicut invenit clausam reliquit ? Et sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius, ex qua natus est, matris pudor solus integer est. » Itemque celebratur ab Amedeo lausannensi et vulgato Hildephonso toletano, quorum ille [2]) scribit : « Sed iam qualiter Christum beata Virgo peperit, advertamus. Peperit eum salva virginitate, quia salvo pudore concepit. Peperit inviolata, quia illibata suscepit. Et quia in delictis non concepit, absque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum passa in partu discidium. Si enim quod nefas est cogitare, in carnis voluptate conciperet, procul dubio in partu doleret. » Et [3]) mox : « Porro Dei genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata, et in conceptione virginior, et in partu exstitit sanior, obstetricante illa manu de qua per psalmistam [4]) Deo dicitur, fiat manus tua ut salvet me. » Hildephonsus vero [5]) exclamat : « Felix mater, per quam generis nostri vita est reparata, quae de caelo suscepit prolem, et mundi genuit salvatorem. Electa quippe est Virgo integra, cui fecunditas matris daretur : et facta est fecunda mater, in qua Virginis integritas servaretur. Si enim cogitemus Virginem quae sine concupiscentia carnis concepit carnem, et sine viro concepit virum : et si

1) Ibidem pag. 821.
2) Hom. IV. de laudibus Virginis pag. 1268. col. 1. D. in max. pp. biblioth. T. XX.
3) Ibid. pag. 1268. col. 2. E-G.
4) Ps. CXVIII. 173.
5) Serm. VII. de Virginis assumpt. pag. 680. col. 2. C-E. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

Digitized by Google

voluerimus quaerere rationem, in ipsa nostra inquisitione succumbimus, cum [1]) scriptum sit: generationem eius quis enarrabit? »

1508. Atque haec indubitata maiorum [2]) fides iis non minimum expolitur, quibus dicere iidem consueverunt, mente prius ac fide quam carne Deiparam concepisse. Cuius sententiae loquendique rationis testis est [3]) Hildephonsus inquiens: « Nam et ipsa beata Maria, cuius hodie [4]) natalitia celebramus, quem credendo peperit, credendo conceperat. Denique cum dominicum illi partum angelus nuntiasset, illa quippe castitatis conscia, divinae dispensationis gratia angelo respondisse fertur: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Angelus ei placido vultu [5]) respondit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non expavescas partum, Virgo, nec metuas: tantum crede et concepisti, ama et peperisti. » Et paullo [6]) inferius: « His Maria auditis, iam fidei semine gravida, prius et Christum mente quam ventre concipiens, respondit [7]) angelo: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora, ut assensus Virginis panditur, sponsus immaculatum corpus ingreditur, et qui toto mundo non capitur, puellae innuptae membris infunditur. » Testis [8]) Pseudo-Augustinus, qui laudibus Virginem ornans ait: « Haec est illa angelorum Domina, cunctis felicior, cunctis beatior creaturis, quae prius Christum fide concepit quam carne. » Testis Augustinus qui nunc [9]) ait: « Beata Maria, quem credendo peperit, credendo concepit. » Nunc [10]) scribit: « Maria Christi carnem fide concepit. » Et nunc [11]) addit: « Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam con-

1) Is. LIII. 8. His adde quae eodem pertinentia habentur in Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 281-303:

» Salve lege volens regi, » Nam impurum nil sensisti
» Non adstricta tamen legi » Nec de viro concepisti,
» Purgandae puerperae; » Sed de Dei munere.

» Ave mundi spes, Maria, » Ave virgo singularis,
» Ave mitis, ave pia, » Quae per rubum designaris
» Ave plena gratia: » Non passum incendia.

2) Tischendorfius in disquisit. hist. critic. de evangeliorum apocryph. origine et usu pag. 90. scribit: « Mariam et concepisse, et partum edidisse salva virginitate, ut Cyprianus, Augustinus aliique docent, ita Anastasius sinaita in sermone de annuntiatione Mariae his verbis significat: *ἀσυνδύαστως ἐκυοφόρησεν, ἀσυμφύτως ἐκύησεν*: quod a Protevangelio pendere in promptu est. » Sed quid in promptu est? Rem ne ipsam a Protevangelio pendere, an verba quibus effertur? Si de verbis sermo sit, contentiosius non repugnabo; sin autem de re agatur, illa neque ex Protevangelio pendet, neque ex unius alteriusque patris testimonio, sed ad christianam fidem pertinet, quae universali traditione et Scripturarum auctoritate continetur.

3) Serm. de Virginis assumpt. pag. 680. col. 2. D-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII.

4) Natalitia Mariae eodem hoc sensu dicuntur quo martyrum natales celebrantur.

5) Luc. I. 34.

6) Loc. cit. pag. 681. col. 1. A-B.

7) Luc. I. 38.

8) Serm. CXCIV. de Virginis assumpt. n. 2. pag. 452. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. I.

9) Serm. CCXV, n. 4.

10) Con. Faustum lib. XXIX. n. 4.

11) De s. virginit. cap. III.

Digitized by Google

cipiendo carnem Christi. » Et testis non uno in loco Mozarabum liturgia, in qua [1]) legimus: « Homo redimendis hominibus factus de secreto utero virginali immaculatus emicuit. Nunciatus est concipiendus ab angelo, conceptus fidei singularis arcano, et natus sine ullo peccato. » Itemque [2]) legimus: « Virgo regia non alta sapiens sed humilia respiciens ab angelo nunciante salutata, sed non corde exaltata, quae ad laudes proprias turbata est non gaudio effusa, quae prior [3]) fide in mente genuit quam in ventre Deum, quem natum adorat creatorem. »

1509. Ad cumulum maioremque splendorem ea accedunt, quibus Virgo non excepta modo a concupiscentiae morbo, sed eiusdem prorsus incapax significatur. Talia porro haec sunt quae [4]) Iohannes Geometra Deiparae tribuit, dum Gabrieli respondet: « Non novi, inquit, desiderium viri, non habeo carnis voluntatem; quod sane praeter universam muliebrem naturam privum ipsi est ac singulare, quando etiam castitas ipsi inest super omnes feminas atque ex concepto animi proposito huiusce vitii penitus incapax. » Talia quae Petrus Damiani [4]) his verbis complectitur: « Quod, rogo, vitium in eius mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae

a) In sylloge enarratt. in Lucam pag. 639. apud Mai scriptt. vett. T. IX. Οὐκ ἔγνωκά, φησιν, ἐπιθυμίαν ἀνδρός· οὐκ ἔχω θέλημα τῆς σαρκός· ὃ δὴ καὶ κατὰ πάσης αὐτῇ τῆς γυναικείας ἐξαίρετον φύσεως, ὅτι καὶ ὑπὲρ πάσας αὐτῇ καὶ ἐκ γνώμης ὅλως ἀνεπιδέκτου τῆς τοιαύτης κακίας ἡ σωφροσύνη.

1) In festo annunciat. pag. 34. col. 2. A-B.

2) In missa beatae Mariae virginis pag. 408. col. 2. C-D.

3) In notis ad cap. IX. historiae de nativit. b. Mariae pag. 367. scribit Thilo: « De modo conceptionis Mariae noster tacet, quo nomine laudandus est cum auctore historiae Iosephi cap. V., qui Christum ipsum dicentem facit: *et incarnatus fui de illa, mysterio creaturarum rationis captum superante.* In Protev. cap. XI. notabile est quod angelus Mariae ait: συλλήψῃ ἐκ λόγου αὐτοῦ. Cum istis nescio an aliqua ratione coniuncta sint, quae ab ecclesia romana in festo natalitiorum Christi cantabantur: *sancta Dei genitrix, quae concepisti per aurem Dominum nostrum.* Item: *introivit per aurem Virginis.* Iure meritoque haec iam reprehensa sunt ab Agobardo de correctione antiphonarii cap. VII. » Gemina repetit Tischendorfius disquisit. cit. pag. 104. inquiens: « Hoc loco memorabilis etiam est cantus vetus, quo catholici romani in solemnibus natalitiis Christi utuntur. Ibi est, Dei sanctam genitricem *per aurem* concepisse, item *per aurem* Virginis Dominum introivisse. Hoc cum doctissimo Thilone conformatum puto ad id quod est in Protevang. cap. XI. Mariam *ex verbo Dei* concepturam esse: συλλήψῃ ἐκ λόγου αὐτοῦ, quae angeli verba sunt. » Sed ne in Tischendorfio reprehendam quod ait, catholicos romanos eiusmodi formulis *uti*, non video cur illas ex Protevangelio derivatas arbitremur. Nisi enim totus fallor, multo probabilius censentur profectae vel I. ex antithesi Mariam inter et Evam, ut quemadmodum haec virus serpentis communemque perniciem auribus hausit, sic illa angeli nuntium communemque salutem aure susceperit. Vel II. ex vulgata sententia eademque verissima, quod Maria prius fide quam carne conceperit. Est autem fides *ex auditu*. Vel etiam III. ex allusione ad nomen Unigeniti quo *Verbum* nuncupatur. Verbum enim *aure* suscipitur. Ceterum IV. usurpata in Protevangelio phrasis apte redditur, *ipsius opera ac virtute concipies.*

4) Serm. XLVI. in Virginis nativit. pag. 113. col. 1. D.

Digitized by Google

ad instar caeli, plenitudini totius divinitatis meruit esse sacrarium?» Et talia quae in Mozarabum liturgia [1]) frequentantur: « Nec immerito quidem debuit feliciter cum filio gloriari, cui divinitus, intemerato virginitatis pudore, meruit inviscerari. Ibi namque cum sacris virginibus iocundari cui etiam in unito carnis foedere [2]) incentivis naevis non potuit [3]) viciari. »

1510. Quamobrem in contentione sane non levi quae inter Petrum cellensem et Nicolaum sancti Albani monachum seculo XII. exarsit, etsi non pauca forent capita sive historica, sive hermeneutica, sive theologica de quibus dissiderent; utrique tamen ex universali sententia vulgataque doctrina ratum erat ac fixum, neque Deiparam concupiscentiae fuisse obnoxiam, neque fieri ullatenus potuisse ut eiusdem ipsa stimulis concitaretur. Ut enim ex utroque nonnulla referam, Petrus sic [4]) statuit: « Concedo et credo siquidem, quod saeva libidinis incentiva Deo praeoperante numquam senserit vel ad modicum: cetera vero impedimenta humanae fragilitatis, quae naturali origine sive scaturigine de natura procedunt, ante divinam conceptionem sentire potuit, sed nullatenus consensit. » In altera vero epistola propositionem enarrans qua affirmaverat, Deiparam sensisse quidem peccatum sed penitus debellasse, sic [5]) habet: « Sensit equidem non ad laesionem sed ad probationem, sensit non succumbendo sed superando, sensit *extrinsecus* non *intrinsecus*, sensit hoste suggestionem iaciendo non carne delectando vel spiritu consentiendo, sensit propulsando non excipiendo vel admittendo. » Et [6]) mox: « Virgo nostra sedens iuxta sedentem in throno gratiae filium suum Iesum, loquitur omnes victorias quas obtinuit non dormiendo sed vigilando, non otiando sed pugnando, non fugiendo sed resistendo, non cadendo sed caedendo. An mater

1) Missa in festo assumpt. pag. 362. col. 2. A.

2) Quum *incentivus* proprie sit qui ad canendum inservit, unde *tibia incentiva* quae a dextra canit, et *tibia succentiva* quae a sinistra succinit, metaphorice notat *aptum ad incitandum*. Hinc illa Prudentii in Hamartig. v. 250. *terras lues incentiva fatigat*, et in Apotheosi v. 997. *est incentivum peccaminis*. Atque hinc usitata Hieronymo (epist. II. ad Nepotianum et epist. XXII. ad Eustochium) phrasis, *incentiva vitiorum et carnis titillationes*. Quare Deiparam *incentivis naevis non potuisse viciari*, tantumdem valet ac non potuisse naevis ad incitandum aptis viciari. Huiusmodi autem sunt vanae noxiaeque cupiditates.

3) In Menaeis die XXV. Martii pagg. 111. col. 2. B. et 117. col. 1. A. perhibetur Virgo Gabrieli respondens nunc, οὐ γὰρ ἔγνων ἡδονήν, *neque enim voluptatem cognovi*, et nunc, οὐκ οἶδα συζύγου ταύτης ἡδονήν, *funditus non novi connubii voluptatem*. Ubi a subiecta materia ductuque orationis verbum *cognoscendi* ex sese *actum* exprimens, *de potestate* accipi debet. Quare adhibitae formulae huc redeunt, *voluptatem connubiumque neque cognoscere possum neque experiri*.

4) Epist. lib. VI. epist. XXIII. p. 130. opp. P. II.

5) Ibid. lib. IX. epist. X. pag. 188.

6) Ibid. pag. 189.

Digitized by Google

felicior filio, an sanctior? An fortior? An gratia plenior? Sed ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur a diabolo: sed dicit illum Apostolus tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Qui tentatur, nonne sentit tentationem? Est autem modus sentiendi secundum virtutem non tentantis sed tentati, debilis, debilior, debilissimus effectus sentiendi secundum effectum et virtutem sentientis. Non enim quisquam potest iudicare quid sentias, nisi tu qui sentis. Hucusque satis sit de tuba, quam fecisti et sonuisti. » Quae quidem licet dicta prudenter, Nicolao tamen haud penitus arriserunt, qui propterea litteras ad Petrum datas his verbis [1]) orditur: « Quamdiu tractabatur de articulis qui sic vel aliter poterant intelligi, sana utrimque fide, dissimulabam, et animus noster si concepit non peperit dolorem. Nunc autem cum tuba canitur quod Virgo peccatum senserit et sentiendo debellaverit, non dissimulo, non patienter ago, vix manus teneo, quin in publicum hostem irruo. » Et rem ipsam aggressus [2]) ait: « Quod nullum prorsus senserit peccatum Virgo peccati destructrix, hoc videtur sentire beatus Augustinus, ubi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur sensisse et prophetico spiritu praedixisse David, ubi Verbum incarnari desiderans [3]) dicit: *surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Surgere enim Verbi, fuit ab occulto suo prodire in nostrum publicum, invisibilem fieri visibilem habitu carnis indutum. Incarnatum itaque desiderat surgere in requiem, quam signanter dicit suam, ut a communi hominum requie distinguat, quam idem David designat [4]) alibi, *convertere*, inquiens, *anima mea in requiem tuam.* Requies animae humanae in hac vita est vel devicta vel sopita carnis contradictione, sensualitatem rationis imperio de facili obedire. Verbi vero incarnati requies est in carne nullam carnis contradictionem, nullam membrorum legem menti repugnantem sentire. In hanc igitur requiem suam surrexit Verbum incarnatum, et non solum Verbum sed et arca sanctificationis suae, videlicet mater sua, de qua et in qua est Verbum incarnatum. Sicut enim in caelo qualis Pater, talis Filius; sic et in terra qualis Filius, talis Mater: non dico de Spiritu concepta ut Filius, sed de Spiritu repleta et sanctificata ex utero matris ut

1) Ibid. lib. IX. epist. IX. pag. 181.
2) Ibid. pag. 183.
3) Ps. CXXXI. 8.
4) Ps. CXIV. 7.

Digitized by Google

Filius. » Hinc multis interiectis [1]) concludit: « Sed modis omnibus constare nobis debet, quod Virgo singularis numquam in carne in qua et de qua Christus homo factus est, motum illicitum sensit, numquam legem membrorum sensit, numquam quod non voluit egit, numquam sensit quod sentire non decuit. » Et [2]) rursum: « Ipsa quippe culpam peccati, videlicet concupiscentiam, et cetera quae simul sunt et poena et culpa peccati, ex omni parte vicit, quod horum omnium nullum omnino sensit. Nam serpentis sibilatio *foris* fuit per suggestionem, non *intus* per titillationis pruriginem. Nec decuit illam carnem titillari, per quam meruit omnis caro a damnatione titillationis purgari. Non decuit illam carnem inordinate moveri, de cuius propagine ordinis disciplina dimanavit, et omnem mundum sub iustitiae moderamine colligens ad vitam aeternam reformavit. »

1511. E quibus expeditum est hoc tandem pacto concludere. Ea est ratio ordinis caelitus praestituti, ut non aliter cum participatione originalis praevaricationis consortium cupiditatis et libidinis sentiendi copuletur, ac delictum iungitur cum poena, cum effectu vincitur caussa, et cum radice prorumpentia ex eadem germina sociantur. Plenissima autem suffragatione maiorum certi reddimur: I. Deiparam *humana concupiscentia nodisque vitiositatis funditus caruisse, cupiditatis fuisse nesciam, nullas Adami maculas in illibata carne admisisse, nihil subiisse terrenarum affectionum, ac totam et unice in Deum intentam, nonnisi in peccatum eiusque parentem perpetuas inimicitias exercuisse.* Propterea II. *in ipso conceptu concupiscentiam nescivisse, non novisse voluptatem, nullum tulisse libidinis contagium, et mente prius ac fide quam corpore fuisse fecundam.* Immo III. *praeter ac supra naturam ita exsortem fuisse muliebris cupiditatis, ut ne illius quidem capax exstiterit; neque incentivis naevis potuerit vitiari, morboque cupiditatis infici, utpote quae caeli instar fuerit, regemque caelorum propria carne vestiverit.* Nisi ergo mens sit obfirmatumque propositum de rebus aliter decernere, ac praestitutus divinitus ordo lucrlenter exposcit; id unum est reliquum ut Deiparam penitus insciam originalis transgressionis celebremus. Quod probe vidit Paschasius Ratbertus, hostesque profligans integerrimi Deiparae candoris significavit [3]) inquiens: « Cessent a talibus deliramentis, et confiteantur cum sanctis

1) Ibid. pagg. 184-185.
2) Ibid. pag. 186.
3) Fragment. de partu Virginis pagg. 327-328. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

patribus sic eum esse natum de virgine Maria, ut dignatus est et ut decuit Deum; nullas adscribant sacratissimae matri contumelias, non gemitus, non dolores, non aerumnas, non ullas viscerum vexationes, non ullas dirae tristitiae corruptiones; quia haec omnia in prima origine illatae sunt vindictae et retributiones iustissimae primae praevaricationis. A quibus omnibus beata virgo Maria quantum est aliena a culpa, tantum procul dubio libera fuit a doloribus et a poena. » Illi ergo haec conveniunt quae [1]) maiorum relligio frequentavit:

» Mater Dei et luminis,
» Capax Trinitatis,
» Mater expers criminis,
» Norma sanctitatis,
» Mater veri luminis,
» Fons es puritatis.

ARTICULUS IV.

De propria singularique ratione qua Deipara virgo et semper virgo credenda est: idoneis ad fidem faciendam testimoniis praestituitur virginitatem non ad corpus dumtaxat sed ad animam quoque referri, eidemque non corpoream tantum sed spiritalem quoque corruptelam adversari: argumentis deinde efficitur non minus Deiparae tribui oportere singularem perennemque animae virginitatem ac ipsi eximia et perpetua corporis virginitas asseratur: quae cum his conserta sint, et quam praeclare ad praerogativam immaculati conceptus vindicandam conducant.

1512. Rerum affinitas singularisque cognatio, commoda quae in universam tractationem dimanabunt, ipsaque fides quam non semel obligavimus, a nobis omnino exigunt ut in propriam eximiamque potestatem inquiramus, qua Deipara creditur *virgo, semperque virgo* unanimi consensione fidelium praedicatur. Quod ut rite atque ex ordine fiat, praestitui in antecessum debet: *virginitatis nomen non sic esse significatione circumscriptum, ut ad unam corporis integritatem demonstrandam pertineat, sed latius contra patere, eoque pariter animum exprimi quem nulla labes infecerit nullusque naevus macularit.* Equidem si de etymologica nominis virtute sermo sit, non ingratiis Gerardo Vossio suffragabor [2]) scribenti: « Virgo *a viridi aetate* dicta videtur [3]) Servio. Atque hanc

1) Apud Mone T. II. pag. 108.
2) Etymolog. ling. lat. ad v. *Virgo*.
3) Ecl. VI.

Digitized by Google

is caussam esse autumat, cur Maro *virginem* appellet *Pasiphaem*, quae iam mater erat Phaedrae, Ariadnes et Androgei. Angelus Caninius in hellenismi alphabeto arcessit a Poenis Hebraeisque. Sed simplicissime deduci arbitror a *vira*, unde *virago*, et per sincopem *virgo*. Eadem Festi sententia est, cuius verba adduximus in *vir*. Proprie autem dicitur haec vox de iis, quae *non cognovere virum*, quales [1]) in Plauto *purae* vocantur. Maro autem usus καταχρηστικῶς, ut in Oratoriis diximus. » Sed quaestio nobis est non tam de etymologica nominis virtute, quam de ea quae illi ex more usuque loquendi scribendique adhaesit. Quem usum consulentes probe assequimur, virginitatem cognataque nomina usurpari consuevisse ut id omne efferretur, quod intactum nullaque labe vitiatum est. Hinc quemadmodum Plinius [2]) memorat *terram virginem*, ita [3]) Iosephus conditam recens terram dicit παρθένον γῆν. Et quemadmodum Martialis [4]) laudat *virginem chartam*, ita Aeschilus [5]) laudat παρθένον πηγήν.

1513. Verum profanis sepositis, ut ad scriptores sacros ecclesiasticosque veniamus, primus omnium occurrit Paulus qui [a]) Corinthiorum ecclesiam sic alloquitur: « Aemulor enim vos Dei aemulatione, despondi [6]) enim vos uni viro virginem [7]) castam exhibere Christo. » Ubi ecclesia dicitur παρθένος *virgo*, ea utique virginitate quae non ad carnem, sed ad spiritum mentemque pertinet. Occurrunt deinde qui ex Graecis Pauli effatum enarrarunt, Chrysostomus, Theodoritus, Iohannes damascenus, Theophylactus et Oecumenius, quorum commentarius [8]) huc redit: ecclesiam propterea *virginem* nuncupari quod incorrupta sit, omnis expers labis et nullius conscia maculae. Consentiunt et Latini, Primasius [9]) ac vulga-

a) II. Cor. XI. 2. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς ζήλῳ θεοῦ· ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ.

1) Poen. act. sc. II.

2) Hist. nat. XXXIII. III. 15.

3) Ant. lib. I. 2.

4) Lib. I. 67.

5) Prometh. v. 612.

6) Ἁρμόζω - ἁρμόττω est *paro*, *adapto*, *concinne scitequc coniungo*. Imagine ergo ex veteri testamento desumpta hoc sibi vult Paulus, *vos uni viro* maritoque Christo tamquam *virginem castam apte paravi atque coniunxi*.

7) Quum ἁγνός proprie sit *sceleris purus atque innocens*, παρθένος ἁγνή erit *virgo innocens*, cui non solum adversantur corporis sordes, verum etiam ea opponitur corruptio, de qua sermo est v. 3. et qua dicuntur corrumpi τὰ νοήματα cogitata, et averti ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν, *ab ea simplicitate*, sinceritate, puritate nihil alieni admixtum habente, *quae in Christum* fertur et Christum respicit.

8) Ad locum ex II. Cor. XI. 2. quem citavimus, in quo τὸ ἄφθορον τῆς ἐκκλησίας, *incorruptam ecclesiae puritatem*, iisdem auctoribus, appellatione *virginis* designatur.

9) Comm. ad II. Cor. XI. 2. pag. 205. G. in max. pp. biblioth. T. X.

Digitized by Google

tus Ambrosius [1]) inquiens: « Virgines ergo vult eos esse in fide, unde et corruptores fidei zelatur ab his, ut in die iudicii incontaminatos eos adsignet iudici Christo. » Itemque ceteri consentiunt ecclesiastici scriptores, quibus solemne est de anima non minus quam de corpore virginitatis appellationem adhibere. Cuius vulgatissimae consuetudinis insignia dabunt testimonia [2]) Paulinus nolanus, auctor [3]) libri de dignitate sacerdotali, scriptor [4]) libelli ad virginem [5]) devotam, Hildebertus carnotensis [6]) et [7]) Gregorius nazianzenus, qui non modo pluribus effert angelorum virginitatem, sed hac insuper [a]) utitur mirifica plane sententia: *prima virgo est pura Trinitas*. Luculentissima vero sunt quae tum Chrysostomus [b]) habet, cum enarrans Pauli [c]) verba, *et gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione*, scribit: « Quid est in incorruptione? Aut in honestate et moderatione, aut pro iis in quae non cadit corruptio; nempe non in divitiis, non in gloria, sed in illis quae incorrupta sunt. Illud *in* idem est quod *per*. Per incorruptionem, inquit, hoc est per virtutem. Omne enim vitium est corruptio, et sicut virginem corrumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat [d]) Paulus, *ne corrumpantur sensus vestri*. Et rursum alibi, in doctrina incorruptionem, inquit. »

a) Ibid. v. 20. pag. 298. Πρώτη παρθένος ἐστὶν ἁγία τριάς.

b) In epist. ad Ephes. hom. XXIV. n. 4. pag. 185. opp. T. XI. Τί ἐστιν, ἐν ἀφθαρσίᾳ; ἤτοι ἐν κοσμιότητι, ἢ ὑπὲρ τῶν ἀφθάρτων· οἷον μὴ ἐν πλούτῳ, μηδὲ ἐν δόξῃ, ἀλλ' ἐν ἐκείνοις τοῖς ἀφθάρτοις· τὸ ἐν, διὰ ἐστί· διὰ ἀφθαρσίας, φησὶ, τουτέστι, δι' ἀρετῆς, πᾶσα γὰρ ἁμαρτία, φθορά· καὶ καθάπερ τὴν παρθένον φθείρεσθαι λέγομεν, οὕτω καὶ τὴν ψυχήν· διὰ τοῦτο Παῦλος ἔλεγε· μήπως φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν· καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ· ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, φησί.

c) Ephes. VI. 24. Καὶ χάρις μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ.

1) Comm. ad II. Cor. XI. 2. pag. 198. A-C. inter opp. Ambrosii T. II.

2) Epist. XLI. al. XXVI. pagg. 248-250. ubi et haec habentur: « Orate autem ut et virgines et fecundae sint animae nostrae, sine sterilitate virgines, sine corruptione fecundae. » Et mox: « Sit et spiritus virgo, ut nulla seculi corrumpatur illecebra, et ab omni labe vitiorum integer maneat. Stultae enim virgines illae mihi videntur animae quae virtutibus steriles sunt, et illae sapientes quae vitiis incorruptae sunt. »

3) De dignit. sacerdot. cap. V. pag. 368. inter opp. Ambrosii T. II.

4) Ad virginem devot. cap. II. pag. 366. Ibidem.

5) Audiebant virgines *devotae*, quae publice virginitatem profitebantur. Has Graeci dicebant ἱερὰς παρθένους, κόρας καθιερωμένας, quemadmodum scite Zonaras monuit ad canones XV. et XVI. synodi chalcedonensis, et ad can. XLIV. cod. eccles. africanae.

6) Serm. in advent. Domini pagg. 222-223. apud Muratorium in anecdott. T. II.

7) Carminum P. II. carm. I. in laudem virginitatis, pagg. 296. seqq.

8) II. Cor. XI. 3.

Digitized by Google

Et [a]) continuo: « Quid est enim, dic mihi, corruptio corporis? Annon dissolutio totius, et eius compositionis? Hoc etiam fit in anima, peccato in eam ingresso. Pulcritudo enim animae est temperantia, iustitia. Sanitas animae est fortitudo, prudentia. Quod vero peccata operentur corruptionem, hinc palam est: faciunt enim turpes et imbecillos, et efficiunt ut laborent et defatigentur. » Quibus mox [b]) addit: « Corruptam enim esse virginem, etiam ideo proprie dicimus non quod corrumpatur corpus solum, sed propter iniquitatem. Nam id quod fit, est coitus. Si hoc autem esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio; non est autem coitus corruptio, sed peccatum: ipsam namque dedecore affecit. Domus autem quid fuerit corruptio, quam dissolutio? Et utique corruptio est quaedam in deterius mutatio quae fit in alium habitum, et ad deletionem eius quod erat prius. » Hoc deinde Scripturarum testimoniis adprobat, tum [c]) subdit: « Corruptibile est corpus nostrum, sed anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest etiam animam corrumpere, et efficere ut capi facile possit a verme immortali. Non enim attigisset, nisi [1]) corruptibilem invenisset animam. Adamantem non attingit vermis, et si attigerit, nihil efficit. Ne corrumpas animam. »

a) Loc. cit. n. 5. pag. 186. A-C. Τί γάρ, εἰπέ μοι, φθορὰ σώματος; οὐχὶ διάλυσις τοῦ παντὸς, καὶ τῆς συνθέσεως αὐτῆς; τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς γίνεται, τῆς ἁμαρτίας εἰσελθούσης· κάλλος γὰρ ψυχῆς, σωφροσύνη, δικαιοσύνη· ὑγιεία ψυχῆς, ἀνδρεία, φρόνησις· ὅτι δὲ αἱ ἁμαρτίαι φθορὰν ἐργάζονται, ἐντεῦθεν δῆλον· καὶ γὰρ αἰσχροὺς ποιοῦσι καὶ ἀσθενεῖς, καὶ κάμνειν παρασκευάζουσι.

b) Ibid. n. 5. pag. 186. B-D. Φθαρῆναι γὰρ τὴν παρθένον καὶ διὰ τοῦτο κυρίως λέγομεν, οὐχ ὅτι τὸ σῶμα φθείρεται μόνον, ἀλλὰ διὰ τὴν παρανομίαν· τὸ γὰρ γινόμενον, μίξις ἐστίν· εἰ δὲ τοῦτο ἦν ἡ φθορὰ, ἦν ἂν καὶ γάμος φθορά· ὥστε οὐχ ἡ μίξις φθορὰ, ἀλλ' ἡ ἁμαρτία· ἦσχυνε γὰρ αὐτήν· σκόπει δὲ καὶ ἄλλως· φθορὰ οἰκίας τι γένοιτο ἂν, ἢ διάλυσις; καὶ πανταχοῦ ἡ φθορὰ, μεταβολή τίς ἐστιν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐφ' ἑτέραν ἕξιν, καὶ ἀφανισμὸν τοῦ προτέρου γινομένη.

c) Ibid. n. 5. pag. 186. C-E. Φθαρτὸν ἡμῖν τὸ σῶμά ἐστιν, ἀλλ' ἄφθαρτος ἡ ψυχή· μὴ δὴ οὖν αὐτὴν φθείρωμεν· τοῦτο ἡ ἁμαρτία εἰργάσατο ἡ πρότερα· ἣ δὲ μετὰ τὸ λύτρον καὶ τὴν ψυχὴν φθεῖραι δύναται, καὶ εὐάλωτον ποιῆσαι τῷ σκώληκι τῷ ἀθανάτῳ· οὐ γὰρ ἂν ἥψατο, εἰ μὴ φθαρτὴν εὗρε ψυχήν· ἀδάμαντος σκώληξ οὐχ ἅπτεται· κἂν ἅψηται, οὐδὲν εἰργάσατο· μὴ δὴ φθείρῃς τὴν ψυχήν.

1) Quae mutuo facile compones, si duplici distincta corruptione physica et morali, animam dicas physice incorruptibilem, corruptibilem ethice.

Digitized by Google

1514. Eadem est Hieronymi loquendi ratio, qui virginitatem non uno circumscribit corpore, sed ad animam quoque mentemque protendit. Sic enim Eustochium [1]) alloquitur: « Cave quaeso, ne quando de te dicat [2]) Deus: *virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam.* Audenter loquar: quum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare corruptam. Timeamus illam prophetiam, ne in nobis etiam [3]) compleatur: *virgines bonae deficient.* Observa quid dicat, *et virgines bonae deficient*, quia sunt et virgines malae. *Qui viderit*, inquit [4]), *mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Perit ergo et mente virginitas. Istae sunt virgines malae, virgines carne non spiritu: virgines stultae quae oleum non habentes, excluduntur a sponso. » Ad quam animae mentisque virginitatem haec item [5]) spectant: « Nec dicas, illa et illa suis rebus fruitur, honoratur ab hominibus, fratres ad eam conveniunt et sorores. Numquid ideo virgo esse desiit? Primo dubium est, an virgo sit talis. Non enim [6]) quomodo videt homo, videt Deus. Homo videt in facie, Deus autem videt in corde. Dehinc etiamsi corpore virgo est, spiritu virgo sit, nescio. Apostolus autem ita virginem [7]) definivit, *ut sit sancta corpore et spiritu.* Ad extremum habeat sibi gloriam suam. Vincat Pauli sententiam, deliciis fruatur et vivat. Nos meliorum exempla sectemur. Propone tibi beatam Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.» Quam perfectissimam virginitatis speciem ut idonea imagine [8]) adumbret, ait: « Sponsa Christi arca est testamenti, intrinsecus et extrinsecus deaurata, custos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit nisi tabulae Testamenti, ita et in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult Dominus. » Eadem alibi repetit, et praeceptam animo virginitatis ideam sic rursus [9]) expromit: « Virginis definitio, sanctam esse corpore et spiritu; quia nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit.» Quibus haec apprime [10]) respondent: « Nonnullae quippe sunt virgines carne, non spiritu: quarum corpus integrum est, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia

1) Epist. XXII. n. 5. pag. 90. A-D. opp. T. I.
2) Amos. V. 2.
3) Loc. cit. VIII. 13.
4) Matth. V. 28.
5) Loc. cit. n. 38. pag. 120. B-D.
6) I. Reg. XVI.
7) I. Cor. VII. 34.
8) Loc. cit. n. 24. pag. 106. A-B.
9) Adver. Helvidium n. 20. p. 228. A. opp. T. II.
10) Adver. Iovinianum lib. I. n. 13. pag. 260. E.

Digitized by Google

Christi est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. » Quare ad Cantici [1]) verba, *emissiones tuae paradisus malogranatorum cum fructu pomorum*, sic [2]) monet: « In malogranatis et pomis omnium virtutum significatur in virginitate concentus. »

1515. Fuit igitur cur Theophylactus [3]) apostolicis verbis hunc commentarium [a]) subtexeret: « Non satis est ut virgo sancta sit corpore, verum etiam spiritu. Hoc enim est vera virginitas, animae nimirum puritas. Nam multae corpore quidem castae et impollutae, anima contaminatae sunt. » Fuit cur Maximus taurinensis ad Christi respiciens [4]) vestes, quae nive candidiores apparuerunt, concionem ita [5]) compellaret: « Exornemus nos puris et nitidis indumentis. Animae autem loquor indumenta non carnis. Carnis enim indumentum vilis amictus est, animae vestimentum corpus est pretiosum. Illud humanis manibus densatum est, istud Dei manibus institutum est: atque ideo maioris est sollicitudinis Dei opus sine macula custodire, quam opera hominum impolluta servare. Laudatur igitur Christi vestimentum quia nitebat non textura sed gratia: laudatur indumentum non quod staminum subtilitate densatum est, sed quod corporis integritate conceptum: laudatur vestimentum non quod mulierum manus texuit, sed quod Mariae virginitas procreavit. » Quam vero ob oculos haberet virginitatis formam, non corpore contentam sed ipsum quoque animum complexam, declarat [6]) scribens: « Videte miraculum matris dominicae. Virgo est cum concipit, virgo cum parturit, virgo post partum. Gloriosa virginitas, et praeclara fecunditas! Virtus mundi nascitur, et nullus est gemitus parturientis; vacuatur uterus, infans excipitur, nec virginitas violatur. Dignum enim erat ut Deo nascente meritum cresceret castitatis: nec per eius adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta: nec per eum pudicitia corporis laederetur, per quem donatur virginitas baptismatis impudicis. » Cui formae exhibendae non ista [7]) minus conducunt: « Dignum est enim,

a) In comm. ad I. Cor. VII. 34. pag. 164. opp. T. II. Οὐκ ἀρκεῖ σώματι εἶναι ἁγίαν, ἀλλὰ δεῖ καὶ πνεύματι· τοῦτο γὰρ ἡ ἀληθὴς παρθενία, ἡ τῆς ψυχῆς καθαρότης· ἐπεὶ πολλαὶ τὸ σῶμα ἁγναὶ καὶ ἀμόλυνται οὖσαι, κατεσπιλωμέναι εἰσὶ τὴν ψυχήν.

1) Cant. IV. 13.
2) Adv. Iovinianum lib. I. n. 31. pag. 287. C.
3) I. Cor. VII. 34.
4) Marc. IX.
5) Hom. hiemal. IV. pag. 15. B-C.
6) Hom. hiemal. V. pag. 17. D.
7) Hom. hiemal. XXI. de epiphan. Domini V. pag. 61. A-C.

Digitized by Google

ut salvatorem quem virginitas immaculata genuit, voluntas incorrupta possideat: et sicut Maria eum illibata gestavit, ita et anima nostra illum impolluta custodiat. Maria enim typum quemdam animarum nostrarum gessit. Nam Christus sicut virginitatem in matre quaesivit, ita et integritatem in nostro requirit affectu. Virgo enim a peccatis anima salvatorem et concipit et parturit dum praedicat, custodit dum mandata prosequitur. »

1516. Religioni vero mihi ducerem Anselmum praeterire, cuius [1]) meditatio tertia inscribitur, *deploratio male amissae virginitatis*, atque his verbis [2]) inchoatur: « Anima mea, anima aerumnosa intende, infelix, intende sceleris tui horrorem. Tu quae quondam candidata caelesti lavacro, dotata Spiritu sancto, in christiana professione iurata, virgo fuisti Christo desponsata. O quem nominavi! Utique non iam benignum sponsum virginitatis meae, sed terribilem iudicem immunditiae meae. » Tum [3]) subditur: « O virginitas, iam non dilecta mea, sed perdita mea; iam non iucunda mea, sed desperata mea, quo devenisti? In quam foetido, in quam amaro coeno me dereliquisti? O fornicatio sordidatrix mentis meae, perditrix animae, unde misero surrepsisti, de quam nitido, de quam iucundo statu me praecipitasti? » Et paullo [4]) inferius: « Tu namque anima mea perfida Deo, periura Dei, adultera Christi, libenter de virginitatis sublimitate miserabiliter es demersa in barathrum fornicationis. Tu illa olim desponsata regi caelorum, ardenter facta es scortum tortoris tartarorum. Heu abiecta a Deo, proiecta diabolo: immo abiiciens Deum, amplectens diabolum. Tu enim tu misera anima mea, meretrix obstinata, fornicatrix impudens, tu prior amatori et creatori tuo Deo repudium obtulisti, et ad insidiatorem et perditorem tuum daemonem te sponte contulisti. O miserrima commutatio! » Cum quibus haec [5]) componenda sunt: « Incarnatus est, ut te ad spiritualia revocaret. Mutabilitatis tuae particeps factus est, ut te suae incommutabilitatis participem faceret. Inclinavit se ad humilia tua, ut te sublimaret ad excelsa sua. De virginitatis integritate natus est, ut praevaricatricis naturae corrupta sanaret. »

1517. Ratio itaque et forma virginitatis, quae manca non sit sed plena, non imperfecta sed suis expleta numeris, quemadmodum

1) Meditat. III. pag. 208.
2) Ibid. pag. 208. col. 1. A-B.
3) Ibid. pag. 208. col. 2. A-B.
4) Ibid. pag. 209. col. 1. A-B.
5) Meditat. I. cap. VIII. pag. 205. col. 1. D-E.

Digitized by Google

ex concordi doctrina maiorum Scripturas enarrantium communemque fidem proponentium, omnimodam amplectitur puritatem, nullamque patitur corruptelam; ita ad corpus inviolatum, atque ad animam illaesam coniunctim pariterque porrigitur. Deficit enim a sua perfectione virginitas, si vel tenuissimo corruptelae halitu affletur. Afflari autem corruptione potest [1]) tum corpus, tum anima, *quum quodvis peccatum corruptio sit, inhaerentem venustatem defloret, subversoque pristino statu in deterius omnia commutet.* Est autem cur sedulo investigemus, quae virtus quaeve significandi potestas virginitatis virginisque nominibus subiicienda tum sit, quum ea in christianis monimentis tanta maiorum conspiratione Deiparae facta leguntur. In qua ego investigatione non admodum illa premam quae antecedunt quaeque persuadere facile possent, non quavis sed eximia, non communi et imperfecta sed propria eademque perfectissima significatione Deiparam appellari virginem, ipsique virginitatis numquam non virescentis florem adscribi; sed potius certis veluti gradibus eo tendam quo specto, illamque persequar metam quam ob oculos obiectam habeo. Initio itaque pono *formulas esse maioribus nostris omnino solemnes, quibus Deiparam corpore atque anima virginem, et corporis iuxta animique virginitate nitentem extollunt ac depraedicant.*

1518. Quarum formularum, ut ex pluribus aliquot memorem, testis est [2]) Theodotus ancyranus, a quo Deipara dicitur: « Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intaminata, impolluta, sancta [3]) anima et corpore, sicut [4]) lilium inter medias spinas germinans. » Neque vero se res aliter habere poterat, quum de Deo Virginem condente [5]) scribat: « Is qui quod est deforis pulcre fecit, etiam quod intus est ad domicilium animae sancte perornavit. » Hinc quum virgineum eius corpus crebro laudet, Symeonem prae-

5) Serm. in Deiparam et Symeonem §. V. pag. 461. D. Καὶ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν ὡραίως, αὐτὸς καὶ τὸ ἔσωθεν κατεκόσμησεν εἰς κατοικητήριον ψυχῆς ὁσίας.

1) Hinc quod Petrus cellensis tradit epistt. lib. VI. epist. XXIII. pagg. 132-133. inquiens: « Et notandum, quia triplex est corruptio, aut corporis tantum, aut animi tantum, aut simul corporis et animi. De prima dicit Hieronymus: finge tempore persequutionis aliquam virginem prostitutam: corrupta est in lege, incorrupta in evangelio. De secunda (II. Cor. XI. 3.) Apostolus: *timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate fidei.* De tertia (I. Cor. III. 16.), *templum Dei sanctum est, quod estis vos. Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* »

2) Orat. in Christi nativit. §. XI. pag. 475. C. apud Gallandium T. IX.

3) I. Cor. VII. 34.

4) Cant. II. 2.

Digitized by Google

terea inducit qui sic ipsam [a]) affatur: « Sed et virginalis animi tui erit quandoque tormentum ex variis cogitationibus subeuntibus ac exeuntibus. » Succedit auctor sermonis Chrysostomo tributi, qui relato Gabrielis nuncio [b]) pergit: « Quid ergo post hos sermones sancta Maria, virgo corpore et anima, pia et obsequens, honor humanae naturae, porta vitae nostrae, quae nobis salutem conciliavit? » Nihil autem hisce splendidius quae Iohannes damascenus [c]) tradit: « Gratiae abyssum invenit, quae duplicis virginitatis navem servaverat incolumem. Maria enim non minus animum quam corpus virginem custodierat, unde etiam constabat corpori virginitas. »

1519. Ad quam formulam haec sua sponte referuntur, quibus [d]) a Petro siculo Deipara nuncupatur « Sanctissima virgo, cuius anima et caro plus quam caelestes virtutes fuerat [1]) purificata. » Tum haec [e]) ex Gregorio nysseno: « Quid igitur Virgo corpore et anima pia et verecunda? » Haec item quae [f]) Basilium pegoriotem habent auctorem: « O innocens Deipara, ut quae supersplendidam habeas puram animae pulcritudinem, et caelitus divina gratia fueris repleta, sempiterna luce eos semper illumines qui iucunde excla-

a) Ibid. §. XIII. pag. 467. C. Καὶ τῆς παρθενικῆς δὲ ψυχῆς ἔσται ποτὲ βάσανος ὑπὸ ποικίλων εἰσιόντων καὶ ἐξιόντων λογισμῶν.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. et con. Arium, pag. 841. E. inter opp. Chrysost. T. XI. Τί οὖν μετὰ τοὺς λόγους τούτους ἡ ἁγία Μαρία, ἡ παρθένος τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ, ἡ εὐσεβὴς καὶ εὐλαβὴς καὶ εὐπειθὴς, ἡ φιλοτιμία τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἡ πύλη τῆς ἡμετέρας ζωῆς, ἡ πρόξενος τῆς σωτηρίας ἡμῶν;

c) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VII. pag. 862. D-E. Εὗρε χάριτος ἄβυσσον, ἡ σώσαν τὴν ὁλκάδα τῆς διπλῆς παρθενίας τηρήσασα, καὶ τὴν ψυχὴν παρθένον ἐτήρησεν, οὐ τοῦ σώματος ἧττον· ὅθεν καὶ ἡ τοῦ σώματος παρθενία τετήρητο.

d) Adver. Manich. serm. II. n. 9. pag. 73. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. IV. P. II. Ἡ παναγία παρθένος, ἡ ψυχὴν καὶ σῶμα ὑπὲρ τὰς οὐρανίας δυνάμεις κεκαθαρμένη.

e) Apud Nicodemum pag. 228. Τί οὖν ἡ παρθένος τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ ἡ εὐσεβὴς καὶ εὐλαβής;

f) Anthолog. die XXI. Novembris Ode θ'. pag. 134. col. 2. B-C. Ὡς ὑπέρλαμπρον, Θεοτόκε ἁγνὴ, ψυχῆς τὸ καθαρὸν ἔχουσα κάλλος, χάριν δὲ Θεοῦ ἐμπεπλαμένη οὐρανόθεν, φωτὶ ἀϊδίῳ καταυγάζεις ἀεὶ τοὺς ἐν εὐφροσύνῃ βοῶντας· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

Ὑπερίπταται, Θεοτόκε ἁγνὴ, τὸ θαῦμά σου τὴν δύναμιν τῶν λόγων· σῶμα γὰρ ἐν σοὶ κατανοῶ ὑπὲρ λόγον ῥοῆς ἁμαρτίας ἀνεπίδεκτον· ὅθεν εὐχαρίστως βοῶ σοι· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

1) Non utique mundatis sordibus, sed eximia sanctitate recepta, quemadmodum vel ipsa cum supernis virtutibus comparatio ostendit.

niant: vere, o innocens Virgo, tu omnibus praecellis. O innocens Deipara, mirabilia tua facultatem dicendi praetergrediuntur: in te namque corpus conspicio supra quam cogitari possit fluxus peccati incapax; propterea ad te fauste clamo: vere, o innocens Virgo, omnibus superior exsistis.» Atque haec rursum quae [a]) Clementi hymnographo debentur: «Quum corpus et animam, o innocens, Deo intaminata custodiveris, rex Christus tuam dilexit pulcritudinem, teque, o Maria supergloriosa, suae incarnationis matrem ostendit, meam salutem semper explens.» Si ergo quaeratur, cuiusmodi haberi debeat Deipara, haec neque alia erit [1]) ex suffragatione maiorum indubitata responsio: *Deiparam esse insitisque dotibus credi virginem anima et corpore, corpore et anima intaminatam, interius exteriusque pulcram et omni culpa vacantem, anima et carne supra caelestes virtutes purificatam, supersplendidam pura animi pulcritudine et corpore penitus culpae incapaci, adeoque humanae naturae decus atque gloriam.* Sed corpore numquam non fuit virgo, numquam non fuit intaminata, culpa vacans, pulcra, purificata, et peccati incapax. Aut ergo verbis inferenda vis est, et a nativa significatione detorqueri praepostere debent; vel omnino concedatur oportet, animo pariter ac mente Deiparam semper fuisse virginem, semperque pulcram et omni culpa

a) Men. die IV. Augusti Ode θ'. pag. 28. col. 2. C. Σῶμα καὶ ψυχήν σου ἀμόλυντα θεῷ διατηροῦσης, ἁγνὴ, ὁ βασιλεὺς ἠράσθη σου τοῦ κάλλους Χριστὸς, καὶ μητέρα τῆς ἑαυτοῦ σαρκώσεως ἀνέδειξε, Μαρία ὑπερένδοξε, τὴν σωτηρίαν μου ἀεὶ ἐκπλήρων.

1) Quo et haec pertinent Hildephonsi ex libro de perpetua virginit. s. Mariae pag. 114. in collect. pp. tolet. T. I: «Nuntiante angelo, fundatoris sui cognovit adventum, et novae congressionis admiratur accessum: habitatorem inesse sibi cognoscit, et quaeliter in abditis agat, plene non penetrat. Verumtamen animi virtutes parat in officia servitutis, defert Domino debita iura conditionis. Quod ille caelo praesidens iusserat, haec in se recepto ministrat, approbans se conditori suo mundam carnem simulque animam praeparasse, quae et spiritualia obsequia carnali filio detulit, et Dominum suae carnis incorrupta et incommutabili veritate vestivit.» Tum haec ex corona b. Mariae cap. V. pag. 497: «Fuisti virgo pura mente et corpore castificata; et sicut virginitatem habuisti in corpore, sic puritatem et munditiam in conscientia. Decora igitur in carne tua virginitatis candore, et in anima humilitatis et puritatis splendore, placuisti Dei filio pro sanctitatis et virtutis duplici ornamento. Tu domina es singularis, nam nulla alia ut tu sic Deo placuit, nec tam speciosum palatium illi aedificavit. Ergo sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione tui nulla invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur.» Et cap. VII. pag. 466: «Benedicta sit tua sanctitas qua fis excellentior cunctis, benedicta sit tua dignitas pretiosior universis: nam Spiritus-sanctus suo rore mellifluo tuum uterum virgineum fecundavit, tuum corpus sanctissimum per divinum umbraculum obumbravit, tua felix anima quae est sanctae Trinitatis nobile trichinium, nobilissime insignitur.» Denique cap. XVII. pag. 420: «Pulcra in virginitate, pulcrior in humilitate, pulcherrima in caritate. Potestatibus angelicis circumvallata, omnino fuisti intacta, mente et corpore inviolata.» Sed *omnino* ne fuisset intacta, et non minus mente quam corpore inviolata, si hereditariis polluta sordibus, et veneno serpentis peccatique maculae patuisset?

Digitized by Google

vacantem. Praesertim quum non par modo animae corporisque virginitas Deiparae vindicetur, sed huius praeterea excellentia atque robur non obscure ex illa repetatur.

1520. Ceterum de toto argumento non antea pressius disseram, neque illud vehementius urgebo, quam novis adiectis testimoniis fidem sententiamque maiorum exploratiorem reddiderim. Ambrosius itaque ubi ad sectandam virginitatem [1]) hortatur, scribit: « Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae sine corporis contagione generavit? Nam de ceteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente. » Quod ut diligenter effecit, orationem absolvit [2]) inquiens: « Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina. » A quibus seiungi haec non debent quae [3]) Anastasius antiochenus explanans modum unionis Verbi cum carne scribit: « Verbum quod in principio erat Deus quum vellet fieri homo, quia non posset homo aliter salvus fieri, ingressum est in uterum virginalem et omnis corruptionis expertem; erat enim virgo casta spiritu et corpore. Quamobrem necessario, ut decebat, ad tantum mysterii ministerium eam elegit, unitumque est sine confusione et mixtione totum toti carni anima rationis participe animatae, et per adventum Spiritus sancti ex carne virginis matris conflata et constituta, nulla caussa in ea antegressa ex iis, quibus consueverunt corpora fieri, praeter virtutem Altissimi. Sola enim mulier materiam corpori, quod divinitatis instrumentum factum est, suppeditavit, sicut olim ex propria carne [4]) solius viri mulier et mater viventium facta est. » Omitto quae his verbis in libro de corona beatae Mariae [5]) efferuntur: « Tu Virgo regia gemmis virtutum ornata, gemino mentis et corporis decore fulgida, specie tua et pulcritudine tua in caelestibus cognita, caelestium civium in te provocasti adspectus, ita ut regis animum in tui concupiscentiam inclinares, et caelestem nuntium ad te de supernis educeres. Tu flos florem, virgo virginem sponsum, coronam virginum

1) De virginibus lib. II. cap. II. n. 7. pag. 164. opp. T. II.

2) Ibid. n. 15. pag. 166.

3) Orat. III. de incarnat. pag. 451. D. apud Canisium lect. antiq. T. I.

4) Quae comparatio cum antithesi coniuncta ostendit, eam Deiparae asserendam esse corporis virginitatem, quae propria Adami fuit. Haec autem fuit virginitas originalis et eius expers labis, quae ex hereditaria transgressione in ipsum quoque corpus dimanat.

5) De corona b. Mariae cap. V. pag. 402. in collect. pp. mist. T. I.

Digitized by Google

es prolata. » Omitto beati Odilonis [1]) verba iis quae ex Ambrosio retulimus prorsus gemina, atque haec de Virgine ex Paulo diacono [2]) subiungo: « Quis potuit in eius animo vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem caeli continentis omnia, Domini effecta est templum? » Hinc auctor sermonis de assumptione Hildephonso tributi concionem ita [3]) compellat: « Si autem vultis scire, quid post Domini ascensionem egerit, hoc unum certum est, quia Virgo sancta corpore et mente permansit. » De qua plenissima virginitate Bernardus [4]) ait: « Ut igitur quae sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, specie sua et pulcritudine sua in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit adspectus, ita ut et regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et caelestem nuntium ad se de supernis educeret. » Et [5]) mox: « Missus est angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit [6]) Apostolus mente et corpore sanctam, nec noviter nec fortuito inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praesignatam, ac prophetis promissam. » Prae quibus licet splendidis videri tamen minus illustria non debent quae de summa corporis animaeque Virginis integritate Iohannes damascenus [a]) scribit: « O quomodo sanctam illam animam e tabernaculo quod Deum receperat emigrantem, rerum omnium conditor suis manibus excipit, legitime eam honorans, quam etsi natura erat ancilla, pro impervestigabili suae benignitatis abysso aequa dispensatione matrem suam effecit, quum revera incarnatus esset, ac non nudam humanitatis speciem obiecisset. » Et alibi [b]) etiam

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 865. A. *Ὢ πῶς ψυχὴν ἱερὰν τοῦ Θεοδόχου διαιρουμένην σκηνώματος, οἰκείαις χερσὶν ὁ παντουργὸς ὑποδέχεται, τιμῶν νομίμως ἣν τῇ φύσει δούλην ὑπάρχουσαν, φιλανθρωπίας ἀνεξιχνιάστοις πελαγίσιν οἰκονομικῶς μητέρα ἑαυτοῦ ἐποιήσατο, ὁ ἀληθείᾳ σαρκωθείς, οὐ φειδόμενος τὴν ἐνανθρώπησιν.*

b) Orat. II. in Deiparae dormit. §. X. pag. 874. C-E. *Εἶτα τούτοις σύνεδρα καὶ ἀκό-*

1) Orat. de Virginis nativit. pag. 621. A-B. apud Martenium in thes. anecdott. T. V.

2) Orat. in Deiparae assumpt. pag. 267. D. apud Martenium scriptt. vett. T. IX.

3) Serm. VI. de Virginis assumpt. pag. 680. col. 1. A. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.

4) Hom. II. de laudibus Virginis n. 2. p. 743. D-E. opp. T. III.

5) Ibid. n. 4. pag. 744. B-D.

6) I. Cor. VII. 34.

Digitized by Google

praeclarius: « Mox consentanea quaedam istis et congruentia contigisse opinor. Nimirum regis ipsius ad matrem suam adventum, ut divinis suis ac purissimis manibus sanctam, intaminatamque et labis expertem eius animam susciperet. Atque ipsa quidem, ut a vero non abhorret, dixit: in manus tuas, fili, commendo spiritum meum. Accipe ergo caram tibi animam, quam inculpatam servasti. Tibi et non terrae corpus meum trado, salvum hoc custodi, in quo dignatus es inhabitare, et quod nascendo incorruptum conservasti.»

1521. Quo pariter spectant tum [a]) iterata penes Syros elogia, quibus Deipara *animo et corpore virgo ac pura* celebratur; tum haec [b]) ex ecclesiasticis [1]) Graecorum libris: « Quae caelis excelsior et Cherubim gloriosior et universa creatura honorabilior, propter incomparabilem puritatem habitaculum effecta aeternae substantiae, in filii manibus sanctissimam hodie animam deponit, et una cum ipsa gaudio omnia replet, nosque magna misericordia donat. Non igniformis currus te ex hac terra transtulit, sicut Eliam iustum; sed ipsemet iustitiae sol in propriis manibus sanctissimam animam tuam, utpote superimmaculatam suscipiens in seipso fecit conquiescere; et te, o intemerata, singulariter transferens honoravit lae-

λουθά τινα δοκεῖ πεπράχθαι τὸ πνευμάτι, ὡς μοι δοκεῖ· ἡ τοῦ βασιλέως πρὸς τὴν οἰκείαν λοχεύτριαν ἔλευσις, χερσὶ θείαις καὶ ἀχηράτοις ὑποδεξομένου τὴν ἱερὰν ταύτης ψυχήν, καὶ εἰλικρινῆ τε καὶ ἄμωμον· καὶ αὕτη μὲν οἷα εἰκὸς ἔφησεν, εἰς χεῖράς σου, τέκνον ἐμὸν, τὸ πνεῦμά μου παρατίθημι· δέξαι μου τὴν σοὶ φίλην ψυχήν, ἣν ἐτήρησας ἄμεμπτον· σοὶ τὸ ἐμὸν σῶμα, καὶ οὐ τῇ γῇ παραδίδωμαι· φύλαξον σῶον, ὃ κατοικῆσαι εὐδόκησας, καὶ γεννηθεὶς παρθένον ἐτήρησας.

a) Offic. Maronit. pag. 49. et alibi centies.

وَحَفِظْتِهِ صَحِيحًا الَّذِي سَكَنَ فِيهِ وَلَمْ

b) Men. die XV. Augusti ad Vesperas pag. 79. col. 1. E. Ἡ τῶν οὐρανῶν ὑψηλοτέρα ὑπάρχουσα, καὶ τῶν Χερουβὶμ ἐνδοξοτέρα, καὶ πάσης κτίσεως τιμιωτέρα, ἡ δι' ὑπερβάλλουσαν καθαρότητα τῆς ἀϊδίου οὐσίας δοχεῖον γεγενημένη, ἐν ταῖς τοῦ υἱοῦ χερσὶ σήμερον τὴν παναγίαν παρατίθεται ψυχὴν, καὶ σὺν αὐτῇ πληροῦται τὰ σύμπαντα χαρᾶς, καὶ ἡμῖν δωρεῖται τὸ μέγα ἔλεος.

Ibid. die XVIII. ad Vesperas pag. 102. col. 2. C-D. Οὐχ ἅρμα πυρίμορφον τῶν ἀπὸ γῆς σε μετέστησεν, ὡς Ἠλίαν τὸν δίκαιον· ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης ἐν χερσὶν οἰκείαις τὴν παναγίαν σου ψυχὴν, ὡς ὑπεράμωμον προσλαβόμενος ἐν ἑαυτῷ κατέπαυσε· καὶ παραδόξως σὲ, ἄχραντε, μεταστήσας ἐτίμησεν ἐν χαρᾷ ὑπὲρ ἔννοιαν.

1) Quibus iuverit haec addidisse ex hymnis Latinorum apud Mone T. II. pag. 403:

» Tu mater integerrima, » Tu virginum pulcherrima,
» Tu prole fecundissima, » Et spiritu mundissima,
» Tu corpore sanctissima » Tu mente lucidissima.

titia ineffabili. » Quare Iohannes thessalonicensis postquam narravit conspectam ab apostolis gloriosam Deiparae animam, Petrum exhibet [a]) qui sic Dominum interrogaverit: « Petrus autem gaudio gestiens Dominum interrogavit dicens: num cuiusquam nostrum anima candida sic est, uti anima Mariae? Cui Iesus respondit: omnium animae qui in hunc mundum veniunt, o Petre, eiusmodi sunt, sed quum e corpore egrediuntur, non reperiuntur ita candidae; quamobrem aliter *(e creatoris manibus)* dimissae sunt, et aliter postmodum [1]) inventae. » Porro vulgatus neocaesariensis Gregorius haec tribuit [b]) Gabrieli Deiparam alloquenti: « Cunctae per me caelestes potestates te sanctam Virginem salutant, quin et ipse caelestium omnium potestatum dominator ex omni creatura te sanctissimam et ornatissimam elegit, et per sanctum ac castum, purum atque impollutum ventrem tuum fulgidissima margarita in salutem totius terrarum orbis progreditur, quoniam et tu sancta, omni humana natura gloriosior ac purior sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem, quovis autem auro quantumvis probato purificatum magis corpus. » Praemiserat vero quae [c]) addimus: « Convenienter igitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit. » Tum eiusdem ab Eva discrimine patefacto [d])

a) Orat. in Deiparae dormit. Πέτρος δὲ ἐχάρη καὶ ἐπυνθάνετο τοῦ κυρίου λέγων· τίνος ἡμῶν ἆρα ἡ ψυχὴ λευκή ἐστιν, ὡς Μαρίας; λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὦ Πέτρε, πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ γινομένων αἱ ψυχαὶ, τοιαῦταί εἰσιν· ἀλλ' ὅτε ἐξέρχονται ἀπὸ τοῦ σώματος, οὐχ εὑρίσκονται τοιαῦται λευκαί· διότι ἄλλως ἀπεστάλησαν, καὶ ἄλλως ἐαυρέθησαν.

b) Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 17. C-D. Δι' ἐμοῦ πᾶσαι αἱ οὐρανίαι δυνάμεις σὲ τὴν ἁγίαν παρθένον ἀσπάζονται· αὐτὸς δὲ μᾶλλον ὁ κυριεύων πασῶν τῶν οὐρανίων δυνάμεων, ἀπὸ πάσης τῆς κτίσεως σὲ τὴν ἁγίαν καὶ παγκόσμιον ἐκλέλεκται· καὶ διὰ τῆς ἁγίας καὶ ἁγνῆς καὶ καθαρᾶς καὶ ἀμίαντου σου γαστρὸς ὁ φωτιστικὸς μαργαρίτης προέρχεται εἰς σωτηρίαν πάσης τῆς οἰκουμένης· ἐπειδὴ πάσης ἀνθρωπίνης φύσεως καὶ σὺ ἡ ἁγία, ἐνδοξοτέρα καὶ καθαρωτέρα καὶ ὁσιωτέρα γεγένησαι· λαμπροτέραν μὲν ὑπὲρ χίονα ἔχουσα τὴν διάνοιαν, παντὸς δὲ χρυσίου δοκιμωτέρου κεκαθαρμένον τὸ σῶμα.

c) Orat. I. in Deiparae annuntiat. pag. 16. D. Πρεπόντως ἄρα τὴν ἁγίαν Μαριὰμ ἐκ πασῶν γενεῶν μόνην ἡ χάρις ἐκλέλεκται.

d) Ibid. pag. 12. B-D. Ἐκ πασῶν γὰρ γενεῶν αὕτη μόνη παρθένος ἁγία σώματι καὶ πνεύματι γέγονεν· καὶ μόνη φέρει τὸν τὰ πάντα τῷ ῥήματι φέροντα· καὶ οὐ μόνον θαυμάζειν ἐστὶν τὸ τῆς ἁγίας τὸ ἐν σώματι κάλλος, ἀλλὰ καὶ τῆς ψυχῆς τὸν ἐναρετον τρόπον· διὸ καὶ τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη, αὐτῇ πρώτῃ ὁ ἄγγελος προσεφώνησεν· ὁ κύριος μετὰ σοῦ,

1) Quibus manifestissime significatur, animam Deiparae candidam fuisse candore originali, nec quidquam labis ex commercio sive cum corpore sive cum mundo contraxisse.

Digitized by Google

pergit: « Ex omnibus enim generationibus haec sola [1]) Virgo sancta corpore et spiritu exstitit, solaque fert eum qui verbo omnia portat. Et non solum admirationem nobis parit sanctissimae illius in corpore pulcritudo, sed et virtutis animae eius. Ideo et verbis illis, *ave gratia plena*, primum angelus ipsam salutando compellavit: *Dominus tecum*, et non terrenus sponsus sed ipse sanctificationis Dominus, pater innocentiae, incorruptionis auctor et dator libertatis, salutis procurator veraeque pacis conservator et largitor: qui ex terra virgine creavit hominem, et ex illius latere et costa Evam assumpsit, hic Dominus tecum et vicissim ex te. »

1522. Talis igitur animam inter ac Deiparae corpus exstitit habitus, ut ipsa pariter fuerit *virgo corpore et virgo anima, casta corpore et casta anima, sancta corpore et sancta anima, corpore impolluta et nullius conscia sordis, anima vero sanctissima, superimmaculata et omnis expers labis, corpore iugiter incorrupta et anima semper inculpata, atque adeo eiusmodi quae non minus corpore primaevam puritatem, quam mente animoque originalem candorem innocentiamque praesetulerit.* Quod Iohannes Geometra pau-

καὶ οὐ γήϊνος νυμφίος, ἀλλ' αὐτὸς ὁ τοῦ ἁγιασμοῦ κύριος, ὁ τῆς ἁγνείας πατὴρ, ὁ τῆς ἀφθαρσίας κτίστης, ὁ τῆς ἐλευθερίας δοτὴρ, ὁ τῆς σωτηρίας χαρίτων, καὶ τῆς ἀληθοῦς εἰρήνης ταμίας χορηγός· ὁ ἐκ τῆς παρθένου γῆς πλάσας τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἐκ τῆς ἐκείνου πλευρᾶς τὴν Εὔαν προσλαβόμενος, οὗτος ὁ κύριος μετὰ σοῦ, καὶ πάλιν ἐκ σοῦ.

1) Praetermissam nolo Gerardi Vossii insequentem adnotationem pagg. 110-111. « His et consequentibus postea verbis clare et diserte immaculatam conceptionem beatae Mariae virginis antiquissimus hic noster auctor ostendit, eamque absque peccato originali indubitanter conceptam fuisse. Nam si *sola virgo fuit sancta corpore et spiritu*; ergo secundum eum sola numquam fuit in peccato originali. Etenim si aliquando in eo fuisset, non iam sola sancta corpore et spiritu fuisset. Quoniam apostolus commune id omnium virginum vult, dum ait: *et mulier insipia et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu*. Quare si sola Virgo mater fuit sancta corpore et spiritu, necesse est ut sanctitas in corpore et spiritu eius solius et singularis secundum nostrum auctorem semper fuerit, non ut in aliis virginibus quae prius fuerunt omnes peccato pollutae et postea sanctificatae. Rursus paullo post adducens atque exponens id quod angelus ad Virginem dixit, *dominus tecum; tecum*, inquit, non *terrenus sponsus* etc. Ubi satis aperte magnus hic auctor significat et ostendit, ut fuerunt Adam et Eva creati omnis maculae expertes, ita sanctam hanc Virginem ab omni peccato liberam conceptam ac generatam esse. Nam nisi sic sensisset, quorsum hic adiecisset atque dixisset, *qui fecit ex terra virgine hominem et ex costa Evam, hic Dominus tecum*? Videtur siquidem manifeste ibi comparasse creationem Adae ex terra virgine, et Evae ex latere ac costa cum immaculata ac purissima conceptione beatae Mariae virginis. Et rursus: *ex te tecum, cum ancilla rex gloriae, cum speciosa speciosus forma prae filiis hominum, cum impolluta qui sanctificat omnia, tecum Deus et ex te Deus ac perfectus homo*. Quibus quid clarius? Impollutam ergo eam vocat, eo quod numquam fuisset immunda aut non sancta: *cum impolluta*, inquit, *qui sanctificat omnia*. Fuisset autem aliquando immunda si in peccato originali concepta esset, e quo postea per spiritum sanctificationis mundata, non iam sola ex omnibus generationibus sancta corpore et spiritu fuisset, ut sane eam fuisse plane hic noster antiquissimus et gravissimus auctor sentit, docet et confirmat. »

Digitized by Google

cis quidem sed luculentissimis omnino verbis complexus est [a]) canens: « Salve [1]) iam inde ab ortu pura animo, pura corpore, virgo corde, virgo spiritu. » E quibus *tria* consequuntur a maioribus tradita, et initio quidem *merito Deiparam ex omnibus generationibus solam corpore et spiritu virginem laudari:* deinde vero *in ipsa imaginem, formam et archetypum virginitatis eminuisse:* ac postremo *eximium fuisse concentum et singularem harmoniam, qua ipsius anima et corpus in unam eamdemque compositam naturam coiverunt.* De qua harmonia insignia haec sunt quae [b]) Germanus constantinopolitanus Deiparam alloquens scribit: « Nihil enim caro virtuti atque efficaciae tui spiritus obest, quippe tuus ille spiritus ubi [2]) vult spirat, quum mundus sit et vacans materia, incorruptus et [3]) incontaminatus, sanctique Spiritus sodalis, et Unigeniti deitati delectus. » Neque haec minus insignia, quibus ipsam [4]) Emmanuel Paleologus affatur: « Vitam enim prima inter homines innocentissimam egisti, mentemque habuisti omni prorsus culpa vacuam, et corpus illi consentaneum, tantaque Spiritus radiatione, gloria et splendore ornata

a) Hymn. II. in Deiparam vv. 29-30. pag. 439. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαίροις ἐκ γενετῆς ἁγνὴ ψῦχας, ἁγνὴ σῶμα·
Παρθένος ἐκ καρδίης, παρθένος ἐξ ἀέρος.

b) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1451. D. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἡ γὰρ σὰρξ οὐκ ἐμποδίζει τῇ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ πνεύματός σου· ὅπερ ὅπου θέλει πνεῖ σοῦ τὸ πνεῦμα, ἐπειδὴ καθαρὸν τοῦτο καὶ ἄϋλον, ἄφθαρτον καὶ ἀκηλίδωτον, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου συνδιατικὸν πνεῦμα, καὶ τῆς μονογενοῦς θεότητος ἐκλεκτόν.

1) Femininum nomen γενετή, quod est ab obsoleto adiectivo γενετός, communem praefert notionem *ortus, nativitatis*, ac pro re subiecta notat eiusdem origines atque primordia. Rite Stephanus: «γενετή· ortus, nativitas, unde frequens illa phrasis ἐκ γενετῆς, idest ab ortu. Aristoteles ethic. VI. ταῦτα δὲ ἔχομεν ἐκ γενετῆς, idest φύσει, ut ibidem et in probl. identidem. » Quum ergo Deipara dicitur *ἐκ γενετῆς ἁγνὴ ψῦχας, ἁγνὴ σῶμα*, hoc perspicue significatur, *eam a suis primordiis* atque adeo natura fuisse *puram anima et puram corpore.* Sed quotquot originali labe infecti concipiuntur, a suis primordiis et natura animo pariter atque corpore sordescunt.

2) Ioh. III. 8.

3) Horum vis ad ostendendum immaculatum Virginis conceptum evidentius splendescet, si eum hisce componantur quae Anselmus (de conceptu virginali et originali peccato cap. II. pag. 97.) demonstraturus, *qualiter humana natura* propter primam transgressionem *corrupta sit*, tradit inquiens: « Ergo Adam et Eva si iustitiam servassent originalem, qui de illis nascerentur, originaliter sicut illi iusti essent. Quoniam autem personaliter peccaverunt, cum originaliter fortes et incorrupti haberent potestatem semper servandi sine difficultate iustitiam; totum quod erant, infirmatum et corruptum est. Corpus quidem, quia tale post peccatum fuit, qualia sunt brutorum animalium corruptioni et carnalibus cupiditatibus subiacentia: anima vero, quia ex corruptione corporis et eiusdem appetitibus, atque ex indigentia bonorum quae perdidit, carnalibus affectibus infecta est; et quia tota natura humana in illis erat, et extra illos de illa nihil erat, tota infirmata et corrupta est. » Quae imago naturae originaliter peccatricis si cum depicta a maioribus Deiparae specie comparetur, nihil arbitror reperiri posse magis dissonum magisque repugnans.

4) Orat. in Deiparae dormit. pag. 58. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

Digitized by Google

fuisti, ut vel ipsas superaveris Deo pretiosissimas creaturas, idque longissimo intervallo. »

1523. Hinc penes maiores nostros nihil crebrius repetitum aut validius ingeminatum occurrit, quam Deiparae corpus fuisse non iam corpus peccati, sedem cupiditatis, vitiorumque domicilium, sed corpus contra sanctissimum, purissimum et cum lege mentis atque spiritus mira quadam perfectione conspirans. De qua virginei corporis morigera obedientia et infecta numquam puritate luculenter disserunt [1]) Theodotus ancyranus, Pseudo-Gregorius neocaesariensis [2]) et [3]) Psellus, quibus Deiparae corpus est *sanctum, impollutum, purius auro licet probatissimo, atque ex mente animoque totum pendens*. Luculenter disserunt [4]) Andreas cretensis et [a]) Germanus constantinopolitanus qui sic habet: « Tu, iuxta quod [5]) scriptum est, speciosa es, tuumque corpus virginale, totum sanctum, totum purum, totum Dei domicilium, ut ideo quoque a resolutione in pulvere deinceps sit liberum. » Quibus affinia haec sunt [b]) ex vulgato Basilio: « Caro igitur ex sanctitate compacta, digna erat quae cum Unigeniti divinitate copularetur. » Tum haec quibus [c]) Georgius nicomediensis oblatam in templo Deiparam vocat « Pretiosum vas virtutum, quae et intactae puritatis symbola gereret, corpusque a passionum commixtione secretum haberet. » Alibi vero [d]) de ipsa scribit: « Ex veritate namque iudicans puto, nullas umquam naturales labes in mundissimo eius corpore deprehensas esse; sed omnia nova quadam et mirabili designata ratione,

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1451. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Σὺ κατὰ τὸ γεγραμμένον ἐν καλλονῇ, καὶ τὸ σῶμά σου τὸ παρθενικὸν, ὅλον ἅγιον, ὅλον ἁγνὸν, ὅλον θεοῦ κατοικητήριον· ὡς ἐκ τούτου λοιπὸν καὶ ἀλλότριον χοϊκῆς ἀναλύσεως.

b) Hom. in Christi generat. n. 4. pag. 508. E. inter opp. Basilii T. II. Ἐξ ἁγιωσύνης οὖν ἡ σὰρξ συμπαγεῖσα, ἀξία ἦν τῇ θεότητι τοῦ μονογενοῦς ἑνωθῆναι.

c) Orat. V. in Deiparae praesentat. pag. 1094. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Σκεῦος τίμιον ἀρετῶν, σύμβολά τε τῆς ἀκηράτου καθαρότητος φέρουσαν, καὶ τὸ σῶμα ἀνωκισμένον τῆς τῶν παθῶν ἐπιμιξίας ἔχουσαν.

d) Orat. VI. in Deiparae praesentat. pag. 1130. C. ibidem. Ἐγὼ γὰρ οἶμαι τῇ ἀληθείᾳ κρίνων, μηδένα τῶν κατὰ φύσιν ῥύπων ἐν τῷ παναγνῷ σώματι ταύτης φωραθῆναί ποτε· ἀλλὰ ξένως πάντα καινοτομηθῆναι, καθάπερ καὶ τὴν μέλλουσαν κτίσιν.

1) Orat. in Deipar. et Symeonem n. 5. p. 461. D. apud Gallandium T. IX.

2) Orat. II. in Deiparae annuntiat. pag. 17. C-D.

3) Apud Nicodemum pag. 226.

4) Orat. in Deiparae nativit. pag. 94. D-E. apud Gallandium T. XIII.

5) Cant. II. 13.

quemadmodum et futurum eiusdem partum. » Porro Iohannes damascenus assumptae Deiparae triumphum enarrans [a]) ait: « Et quidem alii ex ipsis *(angelis)* immaculatae et sanctissimae animae satellitio erant, et in caelum scandentem stipabant, quousque regio solio reginam sisterent: alii rursus divinum sacrumque corpus cingebant hymnisque angelorum propriis Dei matrem celebrabant. Quid autem ii qui sanctissimo sacerrimoque corpori adstabant? Cum tremore ardentique amore et exsultationis lacrymis divinum illud beatissimumque tabernaculum in orbem cingentes amplexabantur et exosculabantur, nullumque non membrum corpori admoventes ex eius contactu sanctitate et benedictione perfundebantur. » Eiusdem autem commemorata morte [b]) exclamat: « Papae, papae, fons vitae, Domini mater moritur? Oportebat enim ut quod e terra conflatum erat, ad terram reverteretur, atque ita in caelum transmitteretur. Decebat enim ut quemadmodum [1]) aurum, terra deposita et caliginosa mortalitatis mole, carnem in morte velut in fusura incorruptam puramque, et incorruptionis fulgore rutilantem e monumento resurgeret. » Quid vero Hildephonsus? Ubi in eo est [2]) ut declaret, *quod Virginis partus nihil iniuriae fecerit Christi divinitati,* comparatione adhibita ex solaribus desumpta radiis qui quamvis lutulenta permeent, nullatenus sordescunt, eaque his verbis

a) Orat. II. in Deiparae dormit. §. XI. pag. 875. A-B. *Τῶν μὲν τῇ ἀμωμήτῳ καὶ παναγίᾳ ψυχῇ τὴν δορυφορίαν πληρούντων, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀνιούσῃ συνανιόντων, ἕως ὅτι τῷ θρόνῳ τῷ βασιλικῷ τὴν βασιλίδα παρίστησαν· τῶν δὲ, τὸ θεῖον καὶ ἱερὸν κυκλούντων σῶμα, καὶ ᾠδαῖς ἀγγελοπρεπέσιν ὑμνούντων τὴν θεομητέρα· τί δὲ οἱ παριστῶτες τῷ παναγίῳ καὶ ἱερωτάτῳ σώματι, φόβῳ τε καὶ πόθῳ καὶ ἀγαλλιάσεως δάκρυσι τὸ θεῖον καὶ πανόλβιον περιστοιχίσαντες σκήνωμα, περιεπτύσσοντο, κατησπάζοντο ἅπαν μέλος προσῆγον τῷ σώματι, ἐκ τῆς ἁφῆς ἁγιασμοῦ τε καὶ εὐλογίας πληρούμενοι.*

b) Orat. III. in Deiparae dormit. §. III. pag. 884. B-D. *Βαβαὶ βαβαὶ, τέθνηκεν ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς, ἡ τοῦ κυρίου μου μήτηρ· ἔδει γὰρ τὸ ἐκ γῆς συντεθὲν παλινοστῆσαι πρὸς γῆν, καὶ οὕτω μεταναστῆσαι πρὸς οὐρανόν· ἔδει γὰρ καθάπερ χρυσὸν ἀποβαλοῦσαν τὸ γεῶδες καὶ ἀλαμπὲς τῆς θνητότητος πάχος, ὡς ἐν χωνεύσει τῷ θανάτῳ τὴν σάρκα ἄφθαρτον καὶ καθαρὰν, τῷ φέγγει τῆς ἀφθαρσίας ἐκλάμπουσαν ἐξαναστῆναι τοῦ μνήματος.*

1) Deiparae corpus quod heic cum auro confert, idem §. IV. pag. 885. C. vocat *τὸν ἀκήρατον τῆς εὐλογίας πηγὴν, Immaculatum benedictionis fontem.* Cum quibus iuverit haec comparasse quae ex Theophane in Anthologio pag. 320. col. 2. A. referuntur: *ὁ πάντα πλαστουργήσας κύριος, καθ' ἡμᾶς αὐτὸς πλαστουργεῖται· ὑπεδύς γὰρ, φησὶν, τὸν μήτραν σου τὸν παναγίαν, μορφὴν τῶν ἀνθρώπων ἀμφιάσατο, καὶ τὴν αὐτοῦ εἰκόνα διεσώσατο. Qui omnia condidit Dominus, ipse secundum nos efficitur; tuum namque sanctissimum uterum, o innocentissima, subiens humanam induit formam, et suimetipsius imaginem servavit.*

2) Lib. adnotatt. de cognit. baptismi cap. XLIV. pag. 44. apud Baluzium miscellan. lib. VI.

Digitized by Google

conclusa, *quum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura coniunctior*, pergit: « Quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei non corporeum neque visibile de femineo corpore casto utique et mundissimo atque singulariter glorioso, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu; quibus intervenientibus habitat maiestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius. Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana [1]) maculatur. » Succedit auctor sermonum in antiphonam *salve regina*, qui eo praestituto doctrinae capite, nonnisi a Deo munera gratiae expectari [2]) posse, subdit: « Proinde, Virgo beata, postquam nuntius caelestis te praedicta gratiarum praerogativa perhibuit plenam, mox gratiarum caussam subiungens inquit, *Dominus tecum*. Dominus autem spiritus est. Spiritus ergo sanctus magnificavit facere tecum. Magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Unum erat, dum dignam te fecit quae Dei filium concipere posses et parere: alterum quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filii Dei formavit. Fecit proinde te magnam et castam. Magnam plane fecit, ut immensum caperes: castam, quatenus digne contineres. Magnam te fecit humilitate, castam virginitate. » Hinc illa ex veteri sequentia [3]) in festo purificatae Deiparae: «Sanctissima corpore, castissima moribus, omnium pulcherrima, Virgo virginum. » Atque hinc illa [4]) Eadmeri: « Nulli denique dubium castissimum corpus et sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati iugi angelorum custodia protectam, utpote aulam quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, et ex qua hominem in suae personae unitatem ineffabili fuerat operatione sumpturus. »

1524. Ut igitur *imaginem* sistam *corporis* Deiparae maiorum expressam depictamque coloribus, fuit illud *corpus castum, castissimum, virginale, sanctum, sanctissimum, ex sanctitate compactum, totum sanctum, purum, purissimum, auro purius, totum purum, a passionum commixtione secretum, naturalium macularum nescium, totum ex animo pendens, singulariter gloriosum, penitus novum, resolutioni in pulverem haud obnoxium, Unigeniti incarnatione di-*

1) Confertur ergo puritas animae Christi cum puritate carnis quam e Virgine sumpsit.

2) Serm. IV. in antiph. *salve regina* n. 2. pag. 747. E-F. inter opp. Bernardi T. V.

3) Thesaur. Hymnolog. T. II. pag. 10.

4) De excellentia Virg. cap. III. pag. 126. col. 1. B-C. inter opp. Anselmi.

Digitized by Google

gnum, totumque Dei domicilium. Atqui imago haec est ac species non corporis quod aggravat animam, neque corporis quod fuerit hereditaria tabe vitiatum et serpentis veneno medullitus corruptum; sed quod originali candore nituerit, eaque virginitate praestiterit qua protoparentum corpora excelluerunt. Corpus ergo Deiparae mundum fuit originali munditie, nullamque labem ex universali contagione persensit. Et caussa sane aderat, eaque maxima propter quam virgineum corpus numquam vitio peccatoque subesset, sed eximia iugiter puritate fulgeret. Quaenam vero? Quod caro Virginis futura esset caro Christi, ea nimirum caro de qua [1]) scriptum est, *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* de qua [2]) scriptum est, *qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam:* de qua [3]) scriptum est, *Verbum caro factum est:* et de qua [4]) scriptum est, *neque caro eius vidit corruptionem, solvens inimicitias in carne sua, nunc autem reconciliavit (Deus) in corpore carnis eius per mortem,* et, *quia ergo puri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest, diabolum.*

1525. Hanc autem catholicam veritatem quam iteratam saepissime audivimus, quam toties profitemur quoties Virginem vere θεοτόκον *Dei genitricem* salutamus, et quam christianum nomen universum insculptam animis gerit, inter alios luculentissime tradunt [5]) Hippolytus et [6]) Origenes, qui *sanctam Unigeniti carnem ex sancta Virginis carne susceptam* confirmant. Tradunt [7]) Iohannes euboensis, Tarasius constantinopolitanus [8]) et [a]) Basilius seleuciensis de sacramento dominicae incarnationis inquiens: « Si enim sol iste

a) Orat. in Deiparam pag. 586. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Εἰ γὰρ ὁ ἥλιος οὗτος ῥυπαρῶν τι δυσόσμων ἐφαπτόμενος τόπων, οὐ πάσχει τινὰ μολυσμὸν εἰς τὴν ἑαυτοῦ καθαρότητα· πῶς οὐχὶ πλέον ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος εἰς καθαρὰν ἐπιλάμψας παρθένον, ἐξ αὐτῆς τε τὸ παναγιον σῶμα λαβὼν, ἀπαθὴς ἐν αὐτῷ μεμένηκεν ὡς θεός;

1) Ioh. VI. 52.
2) Ioh. VI. 55.
3) Ioh. I. 14.
4) Actt. II. 27-31., Ephes. II. 14., Colons. I. 22., Hebr. II. 14.
5) Demonstrat. de Christo et Antichristo §. IV. pag. 419., de theolog. et incarnat. con. Beron. et Helic. §. VI. pag. 471., ex Serm. in magnum cantic. pag. 497., ex serm. VIII. pag. 469. et ex comm. in Prov. IX. 1. pag. 488. apud Gallandium T. II.
6) Con. Celsum lib. I. nn. 3-32. pagg. 349. seqq. opp. T. I.
7) Orat. in annuntiat. ss. Ioachimi et Annae, ubi de Unigenito prae Virgine dicitur, ὁ κύριος ἐξ αὐτῆς τὸ κατὰ σάρκα: *Dominus ex ipsa secundum carnem.* Simili plane modo, quo κατὰ θείαν φύσιν, *secundum divinam naturam* est ex Patre.
8) Orat. in Deiparae praesentat., qua totidem verbis caro Christi caro Mariae nuncupatur.

Digitized by Google

oculis conspicuus quum sordida foetentiaque loca contingit, nullius tamen inquinamenti contagione suimetipsius puritatem inficit; qui non multo magis iustitiae sol in pura illucens Virgine atque ex ea sanctissimum assumens corpus, in se ipse impassibilis, utpote Deus, permanserit? » Tradit Innocentius I. romanus antistites, in cuius [1]) epistola ad Severianum Gabalorum episcopum legimus: « Cum divinum e caelis Verbum advenit, et in virginis sanctae Mariae visceribus, de qua carnem sumpsit, habitavit, nequaquam corpus suum de caelo secum detulit, neque suam in terris divinitatem adeptus est; sed ipse Deus erat, ipse corpus suum in Virginis utero efformavit, neque ullum in suo corpore conficiendo socium habuit, sed unus ipse confecit. » Et [2]) mox: « Ipso temporis articulo, quo in uterum Virginis descendit, unum cum corpore et divinitate individuum effectum est, fuitque divinitas corporis consors, atque immutabili quadam ratione et inseparabili facta est unica unitas. Divinitas ab humanitate non est seiuncta. Christo in cruce existente, divinitas ab eius humanitate non secessit. In caelum ascendit cum corpore quod de virgine Maria sumpsit, atque ad optimi Patris sui dexteram sedit. Haec fides nostra est. Qui autem non ita credunt, eos catholica ecclesia expellit, immo auctor eiusdem Deus excommunicat. » Cui solemni orthodoxorum fidei insigniter patrocinantur Cyrillus alexandrinus et Iohannes hierosolymitanus, quorum ille [3]) Diodorum tarsensem sic affatur: « O mi reverende, qui stulta ac turpissima verba effutis; sacrum quidem corpus illud de Maria sumptum infirmitati erat obnoxium, sed tamen iam inde ab eius concretionis initio et in utero subsistentiae, sanctum utique

1) In fragmentis theologicis ex codice arabico apud Mai in spicileg. rom. T. III. p. 703. ubi §. V. p. 702. sapientissimus editor sic habet: « Felicis fragmento subnectimus Innocentii I. latiorem particulam ex eius inedita epistola ad Severianum Gabalorum episcopum. Equidem in codice arabico non *Gabala*, sed *Haiala* scribitur, quae lectio vim quamdam accipit ex eo quod *Aila* episcopalis est urbs Palaestinae apud Lequienium Or. ch. T. III. p. 758., sed tamen in pauclssimis quos Lequienius novit eius urbis episcopis, Severianus non censetur. Statim igitur de Severiano Gabalorum, urbis item syrae, episcopo cogitavi, qui contemporaneus fuit Innocentio; quodque magis interest in notitia epistolarum Innocentii apud Constantium p. 921. cognoscimus, inter Severianum et Innocentium epistolas missitatas fuisse. Praeterea paulo infra in codice arabico fragmentum item Severiani legitur, quo loco non *Haiala* sed *Gabala* sedes eius episcopalis dicitur. Mendum igitur arabici codicis ex litterulae similitudine coortum est. Hoc ergo epistolare Innocentii fragmentum ab arabe homine nobis conservatum gratanter accipiamus. »

2) Ibid. pag. 704. Cum quibus componi debent quae prorsus gemina inculcantur pagg. 731. seqq. in *recta fide a Severo Antiochiae patriarcha scripta ad Dei amantem Anastasium imperatorem, cunctumque populum, quo tempore pulsus fuit in exsilium perfidus Macedonius.* Immo orthodoxus Macedonius II. constantinopolitanus fraude dolisque monophysitarum e sua sede proturbatus.

3) Referuntur verba in opere Severi antiocheni adversus Iulianum halic. apud Mai in spicileg. rom. T. X. pag. 194.

semper fuit, quia Christi corpus erat; nullumque temporis intervallum fuit, quo illud non possederit. » Et [1]) Theodorum mopsuestenum refellens ait: « Quum Deus suapte natura esset, verusque Dei Patris filius, humanam formam sibi induit, suam faciens carnem illam quam de sancta Virgine sumpsit, quae profecto caro Dei est, et potestate divina pollens. Idcirco Christus vivificans quoque fuit et infirmitatum sanator, mortisque destructor. »

1526. Sepono priscum auctorem [2]) libri de assumptione beatae Mariae virginis, Petrum Damiani [3]) et Hildebertum [4]) cenomanensem, ac nonnulla ex Nersete claiensi et Iohanne damasceno in medium promo. Nerses itaque [5]) Armeniorum fidem exponens post alia scribit: « Incomprehensibilis a creaturis comprehensus fuit in utero Virginis, ex qua nostram accepit peccato corruptionique obnoxiam [6]) naturam, animum et mentem et carnem, quas naturae suae impeccabili et incorruptibili copulavit, quibus fuit unus indivisibiliter. Ipsemet profecto incorporaliter natus ex Patre, corporaliter natus est ex matre, et filius Dei factus est filius hominis; non alter filius Dei et alter hominis, unum filium in duos filios dividendo iuxta Nestorii blasphemiam. Verbum enim non habitavit in corpore, sed in corpore concretum factum est, non mutatione sed unione, et non creatione corpus *(aliunde)* sibi creatum in utero Virginis aptavit, iuxta quorumdam heterodoxorum commentum; sed ex Vir-

1) Ibid. pag. 195. Ubi em. editor haec monet: « Praedicto opere, iamdiu amisso, contra Diodorum tarsensem Cyrillus Theodorum quoque mopsuestenum refutaverat, qui ambo habentur nestoriani erroris satores. In collectione canonica Ebedlesu sobensis a nobis edita scriptt. vett. T. X. tres hi Diodorus, Theodorus atque Nestorius dicuntur sectae splendida et sanctissima luminaria. Fuit igitur congruum ut Cyrillus Nestorii strenuissimus adversarius, contra Diodorum quoque atque Theodorum arma expediret. »

2) Lib. de Virginis assumpt. cap. III. pag. 731. inter opp. Augustini T. VI. « Caro eius quae de Maria sumpta est, etsi mortua est ex infirmitate, revixit ex Dei virtute. Sed hoc ille, qui quando voluit mori, quando voluit, resurgere potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de Virgine sumpta natura. »

3) Serm. XLIV. idemque I. in nativit. Mariae, pag. 107. col. 1. B-D. opp. T. II. « Quarto modo Deus inest uni creaturae, videlicet Mariae virgini, identitate, quia idem est quod illa. Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiae. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturae habet identitatem. Hoc est ergo aurum fulvum nimis, quo thronus est vestitus; quia tali modo Deus Virginem induit et in Virgine indutus est, ut meliori non posset. » Ibidem serm. XLV. et II. in nativit. pag. 109. col. 1. C-E. « Illud corpus Christi quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fuit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit: illud, inquam, absque ulla dubietate non aliud, nunc de sacro altari percipimus, et eius sanguinem in sacramentum nostrae redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta ecclesia fideliter docet. » Eadem repetit serm. XLVI. pag. 115. col. 1. B-E.

4) Serm. VI. in adventu Domini pag. 238. A-C., serm. VIII. pag. 239. A-B. et serm. I. in festo assumpt. pag. 528. B-C.

5) Epist. VI. qua continetur *armenicae ecclesiae summa fidei scripta a Nersete Armeniorum Catholico ad petitionem Manuelis Theophili Graecorum regis*, §. II. pag. 210. opp. T. I.

6) Quibus non significatur natura quae *historice* fuerit aut peccato infecta aut corruptione dissoluta, sed natura quae *ontologice* atque ex sese potuerit peccato infici et corruptione dissolvi.

Digitized by Google

gine corpus sumpsit non ab ea alienum, sed ex eius natura. » Ubi vero homiliam de sancta cruce commentariis illustrat, adductis verbis, *super quem perveniens in terra caelestis Adam, clementer salutem servo ac patri heic sepulto fecit*, illico [1]) pergit: « Benefactoris maiestatem hisce dictis enarrat. Etenim primus Adam humi iacens e sublimi gloria inclinatur ad vitia, brutisque adaequatur. Verum creator per dispensationem caelestis Adam nuncupatus, non quia de caelo fuerit corpus eius, sed quia caeli et terrae Dominus corpus sumpsit, caelestis Adam vocatus est. Tamquam ad animale deorsum dilapsum, secundum legem ad ima perveniens salvator, novam fecit salutem *servo heic sepulto*. Servum appellat primum illum Adam ob creationem, patrem autem secundum carnem quam de massa domus Adae [2]) sumpsit, iuxta illud, *caro mea ex illis*. Aeternam secum portat iustitiam, non ad tempus nec ex parte salutem faciens, sed in aeternum et sempiterne iustificans salvatos, *ut per consimilis generis carnem heic dissolveret peccatum eidem placitum*. Arguit illos qui non confitentur carnem Domini ex Virgine sumptam, ideo *consimilis generis* dixit: idest Adae peccatum quod ex complacentia *(Adam)* patraverat, mandato ultro transgresso, per nostrum corpus in cruce invisibiliter abstulit iuxta prophetam, *ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. » Ubi autem azymis non pane fermentato conficiendam Eucharistiam tuetur, reliquis et haec [3]) addit: « Verus agnus quum mysticum agnum comedit et azyma cum lactucis, veteri foedere impleto, initium dedit novo iuxta evangelii historiam. Panemque ex illa mensa accipiens (patet azyma accepisse, erat enim prima dies azymorum) *hoc est*, inquit [4]) *corpus meum*. Corpus quoque e Virgine natum atque immaculatum

1) Explanat. homiliae de s. Cruce, pag. 278. opp. T. II.

2) Sumpsit Unigenitus carnem *de massa domus Adae*, si naturae habeatur ratio, minime vero si corruptela peccati consideretur.

3) Epist. cit. pag. 218. opp. T. I. Eadem mente Hildephonsus Deiparam alloquens scribit de perpet. virginit. s. Mariae cap. XII. pag. 158. in collect. pp. tolet. T. I. « Quod pretium emptionis meae factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit. In quo vulnera mea sanavit, ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit: in quo mortem meam tolleret, a mortalitatis tuae corpore mortale corpus attraxit: in quo mea deleret peccata, quod tulit a te corpus, sine peccato suscepit: naturam meam, quam in se praecessore mihi ad regnum suum in gloria paternae sedis super angelos collocavit, ex veritate corporis tui humiliatus assumpsit. » Similia porro habent tum vulgatus Hildephonsus serm. I. de assumpt. pagg. 339., tum auctor coronae b. Mariae qui de ipsa scribit cap. IV. pag. 401: « Tu virgo speciosa prae filiabus hominum speciosum forma prae filiis hominum castitatis visceribus concepisti, nobisque ipsum obtulisti. » Tum subdit cap. XIX, pag. 324: « Tu es gloriosum reclinatorium salvatoris seculorum, qui ex tua clara carne ac virginea in aula castissimi ventris nobile et honorificum praecinctorium sibi fabricavit ad crudelem mortis principem debellandum. Tu etiam es sanctum et inviolabile et intemeratum sancti Spiritus sacrarium, in quo idem Spiritus-sanctus reposuit thesauros gratiarum suarum et charismatum. »

4) Matth. XXVI. 26.

Digitized by Google

decet, azyma esse typum non vero fermentum. » Quorum significationi illustrandae non minimum ista conducunt, quibus Iohannes damascenus [a]) Unigenitum alloquitur: « Tunc itaque tu qui Patris terminus et Verbum es, nihil circumscriptus in ea demoratus es, ut extremam naturae nostrae vilitatem ad infinitam incomprehensae deitatis tuae celsitudinem revocares: cuius quidem primitias [1]) ex purissimis et illibatis immaculatisque prorsus sanguinibus sanctae Virginis [2]) suscipiens, carnem anima rationali et intelligente animatam tibi ipse condidisti, illi tribuens ut in temetipso subsisteret.»

1527. Cum his autem consona plane sunt, quae ecclesiasticis et liturgicis monimentis consignata leguntur. Et consona profecto haec sunt [b]) ex veteri Officio quadragesimali: « Quae carnem Christo de tua carne tradidisti, carnis meae passiones extingue, o vitae parens, o innocens Virgo. » Consona haec [c]) ex Octoecho: « Mentem et animam carnisque massam, o Deipara, ex immaculato tuo sinu Deus Verbum accipiens verus homo visus est. » Atque haec item consona [d]) ex alexandrina sancti Marci liturgia, ubi recitatis verbis, *corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est vere. Amen.* Populus continuo exclamat: « Credo, credo, credo et con-

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. III. pag. 859. D-E. Καὶ τότε σὺ ὁ τοῦ πατρὸς ὅρος καὶ λόγος ἀπεριγράπτως κατῴκησας, ἀναπαλούμενος τὴν ἰσχατίαν τῆς ἡμετέρας φύσεως πρὸς τὸ ἄπειρον ὕψος τῆς σῆς ἀκαταλήπτου θεότητος· ἧς τὴν ἀπαρχὴν ἐκ τῶν πανάγνων καὶ ἀχράντων αἱμάτων καὶ παναμώμων τῆς ἁγίας παρθένου ἀναλαβὼν σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, σεαυτῷ περιέπλεξας, ἐν σεαυτῷ αὐτὴν ὑποστήσας.

b) Offic. quadrag. Fer. V. Hebd. II. Ieiun. Ode δ'. pag. 188. Σάρκα τῷ Χριστῷ ἐκ τῆς σῆς δανείσασα, νέκρωσον σαρκός μου τὰ πάθη, ζωοκυῆτορ, ἁγνὴ παρθένε.

c) Octoech. pag. 42. col. 2. D. Νοῦν καὶ ψυχὴν καὶ σαρκὸς τὸ φύραμα προσυλαφὼς, θεοτόκε, ἐκ σῆς μήτρας ἀχράντου ὁ θεὸς λόγος, κατ' ἀλήθειαν ἄνθρωπος ὤφθη.

d) Apud Assemanum in cod. liturg. T. IV. P. IV. pagg. 78-128. Σῶμα καὶ αἷμα Ἐμμανουὴλ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τοῦτο ἐστὶν ἀληθῶς· ἀμήν.

Πιστεύω, πιστεύω, πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς, ὅτι αὐτή ἐστιν ἡ σὰρξ ζωοποιὸς τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου δὲ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἔλαβεν αὐτὴν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει.

1) En cur deceat sumptum ex Virgine corpus non *fermento* sed *azymis* repraesentari, quod videlicet nulla sit labe concretum, utpote *ex purissimis, illibatis, omnique ex parte immaculatis sanguinibus* defloratum.

2) Quod fidei caput Damascenus confirmat tum in libello contra iacobitas pag. 62., tum in dissertatione contra nestorianos pag. 67. apud Henricum Canisium lectt. antiq. T. II. P. I. Adde quae eodem pertinentia docet Paschasius Ratbertus de partu Virginis lib. I. pagg. 5-6. apud Acherium spicileg. T. XII.

Digitized by Google

fiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica unigeniti Filii tui, Domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Accepit ipsam ex sancta Domina nostra Deipara [1]) et semper virgine Maria, et fecit illam unam cum divinitate sua, non mixtione, confusione aut alteratione. » Quare in commentatione liturgica Theodori andidensis, potioribus commemoratis Eucharistiae nominibus, quibus illam [a]) maiores nostri appellarunt *panem, benedictionem, oblationem, primitias;* e vestigio [b]) subditur: « Panem quidem, tamquam caelestem panem, ipsum videlicet Christum, solidius ex propriis sanguinibus sensibiliter confectum ab immaculatissima Deipara. Benedictionem, utpote maledictionis primis creatis hominibus impactae extinctionem. Oblationem, tamquam ex universa humana massa munus quoddam Deo creatori ad sancta sanctorum delatum. Primitias denique, tamquam omnium primigeniorum Deo oblatorum rem sacratissimam ac sanctissimam. Hanc igitur benedictionem dictam atque oblationem, aliisque supradictis nominibus appellatam, augustis exhibitam templis, et prothesi uti vocitamus impositam, ceu typum laudatissimae Deiparae fideliter suscipimus et honoramus. » Abruptum deinde sermonis filum retexens [c]) pergit: « Sic

a) Comment. liturg. n. 6. pag. 552. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. VI. *Ἄρτον αὐτὸν ἐπονομάσασιν· εὐλογίαν, προσφορὰν, ἀπαρχήν.*

b) Ibid. n. 6. pagg. 552-553. *Ἄρτον μὲν, ὡς τὸν οὐράνιον ἄρτον, αὐτὸν δηλαδὴ τὸν Χριστὸν, σωματικώτερον ἐκ τῶν ἰδίων αἱμάτων αἰσθητῶς ἀρτοποιησάσης τῆς παναχράντου Θεοτόκου· εὐλογίαν δὲ, ὡς τῆς ἀρᾶς τῶν πρωτοπλάστων ἀναίρεσιν· προσφορὰν δὲ, ὡς ἐξ ὅλου τοῦ ἀνθρωπίνου φυράματος οἱάν τινα φιλοτιμίαν τῷ Θεῷ καὶ κτίστῃ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων προσενεχθεῖσαν· ἀπαρχὴν δὲ, ὡς πάντων ἀπαρχμάτων Θεῷ προσενηνεγμένων τυγχάνουσαν ἱερωτέραν καὶ ἁγιωτέραν· ταύτην τοίνυν τὴν εὐλογίαν καὶ προσφορὰν, καὶ τοῖς εἰρημένοις ἄλλοις ὀνόμασιν ὀνομαζομένην, τοῖς στεφτοῖς προσφερομένην ναοῖς, καὶ τῇ λεγομένῃ προθέσει ἀνατεθειμένην, εἰς τύπον τῆς παναμώμου Θεοτόκου, πιστῶς δεχόμεθα καὶ δοξάζομεν.*

c) Ibid. n. 9. pag. 555. *Οὕτω τοίνυν καὶ διὰ τὰ προειρημένα ἡ προσφορὰ, καὶ ὁ ἄρτος, καὶ ἡ εὐλογία, καὶ ἡ ἀπαρχὴ εἰς τύπον τῆς ἀειπαρθένου καὶ Θεοτόκου λαμβάνεται· ἥτις κατ' εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς, καὶ θέλησιν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ λόγου, καὶ ἐπελεύσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὸν ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ λόγον εἰσδεξαμένη, τέλειον Θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον ἀνεκύησεν· ὅστις δὲ πάλιν ὁ ὑπερούσιος Θεὸς σάρκα ἐκ ταύτης λαβόμενος ἐν μιᾷ ὑποστάσει, τέλειος ἦν καὶ ἄνθρωπος, ὅμοιος ἡμῖν κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας· οὕτω καὶ τὸ κυριακὸν σῶμα, ὡς ἔκ τινος κοιλίας καὶ αἱμάτων καὶ σαρκὸς τοῦ παρθενικοῦ σώματος, τοῦ ὅλου ἄρτου φημὶ, τῆς εὐλογίας καὶ τῆς προσφο-*

1) Gemina habes in anaphora sancti Gregorii apud Coptos recepta, ibidem pag. 154, et in anaphora sancti Basilii iisdem unitata, ibidem P. II. pag. 78.

Digitized by Google

itaque uti dictum est, oblatio et panis et benedictio et primitiae [1]) in typum semper virginis Mariae assumuntur; quae beneplacito Patris, voluntate Filii ipsius, et adventu sancti Spiritus unum de sancta Trinitate, Filium Dei ac Verbum in se excipiens, perfectum Deum et perfectum hominem peperit. Sicque pariter supersubstantialis Deus carnem ex hac sumens, unica sub hypostasi, perfectus aeque homo fuit, similis nobis per omnia absque peccato. Sic etiam dominicum corpus, tamquam ex quodam utero et sanguinibus et carne virginei corporis, ex toto inquam pane et benedictione et oblatione, a diacono ut in [2]) magna ecclesia mos est, ferreo instrumento [3]) secatur, quod lanceam vocant, etiamsi necdum hac utendi tempus est: atque ita [4]) per se subsistens ex media eulogia consecratur. » Quae quidem, perpaucis omnino immutatis, ad eorum normam expressa sunt quae Sophronius hierosolymitanus, adductis Malachiae verbis [a]), *ecce thymiama offertur mihi in universa terra,* in commentario liturgico [b]) scribit: « Quemadmodum enim supersubstantialis Deus carnem suscipiens ex Virgine in una hypostasi perfectus erat Deus et homo perfectus, similis nobis per omnia excepto peccato; sic et novum corpus veluti ex quodam utero et sanguinibus et carne virginalis corporis, ex toto inquam pane,

ρὰς, παρὰ τοῦ διακόνου, ὡς ἡ μεγάλη ἐκκλησία παρίλαβε, διατέμνεται σιδήρῳ τινὶ, ὅνπερ καὶ λόγχην λέγουσιν, εἰ καὶ μήπω ταύτης ἔστιν ὁ καιρός· καὶ οὕτως ἰδιοϋποστάτως ἐκ μέσου ταύτης ἀφιεροῦται.

a) Ἰδοὺ θυμίαμά μοι προσφέρεται ἐν πάσῃ τῇ γῇ.

b) Comm. liturg. n. 10. pag. 38. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Ὥσπερ γὰρ ὁ ὑπερούσιος θεὸς σάρκα ἐκ τῆς παρθένου προσλαβόμενος ἐν μιᾷ ὑποστάσει τέλειος ἦν θεὸν καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ὅμοιος ἡμῶν κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας· οὕτω καὶ τὸ καινὸς σῶμα, ὡς ἔκ τινος κοιλίας καὶ αἱμάτων καὶ σαρκὸς τοῦ παρθενικοῦ σώματος, τοῦ ὅλου ἄρτου φημὶ, παρὰ τοῦ διακόνου ἢ τοῦ ἱερέως διατέμνεται σιδήρῳ τινὶ, ὃν λόγχην λέγουσιν.

1) Christophorus Angelus in enchiridio de statu hodiernorum Graecorum cap. XIV: σημαίνει δὲ οὗτος τὴν παρθένον. *Designat autem hic* (panis eucharisticus) *Virginem.*

2) Magna ecclesia est constantinopolitanum s. Sophiae templum.

3) Subiicio em. editoris adnotationem. « Stephanus aldoënsis patriarcha antiochenus Maronitarum in expositione Missae sect. III. cod. vat. 7410. f. 90. b. sic ait: *cultro utuntur Graeci quasi ad cogitationem lanceae qua transfossum est latus Christi; unde quando sacerdos immolat panem, antequam sacrificet, ferit illum acumine cultri in parte dextera, ita ut capulus attingat calicem, appareatque sanguinem qui est in calice, eumdem esse qui latere Christi manavit.* Legatur etiam Allatius de templis Graecorum ed. Paris. pag. 145.»

4) Ἰδιοϋποστάτως adverbialiter. « Sed, *monet editor*, et pro adiectivo ἰδιοϋποστατος citantur a cl. Boissonado in nova lexici stephaniani editione exempla Areopagitae et scholiastae ad Epictetum; cui lexico nunc hoc adverbium adiiciatur. »

Digitized by Google

a diacono vel etiam sacerdote ferreo secatur instrumento, quod [1]) lanceam dicunt. »

1528. Porro e latina ecclesia haec [2]) iuverit retulisse:

» Vera caro quam sumimus
» Quam accepit de Virgine;
» Verus sanguis quem bibimus
» Quem effudit pro homine.
» Panis iste dulcedinis
» Totus plenus est gratiae,
» Vere tali mysterio
» Verbum caro comeditur,
» Per quod viget religio,
» Per quod caelum ingreditur.
» Alvo gestatus Virginis,
» Rex est aeternae gloriae.

Tum [3]) haec:

» Ave rex qui descendisti
» De caelis, et quievisti
» Carneo sub tegmine:
» Ave Verbum incarnatum,
» Quod nos de Virgine natum
» Credimus verissime.
» Ave caro Christi vera
» Quae de casta et sincera
» Processisti Virgine.
» Ave lumen clarissimum,
» Corpus Christi sanctissimum,
» Flos et fructus Virginis.

Ista [4]) pariter:

» Ave verum corpus natum
» Ex Maria virgine,
» Vere passum, immolatum
» In cruce pro homine.

A quibus haec [5]) seiungi non debent:

» Christi corpus ave, sancta de Virgine natum,
» Viva caro, deitas integra, verus homo.

Neque haec [6]) seiungi debent quae in Sacramentario gallicano frequentantur: « Deum creatorem et redemptorem nostrum, qui in carne quam sumpsit de Virgine, pro totius mundi salute admirabilis hostia immolatus est in crucis altari; et propter expellendum venenum quod in Adam fuerat suasione serpentis infusum, preciosi sanguinis porrexit antidotum, ut criminis antiqui peccatum iam novo sacrificio purgaretur; et mors quae processit gustando de scientiae ligno, moreretur per lignum: supplices deprecamur, ut nos quos eripuit de inferno per huius signi patibulum, eiusdem protectione perducat ad regnum. » Mirifice consentiunt quae Copti

1) Goarius in Euchiolog. pag. 116. sic habet: « Cultellus hostiae a tota panis massa separandae deputatus, λόγχη *lancea* dicitur. Et cum lanceae τὴν κεντησασης τὴν πλευρὰν τοῦ κυρίου figuram habeat, vice illius quae latus Domini effodit, sacrificio admovetur. »

2) Apud Bollandianos T. I. Aprilis pag. 904. ex antiquo leodiensi antiphonario. In thesaur. hymnolog. T. I. pag. 275. et apud Mone Lateinische Hymnen T. I. pag. 268.

3) Apud Mone ibidem pagg. 270-271.

4) Ibid. pag. 280.

5) Ibid. pag. 281.

6) In missa de inventione sanctae Crucis, apud Murat. liturg. rom. T. II. pagg. 865-866.

Digitized by Google

his verbis [a]) frequentant : « Suscepit *(Christus)* carnem de Spiritu sancto, atque ex Maria sponsa sancta. »

1529. Caro itaque Virginis eadem prorsus est ac caro Christi, proindeque eadem ac caro quam Verbum in hypostaseos unitatem adscivit, quae pro nobis in ara crucis oblata est, per quam reconciliati sumus, in qua de satana, de peccato et de morte plenissimus relatus est triumphus, et qua ad immortalitatem benignissime pascimur, ineffabiliterque nutrimur. Caro autem Christi ab ea nullatenus diversa fuit, quam puram et immaculatam Adamus habuit in paradiso, quum [1]) nulla rixa de seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace frueretur. Quae quidem christianae veritatis professio ad eam fidem pertinet qua credimus, secundum Adamum priori fuisse omnino simillimum, excepto peccato. Ne autem huiusce fidei testes nominatim recenseam [2]) Irenaeum, vulgatum neocaesariensem Gregorium [3]), Ambrosium [4]), Andream cretensem [5]), aliosque sexcentos, quibus ipsi quoque haeretici [6]) monophysitae et [7]) monothelitae concordes suffragabantur; speciminis gratia nonnulla describam ex Iohanne damasceno, qui Emmanuelem his verbis [b]) affatur : « To-

a) Theotoch. pag. 64. B.

Ⲁⲛⲑⲓⲥⲁⲣⲝ ⲉⲃⲟⲗ ϩⲉⲛ ⲡⲡⲉⲧⲛⲁ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲉⲙ ⲉⲃⲟⲗϩⲉⲛ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲯⲉⲗⲉⲧ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ✣

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. III. pag. 860. B-E. Ὅλον γὰρ τὸν πρῶτον Ἀδὰμ τὸν πρὸ τῆς παραβάσεως, τὸν ἁμαρτίας ἐλεύθερον, ἀνέλαβες, ὁ ἄσπορε, διὰ τὰ σπλάγχνα ἐλέους σου, σῶμα, ψυχὴν, νοῦν, καὶ τὰ τούτων φυσικὰ ἰδιώματα, ἵν' ὅλῳ μοι τὴν σωτηρίαν χαρίσῃ· ὄντως γὰρ τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον· καὶ οὕτως μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων γενόμενος, τὴν ἔχθραν ἔλυσας, καὶ τῷ σῷ πατρὶ τοὺς ἀποστάτας προσήγαγες, τὸ πεπλανημένον ἐπέστρεψας, τὸ ἰσχνανθὲν ἐφώτισας, τὸ συντετριμμένον ἀνεκαίνισας, τὸ φθαρτὸν εἰς ἀφθαρσίαν μετέβαλες· τέκνα θεοῦ τοὺς ἀνθρώπους ἐποίησας, κοινωνοὺς τῆς θείας σου δόξης τοὺς ἠτιμημένους ἀνέδειξας· τὸν καταδικασμένον τὰ τῆς γῆς κατεχθόνια ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἀνήγαγες, ἐν τῷ θρόνῳ τῷ βασιλικῷ τὸν εἰς γῆν ἀποστρέψαντα, καὶ τὸν ἄδην οἰκεῖν καταχρισθέντα, ἐν σεαυτῷ ἐκάθισας· τίς οὖν τῶν ἀπείρων τούτων ἀγαθῶν, τῶν ὑπὲρ πάντα νοῦν καὶ κατάληψιν, ἐργαστήριον γέγονεν; οὐχὶ ἡ σὲ τεκοῦσα ἀειπάρθενος;

1) Penes Augustinum de corrept. et grat. cap. XI. n. 29. pag. 506. opp. T. X.

2) Con. haereses. lib. V. capp. I-XII-XVI.

3) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 16. A-B.

4) In Ps. CXVIII. serm. XXII. num. 30. pag. 1253.

5) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 95-96. apud Gallandium T. XIII.

6) Cf. fragmentum ex epistola, quam Theodosius alexandrinus corrupticolarum auctor in sua ad alexandrinum patriarchatum promotione dedit ad Severum Antiochiae patriarcham, pag. 711. apud Mai in spicileg. rom. T. III.

7) Cf. gesta synodi VI., Baronium ad annum DCXXXIII. et Petavium de incarnat. lib. I. cap. XXI.

Digitized by Google

tum quippe primum Adam, qualis erat antequam a mandato deficeret, a peccato liberum, per viscera misericordiae, Domine, suscepisti: corpus videlicet, animam, mentem et naturales harum proprietates (nam quod revera assumptum non est, id minime curatum fuit). Atque ita Dei et hominum mediator factus inimicitias solvisti, eosque qui a Patre defecerant, ad ipsum revocans: quod erraverat, reduxisti: quod tenebris obsitum erat, illuminasti: quod contritum, instaurasti: quod corruptelae obnoxium, incorruptioni restituisti: homines Dei filios effecisti: contemptos et infames divinae tuae gloriae consortes reddidisti: eum qui ad inferas terrae partes damnatus erat, super omnem principatum et potestatem provexisti, et qui ita multatus erat ut in terram reverteretur et infernum incoleret, in te ipso regio in throno collocasti. Quaenam igitur immensorum bonorum istorum, quae captum omnem et comprehensionem superant, officina fuit? An non perpetua Virgo, quae te in lucem edidit? » Hinc vetustus auctor explanationis in symbolum apostolicum, proposita [1]) quaestione, *cum opera totius Trinitatis sint inseparabilia, cur conceptionem carnis dominicae solus operatus esse dicitur Spiritus sanctus?* Continenter pergit: « Sed quia sanctificatio sit per Spiritum, et idem Spiritus sic est Deus, ut sit etiam donum Dei; idcirco Spiritus sanctus dicitur carnem in utero Virginis [2]) creasse, ut intelligamus sanctificatione divinae gratiae per donum Spiritus sancti ita creatam Christi carnem, ut et divinum esset opus, et in unitate personae unici filii Dei, absque ulla originalis peccati sorde, ita sit adsumpta, ut ex ipsa conceptione [3]) sanctificata et Dei Verbo substantialiter unita, nullum posset deinceps recipere peccatum. Et in tantum sanctificata est et divina caro facta, ut non solum ipse peccatum habere non posset, verum etiam in aliis peccata purgare efficacissime possit. Nam ceteri homines ad hoc sanctificantur ut peccatis careant, homo tamen dominicus ad hoc sanctificatus ut peccatum nullo modo recipiens, peccatores ex potentia divinitatis suae iustificaret. Natus namque est de Spiritu sancto et virgine Maria; sed de Spiritu sancto non sic natus

1) Explanat. symb. apostolic. pag. 390. apud Mai scriptt. vett. T. IX.

2) Significatione Latinorum propria, non qua nos ea dicere *creata* consuevimus, quae fuerint ex non exstantibus educta.

3) Haec ii habere ob oculos debent, qui si quando in veterum monimentis legerint Mariam *sanctificatam*, sine mora colligunt eam fuisse peccati labe corruptam. Scilicet potestatem vocabulis subiiciunt pro voluntate, non pro recepto vulgatoque apud maiores usu loquendi.

Digitized by Google

tamquam eum habeat patrem; de virgine vero Maria sic natus ut eam habeat matrem: de Spiritu sancto natus, ab Spiritu sancto secundum hominem natus est, ut non de Spiritu sancto substantiam habeat; de matre vero natus ex eius substantia, accepit carnis substantiam, hoc est de corpore Virginis traxit proprium corpus; ut sicut divinitate erat consubstantialis Patri, sic per humanationem fieret consubstantialis matri, ut incomprehensibilis et invisibilis haberet in quo videretur et comprehenderetur. » Ne quid vero dicam [1]) de Paschasio Ratberto, cuius hac de re verba nequeunt esse splendidiora, antiquissimus auctor commentariorum in Pauli epistolas, qui Ambrosii nomine inscribi solent, ad haec [2]) Pauli verba, *quoniam quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne;* sic [3]) habet: « Haec dicit ut baptizatos securos reddat, quia liberati sunt a peccato. *Quoniam quod impossibile erat,* inquit, *legis.* Cui impossibile est? Nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subiecti eramus peccato. Ob hoc Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Haec est similitudo carnis; quia quamvis eadem caro sit quae et nostra, non tamen ita facta in utero est et nata sicut et caro nostra. Est enim [4]) sanctificata in utero et nata sine peccato, et neque ipse in illa peccavit. Ideo enim virginalis uterus electus est ad partum dominicum, ut in sanctitate differret caro Domini a carne nostra; in caussa enim similis est, non in qualitate peccati substantiae. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis, non eamdem habuit nativitatem; quia peccato subiectum non fuit corpus Domini. Ex-

1) De partu Virginis lib. I. pagg. 5. seqq. apud Acherium spicileg. T. XII. Similia tradunt Leontius in dialogo adver. incorrupticolas pag. 120. apud Mai spicileg. rom. T. X. P. II., et ipse quoque Severus antiochenus adver. Iulianum halicarnassensem ibid. P. I. pag. 181. ubi hisce ex Chrysostomo relatis, *Christus enim peccatricem carnem non habuit, sed similem peccatrici nostrae; quippe eadem ac nostra natura est, sed absque peccato*, subdit: « Est itaque prorsus exploratum, nullum corruptionis vestigium quod quidem a peccato proveniat, in carne Domini exstitisse: sanctus enim iam inde a nativitate fuit et peccato impervius. Hoc sacri libri per Isaiam prophetam palam clamant: quia ante quam sciat puer bonum aut malum, reprobat malum. Quippe postea dicitur: peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius. Fatemur tamen eumdem esse corruptioni illi obnoxium quae a morte est, nec non aliis doloribus atque passionibus reprehensione minime dignis, neque peccati macula inquinatis: est enim mortalis natura capax mortis, et has omnes infirmitates perpetitur. Nimirum Emmanuel, teste doctore, noluit pro casu nostro vi sua ac potestate pugnare, sed iure legitimo agere, quod sane civiliter fieri non poterat, nisi in carne pugnasset mortis capace; quam ita victricem resurrectione sua demonstravit, facta ea imputribili et immortali in qua mortem expertus fuit. »

2) Rom. VIII. 3.

3) Comm. in Rom. VIII. 3. pag. 70. C-E. inter opp. Ambrosii T. II.

4) Intellige carnem Christi *in utero sanctificatam* modo ipso conceptionis, quem in symbolo profitemur quum de Christo dicimus: *qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*

Digitized by Google

piata [1]) est enim a Spiritu sancto caro Domini, ut in tali corpore nasceretur, quale fuit Adae ante peccatum; sola [2]) tamen sententia data in Adam. »

1530. Neque aliam mentem fidemque produnt [3]) Hildephonsus toletanus, Haymo halberstatensis [4]) et [5]) Petrus blesensis, quorum exploratis sententiis haec ex Missali gothico [6]) opportunissime adduntur: « Dignum et iustum est, omnipotens Deus, tibi sacrificiorum vota persolvere: te in laudis praeconio indesinenter attollere: ac te utriusque ad illius scilicet habitatoris paradisi et istius redemptoris humani generis exempla proponere. Ille quidem prior, sed iste melior: ille terrenus, iste caelestis: ille de limo factus, iste verbo conceptus. Tunc diabolo suadente, Eva decipitur; nunc angelo nunciante, Maria clarificatur. Tunc per invidiam serpentis homo qui fuerat creatus, perimitur; nunc per misericordiam redimentis, homo qui perierat liberatur. Tunc homo mandatum non custodiendo, de paradiso pellitur; nunc latro Christum Dominum confitendo, paradiso meretur. » Atque haec item opportunissime adduntur [7]) ex Sacramentario gallicano: « Vere dignum et iustum est, omnipotens Deus, qui genus humanum praevaricatione sua in ipsius originis radice damnatum per florem virginalis uteri reddere dignatus es absolutum, et hominem recreari, ut diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, conservata iustitia a Deo carne redderetur adsumpta, quum perfectum Dominum Iesum Christum in utraque substantia hostis tentaret humilem, sed agnosceret praepotentem. Nam adversarius noster nec a solo Deo certari poterat, nec a solo homine debellari. Sed cuius provocatus visibili corpore, victus est invisibili potestate. Dic igitur hostis antique, quo tua fraus, quo argumenta, quo serpentina consilia sunt vorata? Ecce deceptor detulit a te corpus, sine peccato suscepit. »

1) Expiata est caro Domini non a naevis contractis, sed ne ullum contraheret.

2) Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. *salva tamen sententia lata in Adam*: quae verba in mss. non paucis omittuntur.

3) De virginit. s. Mariae cap. XII. pag. 564. in max. pp. biblioth. T. XII. « Quod in mea redemptione est operatus, in tuae personae veritate formavit: quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit: quod pretium emptionis meae factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit, in qua vulnera mea sanavit: ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit, in quo mortem meam tolleret: a mortalitatis tuae corpore mortale corpus attraxit, in quo mea deleret peccata: quod

4) Hom. comm. omnibus festis b. Virginis pag. 551. « Potest pars quaedam huius capituli (*scilicet XXIV. Eccli.*) non incongrue Dei genitrici aptari, quae ab ipsa Dei sapientia taliter *creata* est, ut per illam ad redimendam humanam naturam Dei Filius sine humana concupiscentia crearetur. »

5) Instruct. fidei ad Soldanum Iconii, opp. pag. 575. « Natus est itaque Filius Dei de Virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus homo Adam de terra virgine et inviolata. »

6) In missa de invent. s. Crucis pag. 608. apud Muratorium liturg. rom. T. II.

7) In missa de invent. s. Crucis, pag. 866. ibid.

Digitized by Google

ceptus es, et qui triumphaveras, conculcaris. Nam caro quae tibi fuit in Adam cibus, factus est in Christo interitus: et unde prius esca inde successit penuria. »

1531. Quae omnia in epilogum contracta hanc fundunt mutuo nexam penitusque cohaerentem propositionum catenam I. *Deiparam ex fide doctrinaque maiorum esse credique oportere* [1]) *virginem anima et corpore, et anima atque corpore puram, sanctam, immaculatam.* Nominatim vero II. *esse credique oportere animo castam, sanctam, sanctissimam, superimmaculatam, omnis expertem labis, semperque inculpatam.* Tum III. *esse credique oportere* [2]) *corpore castam, castissimam, virginalem, sanctam, sanctissimam, ex sanctitate compactam, totam sanctam, puram, purissimam, totam puram, a passionum commixtione secretam, naturalium macularum nesciam, Unigeniti incarnatione dignam, totamque Dei domicilium.* Neque IV. *fieri secus potuisse, quum ex illius carne sumi caro deberet quae cum Unigenito unitate hypostaseos vinciretur, quae esset caro dominica, panis vivificus, cibus immortalitatis, et victima immaculata, qua Deus cum hominibus conciliaretur, et satanas, peccatum et mors profligata iacerent.* Et quum V. *ex illius carne sumi caro deberet, quae eam ipsam praeferret carnem quam Adamus ex virginali terra a Deo primum accepit, non quam ipsemet transgressione vitiatus in universam sobolem propagando diffudit.* Atqui haec omnia et singula, quae ex superioribus indubitata et omnino certissima videri debent, non perspicue minus quam necessario ostendunt, *Deiparam plenissima significatione virginem nuncupari, eamque ipsi virginitatis praestantiam tribui, quae naevum prorsus omnem animi iuxta ac corporis longissime amandet.* Et sane I. ea Deiparae asserenda est *carnis* virginitas, quae *epithetis* respondeat nuper commemoratis, quaeque *cum virginitate et puritate* consonet qua Christi caro praecellit. Sed non alia virginitatis forma ac species ad eiusmodi normas expressa est, nisi quae sic fuerit exsors actualis cuiusvis corruptelae, ut nullum pariter hereditariae contagionis halitum persenserit. Virginitas ergo quae carni Deiparae tribuenda est, hisce fulget dotibus *ut sit vir-*

1) Hinc illud apud Mone T. II. pag. 25:

» O Maria sanctissima,
» Creatura purissima
» Ab omni contagio.
» Templum Dei fuisti
» Et naturam contulisti
» Creatoris Filio.

2) Quo et haec spectant apud Mone T. II. p. 323.

» Sancta parens, caro labe carens et dulcis odoris,
» Stella maris, cui nulla paris fuit orta decoris,
» Digna caeli regina, poli flos imperialis,
» Cella Dei, speculum fidei, virgo specialis.

Digitized by Google

ginitas cuiusvis corruptelae tam originalis quam actualis nescia: ut sit virginitas qua ex universa Adami sobole nonnisi ipsa potitur: ut sit virginitas quae in dominica carne, veluti propria in sede, eminuit: ac postremo ut sit virginitas, quae ideam ipsam et archetypum corporeae virginitatis repraesentet. Iamvero II. eadem omnino virginitatis perfectio *animae Deiparae* ex sententia maiorum vindicanda est, quae purissimae eiusdem carni tribuitur. Hinc indiscriminatim, geminisque formulis Deipara audit *virgo anima et corpore, sacra et sancta tum anima tum corpore.* Hinc ea perhibetur Deipara, *cui non minus sit anima pura, inculpata et labis expers, quam caro intaminata et a communibus naturae maculis seiuncta.* Atque hinc *ellogia, quibus perfectissimus concentus inter corpus animamque Deiparae celebratur.* Porro III. hisce duobus simul iunctis perspicue efficitur, *virginis appellationem Deiparae factam plenissima significandi virtute adhiberi, eaque Deiparam proponi anima pariter et corpore nulli umquam naevo, nullique corruptioni obnoxiam.* Fuisset autem animo et corpore vitiata et infecta, si animo originalem culpam, et corpore hereditariam libidinem cupiditatisque morbum contraxisset. Quemadmodum igitur, *utpote virgo perfectissima,* immunis animo fuit a culpa originali, ita carnem eximio sanctificationis dono sortita est a veneno libidinis puram atque sinceram.

1532. Quod autem perfectissima et omnibus expleta numeris virgo haberi Deipara debeat, multiplici praeterea ex capite vel non obscure suadetur, vel etiam liquido persuadetur. Huc enim ea veterum suffragia initio faciunt, quibus Deipara *antonomastice virgo, virgo sancta, virgo pulcra, immo ipsa virginitas et immaculata virginitas* nuncupatur. Operam luderem atque in re minime necessaria tempus impenderem, si colligere omnia vellem quae id demonstrant; sunt enim infinita et in christianis monimentis ad omnem prope paginam recurrunt. Itaque omissis plerisque omnibus, *de antonomastica virginis appellatione* haec habeantur, quibus Iohannes damascenus [a]) Unigenitum alloquitur: « Par processisti mor-

a) Hymn. in theogon. pag. 674. B-C. opp. T. I.

Ἴσος προῆλθες τοῖς βροτοῖς ἐκουσίως,
Ὑψιστε, σάρκα προσλαβὼν ἐκ παρθένου.
Ἰὸν καθάρας τῆς δράκοντίας κάρας,

Digitized by Google

talibus sponte, Altissime, carne assumpta [1]) de Virgine, virus purgans draconici capitis, ducens omnes ad lucem vivificam, Deus exsistens, ex portis tenebrosis. » Tum [a]) haec: « Propitiatio nobis, Christe, et salus praesens illuxisti ex Virgine ut, tamquam prophetam ex ferae marinae pectoribus Ionam, a corruptione eriperes totum Adam cum omni genere cadentem. » Neque ea minori lumine splendent quibus Deipara antonomastice *sancta Virgo et Virgo pulcra* salutatur. Praeclare [b]) Cyrillus in priore ex duodecim anathematismis: « Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id Deiparam sanctam Virginem: genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem; anathema sit. » Et in litteris ad Iohannem antiochenum datis, explanata Christi unitate, subdit [c]): « Secundum hunc inconfusae unitatis intellectum confitemur sanctam Virginem Dei genitricem, propter hoc quod Deus Verbum incarnatum est et humanitatem assumpsit, ex ipso conceptu univit sibi templum, quod ex ipsa suscepit. » Et [d]) mox calumniatores re-

Ἄγων ἅπαντας πρὸς σέλας ζωηφόρον,
Θεὸς πεφυκὼς, ἐκ πυλῶν ἀηλίων.

a) Hymn. in Pentecost. pagg. 679. E. et 680. A.

Ἱλασμὸς ἡμῖν, Χριστὲ, καὶ σωτηρία,
Ὁ δίσκότης ἔλαμψας, ἐκ τῆς παρθένου,
Ἵν' ὡς προφήτην θήρας ἐκ θαλαττίου
Στενῶν, τῆς φθορᾶς διαρπάσῃς
Ὅλον τὸν Ἀδὰμ, παγγενῆ πεπτωκότα.

b) Concil. T. V. pag. 3. E. Εἴ τις οὐχὶ ὁμολογεῖ, θεὸν εἶναι κατ' ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ διὰ τοῦτο θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον· γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγον, ἀνάθεμα ἔστω.

c) Concil. T. VI. pag. 669. A-C. Καὶ ταύτην τὴν τῆς ἀσυγχύτου (al. ἀσυγκρίτου) ἑνώσεως ἔννοιαν ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον, διὰ τὸ τὸν θεὸν λόγον σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνωθῆναι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς λαφθέντα ναόν.

d) Ibid. pag. 669. C-E. Ἐπειδὴ δέ τινων φιλοψογεῖν εἰωθότων τινὲς σφηκῶν ἀγρίων δίκην περιβομβεῖν, καὶ μοχθηροὺς ἐρεύγεσθαι κατ' ἐμοῦ λόγους, ὡς ἐξ οὐρανοῦ καταχομισθὲν, καὶ οὐκ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου λέγοντας τὸ ἅγιον σῶμα Χριστοῦ, δεῖν φήθην ὀλίγα περὶ τούτου πρὸς αὐτοὺς εἰπεῖν· ὦ ἀνόητοι, καὶ μόνον εἰδότες τὸ συκοφαντεῖν· πῶς εἰς τοῦτο παρηνέχθητε γνώμης, καὶ τοσαύτην νενοσήκατε τὴν μωρίαν; ἴδε γὰρ, ἴδε σαφῶς ἐννοεῖν, ὅτι σχεδὸν ἅπας ἡμῖν ὁ περὶ τῆς πίστεως ἀγὼν συγκεχρότηται, διαβεβαιουμένοις, ὅτι θεοτόκος ἐστὶν ἡ ἁγία παρθένος· ἀλλ' ἦπερ ἐξ οὐρανοῦ, καὶ οὐκ ἐξ αὐτῆς τὸ ἅγιον σῶμα γεγεννῆσθαι φαμὲν τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ, πῶς ἂν ἔτι νοοῖτο θεοτόκος;

1) Qua *virginis* antonomastica appellatione Deiparam iam designaverat Isaias pronuncians: *ecce virgo.*

Digitized by Google

futans pergit: « Quoniam igitur intellexi, quosdam qui amant ex more suo vituperare, veluti vespas agrestes circumstrepere ac molesta eructare contra me verba, quasi dicam de caelo allatum esse, et non de sancta Virgine exstitisse sanctum corpus Christi, oportere arbitratus sum pauca super hoc ad eos dicere. O stulti et solum calumnias movere scientes, quomodo in hanc sententiam deducti estis, et tantae stultitiae morbo laborastis? Oportebat enim et valde oportebat, aperte vos intelligere quoniam pene omne nobis quod pro fide est luctamen advenit, affirmantibus quoniam sancta Virgo [1]) Dei est genitrix. Sed si dixerimus de caelo et non ex ipsa natum esse sanctum corpus omnium nostrum salvatoris Domini, quomodo eam intelligemus genitricem Dei? » Cum his vero componi debent quae, probata divina Christi natura, alibi [a]) subdit inquiens: « Deipara autem omnino est ipsa quoque pulcra Virgo, quamquam isti *(Nestorii asseclae)* nolint. » Atque haec rursum [b]) componi debent ad eumdem titulum comprobandum pertinentia: « Superest ut aliud Apostoli testimonium in medium proferamus, quod hunc verum Deum Filium ostendit esse hominem, quem pulcra peperit Virgo. » Cui non modo *antonomastice* appellatio fit *virginis, virginis* [2]) *pulcrae, virginis sanctae atque sanctissimae;* verum etiam ipsum quoque *virginitatis* nomen ceu proprium privumque tribuitur. Qua de re testes sunt [3]) Sophronius hierosolymitanus in epistola ad Sergium byzantinum antistitem, patresque concilii toletani undecimi qui de fide incarnationis [4]) scribunt: « De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis ho-

a) Serm. adv. eos inscriptus qui profiteri abnuunt Θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον, *sanctam Virginem* esse *Deiparam*, apud Mai scriptt. vett. T. VIII. P. II. pag. 122. B. et in nov. pp. biblioth. T. II. pag. 90. C. Θεοτόκος δὲ πάντως καὶ αὕτη ἡ καλλιπάρθενος, κἂν οὗτοι μὴ βούλωνται.

b) Ibid. pag. 128. vel 96. D. Καιρὸς δὲ λοιπὸν, καὶ τὴν ἑτέραν τοῦ ἀποστόλου μαρτυρίαν εἰς μέσον παραγαγεῖν, τοῦτον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν υἱὸν δεικνῦσαν ἄνθρωπον εἶναι τὸν ἐκ τῆς καλλιπαρθένου τεχθέντα.

1) Eodem titulo antonomastice Cyrillus quoque utitur pag. 671. A-B. Athanasius vero ipsam plenius antonomastice dixerat comm. in Lucam pagg. 42. D. et 43. A. apud Montfauconium T. II. nov. collect. graec. patrum, τὴν παναγίαν παρθένον, *sanctissimam Virginem*.

2) Non citra manifestum ad verba Cantici allusionem.

3) Concil. T. XI. pag. 485. C-E. Addi etiam potest vulgatus Sophronius senior apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII. pag. 653. C-D.

4) Concil. T. XI. p. 135. B-D.

Digitized by Google

minem verum sine peccato de sancta et immaculata Maria virgine credimus assumpsisse: de qua novo ordine, novaque nativitate est genitus: novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne: nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit, et fecundata per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. » Ac testes sunt [1]) Anselmus, et semel iterumque Ephraemus, qui nunc [a]) ait: « Tempore hyberno quo terra parere intermittit, virginitas parere didicit. December qui terrae conceptus cohibet, partum Virginis protulit. » Nunc autem [b]) exclamat: « Etiam atque etiam sit benedictus puer, qui viridis iuventae florem Adamo Evaeque revexit. Adfuere pudicae nurus: benedicte fructus, aiebant, ventris nostri fructibus benedicito: tales tibi primae parantur hostiae. Prophetarunt iugulatum iri natos suos, et primitiarum vice nato infanti mox offerendos. Venere simul nuptae steriles et infantem amplexantes: fructus benedicte, supplices orabant, fecunditatem praesta nuptis natus ex innupta, miserere sterilitatis nostrae, o admirabilis proles [2]) virginitatis. »

1533. Fieri autem non potest ut quae maiorum mentibus non aliter obiiciebatur ac ut *antonomastice virgo, virgo pulcra, virgo sancta, virgo sanctissima, ipsaque species et forma virginitatis;* eadem non omnibus praelata virginibus celebraretur. Et celebratur sane ab Hildelphonso [3]) qui ait: « Tu es enim benedicta inter mulieres. Tu praerogata cunctis virginum catervis. Tu sequeris agnum quocumque perrexerit. Tu virgineos choros et ab incentivis carnis illecebris alienos per albentia lilia rosasque vernantes, ad fontem perennis

a) De nativit. Domini serm. III. pag. 410. D. opp. syr. T. II.

هُدُا وَحَبِ كُنَ لَاوُحا حَفْنِا حَكُوكُمِا كُنَ هُوَ تَحْكُمُ تَحِبا . كُنَّ وَفَعَلَا
تَحْتَكُنَ وَاوُحا كُنَ هُوَ هُوَ تَحْتَا كَحَكُوكُمِا .

b) De nativit. Domini serm. V. pag. 419. A-B.

حَنَّمِ هُوَ حَقَّلَا وِسُمُا هُاوُمِ كُنَ لَمِكَكُمَ . لَمَّمِ لَصَقَّلَا قَاوُا حَنَّمَا كَنَّمِ
قَلَوِمِ . كُمِ تَحْمَوحَفُ لَمِ كُمُا قَاسِ هَلَاتَكَسَ لَا مَكْبِمَوِمِ . وَفِ هَدَهَلَكِ كُنَ
هَدَهَلَفِ لَمِ وَمُكُا . وَسَفِ لَحَنَّمِ لَا كُمُا مَكَتَ هَلَمَّمِ قَاوُا حَنَّمَا وِلَا
هَهُوُا كَنَّمِ حَقَّكِ مِ هَهُوُا . سَفِ كَمَنَّمِلِ مَحِبَا لَمَسُوا وَحَهُوحَلَا .

1) Hymn. II. pag. 308. col. 3. C.

2) Cuius tituli de Deipara usurpati novum habetur testimonium serm. VIII. pag. 423. B-C.

3) Orat. de Virginis assumpt. pag. 661. col 2. E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII.

Digitized by Google

vitae invitas. Tu in illa beatorum felicissima regione primi ordinis dignitatem adepta es. Tu concinentibus sine fine coniuncta choris, angelisque archangelisque sociata, indefessa voce, sanctus, sanctus, sanctus, clamitare non desinis.» Celebratur a Gregorio nysseno, cuius in prisca catena [1]) haec verba referuntur: «Papae, qualem paranymphus mundo ac intemerato connubio adhibet thalamum! Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te. O beatam carnem illam, quae excellenti puritate animae ad se bona attraxit. Nam in omnibus aliis vix pura anima Spiritus sancti praesentiam susceperit; heic autem caro efficitur Spiritus receptaculum.» Celebratur ab Athanasio, qui virginitate uti par erat laudata, cunctis mox virginibus Deiparam praeferens [a]) subdit: « Quanti aestimanda est gloria sanctae virginis ac divinae Mariae, quae Verbi mater secundum carnis ortum est et vocatur? Enimvero divinum hunc partum cum angelorum exercitus celebravit, tum mulier alta voce [2]) dixit: beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. Immo ipsa Dominipara et semper virgo Maria quum nosset id quod in se gestum erat, ait [3]): ex hinc beatam me dicent omnes generationes. Quod autem in Maria gestum est, id omnibus virginibus in gloriam vertit. Ipsae namque velut ex illa radice ceu virginei pendent rami. » Quare Ephraemus, hac [b]) praestituta nobilissima sententia, *fuit igitur Maria Patri arbor, Filio mater, hominibus fons spiritus aeterni, et incor-*

a) Ex comm. in Lucam pag. 43. D-E. apud Montfanconium in nov. pp. graec. collect. T. II. Πόσον ἄν τις εἴποι τὸ καύχημα τῆς ἁγίας παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, ὅτι μήτηρ τοῦ λόγου κατὰ τὴν γένεσιν τῆς σαρκὸς γέγονέ τε καὶ χρηματίζει; καὶ γὰρ τὸν θεῖον τόκον τοῦτον στρατιὰ μὲν ἀγγέλων ὕμνησε· γυνὴ δὲ τὴν φωνὴν ἐπάρασα ἔλεγε· μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας· καὶ αὐτὴ δὲ ἡ κυριοτόκος Μαρία καὶ ἀειπαρθένος, εἰδυῖα τὸ ἐν αὐτῇ γινόμενον ἔλεγεν· ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί· ὃ δὲ γέγονε τῇ Μαρίᾳ, τοῦτο πάσαις ταῖς παρθένοις εἰς εὐκλειάν ἐστιν· αὗται γὰρ ὡς ἀπὸ ῥίζης ἐκείνης λοιπὸν κλάδοι κρέμανται παρθενικοί.

b) Serm. inscriptus, Λόγος κατὰ αἱρετικῶν, ἐν ᾧ καὶ ἀπόδειξις ἐκ φανερῶν ὑποδειγμάτων του τε μαργαρίτου καὶ τῶν λοιπῶν συνάγουσα τὸ πιστόν· ὅτι δίχα τῶν φυσικῶν νόμων ἡ ἁγία θεοτόκος τὸν κύριον καὶ θεὸν ἡμῶν ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ κόσμου καὶ συνέλαβε καὶ ἐκύησε, pag. 275. D. opp. graec. T. II. Ἐγίνετο γοῦν ἡ Μαρία τῷ μὲν πατρὶ ἀνδρόγυνον, τῷ δὲ υἱῷ μήτηρ, τοῖς δὲ ἀνθρώποις πηγὴ πνεύματος αἰωνίου, καὶ ἀφθαρσίας ἀνατολή.

1) Apud Combefis. in biblioth. concionat. T.VI. pag. 326. col. 1. A-B.

2) Luc. XI. 27.

3) Luc. I. 48.

Digitized by Google

ruptionis oriens; mox [a]) pergit: « Verumtamen non ex superinducto semine Virgo peperit: absit; sed suam ipsius substantiam sine motu carnali commodavit, et non lapidibus ascia vel securi dolatis sapientia sibi domum aedificavit. Non est auditus ferri sonus in aedificio; neque enim vir in Maria ministravit, sed sola virgo. Politi per se ac iam dolati lapides erant, non ab hominibus praeparati: ita etiam in Maria assumptio non virili opera facta est, sed ex natura nostra delecta per venerandam Virginem. Sicut » terra sumpti sunt lapides; ita et assumptio aucta est per naturam, et divinitas mansit immaculata [1]) propter intaminatam naturam. Sola terra ministravit, sicut et sola Virgo concepit. »

1534. Cum his autem consertum est, haberi Deiparam oportere *Virginem singularem,* quo ipsam praeconio honestat [2]) Anselmus canens:

» Ave Virgo singularis,
» Placens aula virginalis,
» Cuius in templo Dominus,
» Et in caelo sedes eius.
» Ave regina virginum,
» Mater virgo post Filium,
» Cuius partus hereditas
» In laetis est praeclara.

Immo universa honestat Latinorum ecclesia, quae ex hymno [3]) Venantii Fortunati haec solemni usu frequentat:

» Virgo singularis,
» Inter omnes mitis,
» Nos culpis solutos,
» Mites fac et castos.

Consertum deinde est spectari aliter Deiparam non posse ac ut *virginum virginem,* cuius elogii ex iis argumentum petitur quae solemniter usurpata novimus, sive quum ipsa exoratur ceu *sancta virgo virginum,* sive quum [4]) salutatur his verbis, *nunc tibi virgo virginum, laudes ferimus carminum,* sive quum [5]) dicitur:

a) Ibid. pag. 276. C-F. Πλὴν ὅτι οὐκ ἐκ σπέρματος ἐπισαχθέντος ἡ παρθένος ἐγέννησε· μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν ἑαυτῆς οὐσίαν ἀκίνητον προίχρησε, καὶ ἡ σοφία δι' ἀλαξεύτων λίθων τὸν οἶκον ἑαυτῇ ᾠκοδόμησεν· οὐκ ἠκούσθη σιδήρου φωνὴ ἐν τῇ οἰκοδομῇ· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῆς Μαρίας ἀνὴρ ἐλειτούργησεν, ἀλλὰ μόνη παρθένος· αὐτοφυεῖς ἦσαν οἱ λίθοι ὑπ' ἀνθρώπων μὴ κατασκευασθέντες· οὕτω καὶ ἐν τῇ Μαρίᾳ, ἡ πρόσληψις αὐτογενὴς παρείληπται ἐκ τῆς φύσεως ἡμῶν ἐκλεγεῖσα διὰ παρθένου σεμνῆς· ὡς ἀπὸ τῆς γῆς ληφθέντες οἱ λίθοι, ηὐξήθη ἡ πρόσληψις διὰ τῆς φύσεως, καὶ ἡ θεότης ἀρίπωτος ἔμεινε διὰ τὴν φύσιν τὴν ἄχραντον· μόνη ἡ γῆ ἐλειτούργησεν, ὡς καὶ μόνη ἡ παρθένος συνείληφεν.

1) Debuit ergo natura Virginis esse intaminata, ut ex ea Deus Verbum citra dedecus incarnaretur. Fieri autem non potuit ut esset intaminata, et simul hereditaria labe vitiaretur.

2) In psalter. Deiparae P. I. pagg. 303-304.
3) Opp. P. I. lib. VIII. cap. V. pag. 265.
4) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 294.
5) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 132. Quare

Digitized by Google

» Virgo virginum praeclara
» Mihi iam non sis amara,
» Fac me tecum plangere:
» Fac ut portem Christi mortem,
» Passionis fac consortem,
» Et plagas recolere.

Tum ex iis quae tradit [a]) Origenes inquiens: « Existimo rationi consentaneum esse, virorum quidem puritati quae in castitate est, primitias fuisse Iesum; mulierum autem, Mariam. Impium enim est alii ac illi [1]) primitias virginitatis attribuere. » Hinc [b]) Ephraemi verba: « O Dei mater maior omni cogitatione atque eloquio. O Virgo omni virginitate sine controversia sublimior, per quam hominum natura quae iamdiu prolapsa longe a Deo recesserat, benignitatis inexplicabilis atque incomparabilis demissionis modo, cum beata ac divina natura copulata est. » Quid porro aliud sibi vult Deiparam esse *virginum virginem, virginitatis primitias, et omni virginitate sine comparatione sublimiorem*, quam ipsam esse *virginum reginam* [2]) *et virginitatis archetypum ac mundissimum exemplar?* Quarum sane appellationum nulla est quae eidem non tribuatur. Prior namque ipsi tribuitur [3]) his verbis:

» Tu parvi et magni
» Leonis et agni
» Salvatoris Christi
» Templum exstitisti,
» Sed Virgo intacta:
» Tu floris et roris,
» Panis et pastoris
» Virginum regina,
» Rosa sine spina
» Genitrix es facta.

Et rursum [4]) penes Anselmum:

a) In Matth. T. X. n. 17. pag. 403. B. opp. T. III. Οἶμαι λόγον ἔχειν, ἀνδρῶν μὲν καθαρότητος τὴν ἐν ἁγνείᾳ ἀπαρχὴν γεγονέναι τὸν Ἰησοῦν· γυναικῶν δὲ τὴν Μαριάμ· οὐ γὰρ εὔφημον ἄλλῃ παρ' ἐκείνην τὴν ἀπαρχὴν τῆς παρθενίας ἐπιγράφασθαι.

b) Orat. ad Deiparam, pag. 537. C-E. opp. graec. T. III. Ὦ θεοῦ μῆτερ ὑπὲρ πάντα καὶ νοῦν καὶ λόγον· ὦ παρθένε πάσης παρθενίας ἀσυγκρίτως ὑπερκειμένη, δι' ἧς ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις, ἡ πάλαι ἔκπτωτος καὶ μακρὰν ἀπῳκισμένη θεοῦ, λόγοις ἀφάτου φιλανθρωπίας καὶ ἀνεικάστου συγκαταβάσεως ἥνωτο τῇ μακαρίᾳ καὶ θείᾳ φύσει.

in corona b. Mariae cap. XIX. pag. 424. legimus: « O igitur sancta virgo virginum, sanctum et benedictum triclinium supernae maiestatis, quantis laudibus tenemur te laudare? » Quibus haec significandi virtute respondent ex cap. XVIII. pag. 423:

» Tu plena sapientia
» Cunctisque charismatibus,
» Virginum primiceria.
» Nos daemonum insultibus
» Tua nos serva potentia.

1) Tam series orationis, quam ipsum τῆς ἀναχῆς nomen demonstrant, Mariam cum Christo ita coniungi, ut illi secundum hunc ἀναχὴ τῆς παρθενίας *culmen fastigiumque virginitatis* deferatur.

2) Cui formulae expoliendae haec conducunt apud Mone T. II. pag. 409:

» Virgo gloriosa,
» Forma virginalis
» Exemplar virginum,
» Thronus specialis
» Regis omnium.

3) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 92.

4) In psalter. Deiparae pagg. 305-306.

Digitized by Google

» Ave regina virginum,
» Laetitia fidelium,
» Quae peperisti gaudium
» In lumine viventium.

» Ave regina virginum,
» Quae peperisti filium,
» Qui factus est redemptio
» A Patre missa populo.

De altera autem appellatione, ne superiora repetamus, digna haec sunt quae [1]) ex gregoriano Sacramentario memorentur: « Per Christum Dominum nostrum, pro cuius caritatis ardore istae et omnes sanctae virgines a beata Maria exemplum virginitatis accipientes, praesentis seculi voluptates ac delicias contempserunt. Quoniam tuo dono actum est, ut postquam Virgo [2]) de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis, et in quo fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas, antiquusque hostis qui per antiquam virginem genus humanum se vicisse gloriabatur, per sanctas nunc virgines sequaces potius Mariae quam Evae vincatur, et in eo maior confusio crescat, quod de eo etiam sexus fragilis triumphat. » Tum haec [3]) ex Missali gothico: « Deus, qui virgineum florem per Mariae [4]) uterum renovas, reddens nobis in matre virgine quod per incontinentem perditum fuerat matrem: quam sequentes sanctae virgines cum palma martyrii ad tuum usque thalamum pervenerunt. » Quibus similia respondent [5]) ex Missali Francorum atque [6]) ex vulgato Sophronio qui ad Lucae [7]) narrationem alludens scribit: « Ecce Iesu adscendente, cum quibus Virgo vacat in schola virtutum et meditatur in lege mandatorum Dei, ut et ipsa sit forma disciplinae Christi, et exemplum perfectionis virginibus. » Exemplum omnino

1) Apud Muratorium liturg. rom. Tom. II. pagg. 349-350.

2) Insignis est haec coniunctio, qua cum Deipara Christus antonomastica *virginis* appellatione sociatur.

3) Loc. cit. pag. 550. D.

4) Quem uterum Iohannes damascenus hymno in s. Iohannem Chrysostomum Ode α'. pag. 719. apud Mai in spicileg. rom. T. IX. dicit ἄχραντον, *immaculatum*, et hymno in s. Georgium Ode η'. pag. 733. πανάγνον, *undequaque purum*; Sophronius vero hymno in Deiparae annuntiat. v. 98. pag. 52. ibid. T. IV. vocat ἄριστον *optimum*. De eodem sic habet Maximus taurinensis hom. VIII. de nat. Domini apud Mabillonium in Museo italic. T. I. P. II. pag. 23. « Concepit Virgo virilis ignara consortii, impletur uterus nullo libatus amplexu, et Spiritum sanctum castus venter excepit, quem pura membra servarunt, innocens corpus gessit. » Et hom. XII. de corpore Domini pag. 31. « Videamus ergo de Domini corpore postquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia, vir iustus, et in novo suo sepelivit monimento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi quod cum nascitur, utero Virginis gignitur; cum recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum plane corpus quod virginitas reperit, et iustitia custodivit. Custodivit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut servavit illud Mariae uterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non laeditur. Ubique beato corpori defertur sanctitas, ubique virginitas: novus illud venter concipit, novus tumulus includit. Domini caro virgo, et virgo vulva, et virgo est sepultura. »

5) Apud Muratorium liturg. rom. Tom. II. pagg. 675-701.

6) Orat. de Virginis assumpt. pag. 653. A-B. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VII.

7) Actt. I. 13. seqq.

Digitized by Google

fulgentissimum, ab ipsis primordiis nitens, et de quo Iosephus [a]) merito scripserit: « Inclytus Ioachim tamquam sol cum Anna ceu luna coniunctus gignit [1]) virginitatis radium, per quam splendor divinitatis effulsit. »

1535. Ex his autem alterum sponte sua ornamentum dependet, quo Deipara II reliquis secreta virginibus digna plane est quae *sola Virgo* salutetur. Et sola Virgo reipsa salutatur ab antiquo auctore [2]) sermonis in festo sanctae Agnetis virginis et martyris, qui virginitate eximiis laudibus celebrata [3]), pergit: « Haec dicentes non vituperamus coniugum casta commercia, sed virginum perseverantiam adornamus; non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis praeferenda. Quae enim mundis mundior et sanctis sanctior est, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque sancta coniugia patriarcharum coniuges in religione positae ac divinis litteris informatae, Saram, Rebeccam, Annam, Susannam, Sephoram imitentur uxores: Christi vero virgines *solam Virginem matrem virginis luminis* subsequantur. » Cuius encomii testis succedit [4]) Anselmus inquiens: « O gloriosa Dei genitrix, mater misericordiae virgo semper Maria, quae Dominum omnium meruisti portare, et regem angelorum [5]) sola Virgo lactare, adiuva me in die tribulationis meae, ut tuis fultus patrociniis ad regna caelestia merear pervenire. » Consonat [b]) Iohannes damasce-

a) Men. die XXV. Iulii Ode γ'. pag. 124. col. 1. D. Ἥλιος ἄστρῳ τῇ σελήνῃ τῇ Ἄννᾳ ἑνούμενος ὁ κλεινὸς Ἰωακείμ, τῆς παρθενίας ἀκτῖνα γεννᾷ, δι' ἧς τῆς θεότητος αὐγὴ ἐπέλαμψεν.

b) Orat. II. in Deiparae dormit. §. II. pag. 869. B. Σήμερον ἡ ὁσία καὶ μόνη παρθένος τῷ ὑπερκοσμίῳ καὶ οὐρανίῳ τεμένει προσάγεται, ἡ τοσοῦτον τὴν παρθενίαν σοφήσασα, ὡς ὑπ' αὐτῆς οἷά τινος καθαρωτάτου ποιωθῆναι πυρός.

1) Cuiusmodi igitur fuit in ipso conceptu Deipara? Fuit tamquam *radius virginitatis*. Nemo autem dixerit virginitatis radium naevis infici, maculisque sordescere. Auctore igitur Iosepho, conceptus Deiparae innoxius fuit, nullaque labe maculatus.

2) De hoc sermone qui est XLVIII. in app. ad T. II. opp. s. Ambrosii sic habent pag. 456. maurini editores: « Hunc sermonem hactenus ineditum e tribus mss. praelo commisimus, nimirum vallicla-rensi, remigiano atque regio, in quibus omnibus Ambrosium nostrum praefert auctorem. Tametsi autem persuasum habeamus sancti doctoris foetum non esse, elegantior tamen nobis visa est eadem opella, quam ut a tineis non vindicetur. » Sic illi, et ut opinor, parcius ac esset in votis.

3) Serm. cit. n. 3. pag. 456. A-B.

4) Orat. XXXVI. pag. 270. col. 1. D.

5) In tertia psalterii parte pag. 307. col. 2. A. utitur Anselmus nomine abstracto, et Deiparam vocat *solam virginitatem*. Eamdem formulam adhibet Maximus taurinensis serm. IX. de pascha apud Muratorium anecdott. T. IV. pag. 21. In synodalibus autem ecclesiae avenionensis statutis a Martenio editis in thes. anecdott. T. IV. pag. 557. legimus: « Monente igitur et hortante nos dulcius veneranda semper et colenda memoria *unicae Virginis*. »

Digitized by Google

nus his verbis: « Hodie sancta solaque Virgo mundo sublimiori caelestique templo offertur, quae virginitatem eo studio coluit, ut in eius tamquam purissimi cuiusdam ignis formam transierit. » Alloquens vero [a]) Ioachimum et Annam scribit: « Casta enim et sancta conversatione vestra virginitatis monile protulistis, eam quae ante partum virgo foret atque in partu virgo, nec non virgo post partum; illam, inquam, quae sola semper tum mente tum animo tum etiam corpore virgo futura esset. » Hinc receptus [b]) in Graecorum ecclesia hymnus: « O sola [1]) Virgo, quae agnum et Dominum carne genuisti, o immaculata veneranda, divina arca, lucerna augusta animam meam illumina. »

1536. Nihil autem cum hisce omnibus videri coniunctius potest, quam Deiparam *novam* esse *virginem*, eaque puritate insignem propter quam ab Eva transgressionis rea funditus separata, cum eadem virgine adhuc innoxia, tamquam *secunda virgo*, *virginalis terra*, *virginalis paradisus*, *et virginitate praedita illi respondens qua nitet Christus, ipsaque splendet augusta Trinitas*, penitissime copuletur. Et Deipara sane quae universim uti [2]) *opus novum* depingitur, quaeque speciatim [3]) uti *flos novus*, *novus paradisus*, *nova*

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. V. pag. 844. C-D. *Σωφρόνως γὰρ καὶ ὁσίως πολιτευσάμενοι, τὸ τῆς παρθενίας χειμήλιον προσηγάγετε, τὴν πρὸ τόκου παρθένον καὶ ἐν τῷ τίκτειν παρθένον καὶ μετὰ τόκον παρθένον, τὴν μόνην καὶ νῷ καὶ ψυχῇ καὶ σώματι ἀειπαρθενεύουσαν.*

b) *Iosephus* in Men. die IV. Novembris Ode ε'. pag. 28. col. 1. A. *Ἡ τὸν ἀμνὸν καὶ κύριον κυήσασα σαρκὶ, παρθένε μόνη, ἀμόλυντε σεμνὴ, θεία κιβωτὲ, σεσωσὴ λυχνία, τὴν ψυχήν μου καταύγασον.*

1) Similia Iohannis damasceni et Theophanis suffragia, quibus Deipara *μόνη παρθένος*, *sola virgo*, aut *παρθενίας μόνη τὸ καθαρὸν τίμιον*, *sola purum virginitatis delubrum* nuncupatur, occurrunt in Men. die VII. Novembris Ode ζ. pag. 50. col. 1. B., et die XXIV. Aprilis Ode γ'. pag. 103. col. 2. B-C.

2) Opportune Andreas cretensis orat. de Virginis nativit. pag. 94. E. apud Gallandium T. XIII. *Σήμερον τοῦ παντοκτίστου τὸ κτιστὸν ᾠκοδόμηται τέμενος· καὶ τὸ κτίσμα τὸ κτίστῃ θεῖον ἐναύλισμα καινοπρεπῶς ἑτοιμάζεται. Hodie omnium creatoris creatum delubrum extructum est, et creatura nova decentique ratione divinum creatori paratur hospitium.* Neque ad rem minus Iohannes Geometra, qui hymno V. v. 14. pag. 444. C. Deiparam vocat:

Νεόκτιστον, νεοκόσμητον, νεοθέατον, νεοπλάστην.

Novum caelum, *novum mundum*, *templi aedificatricem*, *novam creaturam*.

3) Venantius Fortunatus hymno in Deiparam pag. 284. C. opp. P. I. lib. VIII. cap. VI.

» Inde rubore rosas, candore hinc lilia vincens,
» Flos novus e terra, quem polus arce colat.

Petrus Damiani in Deiparae assumpt. pag. 9. col. 2. A. opp. T. IV.

» Gaudium mundi, nova stella caeli
» Procreans solem, pariens parentem,
» Da manus lapsis, fer opem caducis,
» Virgo Maria.

Ibidem pag. 11. col. 1. B.

» Tu nova maris stella, » Scala quae caelum terris,
» Celsa poli fenestra, » Iungis ima supernis.

Et pag. 12. col. 2. A.

» Tu nova stella maris, qua lux est reddita terris,
» Ortus et es solis, tu nova stella maris.

Digitized by Google

stella, novumque caelum perhibetur; *nova* pariter *virgo* his verbis [1]) a Sedulio celebratur:

» Sic Evae de stirpe sacra veniente Maria,
» Virginis antiquae facinus nova virgo piaret.

Hinc nil mirum si *nova Eva*, si *secunda virgo* atque *secunda Eva* nuncupetur. Et Deiparam quidem novam Evam dicunt [2]) Pseudo-Augustinus, vulgatus Athanasius [3]) et hierosolymitanus Chrysippus, qui [4]) satanam his conquerentem verbis repraesentat: « Antiqua Eva me in altum erexit, sed me nova deiecit. » De titulo secundae virginis illustria haec sunt quae Aratori sanctae romanae ecclesiae subdiacono [4]) in acceptis referimus:

» Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis,
» A nato formata suo, mala criminis Evae
» Virgo secunda fugat; nulla est iniuria sexus,
» Restituit quod prima tulit: non voce querelas
» Excitat, aut gemitus moerentia corda fatigat
» Antiqua pro lege dolor: scelera ipsa nefasque
» Hac potius mercede placent, mundoque redempto
» Sors melior de clade venit: persona ruinam,
» Non natura dedit: tunc femina feta periclum,
» Non timuit paritura Deum, mortalia gignens
» Et divina ferens; per quam mediator in orbem
» Prodiit, et veram portavit ad aethera carnem.

Neque haec minus illustria sunt quae de appellatione secundae Evae Theodotus ancyranus [b]) testatur inquiens: « Qui enim antiquam il-

a) Orat. de laudibus Virginis pag. 428. C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἡ Εὔα ἡ πάλαι με ἀνύ-ψωσε, ἡ νέα κατέβαλεν.

b) Orat. in Deiparam et in Symeon. n. 5. pag. 461. D. apud Gallandium T. IX. Ὁ γὰρ δημιουργήσας τὴν πάλαι παρθένον ἀνυβρίστως, αὐτὸς καὶ τὴν εἰς δεύτερον ἐτεκτήνατο ἀναμαίμως.

De titulis autem *novi caeli, novique paradisi* egregia tradunt Iosephus et Theophanes in Men. die XXII. Novemb. Ode θ'. pag. 168. col. 1. B., die VII. Septembris Ode θ'. pag. 53. col. 2. B. et die XI. Septembris Ode θ'. pag. 83. col. 2. B.

1) Carm. pasch. lib. II. vv. 30-31. pag. 543. A. apud Gallandium T. IX.

2) De temp. serm. XV. al. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 3. p. 156. A. inter opp. Augustini T. V.

3) Orat. in Deiparae annuntiat. n. 14. pag. 400. inter opp. Athanasii T. III. Cf. Petavium de incarnat. lib. XIV. cap. IX.

4) Hist. apostolic. lib. I. vv. 67-69. pag. 95. apud Gallandium T. XII. Cum quibus haec conferenda sunt ex Alani magni encyclopedia cap. IX.

» Crimina matris
» Ista luit, matremque facit sua nata renasci
» Ut sic munda ream, corruptam virgo, pudica
» Effrontem, miseram felix, humiliaque superbam
» Abluat, et vitae pariat sua filia matrem.

lam virginem *(Evam)* sine probro condidit, ipse et secundam *(Evam)* sine nota atque crimine molitus est. »

1537. Et iure meritoque Deipara secunda virgo et secunda Eva censetur, quippe cum priore tam dissimilitudine quam similitudine cohaerens. Dissimilitudine quidem, ut his verbis [1]) Tertullianus declarat: « In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In virginem aeque introducendum erat verbum exstructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. » Similitudine vero, ut ex his colligitur [a]) quae Iohannes damascenus scribit: « Salve immaculata, sola Deo ad inhabitandum pervia: salve Dei mater, sola filii sui ancilla, beata virginitate ad pristinam in paradiso incorruptionem reversa. »

1538. E qua similitudine multiplex eademque insignis repeti comparatio debet ad illustrandam Deiparae virginitatem accommodatissima. Huc enim perspicue facit comparatio *cum terra virgine*, cuius praeter [2]) Tertullianum, diserte meminit [b]) Ephraemus inquiens: « Adam mulieri laborum et dolorum caussa fuit, matri damnum compensavit filia virgo, quo ipsi peperit salvatorem; Evam genitricem genuit ingenitus vir, quanto credibilius videatur filiam Evae citra viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum peperit protoplastum, terrae dominum, caeli dominum Adamum hodie virgo parit. » Meminerunt pariter [3]) Cyrillus alexandrinus, et prisci auctores sermonum qui [4]) Ambrosio, Augustino [5]) et Atha-

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 850. D-E. *Χαῖρε ἀμόλυντε, ἡ μόνη Θεῷ εἰς ἐνοίκησιν εὐπρόσιτος· χαῖρε Θεοῦ μήτηρ, ἡ μόνη τοῦ ἰδίου υἱοῦ δούλη, τῆς μακαρίας παρθενίας εἰς τὴν πρὶν ἐν παραδείσῳ ἀναδραμούσης ἀφθαρσίαν.*

b) Serm. I. de nativit. Domini pagg. 396. E. et 397. A. opp. syr. T. II.

ܐܳܕܳܡ ܐܰܪܡܺܝ ܗܘܳܐ ܚܽܘܒܳܠܳܐ ܥܰܠ ܐܰܢ̈ܬܬܳܐ ܕܢܶܦܩܰܬ ܡܶܢܶܗ ܝܰܘܡܳܢܳܐ ܦܪܰܥܬܶܗ ܚܽܘܒܠܳܗ̇ ܕܝܶܠܕܰܬ
ܠܳܗ̇ ܗ̇ܘ ܦܳܪܽܘܩܳܐ. ܚܰܘܳܐ ܐܰܘܠܶܕܬ̇ܳܐ ܐܰܘܠܕܳܗ̇ ܓܰܒܪܳܐ ܕܒܳܥܠܡܳܐ ܠܳܐ ܝܺܠܺܝܕ ܟܡܳܐ ܠܡܰܗܝܡܳܢܽܘ ܒܪܰܬ
ܚܰܘܳܐ ܕܠܳܐ ܓܰܒܪܳܐ ܝܳܠܕܳܐ ܝܶܠܕܰܬ. ܐܰܪܥܳܐ ܒܬܽܘܠܬܳܐ ܝܶܠܕܰܬ ܗܘܳܬ ܠܗܰܘ ܐܳܕܳܡ ܪܺܫܳܐ ܕܐܰܪܥܳܐ
ܒܬܽܘܠܬܳܐ ܝܶܠܕܰܬ ܠܐܳܕܳܡ ܪܺܫܳܐ ܕܫܡܰܝܳܐ.

1) De carne Christi cap. XVII. pag. 321. A. De eadem dissimilitudine scite disserit Eusebius alexandrinus serm. XI. *περὶ τοῦ βαπτίσματος*, pag. 681. apud Mai in spicileg. rom. T. IX.

2) Adver. Iudaeos cap. XIII. pag. 199. A.

3) De incarnat. Domini cap. XXIII. pag. 62. A-C. apud Mai in nov. pp. biblioth. T. II.

4) Serm. XLV. de primo Adamo et secundo n. 1. pagg. 449-450. inter opp. Ambrosii T. II.

5) Serm. IX. de temp. al. CXIX. in nat. Domini III. n. 1. pag. 153. et serm. XV. al. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 3. p. 158. inter opp. Augustini T. V.

Digitized by Google

nasio inscribuntur, penes quem ultimum [a]) legimus: « Ex Virgine nascitur, ut primum hominem Adamum ex limo virginis terrae formatum reformet. » Ac denuo meminerunt Andreas cretensis et Amedeus lausannensis, e quibus ille [b]) exclamat: « Ave sancta virginalis terra, e qua novus ille Adam ineffabili divino opere factus est, ut veterem repararet. » Alter vero [1]) disserens de verbis [2]) psalmi, *descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram*, explanato priore inciso, pergit: « Porro praefata terra eamdem Virginem demonstrat terrae nomine appellatam, propter quamdam similitudinem. Sicut enim [3]) vetus Adam de terra incorrupta nullumque passa contagium formatus est, sic terris terra virgo novum Adam procreavit. » Neque ullatenus haec premi silentio debent quae [c]) Proclo constantinopolitano in acceptis referimus: « En Christus qui ante secula ex Patre Deus ipse ratione divina natus est, hodie de Virgine partu eidem consentaneo nascitur. In caelo e Patre prodiit quin a Patre divideretur, in terris e Virgine prodit immaculata, quin haec ullam subeat virginitatis iacturam. In caelis sine matre, in terris sine patre. Ipse namque Spiritus sanctus vivens Verbi templum effinxit. O admirabile divinae oeconomiae sacramentum! Natura terrestris caelis adaequatur. O Virgo fecunda quae caelitus concepisti! O mater salutem gestans humani generis! O venter de terra

a) Serm. in descript. Deiparae n. 2. pag. 405. inter opp. Athanasii T. II. Ἐκ παρθένου τέτευται, ἵνα τὸν ἐκ παρθένου γῆς χοπλαστηθέντα πρωτόπλαστον Ἀδὰμ διορθώσηται.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 102. D. apud Gallandium T. XIII. Χαίροις γῆ ἁγία παρθενικὴ, ἐξ ἧς ὁ υἱὸς Ἀδὰμ ἀῤῥήτῳ θεοπλαστίᾳ ἐχρημάτισε, ἵνα τὸν παλαιὸν ἀνασώσηται.

c) Orat. in commemorat. s. Stephani protomartyris et de sacram. oeconomiae ac Deiparae nativit. ex cod. syro-chaldaic. vatic. n. CCCLVIII.

.... محسما بهه وهج هبم ثقفا مح آكا امب وْقالا لالحدوا للمكم : هه ثمهُمُنا
مح حهُكُما مبْحنُنائمه .... حتلا وْلا قهُمُف حمر آحا : لكمسه ولا سكُسلا مح
حهُكُما هلَن قح سهنْما . حتلا وْلا آهُما : لكمسه ولا آكا ... وهُنا وْمب قْبعا
لحهُطلا هُسنُنائمه ثحلا هه١ ... وْآزا وْمب وْمبْحنُنائلا لكهُمُما لهْنُنا هه١ هُب كعفُنا
صعفُنا . ٥ه حفْنحُا حهُكُنا وهج هفُنا وْمس . ٥ه لحهُحبْا آحُا وهُوفُنا . ٥ه
فنهُا وْلهْنُنا ةِسئُنا وْلِحُلا . ٥ه سكُلا وهُمهنُلا وْسهنْمه وهُكُسا . ٥ه وْآزا هةَ
وْآنه لا هُرا آنا لهكهُفُه .

1) Hom. III. de laudibus Virginis pag. 1267. col. 1. B-C. in max. pp. biblioth. T. XX.

2) Ps. LXXI. 6.

3) Videsis eamdem comparationem repetitam in veteri catena apud Combefisium pag. 177. col. 1. A-C. biblioth. concionat. T. VI.

Digitized by Google

formatus, idemque paradisus creatoris! O partus quo peccatum mundi detersum est ac abolitum! O mysterium cuius profunditatem atque altitudinem edicere nequeo! » Eodem comparatio facit *cum paradiso virginali*, cuius locuples est auctor Dionysius alexandrinus [a]) de Virgine scribens: « Haec est quam Isaac praevidens dicebat [1]) Iacobo: det tibi Dominus benedictionem caeli desuper, et benedictionem terrae habentis omnia. Qui enim e caelo descendit unigenitus Deus Verbum, gestatus est in utero et genitus ex paradiso virginali habente omnia. » Locuples item auctor est Proclus constantinopolitanus qui [b]) Iosepho anxio atque sollicito ait: « Latebat eum ex virginali rursus paradiso intemeratis Domini manibus fingi secundum Adam. » Locupletissimus vero testis est Theodotus ancyranus, qui homilia [2]) habita in die nativitatis salvatoris nostri Iesu Christi, et in ephesina synodo lecta [c]) exclamat: « O terram non satam, quae [3]) fructum germinavit salutarem! O virginem, quae ipsum vicit deliciarum paradisum! Ille nempe genus sativarum stirpium protulit, ex virgine terra exortis plantis: haec autem Virgo

a) Respons. ad quaest. X. Pauli samosat. pag. 278. B-C. Αὕτη γάρ ἐστιν, ἣν προορῶν ὁ Ἰσαὰκ ἔλεγε τῷ Ἰακώβ· δώσει σοι κύριος εὐλογίαν οὐρανοῦ ἄνωθεν, καὶ εὐλογίαν γῆς ἐχούσης τὰ πάντα· ὁ γὰρ ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς μονογενὴς θεὸς λόγος ἐγεννήθη κυοφορηθεὶς ἐκ παρθενικοῦ παραδείσου ἔχοντος τὰ πάντα.

b) Orat. VI. de Virginis laudibus §. VIII. pag. 637. A. apud Gallandium Tom: IX. Οὐκ ἐγίνωσκεν, ὅτι ταῖς ἀχράντοις τοῦ δεσπότου χερσὶν ἐκ τοῦ παρθενικοῦ πάλιν πλάττεται παραδείσου ὁ δεύτερος Ἀδάμ.

c) Concil. T. V. pag. 185. B-D. Ὦ γῆς ἀσπόρου, καρπὸν βλαστησάσης σωτήριον· ὦ παρθένος, αὐτὸν νικήσασα τῆς Ἐδὲμ τὸν παράδεισον· ἐκεῖνος μὲν γὰρ μοσχευτῶν φυτῶν γένος ἀνέτειλεν, ἐκ παρθενίου γῆς ἀνατειλάντων φυτῶν, ἡ δὲ παρθένος αὕτη κρείττων ἐκείνης τῆς γῆς· οὐ γὰρ ὀπώρας ἀνέτειλε δένδρα, ἀλλὰ τὸν ῥάβδον Ἰσσαὶ, καρπὸν σωτήριον τοῖς ἀνθρώποις παρέχουσαν κἀκείνη ἡ γῆ παρθένος ἦν, καὶ αὕτη παρθένος· ἀλλ' ἐκεῖ μὲν φῦναι δένδρα προσέταξεν ὁ θεός· ταύτης δὲ τῆς παρθένου αὐτὸς δημιουργὸς κατὰ σάρκα γέγονε βλάστημα· οὐδὲ ἐκείνη μόσχευμα πρὸ τῶν δένδρων ἐδέξατο, οὐδὲ αὕτη ἐκ τοῦ τόκου τὴν παρθενίαν ἀδίκησεν· ἡ παρθένος τοῦ παραδείσου ἐνδοξοτέρα γεγένηται· ὁ μὲν γὰρ θεοῦ γεώργιον γέγονεν, ἡ δὲ κατὰ τὴν σάρκα τὸν θεὸν αὐτὸν ἐγεώργησεν, ἑλόμενον ἀνθρώπου συναφθῆναι τῇ φύσει.

1) Gen. XXVII. 28.

2) Cui vetus interpres hunc titulum praeposuit: « Theodoti episcopi Ancyrorum sermo dictus die nativitatis salvatoris nostri et Dei Christi Iesu in partu virgineo: et quia Deus est, qui natus est: homo factus miraculo, et non mutatione substantiae: et quia unus et idem est, et illud et istud dictus, et neque opinione neque cogitationibus dividendus. »

3) In hoc testimonio, quemadmodum et in aliis passim geminis duo secerni accurate debent: alterum quod *significatur* quodque princeps obiectum merito dicitur, neque ab omnimoda Deiparae virginitate diversum est: et alterum quod etsi dumtaxat *adsignificetur* et obliquum sit atque incidens, non minus tamen emineat atque Deiparam cuiusvis exsortem labis patefacit.

Digitized by Google

melior est illa terra. Non enim pomorum protulit arbores, sed virgam Iessae fructum salutarem hominibus afferentem: et illa terra virgo erat, et ista virgo; sed ibi quidem arbores nasci praecepit Deus, huius autem Virginis ipse creator factus est germen. Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit, neque haec ex partu virginitatem laesit. Virgo paradiso gloriosior facta est. Ille enim Dei cultura factus est, haec autem secundum carnem Deum ipsum excoluit, ubi voluit hominis copulari naturae. »

1539. Reliquae sunt duae comparationes eo usque splendidae ut iubar prorsus omne superare videantur. Et prior quidem [1]) in Missali mozarabico his verbis proponitur: « Dignum et iustum est, nos tibi semper laudes et gratias agere, Domine sancte Pater aeterne omnipotens Deus, per Dominum nostrum Iesum Christum unigenitum filium tuum, cuius munere postquam *virgo de virgine* prodiit, sexus fragilis fit virilis, fragilis efficitur fortis. Ut in quo fuit peccandi facilitas, in eo sit vincendi felicitas, et sumat coronam quae meruit poenam, sumat nempe in progenie quod perdidit in radice, ut captiva serpentis conterat nunc serpentem. Et nunc victrix triumphet quae dudum victa succubuit, dum sexum imbecillem inimicus non superat bellicosus.» Proponitur a Petro Damiani [2]) qui Praecursorem sic affatur: « Tibi datum est, quod omnibus est negatum, baptizare eum qui baptizat in Spiritu sancto et igne, *virginemque Virginis filium* virgineis manibus irrorare. » Proponitur ab Hieronymo, qui [3]) hoc praestituto discrimine, *prima est virginitas a nativitate, secunda virginitas a secunda nativitate*, mox [4]) subdit: « Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater et virgo. Hortus [5]) conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluvius manat [6]) iuxta Ioel, qui irrigat torrentem [7]) vel funium vel spinarum: funium peccatorum quibus ante alligebantur, spinarum quae suffocabant sementem patrisfamilias. Haec est [8]) porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa et lucida et operiens in se,

1) Miss. mozar. p. 440. col. 1. A-B. Et paullo post de Christo subditur: « Ille quippe et virginitatis collator, et virginum remunerator est. Qui *virgo* de Maria *semper virgine* natus, et virginum integritatem remunerat, et corruptorum vulnera crucis suae vulnere sanat. »

2) Serm. XXIII. in nativit. s. Ioh. Baptistae pag. 50. col. 2. C. opp. T. II.

3) Epist. XLVIII. al. L. seu liber apologeticus ad Pammachium pro libris con. Iovinianum, n. 20. pag. 231. A. opp. T. I.

4) Ibid. n. 21. pag. 231. B-D.

5) Cant. IV. 12.

6) Ioel. III. 18.

7) Primum hebraei textus est, שִׁטִּים: alterum alexandrinorum interpretum, σχοινῶν.

8) Ezech. XLIII. 44-46.

Digitized by Google

vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam sol iustitiae et pontifex noster secundum ordinem Melchisedec ingreditur et egreditur. » Et paullo [1]) infra: « Igitur ut dicere coeperamus, Christus virgo, virgo Maria utrique sexui virginitatis dedicavere principia. » Neque huc ea immerito revocantur quibus [a]) Eusebius alexandrinus de caussis disserens dominicae incarnationis ait: « Cur autem proprie factus sit homo ac diabolum vicerit, audi quae dicam. Quia diabolus dolosis per mulierem verbis deceperat primum hominem Adamum in paradiso degentem, idcirco sibi habitaculum Dominus in virgine delegit, et in ipsa incarnatus, atque eo quo voluit modo natus est, ut inprimis Evam maledictione liberaret, cunctumque mulierum genus crimine illo expediret. Nisi enim de virgine natus fuisset, actum erat de sexu muliebri. Postquam autem de virgine Dominus ortus est, iam Persae quoque qui antea matribus miscebantur, nunc servant virginitatem: puellae humiles puerique adolescentes in aetatis fervore concupiscentiae vim domant. Tunc enim valida evasit virginitas, quum intemerata rosa Christus Iesus processit de virgine. » A quibus haec minime abludunt [2]) ecclesiae usu solemnia:

» Qui Verbum caro factus est
» Praeconio angelico,
» De claustris virginalibus
» Virginis [3]) virgo natus est.

1540. De altera postremaque comparatione principio animad-

a) Serm. de incarnat. Domini pagg. 22-23. apud Mai in spicileg. rom. T. IX. Διὰ τί δὲ γέγονεν ἄνθρωπος καὶ ἐνίκησεν τὸν διάβολον, ἄκουσον καὶ ἐρῶ σοι· ἐπειδὴ τὸν πρῶτον ἄνθρωπον τὸν Ἀδὰμ δολεροῖς ῥήμασιν ἠπάτησεν ὁ διάβολος ὄντα ἐν τῷ παραδείσῳ διὰ τῆς γυναικὸς, διὰ τοῦτο ὁ κύριος πρῶτον ἐνῴκησεν ἐν τῇ παρθένῳ, καὶ ἐσαρκώθη ἐξ αὐτῆς καὶ προῆλθεν ὡς ἠθέλησεν, ἵνα πρῶτον τὴν Εὔαν ἐκ τῆς κατάρας ἐλευθερώσῃ, καὶ πᾶν τῶν γυναικῶν γένος λύσῃ τοῦ ἐγκλήματος· εἰ μὴ γὰρ οὗτος ἐκ τῆς παρθένου ἐγεννήθη, ἀπεγνωσμένον ἦν τὸ τῶν γυναικῶν γένος· ὅτε δὲ ἐγεννήθη ὁ κύριος ἐκ τῆς παρθένου, λοιπὸν καὶ Πέρσαι οἱ τὸ πρὶν μητέρας γαμοῦντες, τὴν παρθενίαν φυλάττουσιν· κόραι εὐτελεῖς καὶ παῖδες νέοι, ἐν θερμῇ ἡλικίᾳ ὑπάρχοντες, τὸν καύσωνα τῆς ἐπιθυμίας καταπατοῦσιν· καὶ τότε γὰρ ἰσχυρὰ γέγονεν ἡ παρθενία, ἐξ ὅτε τὸ ἀμάραντον ῥόδον Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ τῆς παρθένου προῆλθεν.

1) Loc. cit. n. 21. pag. 231. D-E.

2) Hymn. de nativit. Domini in thesaur. hymnolog. T. I. pag. 21., ubi Daniel haec monet: « Descripsi carmen ex hymnario Thomasii, quem id merito in Ambrosianorum catalogo recensuisse, suo loco evincam. »

3) Quid, amabo, frigidius, si *virginis* appellatio ad unam corporis incorruptionem revocaretur? Huc rediret subiecta verbis potestas: infantem Iesum natum esse nulla maculatum corporis labe. Quasi vero non omnes omnino infantes hoc pacto *virgines nascerentur*.

Digitized by Google

verto, ab Iohanne Geometra [a]) παρθενικὴν τριάδα, *virgineam* laudari *Trinitatem;* tum haec subiungo quae habet [1]) Anselmus:

» Ave mater ex qua Deus
» Illuxit Dei filius,
» Conceptus sancto Spiritu,
» Et resurgens ex obitu.

» Ave mater per quam via
» Immaculata patuit,
» Qui a Deo flore
» Virginitas effloruit.

Addo quae eodem spectantia canit [2]) Ambrosius:

» Quem Pater ante tempora
» Deus Deumque genuit,

» Matris almae virginitas
» Cum tempore partum edidit.

Quibus illustrandis mirum quantopere haec conferant ex prisco sermone qui [3]) eidem Ambrosio tribui consuevit: « Videamus igitur hic sol noster novus quo fonte nascatur. Sicut est verum, Deo oritur auctore: divinitatis ergo est filius, divinitatis inquam incorruptae, integrae, illibatae. Intelligo plane mysterium; ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata: ut cui prior nativitas gloriosa exstitit, eius secunda contumeliosa non fieret: hoc est, ut quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita eum et virgo Maria generaret. » Neque haec minus conferunt [b]) ex sermone qui Chrysostomi nomine decoratur: « Vere namque ex Deo Deus natus est, vere ex virgine homo Deus cum hominibus natus est. Superne unus ex uno unigenitus; in terra unus ex una unigenitus. Dicere ausim, nec dicendo aberrabo, etiam sursum virginem naturam genuisse: pura [4]) namque et incorrupta est deitatis substantia; et in terra virginem incorruptam peperisse incorruptum. » Nihil propterea mirum quod Latini [5]) canerent:

a) Hymn. IV. in Deiparam vv. 31-32. pag. 442. D.

Χαῖρε κόρη συνέχουσα καὶ ἀνδράσιν εὖτ' ἐθέλουσι
Παρθενίην ζώνην παρθενικῇ τριάδι.

b) Serm. con. haeret. et in s. Deiparam n. 1. pag. 238. D-E. inter opp. Chrysostomi T. VIII. Ἀληθῶς γὰρ ἐκ θεοῦ θεὸς ἐγεννήθη, ἀληθῶς ἐκ τῆς παρθένου ἄνθρωπος ὁ θεὸς μετ' ἀνθρώπων ἐτέχθη· ἄνω μόνος ἐκ μόνου μονογενὴς, καὶ κάτω μόνος ἐκ μόνης μονογενοῦς· τολμῶ γὰρ εἰπεῖν, ὅπερ λέγω, οὐ σφάλλομαι· ὅτι καὶ ἄνω παρθένος ἐγέννησε φύσις· καθαρὰ γὰρ ἐστὶ καὶ ἄφθορος ἡ τῆς θεότητος οὐσία· καὶ κάτω παρθένος ἔτεκεν ἄφθορος ἄφθορον.

1) Psalter. P. III. pag. 306. col. 2. C-D.
2) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 21.
3) Serm. VI. idemque de nativ. Domini IV. n. 7. pag. 309. inter opp. Ambrosii T. II.
4) Habes ad vivum expressam perfectae virginitatis *ideam*, quae labes omnes omnesque naevos repellit.
5) Apud Mone T. II. pag. 196.

Digitized by Google

» Gaude templum deitatis
» Et origo bonitatis,
» Per te pax est confirmata
» Et ruina restaurata
» Ex Eva progrediens.
» Gaude virgo *primitiva*
» Mihi semper optativa,
» Tuus timor dulcissimus
» Et vere suavissimus,
» Totaliter te diligo.

Et nihil mirum quod Syri [a]) non iacobitae minus quam catholici, praecunte Iacobo sarugensi, Deiparam his omnino verbis adprecentur: « Adesto pacifera, o splendida inter mulieres, tecum pax sit o velum super creaturas expansum. Adesto pacifera o innocentia quae numquam fuit laesa, tecum pax sit o Eva quae Emmanuelem peperisti. » Itaque non quaevis virginitatis ratio tribui Deiparae potest, sed illa omnino vindicari debet quae ipsam exprimat virginitatis ideam, formamque repraesentet. Hoc autem virginitatis fastigium animam iuxta corpusque complectitur, et sicuti nullas patitur carnis labes, ita naevos prorsus omnes mentis animique repellit. Quare eadem significatione Deipara celebratur virgo, qua eae urbes dicuntur *virgines* quae ab hostibus numquam captae numquam hostile iugum libertatisque perniciem expertae sunt.

1541. *Corollarium I. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu ea ipsa fidei professione continetur, qua* [1]) *illa eximie et an-*

a) In offic. syr. pag. 292.

ܠܟ ܟܠܟܠ ܒܬܘܠܬܐ ܕܬܬ ܡܫܟܚܐ ܗܘܝ . ܐܠܗܐ ܟܠܗ ܡܠܐ ܘܥܡܟ ܫ
ܫܠܡܐ . ܠܟ ܚܘܐ ܕܠܐ ܐܬܦܓܥ ܒܗ . ܐܠܗܐ ܚܘܐ ܕܝܠܕܬ ܐܡܢܘܐܝܠ .

1) Ut illustret Thomas quod certa fide tenemus, Deiparam in concipiendo fuisse virginem, sic habet in S. III. p. q. XXVIII. a. I. « Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est propter quatuor: primo propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei filius, non fuit conveniens quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei patris transferretur ad alium. Secundo hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quin immo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur. Tertio hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur. Non poterat autem esse quod in natura iam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine infectione originalis peccati (*hoc est sine concupiscentia, quae infectio est propria carnis profecta ab originali peccato*). Quarto propter ipsum finem incarnationis Christi, quae ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo, idest ex ipsa Dei virtute, cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione. Unde Augustinus dicit in lib. de s. virginitate cap. V. *oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine ecclesia secundum spiritum nascitura.* » Ex hisce autem rationum momentis nullum est, quo immaculatus Deiparae conceptus non opportune suadeatur. Suadetur namque ex priore, et hoc quidem pacto: non decuit ut Dei filius alium haberet patrem quam Deum; ergo neque decuit ut aliam haberet matrem quam virginem. Sed cuiusmodi virginem? Quae fieret virgo virginum, et regina virginum; virgo non solum corpore sed et mente, quaeque ad paternam sanctitatem quam proxime accederet. Suadetur ex altero, quod huc redit: ut Verbum Dei in divina sua hypostasi perfecte concipiatur, intellectus concipiens sit

Digitized by Google

tonomastice virgo celebratur. Ad asserendam enim tuendamque immaculati conceptus doctrinam hoc unum requiritur ac plane sufficit, ut Deipara numquam fuerit mente polluta animoque vitiata: mente siquidem polluta animoque fuisset vitiata, si originalem transgressionem, cui vera et propria peccati ratio inest, aliquando contraxisset. Atqui ea fidei professione qua Deipara eximie et antonomastice virgo perhibetur, quaevis ab ipsa animi labes, naevusque omnis longissime arcetur. Doctrina igitur immaculati conceptus ea ipsa fidei professione existimari comprehensa debet, qua Deipara eximie et antonomastice virgo una omnium voce salutatur. Cuius deductionis veritas haud paullo splendebit liquidius, si praeterea enucleatius consideretur: I. parem animi corporisque virginitatem auctoritate maiorum Deiparae adscribi: eidem II. corporis virginitatem tribui numquam laesam ac semper intactam: huius vero perfectionis caussam III. inde repeti, quod eam omnino singulares exigerent habitus quibus Deipara cum Unigenito ex ipsa incarnato, et cum Spiritu sancto ipsam obumbrante, penitissime devincitur. Quare Thomas [1]) in illos disputans qui perpetuam Deiparae virginitatem inficiabantur, scribit: « Hic error iniuriam facit Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. » Horum enim nihil est, quod etsi obiter inspectum, parem quoque animi virginitatem candoremque nullo umquam culpae halitu maculatum non perspicue ostendat. Ex doctrina igitur de propria Deiparae virginitate *analytice* ea eruitur quae immaculatum eiusdem conceptum demonstrat.

1542. *Corollarium II. Doctrina immaculati conceptus multo etiam evidentius ea fidei professione continetur, qua Deipara creditur diciturque ἀειπάρθενος semper virgo*. Neminem fugit inter compertissima christianae traditionis capita illud [2]) censeri, quo synodi

oportet a quavis corruptela immunis penitusque divinus. Ut ergo perfecte concipiatur in carne, sinus concipiens ea debet virginitate nitere, quam nullus corruptionis halitus infecerit. Accedit tertium, quod ita se habet: nefas fuit, ut Christus ex muliere gigneretur corrupta maritali concubitu. Multo ergo magis nefas fuit, ut ex muliere gigneretur corrupta ac vitiata sorde peccati. Denique talis esse debuit Christi mater secundum carnem qualem sibi Christus ecclesiam delegit secundum spiritum. Ecclesiam vero sibi delegit omni ex parte immaculatam. Debuit igitur Christi mater esse omni ex parte immaculata. Nullatenus vero talis fuisset semel polluta originali peccato. *In peccato enim, scribit Aquinas in Ps. XXXI. duplex est deformitas, una scilicet ex privatione gratiae, qua privatur peccator: alia macula est ex actu peccati praeterito, et haec non deletur, quia non datur et quod non fecerit*. Ceterum alia hisce simillima tradit Thomas III. p. q. XXVIII. a. II., q. XXX. a. I. et opusc. II. quod est theologiae compend. cap. CCXXI.

1) S. III. p. q. XXVIII. a. III.

2) Mingarellius his Didymi alexandrini verbis de Christo: *κεκηρύχθαι δὲ ἐν τοῖς τῷ παντὶ καὶ πεπιστεῦσθαι ὅτιπερ ὁ ἐκ τοῦ ἀῤῥήτου φωτὸς ἀχρόνως ἐκλάμψας ἀπὸ τῆς ἀειπαρθένου ἐν ὑστέροις καιροῖς διὰ φιλαν-*

Digitized by Google

et quo patres scriptoresque ecclesiastici Deiparam unanimes praedicant ἀειπάρθενον *semper virginem*. Sed quaenam huic ellogio adiungi virtus debet, aut quae illi potestas subest? Eiusmodi ellogio significatur, numquam non eminuisse Deiparam forma ipsa ac specie creatae virginitatis. Forma autem ac species creatae virginitatis nullas omnino neque animi neque corporis maculas patitur. Eo igitur ellogio, quo ut [1]) Eustathius thessalonicensis scribit, Deipara salutatur ἡ κατ' ἐξαίρετον ἀειπάρθενος καὶ ἀειπόρη, eidem asseritur quod numquam labe carnis animique macula laesa fuerit atque corrupta. Laesa porro aliquando fuisset animi macula eaque gravissima, si obstricta paterno suoque scelere primum exstitisset. Fieri igitur non potest ut fides qua Deipara creditur ἀειπάρθενος *semper virgo*, a professione immaculati conceptus divisa intelligatur. Quod multo innotescet evidentius si haec memoria recolantur quae [2]) Hildephonsus toletanus scribit de perpetua virginitate sanctae Mariae: « Et huius certe virginitas semper incorrupta, semper integra, semper illaesa,

θεωρίαν ἀρρήτως ἐνίχθη τὰ κατ᾽ικὰ πάντα ἐκφῆναι ἐν ἑαυτῷ. *Eum vero praedicatum esse in hoc universo, et creditum esse addit* (Paulus I. Tim. III. 16.), *quia qui ex ineffabili luce ab aeterno eluxit, e semper-virgine posterioribus temporibus ob suam in homines benignitatem ineffabiliter natus est, ac omnia in semetipso manifestavit quae Patris sunt*, hanc sublicit adnotationem de Trinit. lib. I. cap. XXVII. pag. 84.« Quo tempore sic Didymus loquebatur, eodem circiter adversus Helvidium scribebat Hieronymus librum *de beatae Mariae virginitate perpetua* inscriptum: atque hoc dogma Eunomius etiam, ut ex Philostorgii libro VI. testatur Photius, impudenter reliciebat. Nomen porro ἀειπάρθενος ante Didymum a pluribus cum ethnicis tum christianis scriptoribus adhibitum fuerat, ac iis tributum feminis quae aut numquam nupsissent, aut perpetuam Deo virginitatem vovissent. Hoc sensu adhibetur a Dione, Sophocle, Eusebio caesariensi, Ignatio martyre et ab aliis. Attamen paullo ante quam haec dictaret Didymus, nomen illud peculiari modo beatae Dei genitrici Mariae attribuerat magnus ille Origenis atque Origenianorum adversarius Epiphanius in panario haeresi LXXVIII. quae est antidicomarianitarum pag. 1037. ubi scripserat: κενὸν γάρ τι ἀκούω περὶ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου τινὰ διανοεῖσθαι: *etenim nescio quem audio adversus sanctissimam perpetuamque virginem Mariam meditari nonnihil*. Quod si Rufini palaestini, pelagiani quidem sed pervetusti auctoris librum de fide allegare hic licet, is quoque n. 43. scribit: *Ex Maria quidem semper-virgine corpus accipiens*. Et paullo post: *Ex ipsa semper-virgine nascitur homo*. Verum temporibus Didymo posterioribus maxime invalvit id nomen, ut nihil frequentius occurrat quam voces ἀειπάρθενος et *semper-virgo* in graecis ac latinis liturgiis, antiphonis, orationibus, atque adeo in synodorum actis et sanctorum patrum operibus, ubi de beata Maria sermo sit. » Alibi vero in notis ad haec Didymi verba ex lib. III. de Trinit. cap. IV. pag. 349. Οὔτε γὰρ ἐγαμήθη τινὶ ἡ τιμιωτέρα πάντων καὶ ὑπερλαμπρύνη Μαρία· οὔτ' ἄλλου μήτηρ ἐγένετό ποτ' ἔμεινε δὲ καὶ μετὰ τοκετοῦ ἀεὶ καὶ διὰ παντὸς ἄμωμος παρθένος. *Nam neque cuiquam nupsit illa summe prae omnibus honoranda et maxime inclyta Maria, nec alterius mater umquam facta est, sed post puerperium quoque mansit semper et omni tempore immaculata virgo*. Sic habet Mingarellius: « Eodem modo de beata Virgine loquitur Ambrosius in lib. de institut. virginis cap. VI. pag. 260. aliique ab Hieronymo citati in libro adversus Helvidium. Ceterum quamvis dogma catholicum de perpetua Deiparae virginitate plures ante Didymum patres tradiderint, pauci tamen ante illum ἀειπαρθένου *semper-virginis* titulum ei tribuerunt, ni fallor. In paucis hisce numerandi sunt Epiphanius atque Athanasius. Primus quidem cum haeresi LXXVIII., tum in anchorato pag. 19. beatam Mariam eo titulo vocat; alter vero in fragmentis comm. in Lucam T. II. novae collect. pag. 43. ubi sic loquitur: ἡ κυριοτόκος Μαρία, καὶ ἀειπάρθενος, *Dominipara Maria et semper-virgo*. Vide et Leporium apud Cassianum lib. I. de incarnat. pag. 696.»

1) In hymn. pentecost. Damasceni n. 215. pag. 355. apud Mai in spicileg. rom. T. V.

2) De perpet. virginit. s. Mariae cap. X. pagg. 147-148. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

semper inviolata. Nam angelicae forma naturae ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans atque nutans. Haec femina sanctificationis vas est, aeternitas virginitatis est, mater Dei est, sacrarium sancti Spiritus est, templum singulariter unicum factoris sui est. » Itaque Deiparae virginitas duplici charactere distinguitur ac duplici perfectione refulget, e quibus prior est quod cum angelica virginitate suo merito componatur, proindeque omnimodam carnis mentisque puritatem comprehenderit: altera vero quod sit aeternitas virginitatis, nullamque idcirco praevertentem labem sive carnis sive mentis subierit.

1543. *Corollarium III. Immaculato Deiparae conceptui neque officiunt neque ea maiorum testimonia officere ullatenus possunt, quibus eiusdem caro peccati caro nuncupatur.* Ultro inprimis concedo non deesse veterum testimonia quibus Deiparae caro peccati tribuatur. Novi enim [1]) ea fuisse collecta diligenter, neque sine pompa olim adhibita, ut primordia Virginis suffragio maiorum vitiata probarentur. Quare nulla mihi lis erit sive *de formula ipsa* qua caro Virginis dicitur *caro peccati*, sive *de testimoniis* quae ad fidem illi conciliandam proferuntur; sed *hermeneuticam* dumtaxat *quaestionem* versabo, atque in id totus incumbam, ne innoxiae verissimaeque loquutioni noxia ac praepostera significandi virtus adiungatur. Itaque noxia et omnino praepostera haberi significatio debet, quae quum ex sese loquutioni non insit, illi adscribi praeterea nequit quin subverso traditionis concentu, formulae cum formulis et cum sententiis sententiae turpissime committantur. Atqui formula qua caro Deiparae audit caro peccati, accipi sic nequit ut

1) Potiora memorabo atque describam. Hilarius pictaviensis apud Augustinum lib. I. con. Iulian. cap. III. n. 9. « Ergo cum missus est *(Christus)* in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit et peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine. » Ambrosius penes eumdem ibidem cap. IX. n. 32. « Unum solum hominem mediatorem Dei et hominum eo quod sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiae vinculo non teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est, quia concupiscentiae voluptate concreti prius subirent contagia delictorum, quam vitalem de hoc aere spiritum ducerent. » Augustinus de peccat. meritis et remissione lib. I. cap. XXIV. n. 38. «Solus ergo ille, etiam homo factus, manens Deus peccatum nullum habuit umquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati (*al.* de natura carnis peccati, *vel* de materia carnis peccati). Quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit.» Alia eodem spectantia scribit Augustinus de nuptiis et concupiscent. lib. I. cap. XII. n. 13., con. Iulian. lib. V. cap. XV. n. 52., op. imp. lib. VI. n. 35., et de Genes. ad litt. lib. X. cap. XVIII. n. 32.; neque ab his diversa sunt quae docent Iohannes Cassianus collat. XXII. capp. XI-XII., Fulgentius ruspensis de incarnat. et grat. cap. VI. et de verit. praedest. et grat. Dei cap. II., Ferrandus diaconus in epist. ad Anatolium, Paschasius Rathertus de partu Virginis pag. 6., Petrus Damiani serm. XXIII. idemque I. in nativit. Ioh. Baptistae, Hugo Victorinus in summa sententiar. tract. I. cap. XVI. et Richardus Victorinus de Emmanuele lib. I. cap. XII.

contractam significet originis culpam, quin eidem sensus tribuatur quem ex sese non refert, et quin pessumdata christianae traditionis harmonia, maiorum dicta effataque sibi mutuo adversantia exhibeantur. Profecto si formula comparata sic esset ut ex sese ac suapte natura dividi a significatione non posset contractae originalis culpae; nefas omnino foret ad Christum illam referre, deque Christo usurpare. En vero quibus verbis de Christo loquens utatur [1]) pictaviensis Hilarius: « Carnem enim [2]) peccati recepit, ut assumptione nostrae carnis delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione non crimine; delens per mortem sententiam mortis, ut nova in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret. » En quomodo [a]) Gregorius nazianzenus cognomento theologus, apollinarianis obiicientibus, *at mens nostra damnata est*, e vestigio [b]) reponat: « Quid autem caro? An non damnata? Quare aut hanc quoque propter peccatum abiice, aut illam etiam propter salutem adiunge. Si quod deterius est, assumptum est ut per incarnationem sanctificetur; an non quod praestantius est assumetur, ut per humanitatis susceptionem sanctitate afficiatur? Si lutum [3]) fermentatum est, ac nova conspersio exstitit, imago ipsa non fermentabitur et cum Deo [4]) temperabitur, per divinitatem deificata? » Et en quomodo Proclus constantinopolitanus ipsum inducat [c]) loquen-

a) Epist. CI. et I. ad Cledonium presbyterum pag. 89. C. opp. T. II. Ἀλλὰ κατάκριτος ὁ ἡμέτερος νοῦς.

b) Ibid. pag. 89. C-E. Τί δ'αὶ ἡ σάρξ; οὐ κατάκριτος; ἢ καὶ ταύτην ἀπορρίψασθαι διὰ τὴν ἁμαρτίαν, ἢ καινὴν προσάγε διὰ τὴν σωτηρίαν· εἰ τὸ χεῖρον προσείληπται, ἵν' ἁγιασθῇ διὰ τῆς σαρκώσεως, τὸ κρεῖττον οὐ προσληφθήσεται, ἵν' ἁγιασθῇ διὰ τῆς ἐναν-θρωπήσεως; εἰ ὁ πηλὸς ἐζυμώθη καὶ νέον φύραμα γέγονεν, ἡ εἰκὼν οὐ ζυμωθήσεται, καὶ πρὸς θεὸν ἀναπραθήσεται θεωθεῖσα διὰ τῆς θεότητος;

c) Orat. VI. de laudibus Virginis §. XIV. pag. 642. C-D. apud Gallandium T. IX. Ἐὰν μὴ

1) De Trinit. lib. I. n. 18. pag. 11. opp. T. II.

2) Sic habent in subiecta adnotatione maurini editores: « Solus cod. victorinus, *peccati expertem fecit*: quam lectionem amplexus est Lud. Miraeus, inepte: vult quippe tantum Hilarius Christum in carne eiusdem nobiscum naturae carnis delicta donasse. Ut enim docet Tertullianus de carne Christi n. 16. neque ad propositum Christi peccatum carnis evacuaturi, neque ad gloriam faceret, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati. Tum cuidam Alexandro sic argutanti: *ergo si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi. Nostram*, reponit, *induens suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit.* Hic igitur dixit Hilarius peccati carnem, quae per peccatores ad Christum usque propagata est, quae ut laudato loco Tertullianus, *genere non vitio Adae* est: dum scilicet Christus, ut hic habet Hilarius, *eius fit particeps assumtione non crimine.* Quare frustra in limbo unius ms. colb. nonnemo annotavit, *carnem peccati, caute lege.* Alias, puta lib. X. de Trinit. n. 25. de eadem Christi carne dicit, *neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Vide tract. in Ps. LXVIII. n. 25. »

3) 1. Cor. V. 7.

4) Quum patrum vocibus abusi sint eutychiani, mallet Combefisius ut συναναθήσεται redderetur *consociabitur, copulabitur.*

Digitized by Google

tem Christum: « Nisi in peccati constitutus sim corpore, eoque tamquam mortuus in novo recliner monumento; neque testamentum confirmari poterit, neque vos regni caelestis heredes institui. » Constat igitur eam ex sese non esse formulam, qua Deiparae asseritur caro peccati, ut contracta peccati labes significetur.

1544. Utique, subdunt, si de Christo sermo sit, quem ex Scripturis universaque traditione novimus semper sanctum semperque intemeratum. Atqui, repono, ex iisdem fontibus, diverso licet modo diversisque de caussis, derivavimus ipsam quoque Deiparam numquam fuisse infectam et numquam peccati labe violatam. Quid igitur est reliquum, nisi ut formula de filio θεανθρώπῳ deque matre θεοτόκῳ pariter adhibita, ea qua decet proportione, similiter enarretur? Caro filii θεανθρώπου dicitur caro peccati, quod ex peccatoribus, licet sine peccato, fuerit accepta: et caro matris θεοτόκου non alio sensu caro peccati nominatur. Caro filii θεανθρώπου dicitur caro peccati, quod cum carne nostra eademque peccatrice consubstantialis exstiterit: et caro matris θεοτόκου significatione eodem pertinente caro peccati nuncupatur. Denique caro filii θεανθρώπου dicitur caro peccati, quod carnis peccatricis similitudinem praeseferret: et caro matris θεοτόκου gemina de caussa eodem titulo designatur. Quae interpretandi ratio eo firmius retinenda est quo manifestius apparet, eadem seposita, omnem omnino viam praecludi qua maiorum sententiae de carne Deiparae secumipsis harmonice componantur. Ecquid enim ab ipsis aut ingeminatur frequentius aut solemnius inculcatur, quam carnem Deiparae totam fuisse ex sanctitate compactam, totam puram, totam innocentem, et utpote unam eamdemque cum carne filii, totam immaculatam ac perfectissimae virginitatis nitore numquam non candidam? Cum his autem adversa fronte pugnaret appellatio carnis peccati, si ad contractam originalem culpam detorqueretur. Harmonia ergo sententiarumque concentus efflagitant, ne caro Deiparae idcirco peccati caro dicta existimetur, quod originali labe aliquando infecta virgineum candorem amiserit. Quibus etsi praeclaris ea tamen adiici possunt, quae tergiversationem omnem funditus praecidant. Peto itaque, talis ne sit formula

ἐν τῷ ἁμαρτωλῷ γίνομαι σώματι, καὶ δι' αὐτοῦ ὡς νεκρὸς καταλιθῶ ἐν τῷ καινῷ μνήματι, οὐ δυήσεται οὔτε ἡ διαθήκη κυρωθῆναι, οὔτε ὑμεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κληρονόμοι ἀναδειχθῆναι.

caro peccati, quae pressius urgeri et resecari ad vivum debeat. Audiatur Anselmus qui [1]) verissime scribit: « Sive hoc totum sit originale peccatum, sive aliquid minus, puto nullatenus illud posse asseri esse in infante, antequam habeat animam rationalem; sicut nec in Adam fuisse iustitiam, priusquam fieret homo rationalis. Nam si Adam et Eva generassent sine praecedenti peccato, non tamen esset in semine iustitia, nec esse posset priusquam formaretur in viventem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiae prius quam fiat homo, non potest suscipere originale peccatum antequam homo sit. » Quod mox confirmat [2]) inquiens: « Quare quoniam iniustitia non potest esse nisi ubi iustitia debet esse, originale peccatum quod est iniustitia, non est nisi in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi Deus et angelus et anima hominis, per quam homo dicitur rationalis et sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum nec in Deo, nec in angelo, non est nisi in hominis anima rationali. » Audiatur et Thomas qui cum Anselmo ad unguem conspirans, quaestionem *utrum originale peccatum sit magis in carne quam anima*, sic [3]) dirimit: « Aliquid potest esse in aliquo dupliciter, uno modo sicut in causa vel principali vel instrumentali, alio modo sicut in subiecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud [4]) Apostoli, *in quo omnes peccaverunt*. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Sed sicut in subiecto, peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solum in anima. » Quod ut subtiliter declaravit, inferendo [5]) pergit: « Sic igitur cum anima possit esse subiectum culpae, caro autem de se non habeat quod sit subiectum culpae; quidquid pervenit de corruptione primi peccati ad animam habet rationem culpae; quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpae, sed poenae. Sic igitur anima est subiectum peccati originalis, non autem caro. » Quapropter *caro peccati* idem valet ac caro non sine concupiscentia propagata, atque adeo caro quae quum concupiscentiae morbo vitioque laboret, eo-

1) De concep. virg. et orig. pec. cap. III. pag. 28. col. 1. C-E.
2) Ibid. pag. 98. col. 2. A-B.
3) S. I. II. q. LXXXIII. a. 1.
4) Rom. V. 12.
5) Loc. cit.

Digitized by Google

dem sensu dicitur caro peccati, quo ipsa concupiscentia peccatum nominatur. Concupiscentia vero non nominatur peccatum nisi metonymice, et quatenus ex peccato est et ad peccatum inclinat, sive quatenus est filia materque peccati. Quod ergo caro Virginis dicitur caro peccati, huc tandem redit, ipsam neque citra concupiscentiam fuisse propagatam, neque in passivo conceptu [1]) a concupiscentiae morbo integram fuisse ac solutam. Qua de re eximius plane est Didymi alexandrini commentarius, quo haec [a]) Pauli verba, *Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato peccatum damnavit in carne*, interpretatur [b]) scribens: « Huiusmodi est quod dicit. Caro omnium hominum ex coniunctione viri et feminae exsistit, excepta carne primi parentis et ea quam Christus assumpsit: non enim aliter corpus hominis fit, nisi corpora maris et feminae misceantur. Igitur quia Salvator ex sola Virgine corpus assumpsit, quod non duxit principium ex coitu; idcirco carnem Domini similitudinem carnis quae ex coitu exsistit, vocavit: non enim simpliciter dixit habere eam similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati. Similitudo autem carnis peccati caro est, hoc solum ei ex aliis carnibus defuit quod exstitit sine viri semine: oportebat enim ut qui ad salutem hominum veniebat, non acciperet corpus [2]) ex coniunctione viri, neque rursus extra successionem hominum sicut primus homo, ne corpus eius alterius generis esse putaretur. » Quae duo continenter [c]) illustrans pergit: « Etenim si ipse

a) Rom. VIII. 3. *Ὁ θεὸς τὸν υἱὸν ἑαυτοῦ πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, περὶ ἁμαρτίας κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί.*

b) Con. manichaeos pagg. 208. E. et 209. A-B. apud Henricum Canisium antiq. lectt. T. I. *Ὁ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν· ἡ πάντων ἀνθρώπων σὰρξ ἐκ συνδυασμοῦ ἔχει τὸ εἶναι, πλὴν τοῦ πρωτοπλάστου, καὶ οὗ ἀνέλαβεν ὁ σωτήρ· οὐκ ἂν γὰρ ἄλλως σῶμα ἀνθρώπου γένοιτο, μὴ ἐκπλακέντος τῷ θήλει τοῦ ἄρρενος· ἐπεὶ οὖν ὁ σωτὴρ ἐκ μόνης τῆς παρθένου ἔλαβε σῶμα, τὴν ἀρχὴν οὐκ ἔχον ἐκ συνουσίας, ὁμοίωμα τὴν σάρκα τὴν κυριακὴν εἶπε τῆς σαρκὸς τῆς ἐκ συνουσίας· οὐ γὰρ καθ' ἁπλῶς εἶπεν, ὁμοίωμα σαρκὸς αὐτὸν ἔχειν, ἀλλ' ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας· τὸ δὲ ὁμοίωμα τῆς σαρκὸς ἁμαρτίας, σὰρξ ἐστὶν, μόνῳ τούτῳ λειπομένη τῶν ἄλλων σαρκῶν, τὸ ἄνευ ἀνδρὸς ἰσχνέναι τὴν ὕπαρξιν· ἔδει γὰρ τὸν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἐρχόμενον, μὴ ἐκ συνδυασμοῦ σῶμα λαβεῖν, μηδ' αὖ ἔξωθεν τῆς τῶν ἀνθρώπων διαδοχῆς, ὥσπερ ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ἵνα μὴ ἑτερογενὴς αὐτοῦ νομισθῇ τὸ σῶμα.*

c) Ibid. pag. 209. B-C. *Εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ἐκ τῆς γῆς ἐπέπλαστο, ὡς ὁ ἀρχηγὸς τοῦ*

1) Quum haec duo alienissima fuerint a carne Christi, utpote de Virgine concepta et cuiusvis semper cupiditatis experte; proprium ideireo illius fuit, ut non tam *caro peccati* quam *similitudo carnis peccati* vocaretur.

2) Ubi vox ipsa *συνδυασμοῦ* ostendit, eam a Christo humanam originem arceri, quae ex utriusque sexus copulatione proficiscitur.

etiam ex terra formatus fuisset sicut fuit princeps generis humani, suspicionem cepissent qui apparitionem per fictionem introducunt, non gestasse re et veritate corpus hominis. Rursus, si corpus ex coniunctione sumpsisset nulla differentia, existimatus utique esset obnoxius esse illi peccato, cui per successionem erant omnes ex Adamo profecti et orti. » Hinc expedita difficultate [a]) concludit: « Quia post peccatum facta fuit coniunctio Adae cum Eva, idcirco dicta est caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis: atque ita successio mortalitatem [1]) habet. Similitudinem igitur huius carnis habebat Christus, tametsi caro eius non vidit corruptionem. »

1545. *Corollarium IV. Immaculato Deiparae conceptui ne minimum quidem ea obsistunt veterum suffragia, quae ipsam expiatam, mundatam ac divinitus sanctificatam declarant.* Scio neque pauca esse neque obscura quae in medium promuntur [2]) veterum dicta, ut Deipara, eisdem auctoribus, expiata, mundata et sanctificata comprobetur: itemque scio olim fuisse qui eiusmodi innixi suffragiis pugnaciter contenderint, immaculata Deiparae primordia vix aut ne vix quidem cum sententia doctrinaque maiorum posse componi. Verum quam male rationes subduxerint qui in hanc opinionem iverunt, ii omnes facile assequentur qui secum principio reputaverint, fieri nullatenus posse ut immaculatis Deiparae primordiis eae dicendi loquendique formulae adversentur, quas de ipso Christo adhibitas usurpatasque certissime constat. Nihil autem ex

γένους τῶν ἀνθρώπων, ὑπόνοιαν ἐλάμβανον οἱ διὰ φαντασίας τὴν δόκησιν εἰσάγοντες, μήπη ἄρα οὐ κατ' ἀλήθειαν ἔφερεν ἀνθρώπου σῶμα· πάλιν, εἰ ἐκ συνδυασμοῦ ἀνειλήφει σῶμα, οὐκ ἔχων τὸ παρηλλαγμένον, ἐνομίσθη ἂν καὶ αὐτὸς ὑπεύθυνος εἶναι ἐκείνῃ τῇ ἁμαρτίᾳ, ἧπερ καὶ οἱ ἐκ τοῦ Ἀδὰμ πάντες κατὰ διαδοχὴν ὑπῆρχον.

a) Ibid. pag. 209. D. Ἐπεὶ μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ἡ σύνοδος γέγονεν τοῦ Ἀδὰμ καὶ τῆς Εὔας, διὰ τοῦτο σὰρξ ἁμαρτίας εἴρηται· ἄφθαρτος γὰρ ὢν πρὸ τῆς παραβάσεως, φθαρτὸς γεγένηται παραβάς· καὶ οὕτως ἡ διαδοχὴ τὸ φθαρτὸν ἔχει· ὁμοίωμα οὖν τῆς σαρκὸς ταύτης εἶχεν ὁ σωτὴρ, εἰ καὶ μὴ εἶδεν ἡ σὰρξ αὐτοῦ διαφθοράν.

1) Et una cum mortalitate eiusdem causam peccatum, cuius mors effectus est, poena atque signum.

2) Ad horum classem spectant testimonia Ephraemi de margarita pag. 254. opp. T. I. et serm. XI. de nativit. Domini pag. 417. T. II., Gregorii nysseni de occursu Domini pag. 892. opp. T. II., Ambrosii in Luc. lib. II. n. 17., Leonis serm. II. in nativit. Domini, Fulgentii de duplici nativit. Christi serm. II., Iohannis damasceni de fide orthod. lib. III. cap. I., dissert. con. Nestorium n. 43., carm. in fest. annuntiat. pag. 690. et orat. I. in Deiparae dormit. pag. 859., ac postremo Fulberti carnotensis de assumpt. Deiparae pag. 110. inter opp. Hieronymi T. XI.

Digitized by Google

superioribus manifestius, quam mundationis, expiationis et sanctificationis vocabula [1]) de ipso etiam Christo frequentata reperiri. Praeterea talia ne sunt eiusmodi vocabula, quae contractam labem necessario demonstrent, quaeque subiectum culpa antea vitiatum necessario adsignificent? Nemo id affirmaverit, qui christianum vulgatumque [2]) loquendi usum probe teneat, quique ex eo de insita vocabulis potestate arbitretur. Quum igitur voces dubiae ex sese sint atque ancipites, normae praefiniantur oportet ad quas sincera illarum interpretatio exigatur. Ex his porro normis suo iure ea excellit qua praecipitur, ne voces multiplicis potestatis eo accipiantur sensu, qui neque cum orationis subiecto apte cohaereat, neque cum iis conspiret quae de eodem tradita inculcataque novimus. Atqui subiectum quo de agitur est Deipara, creaturarum scilicet omnium mundissima atque sanctissima; quae vero de ipsa omnium suffragatione iterata novimus, huc recidunt: Deiparam eo corporis animique candore semper enituisse, ut formam creatae innocentiae, speciemque absolutae virginitatis praesetulerit. Quid igitur evidentius quam expiandi, mundandi, sanctificandique vocabula accipi de ipsa non posse *sensu privante*, quique contractam antea labem ad-

1) Petrus Lombardus interrogationi, *an caro Verbi priusquam conciperetur, obligata fuerit peccato*, reponit in III. dist. III: « Dici potest et credi oportet iuxta sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni contagione peccati immunis uniretur Verbo. » Aquinas in II. dist. III. q. II. a. I: « Dicendum est, quod caro Christi secundum quod fuit in patribus et etiam in ipsa beata Virgine peccato infecta fuit; sed in ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est. » Sicuti ergo caro Christi purgata dicitur ab infectione peccati, licet numquam polluta eadem fuerit; ita nihil impedit quominus Deipara etsi numquam actu consors hereditariae labis, ab ipsa tamen mundata nuncupetur. Ut enim scribit Petrus Paludanus enarrat. I. in evang. de temp. part. hyem. pag. 213: « Aliquid dicitur purgari dupliciter, uno modo quod aliquid immundum auferatur, alio modo quod aliqua perfectio superadditur, per quam non solum mundum ostenditur, sed etiam ab omni immunditie peccati praeservatur. Priori modo non intelligitur Damasceni dictum, quod *Spiritus sanctus venit in ipsam purgans*, sed secundo modo. Et sic oportet intelligi commune dictum tam sanctorum quam magistrorum. »

2) De hoc loquendi usu testes sunt Leo magnus serm. II. de nativit. Domini cap. III. inquiens: « Cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit. » Venerabilis Beda comm. in lib. Boetii de Trinit. pag. 638. opp. T. VIII: « Pertinet ad nostrae fidei fundamentum Verbi incarnatio, ut scilicet credamus Dei Filium assumpsisse carnem ex Virgine et in Virgine: quam carnem et creando assumpsit et assumendo creavit, non de nihilo carnem sibi in utero Virginis creando vel formando, sicut quidam haeretici senserunt; sed potius de substantia Virginis carnem assumsit, quam assumendo creavit, idest, purificavit, non conceptus libidinosa lege concipiendi, et ideo immunis ab omni peccato. » Et hom. in feste annuntiat. pag. 337. opp. T. VII: « Superveniens in Virginem Spiritus sanctus mentem illius quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum sorde castificavit. » Idest, interprete Thoma in III. dist. III. q. I. a. II: « Dicendum, quod castificatio a sordibus vitiorum non intelligitur remotio existentium, sed impedimentum futurarum sordium. » Vel satius non citra imminutionis figuram ea intelligitur puritatis collatio, quae a quavis sorde vehementissime distaret. Sequuntur eiusdem usus testes omnino locupletes b. Petrus Damiani serm. XXIII. pag. 66. opp. T. II., Hugo Victorinus in summa sentent. tract. I. cap. XVI., Alexander halensis in S. p. III. q. IX. membr. I. art. II., Durandus in III. dist. III. q. I. et Caietanus de concept. cap. III.

significet? Tum vero accipi omnino oportere sive *sensu negante* quo ab omni labe excepta atque immunis ostendatur, sive etiam *sensu affirmante* quo omnigenis cumulata donis declaretur? Ceterum quum testimonia e quibus obiectae formulae decerpuntur, varia sint neque omnia eodem pertineant; tam rei veritas quam enarrationis perspicuitas poscunt, ne uno omnes numero indiscriminatim habeantur, sed in duas potius tributae classes ita spectentur, ut prior formulis constet quae de Virgine *infinite* adhibentur, altera vero iis coalescat quae *ad ipsam Unigenitum iam iam concepturam* referuntur. Et de illis quidem statui debet, propterea mundatam, expiatam et sanctificatam perhiberi Deiparam, quod ipsa ex sese neque sancta fuerit neque munda: immo quod ex sese debito incurrendae culpae fuerit obnoxia: et quod nonnisi eximio singularique privilegio, utpote Dei genitrix exstitura, ab universali ruina communique flagitio custodita fuerit potenterque servata. Quod tum maiores nostri non obscure [1]) significant, quum ipsam *praepurgatam praemundatamque* testantur. Alterius porro classis multo sublimior est sensus, multoque excelsior significatio. Quum enim id temporis immineret ut Virgo fide atque carne Unigenitum Patris conciperet, iam plena erat gratia, eaque munditie ac sanctitate fulgebat, ut angelicum quoque splendorem longissime superaret. Qui ergo tum expiata dici potuit, sanctificata, mundata? Non eo certe sensu, quo detersae labes ablutaeque maculae designantur; quum neque ruga illi inesset neque naevus qui mundatione aboleretur. Ecquo igitur sensu? Utique non alio ab eo quem Gabriel [2]) expressit inquiens, *Spiritus-sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, idest, te [3]) proteget, te fovebit, suoque illapsu locupletabit. Neque alio ab illo, quem ipsa sacramenti iam tum explendi ratio postulabat. Futurum namque erat ut Virgo innocentissima secundum caelum et priore longe capacius diviniusque efficeretur: futurum erat ut connubii foedus cum Spiritu sanctitatis iniret: futurum erat ut na-

1) Huc faciunt relata a nobis alibi testimonia Gregorii nazianzeni orat. XXXVIII. in Christi nativit. pag. 620., Germani constantinopolitani in theoria rerum ecclesiast. pag. 57. in max. pp. biblioth. T. X. et Nicephori eiusdem urbis episcopi in epist. ad Leonem III., quam Baronius ad an. DCCCI. n. 31. commemoravit. Hinc illa Nicolai cusani lib. VIII. exercitatt. pag. 617: »Praeliberatorem Virgo sancta habuit, ceteri liberatorem et postliberatorem. Qui enim concipitur et nascitur liber, non indiget liberatore a servitute, in qua numquam fuit.«

2) Luc. I. 35.

3) Graece, *ἐπισκιάσει*. Compositum *ἐπισκιάζειν* frequens est in sacris litteris. In praesentem locum apte quadrat quod legimus Ps. XC. 4. *Deus ἐπισκιάσει σοι, καὶ ὑπὸ τὰς πτέρυγας αὐτοῦ ἐλπιεῖς*. Metaphora desumpta est ab avibus pullos sub alis foventibus, quod vidit Theophylactus expressitque verbum *ἐπισκιάζειν* reddens *ἐπισκηνάζειν, ὡς ὄρνις ἐπισκιάζει τὰ νοσσία ἑαυτῆς, ὅλα ταῖς πτέρυξιν αὐτὸς περιλαμβάνουσα.*

Digitized by Google

turae vinculo suaeque carnis communicatione cum Dei Filio tamquam verissima genitrix sociaretur: et futurum erat quod canit [1]) Ambrosius:

» Creator cuncti generis,
» Orbis quem totus non capit,
» In tua, sancta genitrix,
» Sese reclusit viscera.
» Quem Pater ante tempora
» Deus Deumque genuit,
» Matris almae virginitas
» Cum tempore partum edidit.

Quod Damasus [2]) scribit: « Ut qui non spatiis terrae, non aequoris undis, nec capitur caelo, parvos confluerat in artus. » Et quod Venantius Fortunatus [3]) ingeminat: « Quem totus orbis non capit, puellae portant viscera. » Sed quis aut cogitando intelligat aut loquendo enarret sive huius sanctificationis praestantiam, sive huius expiationis incredibilem dignitatem? En ille idem sanctitatis Spiritus, qui aquis [4]) incumbens suo illas amore fecundavit, in Virginem multo superveniens divinius, complexus ipsam est, sustentavit et immensa propemodum effusione charismatum parem reddidit ut cum divinitate cognatione devincta secundum temporalem naturam eum gigneret quem Pater secundum aeternam in inaccessis gloriae splendoribus semper generat. Heic igitur carnis sanguinisque cogitationes facessant, facessant culpae et peccati vocabula, ac nihil nisi sanctum, nihil nisi augustum aut mentem occupet aut lingua pronunciet.

1) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 21.
2) Ibidem pag. 23.
3) Ibidem.
4) Gen. I. 2. Praeclare Thomas enarrans verba Ps. XVIII. *in sole posuit tabernaculum suum*: « In sole posuit etc., idest corpus suum posuit in sole, idest in beata Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati. » Et de verbis Ps. XLV. *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, principio ait: « Corpus Christi est tabernaculum, quia in eo est tota plenitudo divinitatis. Hoc tabernaculum sanctificavit Altissimus, non quod aliquando non fuerit sanctum, sed quia in ipsa conceptione sanctum ipse formavit.» Tum pergit: « Possunt haec referri ad beatam Virginem, quia ipsa est civitas, in ipsa habitavit, ipsam fluminis impetus, scilicet Spiritus sanctus laetificavit, ipsam sanctificavit in utero matris suae, postquam formatum fuit corpus et creata anima. Tunc primo operuit gloria Domini tabernaculum, ut dicitur Exodi quadragesimo. » Sed quo pertinet illud *postquam?* Referri omnino debet ad *postquam naturae, non temporis.* Quare Iohannes Baco in IV. dist. II. q. III. a. IV. verissime scripsit: « Quod dicitur, quod mox post suum ipse conceptum fuit mater Dei exempta, intelligendum est quod ly mox dicit ordinem naturae non temporis, ut sic in eodem instanti secundum rem fuerit concepta sub necessitate contrahendi, et exempta. »

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De discrimine faciendae perficiendaeque iustitiae: quibus perfectio iustitiae veluti elementis componatur: de Deipara quae non solum fecerit verum etiam iustitiam perfecerit: expolitur: quae cum hac iustitiae perfectione conserta sint, et quam arcte praerogativa immaculati conceptus ex iis dependeat: maiorum suffragia quae intimum huiusmodi nexum patefaciunt: totius probationis epilogus, et immunitatis Deiparae a noxa originali plenior confirmatio.

1546. Quaestio est omnino gravissima christianae anthropologiae, cuiusmodi censeri iustitia debeat quam homines hereditaria labe corrupti, divinaeque gratiae ope reparati ac suffulti sibi merito polliceantur. Delibaverant hoc quaestionis caput vetustissimi patres, quibus solemne idcirco fuit nunc cum Gregorio nazianzeno [a]) testari, *peccare in nullo, hominis modum excedere, et solius esse Dei*, et [b]) rursum, *solius* [1]) *Dei esse non peccare et a perturbationibus esse immunem;* nunc vero cum Optato milevitano [2]) repetere: « Nemo ex toto sanctus poterit inveniri. Nam si sunt qui possint non habere peccatum, mentiuntur in oratione dominica si sine caussa indulgentiam postulant dicentes Deo Patri, dimitte nobis peccata sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: cum Iohannes apostolus et omnium conscientias prodat et suam designet [3]) his verbis, si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est. Cuius dicti rationem in secundo libro manifestius explanavimus. » Libro autem secundo haec inter alia [4]) scripserat: « Unde est ergo, quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis? Nisi ut appa-

a) Orat. XV. quae est in plagam grandinis pag. 234. Τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν, ὄντως ὑπὲρ ἄνθρωπον, καὶ μόνου Θεοῦ.

b) Orat. XX. quae est in Basilii laudem pag. 363. Μόνον εἶναι τοῦ Θεοῦ τὸ παντελῶς ἄπταιστον καὶ ἀνάλωτον πάθεσι.

1) Quod semel iterumque repetitur, *unius Dei esse non peccare*, intelligi debet ex sese atque citra singularem gratiam, eximiumque privilegium. Ratione igitur ab hac non dissimili accipienda sunt ea maiorum testimonia, quibus infinite unum Christum peccati exortem depraedicant.

2) De schismat. donatist. lib. VII.

3) I. Ioh. I. 7. coll. III. Reg. VIII. 46., II. Paral. VI. 36., Prov. XX. 9., Eccles. VII. 21.

4) Op. cit. lib. II.

Digitized by Google

reat quia vos ipsos decipitis, et veritas in vobis non est. In Iohannis schola esse noluistis. » Et post aliqua [1]) eosdem donatianos ita perstringit: « Ad altare conversi, dominicam orationem praetermittere non potestis et utique dicitis, Pater noster qui es in caelis dimitte nobis debita et peccata nostra. Quid vocaris, dum peccata confiteris tua? » Quasi diceret, nonne peccator vocaris? Sed non antea tota haec quaestio excussa fuit diligentius intimiusque explorata, quam Pelagius et Caelestius [2]) doctrinam de humana *impassibilitate* atque *impeccantia* in vulgus diffunderent pugnaciterque tuerentur. Cuius acerrimae contentionis testis est locuples Hieronymus, qui caelestianis pelagianisque vitio [3]) vertit, quod ex Pythagorae placitis, Stoicorum fontibus et Ioviniani lacunis praeposterum dogma de humana impassibilitate atque impeccantia corrivarint. Testis est Augustinus qui [4]) hoc ipsum dogma tribus pelagianae haereseos praecipuis capitibus accensere consuevit. Et testes sunt synodi [5]) in pelagianos celebratae, quae proprii esse muneris existimarunt, anathemate lato superbum fastum deiicere, profanamque opinionem convellere. Hinc quod Orosius [6]) refert: « Pelagius mihi dixit docere se, hominem posse esse sine peccato et mandata Dei facile custodire si velit. Respondit Pelagius, audientibus vobis: hoc et dixisse me et dicere, negare non possum. Ego illico prosequutus sum: hoc in Caelestio africana synodus detestata est. » Atque hinc quae Prosper [7]) tradit:

1) Ibidem.

2) Hieronymus praefat. in Ierem. lib. IV. «Cum subito haeresis Pythagorae et Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, idest impassibilitatis et impeccantiae, quae olim in Origene et dudum in discipulis eius coepit reviviscere, et non solum in occidentis sed et in orientis partibus sibilare et crescere per dies singulos, dum secreto docent et publice negant. » Cf. Maffaii hist. theolog. lib. VII. §. III. nn. 1. seqq.

3) Epist. ad Ctesiphontem n. 1. « Quae enim potest admissa maior esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem sed aequalitatem vindicare? Perturbationes asserunt extirpari posse de mentibus; et nullam fibram radiumque vitiorum in homine omnino residere, meditatione et assidua exercitatione virtutum. » Tum subdit: « Quid gloriaris terra et cinis? Praesertim quum illud quidem Apostolus dicat, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Et iterum, non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo, id operor. Si quod non vult operatur, quomodo stare potest hoc quod dicitur, posse hominem sine peccato esse si velit? » Nimirum de hoc placito infert: « Illud omnium haereticorum venena complecti, quae de philosophorum et maxime Pythagorae et Zenonis principis stoicorum fonte manarunt. Pulcre quidam nostrorum ait, philosophi patriarchae haereticorum. » Videsis Laertium in Pythagoram et in Zenonem. Adde Senecam superbissime scribentem epist. LXXIII. « Iovem plus non esse quam bonum virum. » Et epist. LIII. « Est aliquid quo sapiens antecedat Deum; ille naturae beneficio non suo sapiens est: ecce res magna; habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. »

4) Ad Bonifacium lib. II. cap. VIII. n. 24., lib. IV. cap. VII. n. 19., de dono persev. cap. II. n. 4., con. Iulian. lib. II. cap. I. n. 2., de civ. Dei lib. XII. cap. IX. n. 4., epist. CLXXVI. n. 2. et de haeresibus n. LXXXVIII.

5) Cf. Augustinum de gestis Pelagii cap. IX. n. 29., de peccat. orig. cap. XL. n. 12., Marium Mercatorem commonit. cap. I., Orosium in apologetico, et Praedestinatum haeres. LXXXVIII.

6) In apologet. de arbitrii libertate.

7) De ingratis cap. IX.

» Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
» Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
» Libertate sua. Namque haec damnata fuere
» Conciliis, mundique manu.

1547. Verum quid articulatius propositum erat aut pelagianis adstruere, aut catholico nomini labefactare? Quemadmodum illi, utpote capitales propagatae originalis noxae adversarii, facultatem hominibus *perficiendae iustitiae* vindicabant; ita catholicae ecclesiae fixum ratumque erat, posse quidem homines supernis adiutos gratiis *iustitiam facere*, sed *illius perfectionem* in praesenti mortalitate eisdem non esse concessam. Huc omnino redibat dissidii caput, de quo ut scite prudenterque iudicetur, definiri accurate debet quid nominata *impassibilitate iustitiaeque perfectione* maiores nostri significaverint. Atqui infinita sunt [1]) Hieronymi, Augustini, synodorum, romanorumque praesulum testimonia, e quibus ad evidentiam usque innotescit, impassibilitatem perfectionemque iustitiae duobus veluti elementis coaluisse, quorum alterum immunitate ab illecebris concupiscentiae, et alterum immunitate ab omnibus omnino culpis utcumque levissimis absolveretur. «Facere iustitiam, *inquit* [2]) *Augustinus*, est in vero Dei cultu cum interno concupiscentiae malo interna conflictatione pugnare; perficere autem omnino adversarium non habere. Omnino non concupiscere, perfectio boni est.» Neque aliter definit [3]) quid sit *facere et perficere bonum*, *perfectio boni*, *bonum imperfectum*, *perficienda iustitia*, *esse omni ex parte perfectum* et *prorsus sine peccato*. Quas definitiones plerasque omnes altero post Augustini mortem seculo Primasius [4]) collegit, effecitque ut omnes intelligeremus ad exploratos christianae professionis articulos pertinere, mortalium neminem in hac vitiata simul ac reparata humanae naturae conditione eo usque per-

1) Cf. Hieronymi epist. ad Ctesiphontem scriptam anno CDXIII., praefatt. in libb. II-III-IV. comm. in Ieremiam editas anno CDXIV. et dialog. adv. pelagian. scriptos anno CDXV. Adde Augustini libros tres de peccat. merit. et remissione, librum de spiritu et littera, epist. CXL. ad Honoratum an. CDXII., epist. CLVII. ad Hilarium an. CDXIV., lib. de perfect. iustitiae an. CDXIV., epist. CLXVII. ad Hieronymum et lib. de nat. et grat. an. CDXV., et epist. CLXXXVI. cap. IX. n. 32. an. CDXVII.

2) De nat. et grat. cap. LXIII. n. 72. et in Iob. tract. XLI. n. 12.

3) De perfect. iustit. cap. XI. n. 28, ad Bonifac. lib. I. cap. X. n. 19., con. Iulian. lib. III. cap. XXVI. n. 62, lib. V. cap. VII. n. 30, retractatt. lib. I. cap. XV. n. 2, de continent. capp. III-VIII. nn. 6-20, de nuptiis et concupiscent. lib. I. cap. XXVII. n. 32, de gestis Pelagii cap. IX. n. 21, con. Faustum lib. XXII. cap. XVII., de civ. Dei lib. XIX. cap. IV. n. 6. et sermm. X-CLI-CLII-CLIV-CLV-CLVI. quos Augustinus Carthagine habuit anno CDXVII.

4) In epist. ad Rom. VII. 18.

Digitized by Google

venire, ut nullis tentatus carnis desideriis, nullisque vel tenuissimis infectus naevis exclamare ad Deum supplex non debeat: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Scilicet praestitutus humanae reparationis modus talis non est, qui perficiendae iustitiae facultatem impertiat, quique aut concupiscentiae difficultatem aboleat, aut eam conciliet sanctitatem quae nullo prorsus naevo maculetur. Quamobrem, ut Augustini verba [1]) usurpem: « Hoc lex posuit dicendo *non concupisces*, non quod valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus; quod sicut a nemine constat posse impleri, ita ab omni homine debet optari. Sancti namque etsi non hic perficiant bonum quod volunt, ut non concupiscant; faciunt tamen bonum, ut post concupiscentias suas non eant. Deus autem qui et ipsam mortem, quamvis peccati merito inflicta sit, non aufert in hoc seculo eis quibus peccata dimittit; in quibusdam etiam iustos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adiuvat ad perficiendam iustitiam; nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles. Itaque neque apostolo Paulo toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dixit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Proinde hoc primum praeceptum iustitiae in illa vita implebimus cum videbimus facie ad faciem, cumque Deus consolidabit sanitatem, et non erunt iam impossibilia nobis quae modo impossibilia sunt. » Nihil igitur istis verius quae Hieronymus [2]) scripsit. «Haec est hominis vera sapientia, imperfectum se nosse; atque ut ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. » Atque nihil istis verius quae [3]) habet Beda: « Mirum ubi invenerit *(Iulianus)* vel inveniri posse putaverit hominem saltem unum, in quo amor sanctus solis animi viribus innixus usque ad senium sine damno sui persisteret vigoris; cum ille qui prae amore praecipuo dignus erat in sui conditoris sinu recumbere, inter eos qui eius gratia fruuntur, invenire potuerit nullum, quin potius humili confessione testatus sit: si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. »

1) Epist. CXCVI. ad Asellicum cap. II. n. 6, con. Faustum lib. XXII. cap. XXVII., de perfect. iustit. cap. VIII. nn. 17-18., con. Iulian. lib. V. cap. VII. n. 30, de peccat. merit. et remissione lib. II. cap. XIX. n. 33, de nat. et grat. cap. XXVII. nn. 31-32, de spirit. et litt. cap. XXXVI. n. 66. et de grat. Christi capp. XI-XII. nn. 12-13. Consonant Richardus victorinus I. P. pag. 545. et Thomas II. II. q. XLIV. a. VI.

2) Con. pelag. dialog. I.

3) Praefat. in Cantica. Sententiam catholicam adversus begardos et beguinas denuo confirmatam in viennensi synodo an. MCCCXI. habes in clementina *Ad nostrum*, de hereticis, et penes Antoninum hist. P. XXI. tit. II. cap. III. §. 2.

1548. Porro si ad Deiparam oratio convertatur, reperiemus sic factam ab ipsa iustitiam, ut eadem fuerit quoque perfecta. Duo namque ad iustitiae absolutionem perfectionemque necessaria sunt ac plane sufficiunt: initio quidem ne quis membrorum lege tentatus concupiscat: deinde vero ne pulvere etsi tenuissimo levis culpae aliquando sordescat. Abunde autem ostendimus certisque [1]) argumentis comprobavimus, neque Deiparam fuisse cupiditati obnoxiam, neque ulla actualis culpae labe vel semel infectam. Duo igitur necessario evidenterque consequuntur, quorum alterum est Deiparam ad reparationis redemptionisque ordinem pertinere [2]) non communem sed proprium, non universalem sed singularem eoque multo praestantiorem: alterum vero ipsam neque originis culpa fuisse obstrictam, neque hereditaria labe commaculatam. Quibus plenius stabiliendis non pauca sunt quae conducunt, atque haec inprimis [3]) ex Ambrosio: « Per unum Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus [4]) non potuit iustus esse, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex virgine generationis obnoxiae privilegio minime teneretur. Ecce, inquit [5]), in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea: dicit is qui iustus prae ceteris putabatur. Quem igitur iam iustum dixerim nisi horum liberum vinculorum, quem naturae communis vincula non teneant? Omnes sub peccato, ab Adam in omnes regnabat mors. Veniat solus iustus in conspectu Dei, de quo iam non cum exceptione [6]) dicatur, non peccavit in labiis suis, sed, peccatum non fecit. » Haec deinde [7]) ex eodem: « Idcirco Christus immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est. Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus corporeae peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Me-

1) nn. 1498. seqq.

2) nn. 1365. seqq. Sicut enim communis reparationis et redemptionis ordo liberatione continetur a peccato iam contracto; ita proprius et privus Deiparae ordo ad praeservationem ex gratia ac privilegio revocatur. De hoc autem ordine praeclare disserunt Caietanus in III. p. q. XXVII. a. II., Vasquius disput. CXVI. cap. V. et Suarius disput. III. sect. IV.

3) Penes Augustinum con. Iulian. lib. II. cap. II. n. 4. pag. 527. ex libro Ambrosii de Noe et arca, in quo tamen uti nunc editus prostat, haec verba desiderantur.

4) Supple *ex ipso generationis modo*, quo Unigenitus Patris ex purissima Virgine conceptus fuit atque in lucem venit. Hoc egregie declarat Anselmus, qui in lib. de concept. virg. et orig. pecc. pluribus continenter capitibus VIII-XI-XII-XIII. statuit: « Quod in semine sumpto de Virgine non sit peccatum, neque necessitas futuri peccati. Quod propagatio de Virgine non subiaceat legi et meritis naturalis propagationis. Quod mala Adae nulla rectitudine ad illum hominem transeant. Quod etsi non esset Deus sed purus homo, necesse tamen esset illum talem esse, qualis primus homo factus est. »

5) Ps. L. 7.

6) Iob. II. 10. coll. I. Petr. II. 23.

7) Penes Augustinum con. duas epist. pelag. lib. IV. cap. XI. n. 29. pag. 488.

Digitized by Google

rito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturae, et quod prius inciperet in homine macula quam vita.» Tum [1]) haec: « Ideo et quasi homo *(Christus)* per universa tentatus est, et in similitudine hominum cuncta substinuit; sed quasi de Spiritu natus, abstinuit a peccato. Omnis enim homo mendax, et nemo sine peccato nisi unus Deus. Servatum est igitur ut ex viro et muliere, idest, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.» Sepositis itaque nullius frugis quaestionibus de eo quod esse fierive possit, ex instituto reparationis ordine disertisque Ambrosii suffragiis intelligimus, mutuo iungi atque penitissime cohaerere hinc quidem originali labe hominem infici et aliqua actuali noxa obligari, inde vero nulla obstringi actuali culpa et nullum sensisse generationis naturale contagium. Sed nemo est qui nesciat, eum totius vitae candorem tribui Deiparae oportere, quem nullus unquam actualis culpae naevus infecerit. Hoc enim quod proprio loco [2]) accurate ostendimus, perspicue effertur [3]) his verbis:

» Salve Deo consecrata,
» Ante huic mundo nata,
» Intra matris uterum;
» Dono fixa speciali,
» Ut nec lapsu veniali
» Peccares in posterum.
» Salve tantae puritatis
» Vas, ut regem maiestatis
» De supernis traheres,
» Gabriele nuntiante
» Inaudita post et ante
» Nuntia susciperes.

Et [4]) rursum:

» Salve quae numquam ruisti;
» Ac per hoc promeruisti
» Super omnes choros sisti;
» Ubi dextera te Christi
» Mire laureavit.

Restat igitur ut eidem origo deferatur, quam communis naturae vincula non tenuerint.

1549. In qua verissima persuasione validius etiam confirmabimur, si animum ad haec adverterimus quibus Augustinus [5]) Iu-

1) Penes Augustinum de nuptiis et concupiscent. lib. I. cap. XXXV. n. 40. pag. 300. ex Ambrosii in Isaiam enarratione, quae reliqua adhuc non est.

2) nn. 1256. seqq.

3) Apud Mone T. II. pag. 280.

4) Ibidem pag. 277. Eodem pertinentia dabit Iacobus monachus orat. in Deiparae praesentat. §. XI. pag. 387.

5) Con. Iulian. lib.V. cap. XV. n. 57. pag. 656. Neque aliter Anselmus in libro cur Deus homo, de Christo scribens cap. XVI: « Dubium non est, eum omnino sine peccato esse. Hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus.» Consentit Gregorius in Ezech. hom. IV. n. 17: « Quis homo sine peccato, nisi ille qui in peccatis conceptus non est? » Et in Evang. hom. XXXIX.

Digitized by Google

lianum alloquitur: « Illud sane magnum verumque dixisti, cum posuisses testimonium apostoli Petri [1]) dicentis, *qui peccatum non fecit;* notandum esse quod iudicaverit apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: *ut doceret,* inquis, *quia qui non fecit, habere non potuit.* Omnino verissimum est. Profecto enim peccatum etiam maior fecisset, si parvus habuisset. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu. » Sed unde Augustino tam vehemens affirmandi ratio, cuiusmodi illa est quae effertur verbis *profecto* et *omnino verissimum est?* Inde omnino quod probe ipse teneret, pro instituto humanae reparationis ordine haec duo *historice* cohaerere: *nullum fecisse peccatum* et *nullum unquam habuisse peccatum.* Iamvero Deipara [2]) nullum unquam peccatum *fecit;* ergo

n. 6: « Sine culpa in mundo esse non potest, qui in mundum cum culpa venit. » Quare Libertus Fromondus doctor lovaniensis in I. Petr. I. rationes ita subduxit: « Quia mater nullum peccatum actuale grandioris aetatis accessu fecit, ut Trid. sess. VI. c. XXIII. definit, ab apposito consequentis ad oppositum antecedentis sequitur, nec ipsam habuisse originale infantilis aetatis exortu; quod facile, ut puto, Augustinus admisisset, si eo tempore eius rei fuisset mota quaestio. »

1) I. Petr. III. 22. Alterum librum de peccat. meritis et remiss. ad Marcellinum his verbis Augustinus orditur: « De baptismo parvulorum.... priore libro satis, ut arbitror, disputavimus. In hoc autem, vivat ne aliquis in hoc seculo, vel vixerit, victurusve sit sine ullo omnino peccato, excepto uno mediatore Dei et hominum homine Christo Iesu, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, quanta ipse donat diligentia vel facultate disserendum enodandumque suscepi. » Sic vero de proposito capite disserit illudque expedit, ut semel iterumque confirmet c. XXIX. nn. 34-47., uni Christo tribui oportere quod vitam degerit penitus immaculatam. Idipsum tuetur in libro de perfect. iustitiae cap. XI. n. 24. inquiens: « Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est: aliud esse sine querela, quod et de multis iustis etiam in hac vita dici potest. » Et infra cap. XXI. n. 44: « Quisquis autem dicit post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iuste vixisse in hac vita vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit apostolo Iohanni qui ait, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Non enim ait habuimus, sed habemus. » Explorata est igitur penes Augustinum doctrina, mortalium neminem vitam degisse a quavis etsi tenuissima labe solutam, atque decus hoc esse quo unus ornatur mediator Dei et hominum, cuius non minus fuit conceptus sanctus quam vita intemerata. Atqui, eodem doctore Augustino, quum de peccatis agitur, quaestio prorsus nulla haberi debet de Virgine, quae tantum gratiae nacta est, ut vinceret omni ex parte peccatum. Consequitur ergo I. Virginem ordine comprehendi singulari et proprio, illique simillimo qui Christo competit: II. formulas infinitas licet atque universales, si tamen circa peccatum versentur, ad Virginem non pertinere: et III. praerogativas eteroqui non divinas, quae uni Christo diserte tribuuntur, ad ipsam quoque eiusdem genitricem altero gradu eximiaque participatione referri. Adeo ut sicuti Christus in omnibus primatum obtinet, ita secundum Christum Deipara omnibus praecellat.

2) Videsis b. Thomam III. p. q. XXVII. a. IV. et a. VI. ad 1: « Dicendum, quod beata Virgo quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Iohannes baptista et Ieremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est quod beatae Virgini praestitum est ut de cetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter: aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. » Et opusc. II. cap. CCXXIV: « Quia igitur beata virgo Maria mater filii Dei facta est de Spiritu sancto concipiens, decuit ut excellentissima puritate mundaretur, per quam congrueret tanto filio; et ideo credendum est eam ab omni labe actualis peccati immunem fuisse non tantum mortalis sed etiam venialis, quod nulli sanctorum convenire potest post Christum, cum dicatur: si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos se-

Digitized by Google

neque ullum unquam peccatum *habuit:* si enim peccatum *habuisset* infantilis aetatis exortu, peccatum *fecisset* grandioris aetatis accessu.

1550. Quam mutui nexus legem plenissima quaedam *inductio* sic tuetur ut plane demonstret. Ab omni namque etsi remotissima veri specie abhorret, in tanta virorum sanctissimorum copia qui singulis aetatibus claruerunt, ne unum quidem proferri in medium posse qui vitam ab omni integram actuali culpa exegerit, nisi ea foret instituti ordinis ratio quae nullatenus pateretur, ut qui origines sortitus sit infectas, vitae prolixioris stadium citra quamvis prolapsionem felix decurrat. At vero nisi animus sit maioribus refragari, nemo unquam fuit ac nemo ex vitiata Adami progenie futurus aliquando est, qui tanta felicitate beetur. Non fuit haec concessa patribus, e quibus Christus secundum carnem natus est: non prophetis, quos Spiritus propria veluti organa selegit: non apostolis, quos Unigenitus amicos nuncupavit: immo ne ipsi quidem Iohanni prodromo, quo maior nemo exstitit inter natos mulierum, qui vitam degit ad angelicam satius quam ad humanam propiorem, quique antea repletus fuit Spiritu et sanctitate donatus quam in hanc lucem nasceretur. Praeclare [1]) ex maiorum sententia [2]) Petrus Damiani: « Hodie dies illuxit insignis, tanto ceteris diebus sanctior, quanto sanctiorem hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille sanctorum splendor, iustorum gloria, laetitia angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus sponsi, sponsae praeparator. Unus est, et secundum non habet, qui choris intertextus angelicis, sublimioris coronae titulis universitatis humanae transcendit ascensum. » Quos titulos ubi enumerat, inter cetera [3]) ait: « Secundus honor est sanctificatio in ventre matris. Quicumque de massa praevaricatrice mundum ingredimur, longam restem originalis peccati trahimus nobiscum. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, praeter Ieremiam et Iohannem baptistam; quamquam et de singulari Virgine nulla sit

ducimus, et veritas in nobis non est. Sed de beata Virgine matre Dei intelligi potest, quod Cant. IV. dicitur: *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* » In eamdem sententiam recidunt quae tradit opusc. VIII. et opusc. LVII. a. III., nec non quae habentur exposit. in Apocal. XII: « Mulier amicta sole Maria propter peccati omnimodam immunitatem, unde Cant. IV. *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* »

1) nn. 1311. seqq.

2) Serm. XXIII. idemque I. in nativit. Baptistae pag. 57.

3) Ibidem.

Digitized by Google

ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus sublimiore sanctificationis genere mundata sit, utpote sacrarium illud in quo Deus Dei Filius carnem fuerat suscepturus. Sed longe minor Ieremiae sanctificatio quam Iohannis. Ille quidem in matris utero sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur. Multo quippe excellentius est Spiritu sancto repleri, quam sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat. Denique et apostoli qui manibus suis tractaverunt de Verbo vitae, cum Spiritum sanctum de Salvatoris accepissent afflatu, vix quinquagesimo a resurrectionis die ad illum gradum pervenire potuerunt, ut diceretur de eis, repleti sunt omnes Spiritu sancto. Et licet Spiritus sanctus largiore tunc munere credentium corda repleverit, hoc tamen Iohannes in utero legitur assequutus quod apostolica celsitudo tandem largiore promissione meruit obtinere. » Quibus quamquam nihil sublimius vel ad ciendum stuporem accommodatius subire animum posse videatur; en tamen quae [1]) Chromatius aquileiensis antistes scribit: « Et baptizavit quidem Iohannes Dominum ac Salvatorem nostrum, sed potius ille baptizatus a Christo est: quia ille aquas sanctificavit, hic aquis sanctificatus est: ille gratiam donavit, hic accepit: hic peccata deposuit, ille remisit: quia hic homo, ille Deus: Dei enim est peccata dimittere, ut [2]) scriptum est, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Et ideo ait Iohannes ad Christum: ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Iohannes enim baptismo egebat, quia sine peccato esse non poterat: verum Christus baptismo egere non poterat, quia peccata non fecerat. » Nitebat ergo Iohannes luce sanctitatis, et puritate fulgebat plane singulari, quin tamen omni prorsus naevo careret, vel cuiusvis exsors actualis culpae merito censeretur.

1551. Quare sic de ipso Augustinus [3]) habet: « Venienti Domino ad baptismum suum, conscius communis infirmitatis [4]) ait, ego a te debeo baptizari. Veniebat enim Dominus ad commendandam etiam in baptismo humilitatem, ad ipsius sacramenti consecrationem. Quia sic suscepit baptismum iuvenis, quemadmodum

1) Tract. I. in Matth. III. §. III. pag. 13.

2) Luc. V. 21. Quod Chromatius scribit de Iohanne quem Christus baptizavit, suo suffragio confirmant Gregorius nazianzenus orat. XXXIX. pag. 633. et Augustinus serm. CCXCIII. n. 12. Neque tamen res est vel ex Scripturis certa, vel ex testificatione maiorum indubitata, quum aliter de ea statuisse videantur Chrysostomus in Matth. hom. XII., Hieronymus in Matth. III. 15. et Maximus taurinensis hom. XXXI. quae est III. de baptismo Christi, pag. 92.

3) Serm. CCXCIII. n. 12.

4) Matth. III. 16.

Digitized by Google

infans circumcisionem. Suscepit commendanda medicamenta, non vulnera. Ille autem quare diceret, ego a te debeo baptizari, mundus ab omni penitus noxa, si non in eo erat quod sanaretur, si non in eo erat quod mundaretur? Ille se dicit debitorem, et tu eum purgas ne debita relaxentur. Ego a te, inquit, debeo baptizari: opus est mihi, necessarium est mihi. » Etenim ad ipsum quoque pertinebant quae [1]) alibi de remissione peccatorum Augustinus tradit his verbis: « Per hanc stat ecclesia quae in terris est, per hanc non perit quod perierat et inventum est. Excepto quippe baptismatis munere quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione adtractum est, regeneratione detrahatur, et tamen activa quoque peccata quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus; ipsa etiam vita cetera iam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fecunditate iustitiae, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; sic tamen spiritu Dei excitantur et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tamquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad seipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus quia non habemus, ut ait [2]) tantus apostolus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Quotquot igitur infecti hereditaria labe inter filios hominis atque irae generatione censentur, vitam quidem peragere sine crimine possunt, sine peccato autem nullatenus explent. Sed Deipara eaque sola [3]) sine crimine et sine peccato praesentem mortalitatem absolvit. Inductio ergo et compertus humanae reparationis modus demonstrant, ad eiusdem decora pertinere ut immunis ab universali transgressione celebretur.

1) Enchirid. cap. LXIV. Cf. Paulum Mariam Paciaudium in praeloquio ad antiquitt. christianas de cultu s. Iohannis baptistae, pagg. 2-3.

2) I. Ioh. I. 8.

3) Apposite Bernardus epist. CLXXXIV. n. 5. « Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam *(Virginem)* descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.»

1552. Haec autem mihi in mentem revocant egregiam Dionysii alexandrini orationem, qua de Christi iustitia contra Paulum samosatenum disserens [a]) ait: « Iustus natura ut Deus, non exercitatione et laboribus sicut omnis homo ex numero piorum, quos necessario sequuntur defectus. Non enim, inquit [1]), est homo iustus super terram, qui faciet bonum et non peccabit. Quamobrem piorum sunt [2]) certamina et labores et precationes pro delinquentibus: et omne genus hominum a parvo usque ad magnum caritate Dei erga homines et misericordia indigemus. Christus vero non in exercitatione ostensus est per fidem et pietatem in Deum, ut iam [3]) dictum est. » Humana igitur iustitia post universalem ruinam duabus notis ac duobus veluti characteribus insignitur. Quemadmodum enim manca in se est, imperfecta, naevisque aliquot maculata; ita

a) Epist. con. Paulum samosat. pag. 215. *Δίκαιον ὄντα φύσει, ὡς θεὸν, οὐ κατὰ ἄσκησιν καὶ καμάτους, ὡς πᾶς ἄνθρωπος τῶν θεοσεβῶν, οἷς καὶ τὰ ἐλαττώματα ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ· οὐκ ἔστι γὰρ ἄνθρωπός, φησι, δίκαιος ἐπὶ τῆς γῆς, ὃς ποιήσει τὸ ἀγαθὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτήσεται· διὸ καὶ ἀγῶνες καὶ πόνοι τῶν θεοσεβῶν, καὶ προσευχαὶ ὑπὲρ τῶν πταιόντων· καὶ τὸ πᾶν γένος τῶν ἀνθρώπων φιλανθρωπίας θεοῦ χρήζομεν, καὶ ἐλέους, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου· Χριστὸς δὲ οὐκ ἐν ἀσκήσει δέδεικται διὰ πίστεως θεοσεβείας, ὡς ἤδη προείρηται.*

1) Eccl. VII. 21.

2) Scite Hieronymus epist. ad Avitum: « Deus enim in certamen et luctam animas dereliquit, ut intelligant plenam consummatamque victoriam non ex propria se fortitudine, sed ex Dei gratia consequutas. »

3) Haec enim praemiserat pagg. 204-205. *Ἄνθρωπος εὐδοκίᾳ ὑπὸ θεοῦ μείζοσι τιμώμενος χάρισιν, ὅταν καὶ μειζόνως εὐδοκιμῇ ἐν θεῷ, ἐν πολιτείᾳ ἀναφέρῃ· οὐδὲν τούτων τεθεώρηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· οὔτε φρονήσεως χάριν φιλοσοφίᾳ· οὐδὲ διὰ σωφροσύνην ἢ σιτίων ἀποβολὴν ὑπερβαίνοντι τὰ ἀνθρώπινα μέτρα· καὶ ὁ μὲν Ἰωάννης ἐθαυμάζετο, μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων· Χριστὸς δὲ ἐμαρτυρεῖτο ἐσθίων καὶ πίνων· καὶ ὁ μὲν ἐν ἐρημίᾳ διάγων, ἀσκητικὸν ἐτέλει βίον πρὸς ἀρέσκειαν θεοῦ· ὁ δὲ κύριος Ἰησοῦς συνῆν μὲν τοῖς ἀποστόλοις καὶ λοιποῖς, οὐ χωριζόμενος τῶν μετ' αὐτοῦ, καὶ παρὰ τοῦτο ἐδείκνυτο Χριστοῦ διαφορὰ πρὸς Ἰωάννην μεγάλη τῇ καθαρότητι, καὶ ἀσυγκρίτῳ δικαιοσύνῃ· ὅτι Ἰωάννης μὲν ἦγεν ἐν δικαιοσύνῃ, Ἰησοῦς δὲ φύσις· οὐκοῦν ἄτοπόν ἐστι τὸ λέγειν ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, ἢ εὐδοκεῖσθαι παρὰ θεοῦ παρὰ πάντας ἀνθρώπους εἰς θεοῦ κατοίκησιν, ἄνευ τῆς ἀσκητικῆς καὶ ἐπιπόνου δικαιοσύνης.* « Homo maioribus a Deo gratiis eius beneplacito honoratus, praesertim quum magis Deo probaretur vitam ducendo studiosam; in Christo Iesu nihil horum spectatum est. Non fuit in eo propter prudentiam studium laboris, neque propter temperantiam ciborum abstinentia, utpote qui modum humanum superaret. Et Iohannes quidem in admiratione erat, quum neque pane vesceretur, neque vinum biberet; Christus vero, teste Scriptura, edebat et bibebat. Atque ille quidem in solitudine vivens, asceticam vitam degebat ut Deo placeret; Dominus vero Iesus versabatur cum apostolis et reliquis, non separatus ab eis quibuscum erat. Et ob id plane apparebat, quod Christus magna puritate et iustitia incomparabili Iohanni antecelleret; quia in Iohanne quidem erat opus et labor iustitiae, in Iesu vero natura. Absurdum igitur est dicere, hominem Christum magis Deo placuisse quam omnes homines ad habitandum in eo, idque sine dura et laboriosa exercitatione iustitiae. » Modus videlicet hominibus praefinitus comparandi virtutes est *ἐξ ἀγῶνος καὶ ἀσκήσεως*, idest, certando cum carne, ut malum declinemus, adhibita cura laboriosa studioque ad virtutem suscipiendam. Non sic Christus Dei filius qui cum carne operabatur, quique solus natura non poterat non esse bonus et iustus. Cum autem nobis filiis hominum et in peccato conceptis utrumque necessarium sit; Virgini contra alterum dumtaxat necessarium fuit, studium virtutis sine certamine, idque ex praerogativa originis et gratia Dei, non autem ex natura.

Digitized by Google

neque sine difficultate acquiritur, neque citra pugnam contentionemque retinetur. Sed fas ne est de iustitia Deiparae geminum vel simile iudicium proferre? Immo characteribus omnino oppositis praedita illa fuit ac distincta. Sicut enim perfectione eminuit, qua exsors fuit cuiusvis culpae; ita immunitate excelluit ab omni pugna et contentione. Ac de priore quidem praestantiae capite hucusque disseruimus; ad alterum vero tum ea referuntur omnia quibus Deiparam a concupiscentiae morbo solutam [1]) ostendimus, tum haec etiam pertinent quae [a]) Epiphanius monachus scribit: « Quod vero ait sancta Virgo archangelo, quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco? Sicut antea diximus, habet etiam quamdam aliam significationem a priore nostra [2]) interpretatione non alienam, hoc est, virum non concupisco, viri concupiscentia careo, non novi voluntatem carnalis concupiscentiae viri. Nec enim habebat virginitatem cum abstinentia et tentatione, ut mulieres modestiores ac de temperantia sollicitae; sed ex natura [3]) illam habebat, quod eximium est ac singulare supra omnes feminas, et ab humana natura [4]) alienum. Atque hoc illud est, quod ab Ezechiele propheta [5]) dictum fuit: erit porta orientalis clausa, et nemo transibit per eam, nisi

a) De vita Deiparae §. X. pag. 22. edit. Dresselii. *Τὸ δὲ εἰπεῖν τὴν ἁγίαν παρθένον πρὸς τὸν ἀρχάγγελον· πῶς ἔσται μοι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; καθὼς καὶ προλαβόντες εἰρήκαμεν, ἔχει καὶ ἑτέραν τινὰ ἔννοιαν οὐκ ἀπάδουσαν τῆς προτέρας ἡμῶν ἐξηγήσεως, τουτέστιν· ἄνδρα οὐκ ἐπιθυμῶ, ἀνδρὸς ἐπιθυμίαν οὐ κέκτημαι, οὐκ οἶδα θέλημα σαρκικῆς ἐπιθυμίας ἀνδρός· οὐ γὰρ ἴσχει τὴν παρθενίαν κατὰ ἐγκράτειαν καὶ ἀγῶνα, ὥσπερ τῶν γυναικῶν αἱ κοσμιώτεραι καὶ τῆς σωφροσύνης ἐπιμελούμενοι, ἀλλ' ἐκ φύσεως, ὅπερ ἐστὶν ἐξαίρετον πασῶν τῶν γυναικῶν καὶ ξένον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ παρὰ τοῦ Ἰεζεκιὴλ τοῦ προφήτου εἰρημένον· ἔσται ἡ πύλη ἡ κατὰ ἀνατολὰς κεκλεισμένη, καὶ οὐδεὶς οὐ μὴ διέλθῃ δι' αὐτῆς, εἰ μὴ κύριος μόνος ὁ θεὸς Ἰσραήλ· αὐτὸς μόνος εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται δι' αὐτῆς· καὶ ἔσται ἡ πύλη κεκλεισμένη· καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι τὸ αὐτὸ μαρτυροῦσιν, ἀλλὰ καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν, οἱ φωστῆρες καὶ διδάσκαλοι τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, τὸ αὐτὸ συμφωνοῦσιν· διὸ καὶ ὁ μέγας Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης φησὶ περὶ τοῦ Χριστοῦ, ὅτι ὑπὲρ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπινα ἔπραττεν· καὶ μαρτυρεῖ παρθένον γέννησις καὶ τόκος ἄνευ ὀδίνων. Ἀθανάσιος δὲ ὁ Ἀλεξανδρείας καὶ Λίων ὁ Ῥώμης εἶπον περὶ αὐτῆς, ὅτι ἐπιθυμίαν ἀνδρὸς ἠγνόησεν, καὶ αἱ ἁγίαι πᾶσαι σύνοδοι ὀρθοδόξως τὸ αὐτὸ ἐπιμαρτυροῦσιν.*

1) no. 1501. seqq.

2) §. VIII.

3) Naturam significat quae ex privilegio talis primum exstitit, qualis e Dei manu initio prodiit.

4) Utique virginitas sine abstinentia et agone aliena merito dicitur ab humana natura, non cuiusmodi principio exstitit innocens, sed cuiusmodi deinde evasit corrupta et labe polluta.

5) Ezech. XLIV. 2.

Digitized by Google

Dominus Deus Israelis: ipse solus ingredietur et egredietur per eam, et erit porta clausa. Omnes insuper prophetae et apostoli idem testantur: quin et ii qui sunt luminaria et patres nostri et magistri catholicae et apostolicae ecclesiae hac in re [1]) consentiunt. Itaque magnus etiam Dionysius areopagita [2]) de Christo ait: *supra hominem humana operabatur*. Et virginali generationi testimonium perhibet etiam partus doloribus vacuus. Athanasius etiam alexandrinus [3]) et Leo romanus pontifex dixit de ipsa, quod concupiscentiam viri ignoravit. Et omnes sanctae synodi orthodoxe [4]) idem testantur. » Hinc ne illa memorem quae [5]) Nicolaus sancti Albani monachus disertissima habet, Anselmus lucensis vel alius antiquus auctor [6]) explanans verba, *ave Maria*, scribit: « Sine vae animae et corporis: animae, quia sine vae infirmitatis ut esset tibi difficile ad bene agendum, sine vae ignorantiae ut non possis cognoscere sive eligere bonum a malo, sine vae malitiae ut esses prona ad malum. » Sic igitur se habuit Deiparae iustitia, ut perfectione atque eiusdem excolendae modo non ab illa minus distaret quae eorum omnium propria est quos originalis culpa depravavit, quam ad illam accederet illamque referret,

1) Quae proinde non anceps et dubia, sed fixa penitus atque explorata censeri debet.

2) Respicit ad Pseudo-Dionysii epist. IV. ad Caium, in qua de Christo legimus: ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου· καὶ θηλαῖ παρθένῳ ὑπερφυῶς κύουσα. *Supra humanam conditionem operabatur ea quae sunt hominis; quod declarat Virgo quae supra naturam parit.*

3) Cf. Allatium in notis ad Eustathii hexaemeron pag. 286.

4) Opinatur Mingarellius in subiectis explanationibus heic nonnulla in graeco Epiphanii textu desiderari.

5) Talia haec sunt ex epist. IX. lib. IX. epistt. Petri cellensis pag. 181. « Quamdiu tractabatur de articulis qui sic vel aliter poterant intelligi, sana utrimque fide dissimulabam, et animus noster si concepit non peperit dolorem. Nunc autem cum tuba canitur quod virgo peccatum senserit, et sentiendo debellaverit, non dissimulo, non patienter ago: vix manus teneo, quin in publicum hostem irruo. » Et infra pag. 183. «Quod nullum prorsus senserit peccatum Virgo peccati destructrix, hoc videtur sentire beatus Augustinus ubi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur sensisse et prophetico spiritu praedixisse David, ubi Verbum incarnari desideraus dicit: *surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* » Quibus haec addit pag. 185. « Quae praerogativae distinctio inter singularem virginem et alias sanctas virgines, si peccatum sensit ut aliae, sed non consensit peccato, sicut nec aliae? Quo gratiae merito praeminuit, ante virtutis obumbrationem dico, si ipsam cum universo hominum genere exclamare necesse fuit, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* » Et mox pag. 185. « In hunc modum distingue inter Virginem nondum matrem et Virginem iam matrem, ut singulari utrobique ceteris virginibus praerogetur privilegio, quae singulariter nondum mater, angelo testante, gratia plena fuit; et singulariter iam mater Spiritus sancti sacrarium extitit: quae nondum mater, quasi lana candidissima nullius peccati sensu maculosa fuit; et singulariter iam mater, quasi purpura sanguine conchylii tincta, ita Spiritu sancto compluta et madefacta fuit, ut nullis de cetero unibus manciparetur nisi divinis. » Postremo absolvit p. 186. « Ipsa quippe culpam peccati, videlicet concupiscentiam et cetera quae simul sunt et poena et culpa peccati, ex omni parte vicit, quod horum omnium nullum omnino sensit. Nam serpentis sibilatio foris fuit per suggestionem, non intus per titillationis prurigi-nem. Nec decuit illam carnem titillari, per quam meruit omnis caro a damnatione titillationis purgari. Non decuit illam carnem inordinate moveri, de cuius propagine ordinis disciplina dimanavit, et omnem mundum sub iustitiae moderamine colligens ad vitam aeternam reformavit. »

6) Exposit. in angelic. salutat.

Digitized by Google

cui protoparentes adhuc innoxii et in statu inchoatae cuiusdam beatitudinis collocati suavissimam operam impendebant. Sed quis ad habitum attendens quo caussae effectusque sese mutuo excipiunt, non illico deducat cum tanto iustitiae discrimine non impar originis discrimen cohaerere, adeo ut quum infecta sint illorum omnium primordia quorum iustitia manca est neque sine pugna belloque comparata, innoxia vicissim existimari debeant primordia Deiparae quae et iustitiae nituit perfectione, et citra quodvis belli periculum virtutem sanctitatemque complexa est?

1553. De quo theoremate multo constabit evidentius, si quae distinctis articulis exposuimus, uno veluti oculorum obtutu spectanda proponamus. Quod quidem mihi videor tribus modis exsequi non incommode posse, quibus compendio explanatis finem capiti imponam. Itaque I. si qua caussa certis conserta sit effectis, neque pro stata divinitus lege ab iis umquam seiungatur; illis deficientibus, ne caussae quidem aditum patuisse censeamus oportet. Voluit porro decrevitque Deus, ut ex contracta originis culpa totidem veluti effectus dimanarent *in ordine quidem physico atque eudaimonico* poenalis mors et corporis in pristinum pulverem resolutio, *in ordine autem remote vel proxime ethico* effrenis cupiditas atque iustitiae imperfectio. Si qui ergo sorte exstiterit neque morte tamquam poena mulctatus, neque in pristinum pulverem resolutus, neque cupiditate incensus, neque iustitiae imperfectione maculatus; is hereditariae quoque labis exsors haberi debet. Atqui ex universis Adami posteris una est Deipara, quae quum, maioribus suffragantibus, neque mortem ceu culpae poenam subierit, neque resolutionem persenserit, nullos praeterea aestuantis concupiscentiae motus experta est, nullasque admisit actuales noxas quibus n perfectae iustitiae norma plus minusve discesserit. Ex omnibus igitur Adami posteris una est Deipara, quam exundantis latissime originalis transgressionis impetus intactam praeterivit. Rursum II. si quod factum *necessarium* sit ne alia eaque non pauca citra quamvis idoneam rationem exstitisse videantur, probari illud sic debet ut nequeat in dubitationem prudenter adduci. Atqui factum Deiparae ab originali culpa exceptae *necessarium* est, ne alia facta eaque non pauca quavis destituta convenienti ratione existimentur. Et re sane vera factis, quae ex doctrina maiorum de Deipara accepimus, haec censentur: 1. quod etsi mortem ipsa obierit, non tamen ceu culpae poenam su-

Digitized by Google

stinuerit: 2. quod non potuerit sepulcro detineri, neque corporis resolutione corrumpi: 3. quod pacatissima florens integritate intestino quovis bello caruerit: et quod 4. citra quamvis pugnam iustitiae studens, illam non modo fecerit sed omnino quoque perfecerit. Verum dempta immunitate ab originali peccato, quaenam, obsecro, ratio eiusmodi factorum ab universali lege aberrantium adsignari non inepte potest? Quocumque te verteris, nullam plane reperias quam merito idoneam arbitreris. Ecquam enim dixeris? Praestantiam ne dignitatemque divinae maternitatis? Sed haec eodem vel potiori etiam iure immunitatem postulat ab hereditario facinore. Dei ne in suis erogandis donis plenissimam libertatem? Sed quamquam haec perfectissima sit, non idcirco est *temeraria*. Quod si temeraria non est, oportuit ut cetera dona munere innoxiae originis cumularentur. Quare praerogativa immaculati conceptus ad eam spectat factorum classem, quae concedi *necessario* debent, ne casus et temeritas regnare videantur. Postremo III. si quo maxime indicio divina opera excellunt et fulgent, illud profecto est quod *harmonia*, quod *concentu*, quod *pondere*, quod *numero*, quodque *mensura* continetur. Sed actum de hoc indicio funditus esset, si Deipara consors originalis culpae putaretur. Hac enim semel *hypothesi* praestituta, rerum harmonia atque concentus hanc deductionum seriem postularent. Deipara consors fuit culpae originalis: ergo 1. ipsi mors tanquam poena debebatur: ergo 2. ipsius corpus debuit in nativum pulverem resolvi: ergo 3. fuit cur membrorum lege afflictaretur: ergo 4. non sine pugna iustitiae vacavit: ergo 5. etsi iustitiam fecerit, illam tamen non perfecit. Atqui vera atque historica deductionum series alia prorsus est ac diversa. Ne igitur divinorum operum harmonia concentusque periclitentur, necesse est ut alia item ac diversa *hypothesis* iudicetur. Quaenam vero? Haec scilicet: *Deipara exsors fuit hereditariae praevaricationis*. Hac autem hypothesi, quam *verissimam* esse *thesim* ostendimus, praerogativa effertur immaculati conceptus. Praerogativa igitur immaculati conceptus ad eam pertinet fidem, quam catholicum nomen de poenis deque effectis originalis transgressionis profitetur.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De explicitis disertisque maiorum testimoniis ad immaculatum Deiparae conceptum pertinentibus: quae norma obversari oculis debeat, ut de hoc testimoniorum genere iudicetur: ea continentur duplici classe, quum alia sint ῥητῶς formaliterque diserta, alia virtute et significatione aequipollentia: utraque porro classis nunc propriis, nunc metaphoricis translatisque vocabulis effertur: totidem distinctis articulis singulae classes proponuntur et illustrantur: his postremo comparatio subiicitur inter formulas usu maiorum receptas ad contractam originis labem significandam, et antitheses quas de Deipara eiusque primordiis loquentes saepissime frequentarunt: probationis conclusio, qua decus immaculati conceptus perenni traditione assertum vindicatumque demonstratur.

1554. Licet persuasum nobis sit tot esse numero tantaque perspicuitate nitere quae deprompsimus christianae traditionis suffragia, veterumque patrum ecclesiaeque scriptorum testimonia, ut ad aperiendam perspiciendamque universalem constantemque fidem de immaculato Deiparae conceptu nihil merito desideretur; probe tamen intelligimus non minimam lucis splendorisque accessionem ex iis profecturam, *quae explicita ac diserta* nuncupare solemus. Equidem non ii sumus qui id certum ratumque *dumtaxat* habent, quod explicitis disertisque maiorum sententiis comprobetur: hac enim lege nihil [1]) a veritate et nihil [2]) ab inductione remotius ex-

1) Nihil a veritate remotius, quum ea lege semel constituta, negari in ecclesia debeat maior in dies uberiorque divinae revelationis explicatio. Praeclare Anselmus de antiquis patribus in prologo ad librum de incarnatione scribens: « Nam et illi, quia breves dies hominis sunt, non omnia quae possent dici si diu vixissent, dicere potuerunt; et veritatis ratio tam ampla tamque profunda est, ut a mortalibus nequeat exhauriri. » Praeclare Richardus victorinus de tabernaculo foederis in praefatione ad primum tractatum inquiens: « Non est magnum nec mirum, si in uno aliquo aliquid possumus addere, quod ad maiorem vel minorem intelligentiam possit proficere. » Et mox: « Qui producit assidue novos fructus ad recreationem exterioris hominis, numquid credendus est nullos de cetero scientiae profectus impertiri ad innovandos sensus interioris hominis? Ubi est ergo illud, quaeso, *pertransibunt plurimi et abundabit scientia?* » Et praeclare Rupertus tuitiensis, qui haec e trivio vocibus, *illicitum est, temerarium est adiicere quidpiam ad ea quae a nominatis catholicisque patribus dicta sunt, atque ita fastidium legentibus facere augendo multitudinem commentariorum*, in prologo ad Apocalypsim reponit: « Quis namque recte indignetur eo quod in eadem possessione post unum aut alios puteos quos foderunt patres praecedentes, plures proprio fodiant labore filii succedentes? Denique Isaac et alios puteos fodit praeter illos quos foderunt servi patris sui Abraham, quos, illo mortuo, obstruxerant Philistiim. Nam postquam et illos fodit, appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat, sequitur Scriptura et dicit; foderunt in torrente et repererunt aquam vivam. Item foderunt et alium. Itaque iuxta hanc regulam nobis quoque concedant post illos puteos quos foderunt, idest, post illos tractatus quos tractaverunt patres et priores nostri, et alios fodere puteos proprii vomere ingenii, dummodo vivam et nos aquam reperire possimus, quae nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti. »

2) Nihil ab inductione alienius, quod ex historia dogmatum videri compertissimum debet.

Digitized by Google

cogitari posse consemus: neque propterea diffitemur si explicita disertaque adsint, plurimum ex iis commodi utilitatisque dimanare. Igitur sin minus ut *necessitati* obtemperemus, aliis certe de caussis iisque minime spernendis operam dabimus, ne lectores nostri in hoc postremo sectionis capite illud frustra quaerant, quod iam forte animo votisque praeceperint.

1555. Atque caussae sane graves existimentur oportet *sive perfectio*, qua institutum expolitumque hactenus argumentum, prolatis disertis testimoniis, augetur ac ditescit: *sive luminis copia*, quae in universam testimoniorum seriem ex disertis suffragiis refunditur: *sive insita eisdem virtus*, quae morosiores quoque animos percellit ac movet: *sive situm in illis praesidium*, quo praeposterae ceterorum enarrationes profligantur: *sive demum studium legendi premendique vestigia maiorum*, qui de omnimoda Deiparae puritate disserentes, eiusque innocentiam cuiusvis semper nesciam labis celebrantes, non antea sibi finem facere integrum esse censuerunt, quam suam mentem, inditamque imis pectoribus fidem perspicuis explicitisque testificationibus prodidissent.

1556. Ne cui autem anceps sit et in ambiguo positum quas *disertas explicitasque testificationes* appellemus, more nostro *tam negando quam aiendo* earumdem vim propriumque characterem declarabimus. Itaque neque disertae neque explicitae nobis sunt illae veterum testificationes, quae licet immaculati conceptus praerogativam *vere* contineant et ad eam asserendam tuendamque *vere* conducant, eamdem tamen neque promunt neque spectandam perspicue obiiciunt, nisi propositionibus aliunde arcessitis, vel illorum usu receptis et auctoritate munitis, vel alioquin certis ac penitus exploratis. Quapropter explicitas disertasque testificationes non alias ducimus nisi quae hisce veluti coniunctim insigniantur, ut I. praerogativam immaculati conceptus, sive negata hereditaria culpa, sive asserta originali gratia et innocentia, certissime praeseferant: illamque II. verbis ipsis *immediate* praeseferant. Duplex igitur character, *realis* alter atque alter *verbalis* conspiret necesse est, ut testificatio aliqua explicitis disertisque connumeretur.

1557. Et uterque sane character conspirat in hanc Maximi taurinensis [1]) testificationem: « Natus igitur puer penitus in praesepio,

1) In nat. Domini hom. V. pag. 18.

Digitized by Google

et haec sunt Dei prima cunabula; nec regnator caeli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis sed pro gratia originali. » Uterque conspirat in hanc [1]) Paschasii Ratberti sententiam: « Nisi Adam et Eva primum peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non naturae est, sed corruptionis et vitii. Maria autem [2]) quia benedicta culpam corruptionis non habuit. » Et uterque in haec verba conspirat quae debentur [3]) Herveo: « Maria ex Adam mortua propter peccatum, nisi divinitus exempta fuisset; et caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata. » Ac [4]) denuo: « Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta matre Dei, sive originalibus sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est. »

1558. Ceterum operae pretium fuerit diligenter expendisse *quadruplicem* distingui *modum* oportere, quo veritas aliqua efferri *immediate* potest. Sicut enim apprehendi animo potest vel eiusdem *forma et essentia*, vel *attributum* cum forma essentiaque necessario cohaerens; ita efferri immediate potest aut *verbis formalibus* quae priori mentis apprehensioni respondent, aut *verbis aequipollentibus* quae posteriorem apprehensionem vestiunt oculisque subiiciunt. Porro utrumque verborum genus *sive formalium sive aequipollentium* suapte natura ita dispescitur, ut sit *proprium vel metaphoricum et translatum*. Quadruplex igitur suppetit modus ad veritatem aliquam immediate efferendam accommodatus, isque *formalis aut aequipollens, proprius aut methapora affectus*. Exemplo quae carptim diximus, plenius innotescent.

1559. Significari immediate debeat hereditarium peccatum, quod [5]) origine unum et propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium. Effici id initio potest verbis, quae eiusdem formam essentiamque repraesentent, qualia haec sunt quibus [6]) Anselmus utitur: « Nam si omne peccatum est iniustitia, et originale peccatum est peccatum; utique est et iniustitia. Quod

1) De partu Virginis pag. 295. in collect. pp. tolet. T. I.

2) Ibidem adversarios refellens praemiserat: « Alioquin quid est quod legem naturae requirunt in Maria, ubi totum quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus? »

3) Comm. in epist. ad Rom. VIII. 1.

4) Comm. in II. Corinth. V. 14.

5) Concil. trident. in decreto de peccat. orig. §. III.

6) De concept. Virg. et orig. peccato cap. III. pag. 98.

Digitized by Google

si ita est, et iniustitia non est aliud quam absentia debitae iustitiae: non enim videtur esse iniustitia nisi in natura quae cum debet habere, iustitiam non habet: utique originale peccatum clauditur sub eadem definitione iniustitiae. » Atque haec [1]) item: « Originale igitur peccatum non aliud intelligo quam quod est in infante, mox ut animam habet rationalem; quidquid prius in corpore nondum sic animato factum sit (ut aliqua membrorum corruptio), vel post sive in anima sive in corpore futurum sit. Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra [2]) posui factam per inobedientiam Adae iustitiae debitae nuditatem per quam omnes filii sunt irae, quoniam et naturam accusat spontanea quam fecit in Adam iustitiae desertio, nec personas excusat, ut [3]) dictum est, recuperandi impotentia quam comitatur beatitudinis quoque nuditas; ut sicut sunt sine omni iustitia, ita sint absque omni beatitudine: per quas duas nuditates in huius vitae exsilio expositi sunt, et patentes peccatis et miseriis incessanter ubique occurrentibus et undique irruentibus, nisi quantum divina defenduntur dispositione. » Effici idipsum deinde potest verbis, quae originalis culpae attributis respondent, qualia sunt tum ex iis nonnulla quae Anselmus usurpavit, tum ea quibus homines [4]) generatione ipsa dicuntur deformes, irae filii, Deo exosi, satanae obnoxii et ad sempiternam damni poenam destinati. Iamvero sicuti prior loquendi ratio cum altera in eo convenit, quod utraque explicita est ac diserta; ita prior a posteriore eo distat, quod illa explicita est ac formalis, haec autem explicita quidem sed aequipollens. Usu autem venit ut ad alterutram efferendam nunc propria et nunc translata vocabula adhibeantur, proindeque de Adami posteris indiscrimitatim dicatur I. concipi illos originali iustitia privatos: II. concipi Deo invisos et maledicto obnoxios: III. concipi inquinatos et tenebris obductos: ac postremo IV. concipi satanae viru infectos et a Dei regno extorres.

1) Ibid. cap. XXVII. al. XXVI. pag. 106. Quare Thomas I. II. q. LXXXII. a. III. distincta in originali peccato materia et forma concludit: « Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae. »

2) Ibid. capp. II-X-XXIII.

3) Ibid. cap. II.

4) Haec omnia tridentini patres complexi sunt decreto de peccato originali, atque haec omnia theologi de eodem peccato disserentes accurate enarrant, e quorum numero Thomas in II. dist. XXX. q. I. a. III. principio ait: « Destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturae, in peccato originali formale est, et hoc est privatio originalis iustitiae. » Tum dist. XXXII. q. I. a. I. ad 1. pergit: « Dicendum quod in originali iustitia erat aliquid quasi formale, scilicet ipsa rectitudo voluntatis, et secundum hoc sibi opponitur culpae deformitas. »

Digitized by Google

1560. Ex hisce vero quatuor modis explicitis simul ac distinctis et ad significandam immediate originalis culpae propagationem pariter idoneis, totidem ex adverso modi repetuntur, quibus immaculati conceptus praerogativa declaratur. Et priori quidem eodemque formali utitur beatus Laurentius Iustiniani, qui membrorum lege deplorata [1]) subdit: « Haec est originalis poena delicti, a qua nemo quamvis eximia polleat sanctitate, liber exsistit. Quotquot enim ex ipsa sati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Dei et hominum homine Christo Iesu et ipsius matre, sub hac peccati lege sunt conditi, unde propheta voce omnium gemens ait, ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. » Ubi vero satanae tyrannidem [2]) commemorat, ait: « In elatione principandi evectus hic angelus, quoniam in caelo regnare non valuit, sedem suam ad aquilonem instituens, in hoc nequam seculo solium iniquitatis erexit. Nemo ab ipso mundi initio usque ad temporis plenitudinem, dumtaxat mediatore eiusque genitrice exceptis, iugum damnationis eius evasit. » Quo et haec pertinent quibus [3]) depraedicans intemeratae virginis Mariae praerogativam sanctitatis exclamat: « Quis, oro, huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui conceptione in benedictionibus est praeventa dulcedinis, atque a damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata quam nata. In ipso enim utero materno iam posita, super illam gratia sanctificationis effulsit utpote ei quae electa erat ut pareret Deum. Noverat opus suum ille qui fecerat, et quale futurum erat, certissime agnoscebat. Erat plane sicut a carnis colluvione immunis, ita et ab omni peccati labe extranea. » Neque alio haec pertinent, quibus vim hereditariae labis [4]) definit: « Peccatum

1) De casto connubio Verbi et animae cap. VII. Et quidem quidquid dignum unquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est eum de te, o beatissima feminarum noluisse. Numquid ergo, dulcissima Domina, numquid tu tanta futura, summi videlicet mater unica, et omnium quae fuerunt sunt aut erunt prudens ac nobilis post Filium imperatrix, numquid in exordio tuo talis esse debuisti, ut aut impuritati aut subiectioni potuisses addici? »

2) Fascicul. amoris cap. VII. pag. 293. ibidem. Neque aliter beatus Ogerius Leucedii abbas qui anno MCL. claruit, quique serm. XIII. ex quindecim de coena Domini pag. 640. inter opp. Bernardi T. V. scripsit: « Non est in filiis hominum magnus vel parvus tanta praeditus sanctitate, nec tantae religionis privilegiatus honore qui non in peccatis fuerit conceptus, praeter matrem immaculati agni peccatum non facientis sed peccata mundi tollentis, de qua cum de peccatis agitur nullam prorsus volo habere quaestionem. » Et merito sane, quum eo praestituto quod nemini anceps esse debet, integrum Deo fuisse Deiparam a spinis communis peccati custodire, illico adiecerit: « Potuit plane et voluit. Si igitur voluit, fecit.

3) Serm. X. in festo annunciat. pag. 42. opp. T. II.

4) De perfectionis gradibus cap. I. pag. 421. ibidem. Venerabilis Guibertus clarus seculo XII., cuius opera Lucas Acherius edidit, de laudibus sanctae Mariae cap. VIII. post alia scribit: « Qui enim potuit dare conceptum prius in ea per fidem, cum actuali abolevit originale peccatum. » Sed quomodo abolevit

Digitized by Google

originale illud esse dicitur, quod nec ab opere nec a natura, sed contrahitur ex vitio et priorum transgressione parentum, transfunditurque in carnem et animam: in carnem quidem materialiter et originaliter, in animam vero formaliter tamquam in subiectum. Ab hoc quippe originali delicto nullus excipitur praeter illam quae genuit mundi salvatorem, unde gemens propheta aiebat: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Et alio in loco Scripturarum legitur, nemo mundus est a peccato etiam infans, cuius vita unius diei est super terram. Per hoc efficitur quisque obnoxius aeternae damnationi, sicut Apostolus perhibet dicens: eramus et nos filii irae quemadmodum et ceteri. »

1561. Alterum loquendi modum eumque aequipollentem adhibuit beatus Petrus Paschasius [1]) seculo XIII. scribens: « Oportet igitur intelligere et credere, quod haec praefata Virgo est ea, de qua proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creaturam fuit electa ut mater Dei esset. Ergo praedicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei. Unde cum venit plenitudo temporis hanc conceptionem Deus per angelum Gabrielem revelare constituit, et hoc per gratiam specialem; et voluit praeservare ab originali quod mortale erat, ut ab omni alia deturpationis iniuria, et hoc per specialem gratiam operatus est Deus, tamquam qui ab ea carnem assumpturus erat qui decorus et speciosus forma prae filiis hominum futurus erat. » Utrumque tandem loquendi modum proprium et metaphoricum iis coniunctum cernimus, quae Hugo et Richardus Victorinus frequentant. Ille enim Deiparam compellans [2]) ait:

in ea originale peccatum? Eodem pacto quo abolevit actuale. Actuale autem abolevit *gratia praeservante;* eodem igitur *praeservantis gratiae* munere ipsum quoque originale abolevit. Quod cap. V. p. 294. mihi videtur Guibertus perspicue significasse inquiens: « Certe si secundum platonicam sententiam spiritus nostri prius creantur quam corpora, posset Deus cuipiam spiritui optionem dare, qua vellet procreari ex matre. Quod si fieret, quam putas ille personam sibi ipse conciret? De corporis forma ac habitudine sileam. Quid honestatis, quid prudentiae animo eius comportaret? Nihil procul dubio illi adimeret, quo ipse aliis invidiosa non esset. Si sic hominis spiritus, civitatem virginalis uteri quam sibi fundat Altissimus, quo potentior est, nonne Dei multo magis perornat Spiritus? »

1) In opusc. de mysteriis et sanctit. b. Mariae con. Iudaeos tit. XXIII. n. 71. pag. 381. Ubi gravitate originalis maculae suis depicta coloribus subdit: « Si ergo virgo Maria labem originalis maculae attraxit, dicendum esset quod aliquo tempore fuit in ira Dei; quod nec dici nec credi debet, sed potius quod ante conceptionem eius et postea in gratia sui exsisteret et amore. Et hoc fecit Deus et potuit facere per specialem gratiam, sicut fecit in tribus pueris qui in fornacem ignis missi sunt comburendi et evaserunt ab igne, quia illis inhaereret corporis deturpatio. Quanto ergo magis virgo Maria per Deum electa, quae conceptura et paritura erat filium eius, ab omni macula tam originali quam mortali et veniali praeservata? Propter hoc itaque ait Scriptura, sicut lilium inter spinas; et alia Scriptura dicit, tota pulcra es. »

2) Serm. IX. Eisdem insistit vestigiis lib. III. eruditionis theolog. tit. CXXV. ac de Virgine ait: « Tantum a dolore mortis facta est extranea, quan-

Digitized by Google

« Totum quod in te est, pulcrum est; et nihil inest tibi quod sit sordidum. In toto places, in nullo displices. Tota pulcra es, pulcra per naturam, pulcra per gratiam, pulcrior fies per gloriam. » Et [1]) alibi: « Beata virgo Maria aurora fuit, quia et praecedentis temporis quod quasi nox fuerat, finis exstitit, et vera lucis gratiae solisque iustitiae qui ex ipsa progenitus est, praeventrix et antelucanum sidus fuit. » Richardus vero [2]) scribit: « Non decuit ut caro illa beatae Mariae peccato aliquando obnoxiam se cognoverit, sed electa est ab initio. Nam Dei sapientia indignum esse credimus, ut quam ad lumen gentium praedestinavit, tenebris pravitatis sineret involvi. » Quibus haec [3]) adamussim respondent: « Maria itaque supra homines est in eo, quod numquam peccatum commisit sicut homines, inter quos [4]) nullus inventus est qui faciat bonum et non peccet. Supra angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum divinitatem clarius illis contemplatur. Nec tantum peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata delevit, nec solum in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam mundus lumen gratiae accepit. Inter divina itaque et humana media et mediatrix est Maria, ut humana supergrediatur, dum tam sublimia per filium operatur. »

1562. Notionibus praestitutis, omnique semota ambigendi tergiversandique ratione, id unum esse reliquum videtur ut quas

tum a corruptione fuerat aliena. » Quam vero nominat corruptionem? Illam quam mortis dolor comitatur. Haec autem est corruptio hereditarii peccati.

1) Serm. XXXIV. monast. institutionis.

2) Petrus Aureolus, Iohannes Bacho, Franciscus Martini, aliique e schola theologi seculi XIV. testes sunt, Richardum auctorem fuisse sermonis de Virginis conceptione, e quo Bacho in IV. dist. 43. q. IV. a. I. ea retulit quae descripsimus. Alia dabit Franciscus Martini tract. V. de imm. conceptione.

3) Exposit. in Cantic. cap. XXXIX. Praeclare s. Franciscus Salesius in tract. de amore Dei P. I. lib. II. cap. VI. « Cum sapientissimus, omnipotens et optimus Deus praeparare sibi matrem deberet secundum cor suum, redemptionem suam ei applicatam voluit instar remedii praeservativi, ne peccatum quod de generatione in generationem transfundebatur, ad eam perveniret. Sic itaque excellentiori modo Christi mater redempta fuit, ut quamvis originalis culpae torrens eodem impetu quo ceteras Adae filias obruerat, in huius sacratae Dominae conceptionem rueret, adventans tamen non ultra progressus est, sed stetit, quemadmodum Iosue tempore stetit olim Iordanis. Eodem quippe respectu quo fluvius ille transitum arcae foederis reveritus, aquas suas cohibuit; originalis illuvies sanctioris tabernaculi aeterni foederis praesentiam verita ac reverita, suas undas retraxit. Hac igitur ratione captivitatem omnem removit Deus a sua gloriosa genitrice, cui gemini status humanae naturae felicitatem contulit, omnimodam videlicet innocentiam quam primus Adam perdiderat, et excellentem redemptionem quam ei secundus Adam acquisierat. »

4) Sed cur? Audiatur Gregorius in Ezech. lib. II. hom. IV. n. 17. « Quis homo sine peccato, nisi ille qui in peccatis conceptus non est? » Et in evang. lib. II. hom. XXXIX. n. 5. « Sine culpa in mundo esse non potest, qui in mundum cum culpa venit. » Quare Anselmus de Christo loquens ex recepta maiorum doctrina scripsit in libro *cur Deus homo* cap. XVI. « Dubium non est, eum omnino sine peccato esse; hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus. » Tenemus autem cum ecclesia catholica, Deiparam omnino fuisse sine peccato; harmonia ergo dogmatum exigit, ut illam haereditariae praevaricationis exsortem censeamus.

promisimus disertas explicitasque maiorum testificationes depromamus. Hoc autem ut perspicue eoque quem ambimus fructu exsequamur, praemoneri necessario debet, eiusmodi testificationes plerasque omnes, diverso licet respectu, in antecedentibus sectionibus et in hac ipsa quam prae manibus habemus, fuisse relatas. Vix enim quidquam quod disertum foret omisimus, et vix quidquam quod explicitum esset negleximus; sed quum alia destinato consilio iustaque tractatione adhibuerimus, alia vicissim perfunctorie et praeter constitutum nobis finem usurpavimus. Ne igitur inani molestaque rerum iteratione lectores fatigemus, aut quae suam sedem heic habent, secus ac par est, expediamus; quaecumque dicenda restant, hisce prope lineis concludemus: ut priore articulo quo fieri brevius potest, insigniora illorum genera recolamus: et secundo tertioque articulo ea complectamur, quae in antecessum obiter delibata, sententiis explicitis iisdemque nunc metaphoricis nunc propriis decus immaculati conceptus praeseferunt: et ut quartus postremusque articulus coalescat tum solemnioribus apud patres scriptoresque ecclesiasticos formulis quibus propagatio hereditariae labis exprimitur, tum propositis e regione antithesibus quae de immaculatis Deiparae primordiis in christianis monimentis frequentatae recurrunt.

ARTICULUS I.

Compendium eorum quae suis opportune locis uberius enarrata, disertis explicitisque sententiis immaculatum Deiparae conceptum demonstrant: recoluntur primum sententiae metaphoricae: subiiciuntur deinde propriae, atque ex omnibus in summam coactis explicita ac diserta immaculati conceptus testificatio depromitur.

1563. Si vellem omnia persequi quae sibi locum non importune heic vindicarent, neque promissis quibus memet paullo ante obstrinxi morem gererem, neque prolixitatis notam molestumque repetitionis genus effugerem. Plurimis ergo quae superioribus [1]) continentur, ultro sepositis, iisque pariter sepositis, quamquam

1) nn. 81-82-83-89-90-91.

Digitized by Google

evidentibus, quibus Virgo extollitur [1]) uti columba [2]) et [3]) agna, eaque pura, munda, intemerata, cuiusvis inscia naevi, quaeque angoribus *ceu poenis* affligi propter singularem innocentiam eximiamque iustitiam nequiverit, nonnulla ex iis primum recensebo quae de marianis typis [4]) verba faciens commemoravi, eoque sua sponte pertinent ut Deiparam originali candore splendidam, originalique venustate nitentem patefaciant.

1564. Animo itaque recolantur quibus veneranda Dei genitrix ea munditie perhibetur insignis qua excelluit [5]) prima terra, terra [6]) super quam benedictio Domini, terra [7]) sancta, terra [8]) illi simillima e qua conditus Adam fuit, et omnino terra quae nullum passa contagium nullas edidit spinas, nullisque tribulis inhorruit. Animo deinde recolantur quibus Virgo [9]) cum paradiso contenditur, eoque caelesti, spiritali, quemque suis ipse manibus Deus sevit magnificeque plantavit. Tum animo recolantur quibus Virgo praemonstrata [10]) dicitur ligno paradisi, arbore in medio paradiso virescente, lignoque vitae quod nullus vermis corrupit. Animo tandem reco-

1) nn. 113-167-283-284-285-624. alibi.

2) Quae imago in Latinorum hymnis adhibetur his verbis apud Mone T. II. pag. 306:

» Salve Virgo praeelecta, » Salve oliva novella,
» Domini mater electa, » Novae gratiae puella,
» Seculo salus directa, » De radice Iesse nata,
» Stirpe nobilis concepta. » Virgo florens, virgo nata.

» Salve porta sigillata,
» Columba immaculata
» Soli Domino dicata.

In Graecorum vero hymnis nihil crebrius titulo, quo Deipara salutatur καλὴ περιστερά. Hinc illa Annae Deiparam in templo offerentis, auctore Iacobo monacho orat. in Deiparae praesent. §. IX. pag. 383. Ἁγίοις χώροις τοὺς ὑπερφυεῖς ὑποδεχέσθω ποδας, καὶ ἀκηλιδώτου διαγωγὴ τὸν ἀμώλυντον διατηρείτω περιστεράν. *Intactus locus superimmaculatos suscipiat pedes, et imperviam domicilium mundissimam servet columbam.* Atque hinc quae simillimis verbis Iacobus habet §. XXI. pag. 404. Quibus expoliendis iuverit contulisse Hieronymi sententiam adv. Iovinianum I. 30., *turturem typum esse Salvatoris.*

3) Apposite Iacobus qui orat. cit. §. XXV. pag. 409. de Virgine in templo degente exclamat: Ὢ καινὴς καὶ πάσης ἀνωτέρας διανοήσεως χάριτος· ὦ ξένης καὶ ἀγωγὴς καὶ διαιτήσεως· ὦ νομῆς ἀκίνου, ὃν ὁ λογικὸς καὶ ἄσπιλος τῆς φύσεως κατενεμήθη ἡμᾶς. *O novam, omnique cogitatione sublimiorem gratiam! O peregrinam vivendi rationem ac formam! O pascuum illud, quo rationalis et immaculata naturae agna pascebatur!* Sed dici ne Deipara posset ὁ ἄσπιλος τῆς φύσεως ἀμνὰς, *immaculata naturae agna*, si una cum reliqua hominum natura maculam labemque contraxisset? Iudicent quibus arbitrandi facultas est.

4) Sect. III. nn. 653. seqq.

5) nn. 307. seqq.

6) nn. 502. seqq.

7) nn. 1245-1384. seqq.

8) nn. 854. seqq.

9) nn. 50-168-220-257-851-1301. seqq. In ecclesiastica sequentia apud Mone T. II. p. 72. legimus:

» Haec est Hester imperatrix,
» Sara risus generatrix,
» Thecuites advocatrix,
» Iudith hostis triumphatrix.
» Paradisus voluptatis
» Est Maria, praestans gratis
» Signum immortalitatis
» Ad fontem iocunditatis.

» Paradisum hunc quaeramus,
» Cibum vitae glutiamus,
» Aquas dulces hauriamus,
» Ut feliciter vivamus.

Similia recurrunt pagg. 268-411., itemque Sept. 7., Paraclit. 9. et apud Cosmam hierosolymit. de exalt. crucis 28., ubi Virgo audit φυτουγὸς παραδείσου, μυστικὸς παραδείσου καὶ παραδείσου τρυφῆς.

10) nn. 308-378-463-561-697-754-1131. alibi. Porro n. 1006. appellatur gemma gloriosa paradisi, et apud Mone T. II. pag. 186. lignum vitae almifluum. In corona autem b. Mariae capp. XVI-XXII. pagg. 418-429. ipsa celebratur ut lignum pomiferum in medio paradisi, et lignum vitae liliumque paradisi.

lantur quibus [1]) ceu totidem Virginis imagines adumbrationesque adhibentur caelum, caelum alterum, caelum novum, caelumque terrestre. Quid iamvero hisce typis ostenditur, quaeve puritas hisce imaginibus designatur? Ea ne puritas quam labes praeoccuparint, quam sordes praeverterint aut quae peccati inquinamento successerit? Nullus est ex typis quorum meminimus, nullaque prorsus ex recensitis imaginibus, quae si in sua veluti elementa explicetur, puritatem non excludat quam immunditia anteverterit, quaeque non flagitet innocentiam originalem. Originalis ergo Deiparae innocentia diserte comprobatur illorum omnium suffragio, quos hisce typis usos atque hasce imagines frequentasse novimus. Hi autem sunt plerique omnes prisci scriptores, quum vix ullum suppetat genus veterum monimentorum, quod eiusmodi typis non niteat atque eiusmodi imaginibus non clarescat.

1565. Sed alius iam sententiarum ordo considerandus est, qui aeque explicitus nec minus luculentus videri debet. Is porro est quo Deipara sicuti *habitu similitudinis* [2]) cum Eva componitur adhuc innocente, adhuc animo et corpore virgine ac nondum peccati sordibus infecta; ita vicissim *habitu dissimilitudinis* [3]) ab Eva dividitur iam serpentis astu decepta, animo deflorata et culpae vinculis obstricta. Nihil enim evidentius, nihilque ad intelligendum facilius quam *utroque habitu* partim *aiendo* partimque *negando* Deiparae tribui originalem innocentiam, ab eaque originalem corruptionem arceri, quod [4]) ipsa Evae loco vera mater exstiterit, quod eius mala non fuerit edocta, quod nova apparuerit felicioris reformationis conspersio, quod altera [5]) Eva et longe prima potior verissime iudicetur, et quod apostaticis virtutibus formidabilis infernum eiusque robur contriverit.

1) nn. 130-260-1211. seqq.

2) nn. 1091-1298. seqq.

3) nn. 646-654-1082-1283. seqq.

4) nn. 225-239-409-536-537-648-688-696-712-798-803-832-902. seqq. Egregie in hymnis apud Mone T. II. pagg. 307-411:

»Salve mater Salvatoris,
»Vas electum creatoris,
»Decus caeli civium;
»Salve Virgo benedicta,
»Per quam terra maledicta
»Meruit remedium.
»Salve mundi lux et vita,
»Pretiosa margarita,
»Per quam mors occiditur;
»Salve mater gloriosi,
»Per quam caput venenosi
»Serpentis conteritur.
» Salve pia et benigna
» Quae fuisti sola digna
» Mundi ferre pretium;
» Salve mater tui patris,
» Per quem Evae tuae matris
» Deletur flagitium.

5) Compertus nobis erat ex Scripturis *alter Adamus*, id unum supererat ut *alteram* quoque *Evam* cognosceremus. Hanc novimus doctrina traditionis praelucente, atque illud utraque cognitione sumus assequuti ut *harmonia* inter mysterium humanae perditionis humanaeque reparationis concinnius innotesceret.

Digitized by Google

1566. Ea sequuntur quibus Virgo [1]) supra omnem evecta comparationem edicitur, proindeque sanctitate et puritate I. incomparabilis edicitur [2]) prae hominibus, quos inter [3]) nemo ipsa sanctior, nemo innocentior, quum ipsa fuerit [4]) massa fulgida novae creaturae, nostri generis [5]) pulcritudo ac species, terrestrisque naturae [6]) praetergressa limites veluti [7]) angelus et cherubus hominibus antecelluerit. Ad haec II. sanctitate et puritate incomparabilis edicitur prae angelis, quum non modo [8]) sancta sanctorum celebretur, sed

1) nn. 179-253-327-328. atque alibi passim. Quare Isidorus thessalonicensis de ingressu loquens τῆς παναχράντου Θεοτόκου *immaculatissimae Deiparae* in sancta sanctorum sit §. II. pag. 419: Ἔστι μὲν οὖν οὐδὲ ἂν ἐκ τῶν καθ' αὐτὴν οὐδέν, ὃ μὴ μόρφωσιν ἐντίθησιν ἁγιαστικήν, ᾧ λόγος ταῦτα λογίζεσθαι. *Igitur nihil in iis est quae ad ipsam spectant, omnino nihil quod formam sanctimoniae non ei ingerat, cui mens est ad haec reputanda.* Primum vero quod ad Virginem spectat, est eiusdem conceptio. Haec itaque praefert μόρφωσιν ἁγιαστικήν *formam sanctificatricem.*

2) nn. 179-253-327-328-649-678. alibi. Quo haec faciunt ex corona b. Mariae cap. I. pag. 395: « Tu es incomparabilis cunctis mulieribus in pulcritudine, in decore et in elegantia: clarior omnibus hominibus in virtute, gratia et sapientia: gloriosior angelis in eminentia dignitatis, in excellentia sanctitatis, in adeptione gloriae et honoris. » Et cap. II. pag. 396. « Tu, Domina, ut cunctas feminas vincis pulcritudine carnis, sic et omnes sanctos et omnes angelos superas excellentia sanctitatis. » Neque aliter cap. III. pagg. 397-398. « Licet tu, Domina, esse coeperis ex tempore, coram Deo quodammodo aeterna exstitisti, eo quod a suo maiestate fuisti aeternaliter praeordinata, ante mundi constitutionem in matrem Dei electa, sancta et immaculata. Coram Deo et hominibus fuisti amabilis et grata, super decorem mulierum gratiosissima, super pulcritudinem angelorum elegantissima. » Itemque cap. V. p. 401. « Tu, Domina, es singularis; nam nulla alia ut tu sic Deo placuit, nec tam speciosum palatium illi aedificavit. Ergo sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione tui nulla invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. » Ac merito sane: id enim perfectum, cui nihil deest eorum quae adesse deberent. Universis autem hominibus deest, quae adesse deberet innocentia originalis.

3) nn. 329-1206-1207. alibi.

4) nn. 332-1037-1105-1109-1252.

5) Georgius nicomediensis in fragmento orationis de Virginis conceptu, sic habet §. IV. pag. 153: « Hinc *(Anna)* primordia arcani percipit sacramenti, hinc mortalium omnium efflorescit pulcritudo. Hinc Dei matris efficitur mater, illius inquam, quae peculiare fuit et peregrinum naturae ornamentum, germana omnium gloriatio, omni creatura sublimior, et sine fuco sit dictum, quae vere incorporearum virtutum superat puritatem. » Isidorus autem thessalonicensis orat. in Deiparae praesentat. §. XXIV. pag. 452. suspiciens atque extollens illius in templo vitam, postquam de Christo monuit ipsum fuisse secundum carnem conspicuum, invisibilem autem secundum divinitatem, pergit: Οὕτως ἡ τῶν μεγαλείων τυχοῦσα τοῦ δυνατοῦ, ὁρωμένη τε ἐτύγχανε καὶ ἀόρατος. καὶ ὡς μὲν ἀνθρώπων καὶ καθ' ἡμᾶς, ὁρᾶτο τε τοῖς πολλοῖς μέχρι τριετίας, καὶ μετὰ τὸν τοῦ ἱεροῦ ἔξοδον, ἄχρι τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου· ὡς δὲ τὴν ἀρετὴν ὑπὲρ ἡμᾶς, καὶ τὸ καινὸν τῆς ψυχῆς κάλλος, καὶ οἷον εἰκόνι, θεὸς ἐπίγειος, ἀθέατος οὐκ ἐπ' ὀλίγον κατέστη, τὸ ἄβατον οἰκοῦσα καὶ θεῖον ἵδαφος· ὡς ἂν, ὁ προϋπέγραψεν ἐν ἑαυτῇ ὁρατὴ φανεῖσα καὶ ἀόρατος, ᾗπερ ἦν, τοῦτο τοῦ φανέντος παρ' αὐτῆς ὁρατοῦ τε καὶ ἀοράτου θεοῦ, εἰκὼν ἐναργὴς προτυθείη. « Sic et illa quae magnalia potentis sortita est, conspicua simul atque invisibilis erat. Et quidem prout ex hominibus genita, nobisque similis, visa quoque est a multis ad triennium usque, et deinde post egressum e templo usque ad suam in caelos ascensionem; prout vero virtutem referebat super humanam novamque animi pulcritudinem, atque si loqui ita fas est, deus erat terrestris, haud brevi invisibilis latuit, innocessum divinumque illud incolens domicilium: adeo ut quod in semetipsa praemonstravit visibilis apparens et invisibilis, ut dixi, hoc Dei ex ipsa geniti visibilis et invisibilis apparentis, vivida fuerit imago. » Iamvero quemadmodum pulcritudo opponitur deformitati ac peccato, ita Virgini ea defertur pulcritudo quae sit mortalium omnium pulcritudo, peculiare et peregrinum naturae ornamentum, germana omnium gloriatio, novaque animi pulcritudo et propter quam ipsa consors magnalium eius qui potens est ac vivida filii imago, virtutem humanam superarit, et purior angelis omnique creatura sublimior uti terrestris prope deus enituerit. Nemo autem non videt, speciem hisce formamque depingi pulcritudinis originalis, quae una cum Virgine efflorverit, quaeque ideireo, uti toties inculcatum accepimus, solius propria Virginis Deum ipsum in sui amorem complexumque rapuerit.

6) nn. 302-303-329, alibi.

7) n. 198. alibi.

8) nn. 124-231. alibi. Vulgatus Hildephonsus serm. I. de assumpt. pag. 344. in collect. pp. tolet.

illi praeterea asseratur quod [1]) angelicam vicerit innocentiam et incorporearum naturarum puritatem tantopere superarit, ut prae ipsa [2]) angelicae naturae dona deficere ac prope infuscari viderentur. Quare III. sanctitate et puritate incomparabilis praedicatur, quod [3]) supra omnem naturam puritate refulgens, altera [4]) post Trinitatem ac singulariter secundum Deum sanctimoniae candore ita praestiterit, ut [5]) plenum temeritatis iudicetur peccatum illi adscribere, quum in eam utpote [6]) Deo sanctitate et perfectione propinquam nullus omnino culpae aditus patuerit. Opinor autem futurum prorsus neminem, qui aut haec cum hereditaria labe cohaerere, aut ab originali innocentia dirimi posse arbitretur. Omnia namque et singula originalem innocentiam diserte praeseferunt, et omnia ac singula originali corruptioni diserte adversantur. Reliquum est igitur ut de ea, quam beatus Hildephonsus his verbis [7]) compellat, *tu es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, coniuncta Deo,* cum Dionysio carthusiano [8]) repetamus: « Horremus dicere, mulierem quae caput serpentis contritura erat, quandoque ab eo contritam, et quae diaboli filia fuit, matrem Domini futuram; insuper dominam angelorum servam fuisse peccati, et amantissimam Dei Patris filiam quandoque fuisse filiam irae. Horremus dicere Dei inimicam, diaboli servam, immundam, foedatam et conspurcatam etiam per unicum instans fuisse illam prae ceteris electam creaturam, quae quidem ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam et quae in omni gente et in omni populo primatum habuit. »

1567. Venio ad maiorum suffragia saepissime repetita, quae

T. I. Deiparam vocat. « Primam omnium inter primos, quae vadit post agnum proximior quocumque ierit. » Elogia plane gemina, quibus Virginis sanctitas et innocentia omnibus antefertur, repetuntur in libro de corona b. Mariae capp. IX-XV-XVIII. pagg. 408-409-416-422.

1) nn. 142-226. alibi.

2) nn. 47-456. alibi. His autem addenda sunt quae de puritate et sanctimonia Deiparae angelica praestantiore scribunt Iacobus monachus orat. in Deiparae praesentat. §. XVII. pag. 398., Iohannes damascenus orat. in Deiparae nativit. §. IV. pag. 851. et Isidorus thessalonicensis tum orat. in Deiparae nativit. §. XVII. pagg. 239-240., tum orat. in Deiparae praesent. §. VI. pag. 423.

3) n. 1231. alibi.

4) nn. 54-55-333-416-1026-1110-1250. alibi.

5) n. 449.

6) n. 658.

7) De perpet. virginit. s. Mariae cap. I. pag. 110. in collect. pp. tolet. T. I.

8) In III. dist. III. q. I. Quae cum his componenda sunt ex lib. I. de Virginis laudibus: « Sicut Christum decuit omni perfectione naturae et gratiae in termino excellentissimo praefulgere propter unionem hypostaticam; sic etiam Mariam, quia post illum non est alia tam vicina unio quam matris Dei cum Deo suo. Quamvis multae fuerint virgines sanctae, tamen respectu Virginis beatissimae, quasi spinae fuisse videntur, in quantum aliquid culpae habebant; et quamvis in se fuerint sanctae, non tamen in eis fuit prorsus fomes exstinctus. Porro Deipara virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plane exstinctus, et tamen caritate erat repleta. »

Digitized by Google

Virginem contemplandam obiiciunt tamquam [1]) corde et corpore intemeratam, ipsoque in ortu [2]) a quavis carnali pollutione solutam: tamquam eam [3]), cuius anima et corpus nullis omnino vitiis patuerint: tamquam [4]) superbenedictam, omnique pulcritudine ac puritate eo usque potiorem, ut ipsa exstiterit [5]) gratiarum plenitudo, abyssus et mare divinorum munerum supernaeque benignitatis, plenitudo [6]) gratiarum Trinitatis, in quam omnes Dei thesauri sine mensura descenderint, cuius sanctitas [7]) omnibus expleta numeris nulla parte defecerit, qua [8]) maior sub caelo nequeat intelligi, quaeque alterum post Deum gradum suo sibi merito vindicet. Facilius autem est quidquid comminisci, quam horum omnium [9]) vim probe

1) nn. 110-334-614. alibi.

2) n. 734.

3) n. 736.

4) nn. 246-316-317-319-320-322-349-409. alibi. Quo et haec referri debent ex corona b. Mariae cap. VII. pag. 406. » Tua felix anima, quae et sanctae Trinitatis nobile triclinium, sole iustitiae illustratur, luna castimoniae et stellis innocentiae radiatur, omnibus thesauris gratiae decoratur, omnibus sacris charismatibus nobilitatur. « Et cap. VIII. pag. 406: » Sanctae Trinitatis nobile triclinium, Verbi Patris sanctum reclinatorium, in te caelis distillantibus tota se infundit plenitudo divinitatis, cui oblata sunt et data gratiae plenitudo, Dei cohabitatio, caelestis benedictio.«

5) nn. 48-289-392-683-764. alibi.

6) nn. 363-753.

7) n. 62.

8) nn. 52-309-1008-1162. alibi.

9) Ut enim de specie puritatis asserta Deiparae nonnihil agam diligentius, Germanus eiusdem alloquens genitores sic habet orat. in praesent. §. IX. pag. 305: Ἐξίσταμαι βλέπων ὑπὲρ ἐμοῦ καρπὸν προσφέρετε· τοιοῦτος γὰρ ὄντως τῷ καθαρότητι θέλγει θεὸν ἐν αὐτῇ οἰκῆσαι· οὐδὲ γὰρ πώποτέ τις γόγονεν ἢ γενέσθαι τοιαύτη καλλονὴ διαλάμπουσα. » Stupeo cernens qualem fructum obtuleritis. Talis namque est qui Deum ad inhabitandum in se puritate sua allicit. Nulla sane eiusmodi fulgens pulcritudine inventa unquam est aut invenietur. « Concinit Tarasius inquiens orat. in Deiparae praesent. §. XIII. pag. 365. Εἰ γὰρ ὁ θεὸς τῷ Ἀβραὰμ ἐνεγκεῖν προσέταξε δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν πρὸς καθαρισμὸν τῶν ψυχῶν, πῶς ἡ παρθένος ἡ προορισθεῖσα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, καὶ ἐκ πασῶν γενεῶν προεκλεχθεῖσα εἰς κατοικητήριον ἁγιάσματι, καὶ προσενεχθεῖσα εἰς ναὸν ἅγιον τῷ παντοκράτορι, οὐχὶ τιμίᾳ καὶ καθαρᾷ καὶ ἀμώμητος καθίστατο, καὶ προσφορὰ ἄμωμος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως; » Si enim Deus Abrahamum iussit vitulam trimam capellamque trimam in animarum purgationem afferre, quomodo Virgo a creatione mundi praedestinata, et ex omnibus generationibus in impollutum electa domicilium et omnipotenti oblata in templo sancto, non fuit honore digna et pura et impolluta et immaculata humanae naturae oblatio? « Neque aliter Iacobus monachus qui pompam describens adductae in templum Deiparae ait orat. in Deip. praesent. §. III. pag. 375: Ἓδει τὸ μόνον τῆς παρθενίας καύχημα τοῖς ἀμώμητοις καταστεφθῆναι δοξολογίαις· ἔχρην τοῦ μόνου τῆς καθαρότητος ἀνθους, τὰ καθαρὰ προσφερεσθῆναι βήματα. » Oportebat unicum illud virginitatis decus intemeratis laudibus coronari; oportebat unicae illi puritatis oblationi puros gressus praeire. « Gemina Iacobus usurpat §. VI. pag. 379., gemina §. XVII. p. 412. ubi Deus sistitur ὁ τὸ ὑπερφυὲς τῆς ἐν αὐτῇ καινοτομουμένης ἐνοικῶν παρειᾳ, ὁ τῷ ἀμιγεῖ τῆς καθαρότητος αὐτῆς ἐνηφαιζόμενος κάλλει, ὁ τῇ ἀθικτῳ τῆς ψυχῆς ἐρειδόμενος τερπνότητι, *novam illam naturaque potiorem animi virtutem in ea spectans, de inexpugnabili animi illius pulcritudine sibi placens, occultaque animae illius venustate iucundissime oblectatus:* et gemina usurpat Isidorus thessalonicensis, qui ut ea omittam quae orat. in Deip. praesent. §§. IX-XXII. pagg. 428-449. habet, §. VI. pag. 424. Deiparam vocat τὸ πανάχραντον σκεῦος, τὸ πανάμωμητον ἄγγος, τὸ μέγα καὶ ἀκηλίδωτον κειμήλιον, τὴν πανυπέραγνον τοῦ θεοῦ λόγου μητέρα, *vas immaculatissimum, urnam purissimam, magnum mundissimumque cimelium, undequaque innocentissimam Dei Verbi matrem.* Huc igitur characteres redeunt, quibus Deiparae puritas ornatur ac secernitur: I. est puritas quae nequit nisi cumulatis epithetis pro dignitate exprimi: II. est puritas, cui nulla par aut olim fuit aut aliquando erit: III. est puritas nova, natura superior et inexpugnabilis: IV. est puritas illius propria, quae a creatione mundi praedestinata et ex omnibus generationibus in Dei domicilium electa fuit: V. est puritas, quae ipsum Deum in sui amorem pertraxit: ac VI. est puritas, qua Deipara exstitit unicum virginitatis decus, unica puritatis oblatio, et oblatio humanae naturae pura, impolluta, immaculata. Sed quaenam puritatis species his characteribus respondet? Profecto non illa, quae a sordibus incoeperit. Eiusmodi autem est quae non fuerit originalis.

tenere, simulque ex albo ornamentorum Deiparae immaculatum eiusdem conceptum expungere.

1568. Qui quidem ne ulla expungi ratione possit, iis etiam pari evidentia efficitur quibus inter Virginis dotes propriaque ellogia numeratur I. quod ipsa sit credaturque [1]) tota pura, tota pulcra, tota sancta, tota immaculata, immo tota puritas totaque sanctitas: II. quod ipsa sit credaturque [2]) sola sancta, sola innocens, sola illibata et intemerata ac sola [3]) nostri generis primitiae: neque III. hisce dotibus utcumque credatur insignis, sed semper adeo ut celebretur [4]) numquam a Deo aliena, numquam non felix ac beata, proindeque semper cum Deo unita, semper cum Deo versata, semper [5]) Dei amica, semper florens, semper vigens, semperque munda et immaculata. Iamvero neque consectariis opus est, neque subtili exquisitaque deductione ut omnes continuo evidenterque perspiciant, suam hisce omnibus [6]) constare veritatem non posse, si semel unoque temporis momento Deipara culpae obnoxia, Deo infensa et peccato maculata censeatur.

1569. A qua praepostera existimatione multo etiam abhorrebimus vehementius, si mentem ad ea veterum suffragia adiece-

1) nn. 1105-1106. alibi.

2) n. 1257. alibi. His illustrandis praeclare conferunt quae in libro de corona b. Mariae capp. VIII-IX. pagg. 406-408-410. habentur, et quorum specimen aliquod praebere possunt quae subdimus: « Tu Domina fuisti semper clara et serena, mundissima et amoena. Tu enim es semper tota pulcra, tota formosa, tota immaculata et tota speciosa. Macula nulla fuscaris, nulla sorde macularis, omni gratia illustraris, omni virtute decoraris. »

3) n. 1251. alibi. Iacobus monachus qui orat. in Deiparae concept. §. XIII. pag. 688. Ipsam dicit τὴν μόνην τῆς ἀνθρωπότητος ἀπαρχήν, orat. in Deiparae praesent. §. III. pag. 375. eamdem salutat τὴν παρθένον τοῦ γένους ἀπαρχήν. Sed qui fit, ut hoc ornamento Deipara decoretur, ac ut ea extollatur quae *sola* fuerit *humanitatis primitiae, eaeque mirificae?* Inde fit, quod una Deipara eximio singularique portento exsors fuerit universalis corruptionis quae totam generis nostri massam pervasit.

4) nn. 1023-1072. alibi.

5) Scite Iacobus monachus orat. in Deiparae concept. §. XIV. pag. 189: Ἔδει ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστόν, ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κύημα· τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα, τὸ τῆς φύσεως ὡραιότατον βλάστημα. « Oportebat ut ex nobili radice nobilissimum erumperet germen, ex bonis lumbis optimus redderetur foetus, illud semper virens generis decus, illud venustissimum naturae germen. » Neque minus praeclare Isidorus thessalonicensis, qui orat. in Deiparae nativit. §. XVIII. p. 242. scribit: Ὁ κύριος μετὰ σοῦ, ὃς σοι παρῆν καὶ πρὸ τοῦ βίου, καὶ γεννηθείσῃ, καὶ πρό γε τοῦ ἀσπασμοῦ, καὶ κατ' ἐκείνον δὲ καὶ μετ' ἐκείνον, τρόπον ἕτερον. « Dominus tecum, qui tibi adfuit et ante vitam, et quum genita es, et ante salutationem et cum illa, alioque modo post illam. » Scilicet numquam Deus Deiparae defuit, illique semper adfuit.

6) Sane, ceteris sepositis, perpendantur nonnihil quae Deiparam exhibent *semper* puram, *semper* sanctam et *semper* immaculatam. Haec esse numero plura et in ecclesiasticis monimentis frequentia, suis opportune locis ostendimus, suoque suffragio confirmat Isidorus thessalonicensis orat. in Deiparae nativit. §. XII. pag. 228: Ἡ θυγάτηρ τὸ καινὸν πλάσμα, τὸ νεοφανὲς ὑπέρλαμπρον θέαμα, τὸ νεοθαλὲς ὡραιότατον βλάστημα, τὸ ἀειθαλὲς ψυχαγωγικώτατον σκίασμα, τὸ παγκόσμιον περιώχημα, τὸ ἰαματικώτατον ἀνέτειλε φυτόν. « Nascitur Dei filia, nova illa creatura, novum ad eam diem spectaculum splendidissimum, nove florens speciosissimum germen, *semper* virens animoque iucundissimum umbraculum, nomen pervadens universum orbem, planta salutem omnibus impertiens. » At vero nisi particula *ἀεί semper* ab insita significandi virtute detorqueatur, nullum permitti instans potest quo Deipara sanctitate, nitore et viriditate carens, immunda fuerit, tenebris obsita et siccitate arescens.

Digitized by Google

rimus quibus solemne eisdem est [1]) affirmare, Deiparam fuisse ab ipsomet Deo singulariter conditam, purissime conditam, sine noxa et crimine conditam, modo conditam eximio insuetoque, atque ita firmam stabilemque conditam ut contra hostium impetus invicta consistens, inter cetera [2]) quae Deus bona produxit, opus omnium optimum eminuerit. Haec enim talia sunt quae citra omnem verborum circuitum ostendunt, initia Deiparae fuisse inviolata, eiusque conceptum cuiusvis funditus labis exsortem.

1570. Quam fidem doctrinamque postremo confirmant splendidissima maiorum effata, quibus Virgini tamquam privum et omnino singulare defertur, quod [3]) ipsa primum exstiterit sui conditoris similitudo et imago, forma Dei, forma iustitiae, forma gratia plena, pulcritudo Deum quam proxime repraesentans, speculum summe deiforme, Deo inprimis dilecta, Dei filia, filia vitae et sola filia vitae, primogenita, unigenita, filiaque principis tam bene calceata ut sibi a viru morsuque serpentis nullatenus timuerit. Porro nisi omnes cogitandi loquendique leges sus deque misceantur, fatendum est, hisce ornari titulis atque hisce honestari praeconiis Deiparam non potuisse, si quando hereditariae labis particeps exstitisset.

ARTICULUS II.

Translatae maiorum testificationes, eaedemque explicitae ac disertae: ad summa quinque capita revocantur: singula rite expoliuntur, et demonstratio immaculati conceptus absolvitur.

1571. Quae varietas suapte natura metaphoris inest, in iis pariter regnat translatis maiorum testificationibus quas illorum eru-

1) nn. 469-474-491-498-724-730-804-810-879-936-937-1079-1097-1103-1208. alibi. Adde quae tradit vulgatus Hildephonsus serm. VIII. de assumpt. Deiparae pag. 374. in collect. pp. toletanorum, quaeque Germanus constantinopolitanus orat. in Deiparae praesent. §. XV. pagg. 315-316. his verbis complectitur: Χαίρεις τὸ τοῦ παμβασιλέως θεοῦ ἱερώτατον ἄχραντόν τε καὶ καθαρώτατον παλάτιον. » Salve sancte aedificatum et immaculatum purissimum Dei summi regis palatium. »

2) nn. 1219-1224. alibi.

3) nn. 41-252-282-333-357-618-723-744-790-841-845-1042. alibi. De absoluta vero τῆς θεοπαίδος *Dei filiae* appellatione ad significandam Virginem usurpata, cuius tot retulimus testimonia, recoli possunt tum quae Tarasius habet orat. in Deiparae praesent. §. VII. pag. 350., tum quae Germanus scribit orat. in Deiparae praesent. §. VIII. pag. 302: Εἰσαγεται μὲν οὖν οὕτως ἡ θεόπαις. *Sic igitur Dei filia inducitur*. Cum hac cohaeret *unigenitae* appellatio, qua Isidorus thessalonicensis ad Virginem accommodans verba Ioh. I. 14., ait orat. in Deiparae nativit. §. IX. pagg. 221-222: Ἐνθεν τοι καὶ κατὰ τὸν βροντοφώνου γλῶτταν θαρρήσειεν ἄν τις λαμπρὸν φθεγξασθαι καὶ τοῦτο περὶ αὐτῆς· εἰδομεν τὴν δόξαν αὐτῆς, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὸς θεοῦ, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. » Hinc etiam iam quispiam ausit splendidum illud de ea pronunciare, quod lingua tonitru fragore insonans dixit: vidimus gloriam eius, quasi gloriam unigenitae Dei matris, plena gratiae et veritatis. »

Digitized by Google

dita pietas frequentavit, ut quo fieri *explicatius* posset, immaculatus Deiparae conceptus non tam menti intelligendus quam oculis conspiciendus proponeretur. Ne igitur aut copia obruti aut numero perturbati a praefixa nobis meta deflectere inconsulto videamur, disertas translatasque sententias maiorum auctoritate munitas ceterisque evidentiores *quinque omnino classibus* comprehendemus. Atque ab ea auspicati quae tota *ex luce* pendet, animadvertimus I. Deiparam *absolute simpliciterque* nuncupari [1]) lucem, vestem intemeratam eius qui lumen induit sicut vestimentum, immixtam instar aetheris, puram puritate luminis, intemeratam uti luciferum, lucemque ante ortum plenissimam. Animadvertimus II. Deiparam *comparate* efferri [2]) tamquam luce candidiorem et ipsomet sole fulgentiorem. Animadvertimus III. *prae sua origine* Deiparam [3]) vocari fulgorem caelestem, luminosum divinae infinitatis elementum, caeli radium, exstructum a Deo candelabrum, totamque lucis splendoribus coalescentem. Tandem IV. animadvertimus, *instituta cum tenebris oppositione*, Deiparae tribui [4]) quod filiorum tenebras nesciverit, no-

1) nn. 88-198-313-315-367. alibi. Apud Mone T. II. haec legimus pagg. 71-90-183-249-270:

» Lux illustrans seculum — » Ortus solis sidere
» Trinitatis speculum, — » Oritur in vespere,
» Tuum salva populum. — » Nesciens occidere.

» Gaude lampas castitatis — » O orientis oriens
» Et lucifer humilium, — » Aurora, solis nuntia,
» Sol septuplae claritatis, — » Sol solem parturiens,
» Dies dierum omnium. — » Dies diei praevia.

» Gaude summa creatura, — » Gaude stellis coronata,
» Mater vera, virgo pura, — » Solis luce trabeata,
» Quae naturae frangis iura, — » Sub qua luna est locata,
» Quando in te fit factura — » Semper manens illibata,
» Factor admirabilis. — » Cingens virum femina.

» Vale florens et amoena,
» Ante ortum luce plena,
» Sed in ortu plus serena,
» Quam non striugit gelu poena,
» Puritatis viola.

Similia passim recurrunt in corona b. Mariae capp. I-XV-XXIII. pagg. 395-417-431: » O lux pura, lux pulcra, lux illuminans caelestia, illustrans terrestria, terrificans inferna. »

2) nn. 41-254-292-372-375. alibi. Apud Mone T. II. pagg. 193-427-440:

» Gaude quae dignis dignior — » Tu solis luce clarior,
» Et caelis es sublimior — » Tu cunctis praecellentior,
» Gratia ex te nati, — » Proxima Trinitati.
» Maria sole pulcrior, — » Paradiso dulcior,
» Rosis rubicundior, — » Omni luce clarior,
» Liliis floridior, — » Omni dulcore suavior.

» Ave sole purior, — » Tu sol super omnia
» Luna plena pulcrior, — » Lucens, noctis inscia,
» Splendida Maria. — » Sole es amicta;

» Mundi luce clarior, — » Verae lucis gaudia
» Cunctis astris gratior, — » Fiant nobis pervia
» Digna laude pia. — » Per te, benedicta.

3) nn. 251-369-370-376-850. alibi. Apud Mone T. II. pagg. 158-182:

» Gaude serena Domina, — » Caeli serenitas,
» Splendor verus, lux divina, — » Stellarum claritas,
» Nos intus irradia — » Tui splendoris gloria.

4) nn. 660-683-688-689-724-743-796. alibi. Quo et haec pertinent Latinorum usu frequentata apud Mone T. II. pagg. 190-284-440.

» Gaude puella regia, — » Tu in die vigilasti,
» Pudoris primiceria, — » Quia noctem ignorasti.

» Ave vas sinceritatis, — » Ave decus sanctitatis,
» Lux lucens in tenebris, — » Virgo venerabilis,
» Ave stella claritatis, — » Ave nympha venustatis,
» Luna sine nebulis; — » Honor nostri generis.

Quando autem Deipara primum lux exstiterit, insigniter declarat Iacobus monachus orat. de eiusdem concept. §. II. pag. 166. inquiens: Σήμερον γὰρ τῆς νοητῆς νηφάλης ἐφαπλοῦσθαι κυφυτομένης, αἱ τοῦ ἀδύτου

Digitized by Google

ctem ignorarit, instar matutinae stellae media in nebula effulserit, non secus apparuerit ac ut noctis finis et aurora a qua dies initium sumit, et occasus nescia exstiterit veluti novae creationis globus caelestis, veluti lux in tenebris, luna nullis velata nebulis, immo sol defectus expers qui sempiternam depulerit noctem, peccati caliginem dissiparit ac daemoni infensus tartareas flammas obruerit.

1572. Sed quorsum haec? Eo dubio procul spectant, ut me licet non monente, omnes tamen probe intelligant quae sententia quaeve fides de primordiis Deiparae maiorum mentibus insederit animosque occuparit. Nullus enim fingi posset gravior, nullus loquendi abusus periculosior, si maiores nostri in ea fuissent persuasione, qua initia Virginis maculata existimantur. Hanc siquidem persuasionem ex imis prope radicibus omnia convellunt: convellunt quae de Virgine *absolute simpliciterque* cum luce composita dicuntur: convellunt quae non *citra comparationem* de candore Virginis luce potiori cumulantur: convellunt quae *de caelesti* tam lucis quam Virginis *origine* repetuntur: atque ea convellunt quae *plenissimum divortium* [1]) inter Deiparam tenebrasque inculcant, aut *plenissimum* Deiparae de tenebris *triumphum* extollunt. Certum igitur statumque maioribus fuit, Deiparae origines nullo infectas naevo candidissima puritate nituisse.

1573. Quem Deiparae originalem candorem non minus confirmant quae ex plantis floribusque deprompta in christianis monimentis usurpata recurrunt. In his namque legimus I. Virginem [2]) radicem a Deo satam, germen laetum bonumque ex infecunda ste-

μὲν φωτὸς προμνήσχουσιν εἰς τὸν κόσμον ἀνατεῖναι· τὸ πανταχοῦ δὲ τῆς ἀβύσσου, ἀπομειοῦσθαι καὶ ἀπολλύσθαι ἔρχεται σκότος. « Hodie enim dum spiritalis nobis annunciatur expansio, mundo praeoriuntur inoccíduae lucis radii; quae vero dominabantur impietatis tenebrae, imminui incipiunt ac depelli. »

Non ergo in tenebris neque in umbra mortis ipsa consedit. Imago autem haec est, qua universalis ruina ex originali transgressione profecta depingitur. Una est igitur Virgo quae neque universali ruina concidit, neque in tenebris versata est, neque umbra mortis obducta.

1) De hoc divortio simillima habent Germanus orat. in Deiparae praesent. §. XVI. pag. 317. et Tarasius orat. eiusdem tituli §. XII. pagg. 362-363., ubi gaudio gestiens exclamat: Τί οὖν καλέσομεν τὴν Μαρίαν; οὐρανόν; καὶ γὰρ τὸν οὐρανοῦ καὶ γῆς ποιητὴν ἐν μήτρᾳ ἐχώρησεν. ἥλιον; αὕτη γὰρ τοῦ ἡλίου ἐκπαλαισίως φωτεινοτέρα ὑπάρχουσα, τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης ὑπεδέξατο· λυχνίαν; καὶ γὰρ τὸ φῶς τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις ἐξέλαμψε. « Quo igitur nomine Mariam vocabimus? Num caelum? Et sane caeli terraeque conditorem suo sinu complexa est. An solem? Ipsa enim septies sole splendidior emicans, solem iustitiae suscepit. An candelabrum? Enimvero in tenebris mortisque umbra sedentibus, lux refulsit. »

2) nn. 80-294-660-794-795-1031-1037-1043-1125-1303-1209. alibi. Velim porro consideretur, quod sicuti metaphorae *radicis et germinis* ad rei initia suapte sponte referuntur, ita formulae, *germen sanctum*, *germen iustum* etc., ex sese rei origines exhibent labis nescias et omnino mundissimas. Atqui hisce metaphoris et hisce formulis Deipara eiusque primordia describuntur. Velim deinde consideretur, eatenus Virginem coniunctim proponi tamquam *germen caelitus datum* et tamquam *radicem ex infecunda sterilique terra procreatam*, quatenus terra spinarum dumtaxat fecunda, illi edendae impar erat, quaeque adeo nonnisi e caelo singularique Dei operatione exspectari poterat.

rilique terra prognatum, germen caelitus datum, germen divinissimum, immaculatum, pulcherrimum naturae germen, germen ingenuum, germen iustum et iustitiae, germenque dulce perpetuae vitae ac solum inter mortalia germina immarcescibile atque incorruptum. Legimus II. Virginem esse [1]) ramum pulcrum, ramum semper viridem, ramum sine condemnatione, virgam rectam, plantam caelestem, fructumque iustum [2]) ex iustis lumbis progenitum. Legimus III. Virginem esse [3]) caeli florem in terra natum, florem innocentiae, florem vitae immaculatum, florem nostri generis, praecipuum humanae naturae florem, floremque de spina spinae nescium, spinaque carentem. Legimus IV. Virginem esse [4]) lilium inter medias spinas, inter rubeta lilium, lilioque candidiorem: decus esse [5]) purpurei hyacinthi, eiusque folia notis inscribi libertatis non mortis: esse [6]) rosam rosarum, caeli rosam, rosam paradisi, rosam ex

1) nn. 380-623-842-1025-1030. alibi. Hinc in Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 284-378:

»Ave totius criminis — »Ave virga rectissima,
»Expers, plena dulcedinis, — »Desolatis dulcissima,
»A caelorum opifice — »Quae produxisti baculum
»Coronata mirifice. — »Ad sustentandum seculum.

»Ex electis praeelecta, — »Quam post Deum credens amo,
»Virga florens et directa, — »De virtutis tuae ramo
»Dei mater, ad te clamo — »Fructum mihi porrige.

Haec autem quae de Virgine a maioribus non citra stuporem adhibentur, argumento esse debent spectatam ab ipsis fuisse humanam naturam veluti arborem hereditaria tabe corruptam, e qua *ramus pulcher semperque virens* supra statum ordinem prodierit.

2) Placet haec recolere ex orat. Iacobi monachi in Deiparae concept. §. IV. pag. 169: Ἐν ταύτῃ γὰρ τὸ πᾶσι κατάλληλον ἀπεκυήθη σωτηρίου λόγημα· ἐκ στείρας ἡ τῶν ἀγαθῶν ἀνθοφόρησεν ἀφθονία· ἐκ δικαίων ὁ δικαιότατος ἐκλάστησε καρπός. »Hac enim die progenita est communis omnium gloriatio, e sterili efflorvit opulentia bonorum, iustissimus ex iustis fructus exuberavit.« Sed de hisce plenius sectione insequenti.

3) nn. 383-500-577-619-622-1274-1291. alibi. Accedunt haec apud Mone T. II. pagg. 317-350. 357:

»Salvatoris mater pia, — »Inter spinas flos fuisti,
»Mundi huius spes, Maria, — »Sic flos flori placuisti
»Ave plena gratia. — »Pietatis gratia.

»Salve sancta Christi parens, — »Inter spinas flos fuisti,
»Salve Virgo labe carens, — »Sic flos flori patuisti
»Salve decus virginum. — »Pietatis gratia.

4) nn. 130-226-227-251-382-557-623-630-631-632-636-682-759-1232-1274. alibi. Iuverit memoria reputasse quae hac usus imagine scribit Tarasius orat. in Deiparae praesent. §. II. pag. 343., quaeque habet Germanus ubi Deiparae genitores repraesentat Deum his verbis compellantes orat. in Deiparae praesent. §. VIII. pagg. 303-304: Ταύτην καλῶς ἡμῖν διεπράσασαν ἀπολάμβανε, ἣν ἡρετίσω καὶ προώρισας καὶ ἡγίασας, ἐπίσπασαί σου προσεπιδομένην καὶ τῇ ὀσμῇ σου ταθελγμένην, ἣν ὡς κρίνον ἐξ ἀκανθῶν τὰς ἡμετέρας ἀναξιότητος ἐξελέξω. »Hanc suscipe quae res nostras praeclare disponit, quam ipse elegisti et praedestinasti et sanctificasti: habe tibi in te firmatam, tuoque attractam odore quam ceu lilium e spinis e nostra indignitate elegisti.« Hinc ea quae subdimus apud Mone T. II. p. 75.

»Per quod *ave* salutata — »Virgo David stirpe nata,
»Mox concepit fecundata — »Inter spinas lilia.

5) n. 660.

6) nn. 381-631-938-1027-1277. alibi. Haec autem Deiparae imago sicut in aliis monimentis, ita passim occurrit in latinis hymnis apud Mone T. II. pagg. 4-9-25-111-126-207-261-302-310-325-405-409-414-437. Ex plurimis pauca referam:

»Salve mundi domina — »Sit tua conceptio
»Et caeli regina, — »Nostra medicina,
»Mater Dei integra, — »Et tua nativitas
»Rosa sine spina. — »Via matutina.

»O Maria sanctissima, — »Ave in stirpe spinosa
»Creatura purissima — »Florens flos, nobilis rosa
»Ab omni contagio. — »Rubens, speciosa.

»Ave rosa sine spinis — »Maiestate sublimavit
»Tu quam Pater in divinis — »Et ab omni vae purgavit.

»Ave verbo sacro parens, — »Per quam mundus viret arens,
»Ave rosa spinis carens, — »Per te datur venia.

»Tu stella matutina, — »Languentis medicina
»Astrorum es regina, — »Et rosa sine spina.

Denique in ms. codice seculi XII. leginus:

Digitized by Google

spinis sine spina, rosam e spinoso electam loco, nesciam spineti nihilque quod laedat habentem, rosam [1]) in Annae utero germinantem, conceptam veluti rosam, rosamque gelu non decoctam sed quae peccati foetorem abegerit. Legimus V. Virginem esse [2]) caelestem violam, irrigatam divinitus olivam, semperque virentem aeternae misericordiae olivam. Quibus VI. gemina legimus, ubi nuncupatam Virginem [3]) audimus malum in lignis silvae, iucundum in silva pomum, arborem bonam fructus boni, fructum illibatum, lignum quod peccati vermen non admisit, stirpem vitae non mortis, agrum a spinis peccatorum purum et terram quae infructuosa quaeque non habuit, et in qua nulla peccati spina enata est.

1574. Me vero fugit quid in his primum, quid deinde tertiove loco considerem, ut purum labisque integrum Deiparae conceptum diserte significatum patefaciam. Huc namque ex sese et uti loquuntur, *formaliter* spectant quae priore loco [4]) commemoravimus: huc spectant quae [5]) eximiam singularemque originem Deiparae adscribunt: huc spectant quae ex humanitate vitio corrupta non secus prodiisse Virginem docent ac ex spineto rosa liliumque progerminent: huc spectant quae Deiparam ex mancipiis liberam atque ex emortuo trunco [6]) plenam vitae editam testantur: atque huc spectant quae eamdem a reliqua hominum familia tribulis hereditariae noxae sil-

»Haec est mundi medicina, »Haec est turris quam vallavit
»Mundi purgans lollum. »Incorrupta firmitas,
»Haec est rosa sine spina, »Hoc castellum quod intravit
»Castitatis lilium. »Sola Verbi veritas.

1) nn. 200-622-633. alibi. Quae cum his conferri debent apud Mone T. II. pagg. 103-421:

»Imperatrix reginarum »Pretiosa margarita,
»Et salvatrix animarum, »Rosa gelu non attrita.
»Salve divini fulgoris »Tibi gaudia honoris
»Stella radiosa, »Dicam, Dei rosa.

Praeclare *Dei rosa*, de Virgine namque auctor coronae b. Mariae cap. XIII. pag. 414. ait: »Tu, Domina, non es rosa mundi, quae statim post ortum arescit et deficit; sed tu es rosa paradisi, quae gestaris in manu regis caeli.«

2) nn. 768-850. alibi. Omitti vero haec non debent quae occurrunt apud Mone T. II. pag. 184:

»Gaude ficus fructifera, »Gaude caelestis viola,
»Dei plantata dextera, »Flos dignus Deo incola,
»Finis amaritudinis, »In quo Deus et amore
»Principium dulcedinis. »Totus mansit et corpore.

» O dilecta cum dilecto,
» O electa cum electo,
» O rosa cum lilio.

3) nn. 502-572-623-631-634-798-1024. alibi. Horum autem vis ad ostendendas Deiparae origines labis exsortes multo permovebit vehementius si ea spectentur quae ad efferendam Christi omnimodam puritatem usurpant Hippolytus apud Theodoritum et Irenaeus penes Leontium byzantinum et Anastasium in ὁδηγῷ, referente magno Petavio de incarnat. lib. XI. cap. X. §. XII.

4) Imagines enim germinis iusti sanctaeque radicis ipsam iustitiam et sanctimoniam cum primordiis cohaerentem necessario praeseferunt.

5) Ad hunc censum referenda sunt quae Virginem celebrant aut origine caelestem, aut a Deo singulariter conditam, aut ex spineto humani generis sine spina efflorescentem.

6) Hanc metaphoram illustrant quae praeter alios scribunt Gregorius et Augustinus, ille ubi mor. lib. IX. n. 97. ait, *sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam*; hic ubi de Trinit. lib. IV. n. 16. inquit, *mors spiritus est a Deo deseri, mors autem corporis a spiritu deseri.*

vescente quam longissime separant. Testatior ergo est quam in votis esse merito queat doctrina maiorum de conceptu Deiparae, quem nullus paternae culpae halitus vitiarit.

1575. Ad pleniorem tamen validioremque testificationem egregie iuverit animo recoluisse quae ex deliciarum paradiso sumpta ad speciem Virginis eiusque puritatem depingendam traducta novimus. Eiusmodi autem sunt quibus Virgo a maioribus [1]) saepissime dicitur paradisus impervius, obstructus serpenti paradisus, alterque voluptatis hortus, quem letifero viru serpens non infecit, quique violari nescius nullis insidiarum fraudibus umquam patuit. Cernis obversatam maiorum oculis Deiparae formam? Forma fuit paradisi, et ne in transversum praeceptis opinionibus rapiaris, forma fuit paradisi impervii, semper peccato et satanae inaccessi ac numquam vel hilum violati. Atqui forma est haec, quae non aliam exprimit puritatem nisi semper illaesam, proindeque cum ipsis originibus consertam. Suffragio igitur maiorum ea puritatis forma Deiparae asseritur, quae originalis iudicanda est.

1576. Quod iudicium aliis iisque splendidissimis sententiis communitur. Principio namque iis communitur quibus [2]) Virgo perhibetur manna novum divinum salutiferum, altare impollutum et columba fellis expers neque illita luto. Iis deinde communitur quae [3]) Virginem sistunt nesciam nodositatis et vitiositatis, nodis funditus carentem, viam expertem asperitatis et duritiae, ignorantiae et erroris, fontem illimem et in quo nullae turbidi luti deprehenduntur faeces, lanam sanctitate albam et peccati macula carentem, stolam deitatis, aurumque purum et malitiae sordibus numquam infuscatum, templum nulla infestatione laesum, cubile numquam pollutum, lectumque alieno hospiti numquam pervium. Tum iis communitur quibus solemne est maioribus nostris [4]) Virginem nuncupare

auram sanctam vitiorumque expultricem, arcam gratiaeque tabulam

1) nn. 558-655-657-658-662-669-703. alibi.

2) nn. 478. alibi. Quo pariter faciunt haec ex Pentecost. pag. 19. Μάννα σε εὐφήμησα, παρθένε, ὀνομάζω, μάννα σωτηρίδος ἐναργὲς γενόμενον πρὸς τοῦ ζητοῦντος τὴν χρείαν, πλούσιον ὄντας καὶ ἄρθονον. Itemque faciunt haec ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 185-219-257-272-424:

»Paradisus voluptatis,
»Aquis vivis irriguus,
»Fons totius pietatis,
»Lacte et melle profluus,
»Salve Virgo, flos maneto-
rum,
»Ex te fluit fons hortorum;
»O columba sine felle,
»Iam suspiria repelle;
»O decora plus aurora,
»Virgo parens, labe carens,
»Me clementer corrige.
»Gaude manna virginale,
»Manna novum et regale,
»Quod nulli sapit hominum
»Nisi palato virginum.
»Tu altare impollutum
»Et regina es virtutum.
»O peccati carens spina,
»Quam perfudit lux divina.
»O vas mellis expers fellis,
»Cinnamomo vel amomo
»Nomen habens dulcius.

3) nn. 449-478-500-579-647-648-685-798-1006-1028-1029-1100-1178-1312.

4) nn. 177-191-272-353-395-486-743. alibi.

Digitized by Google

mundo naufrago [1]) concessam, mixtum divinitus appositum et vas cuius origo et progressio caelestis non terrena. Iis denique communitur quae [2]) Virginem extollunt ceu navim quae nullius vitii naufragia senserit, ceu opus cui nulla desit margarita, et ceu novum novi Adami fundamentum quod nullum praeferat veteris ruinae vestigium. Quare Iacobus monachus de conceptu Deiparae verba faciens, post alia [a]) scribit: « Praecurrunt *(exsultatione)* et caeli, novique ac sublimissimi firmamenti celsitudinem honore prosequuntur. »

1577. Velim porro mihi candide sincereque respondeatur, haec ne sint talia quae simul atque coniunctim adhiberi citra errorem potuerint de Virgine, quae paterno scelere vitiata censeretur. Probe assequor hoc illudque effatum non esse peremptorium, neque mihi eo usque blandior aut tantopere caussae servio ut negem, hanc illamque maiorum sententiam enarrari utcumque posse, quamvis Deipara originali obnoxia culpae existimetur. Affirmo tamen atque incunctanter affirmo, ex omnium complexione atque summa non aliam prodire ideam, neque aliam sua sponte speciem emergere nisi eius puritatis, quae numquam fuerit impura quaeque cum ipsis propterea originibus cohaeserit. Neminem vero latet inter canones verae accurataeque interpretationis illum numerari, quo is dumtaxat sensus habetur legitimus qui ex universis testificationibus efflorescit et quo universae testificationes ad harmoniam concentumque rediguntur. Huc enim potior redit fructus illius *parallelismi*, quem tantopere commendamus et cuius ope quod omnino deprehendi aut nisi aegre ac dubie deprehendi non posset *ex singulis* testificationibus utpote imperfectis nec omni ex parte evidentibus,

a) Orat. in Deiparae concept. §. III. pag. 168. Προφθάνουσι καὶ οὐρανοὶ, καὶ τὰ τοῦ καινοῦ καὶ ὑπερτάτου στερεώματος καταγεραίρουσιν ὕψη.

1) Huic imagini altera addi debet qua Tarasius utitur de Virgine scribens orat. in eiusdem praesentat. §. IX. pag. 356: Σὺ τοῦ Νωὲ ἡ κιβωτὸς καὶ τῆς δευτέρας παλιγγενεσίας ἡ πρὸς θεὸν οἰκείωσις. « Tu Noe arca, et secundae regenerationis apud Deum conciliatio. » Itemque altera quam Germanus adhibet inquiens orat. in Deiparae praesent. §. XVIII. pagg. 319-320: Χαῖρε κεχαριτωμένη Μαρία, ἡ τῶν ἁγίων ἁγιωτέρα καὶ οὐρανῶν ὑψηλοτέρα καὶ Χερουβὶμ ἐνδοξοτέρα καὶ Σεραφὶμ τιμιωτέρα, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κτίσιν σεβασμιωτέρα· ἡ τῷ ἐνδόξῳ καὶ αἰγλήεντί σου πρεσβεῖ ἵλεων ἡμῖν κομίζουσα, τὸν τοῦ κοσμικοῦ κατακλυσμοῦ λυτῆρα, τὸν σωτηριώδη ἡμῖν ὄρμον εὐαγγελιζομένη περιστεράν. « Ave Maria gratia plena, sanctis sanctior et caelis sublimior et Cherubim gloriosior et Seraphim honorabilior et super omnem creaturam venerabilior. Ave columba quae glorioso splendidoque tuo *(in templum)* progressu nobis olivam advehis, spiritalis diluvii expiatorem, portumque salutis annuntias. » At verò potuit ne dici haberique Deipara gratiae tabula naufragis oblata, arca Noe et columba olivam advehens, si et ipsa universalis consors excidii universali diluvio perisset? Sunt haec adeo seiuncta et secum ipsis pugnantia, ut neque cogitando neque dicendo iungi simul posse videantur. Libera ergo fuit Deipara ab universali diluvio, et numquam naufragium passa, numquam vitam perdidit atque in peccati mortem offendit.

2) nn. 798-818. alibi.

idipsum *ex universis* sese mutuo explentibus lucisque communione illustrantibus facile splendideque colligitur. Est igitur cur omnes fateantur, eam Virginis speciem *translatis disertisque formulis* a maioribus fuisse expressam, quae cum originali puritate conceptusque innocentia penitissime copuletur.

1578. Enimvero ultimo loco perpendantur quae in christianis monimentis frequentissima *perpetuum* memorant *dissidium* quod a satana Deiparam seiunxit, *immortalemve* referunt *triumphum* quo satanam Deipara debellavit. Prioris generis ea sunt quibus Deipara titulis [1]) ornatur turris invictae, turris draconi imperviae, muri satanico cuneo non subversi, arcis iugiter defensae neque insidiis hostium patentis; propugnaculi quod adversae copiae inaniter impetunt, columbae [2]) quae aucupis machinamentis superior fuit, mu-

1) nn. 63-225-387-449-556-636-654-655-662-696. 698-704-708-908-916-925-1008-1012-1086. alibi. Praeclare in hymnis apud Mone T. II. pag. 292:

» Ave thronus gratiae, » Ave turtur nubilis,
» Vitis fundens vina, » Virgo columbina,
» Navis omni carie » Mater admirabilis,
» Carens et sentina. » Rosa sine spina,
» Ave flos munditiae » Turris invincibilis,
» Mundus a pruina. » Stellaque marina.

2) Iacobus monachus orat. in Deiparae praesent. §. X. de ipsa in templo oblata scribit: Σήμερον γὰρ ὡς τριετίζουσα δάμαλις εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσάγεται· σήμερον τῷ ναῷ προσάγεται ὁ ναὸς ὁ ἔμψυχος, ὁ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερος καὶ πάσης κτίσεως εὐρυχωρότερος· σήμερον ἐν τῷ ναῷ ἐνοικίζεται ἡ τὴν ἀπειείαν τοῦ ἀδάμαντίου γένους πρὸς τὴν ἰδίαν ἑστίαν διὰ τοῦ τόκου ἀναγαγοῦσα· σήμερον ἡ νοητὴ σκηνὴ τὴν τομικὴν τὰ τῆς χάριτος εὐαγγελίζεται, καὶ τῷ χρώματι ὑποχωρεῖ τὸ πνεύματι διακελεύεται· σήμερον ὁ ἀσπίλος ἀμνὰς, ὡς δικτὺν ἱερεῖον, τῷ ναῷ προσφέρεται· σήμερον ὁ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιπτυσσόμενον τὸν τῆς Κακίας ἐξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γινομένη τῶν αὐτοῦ μηχανημάτων. » Hodie namque uti triennis vitula in sancta sanctorum inducitur; hodie in templum infertur animatum illud templum, caelis sublimius rebusque creatis omnibus capacius; hodie in templo ea collocatur, quae extorre hominum genus in proprias sedes reducit; hodie spiritale tabernaculum legali gratiam annuntiat, et litterae indicit ut spiritui locum cedat; hodie agna immaculata, veluti acceptabilis hostia, in templo offertur; hodie intemerata columba in templi adytis circumvolitans malitiae aucupem declinavit, huius dolis insidiisque sublimior effecta. » Huius porro orationis editor in subiecta adnotatione pagg. 385-386. sic habet: « Totam hanc paragraphum ex prima Georgii nicomediensis in praesentationem oratione Iacobus exscripsit. Sunt vero qui ad Mariae conceptionem originali labe immunem hanc etiam transferant sententiam, qua *aucupem malitiae dicitur evitasse*. Perperam omnino, id enim contextus neque exigit neque patitur, quum sermo palam sit de diaboli insidiis per recessum in templum vitatis; quod nihil ad conceptionem pertinet. » Enimvero quod de Iacobi verbis sententiisque monetur ex iis mutuo acceptis quae Georgius iampridem litteris consignaverat, verum est quam quod verissimum; sed integrum nobis esse volumus dubitare, utrum consulto satis prudenterque cumulata fuerint non sine emphasi duo illa adverbia *perperam omnino*. Profecto amplitudo verborum, *malitiae aucupem declinavit*, pendet ex cohaerentibus, ὑψηλοτέρα γινομένη τῶν αὐτοῦ μηχανημάτων, *huius dolis insidiisque sublimior effecta*. Haec autem *in se* spectata patent infinite, nullumque vacuum sinunt tempus, quo Virgo dolis insidiisque aucupis fuerit irretita. Sin vero eadem *ad contextum* referantur, quaecumque praecedunt omnia exigunt, ut illa quo fieri amplissime potest accipiantur; quod ea pariter exigunt quae continuo sequuntur: Σήμερον τὸ δοχεῖον τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ ἀποτίθεν, πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ λόγου ἐξευτρεπίζεται· σήμερον τὸ πάγχρυσον Θυμιατήριον εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσοικίζεται, ἐν ᾧ ὁ λόγος τὴν σάρκα ἀνάψας, εὐωδίας τὴν οἰκουμένην ἐπλήρωσεν. « Hodie sancti Spiritus receptaculum in templo repositum ad Verbum suscipiendum feliciter praeparatur; hodie in sancta sanctorum inducitur thuribulum illud totum aureum, in quo Verbum carnem adolens, universam terram suavi odore complevit. » Spectari tandem *subiectum* potest, cui verba, ὑψηλοτέρα γινομένη τῶν αὐτοῦ μηχανημάτων, tribuuntur. Hoc autem attributionis subiectum puella est triennis intemeratae columbae typo expressa et tot ornata insignibus, quot sunt ellogia quae antecedunt quaeque sequuntur. Ni vero totus fallar, *perperam omnino* haud agit qui idcirco amplissime sumens verba de quibus disserimus, ad primos quoque dolos originalesque aucupis insi-

Digitized by Google

lieris quae serpenti aures numquam praebuit neque decipi illius astu potuit, quaeque in transversum numquam abrepta locum omnem malignae spirituum potestati occlusit: virginis numquam diaboli insidiis expositae, ab illius technis alienae, angelorum tutela semper protectae, venenosis anguis afflatibus numquam laesae, ignitis maligni telis et seductoris inaccessae, inexpugnabilis, quaeque numquam cum serpente foederis conscia, ne ad modicum quidem illi succubuerit: horti in quo nulli serpentis sibili resonuerint, et omnino eius de qua satanas desperarit, ad quam communis hostis accedere timuerit, et adversus quam castra daemonis invalida exstiterint. His autem de primo formularum genere commemoratis, ea succedunt quae ad alterum pertinent, et quibus [1]) modo Deipara praedicatur victoriae symbolum et Dei castra, fortior diabolo eoque valentior, ac modo Deiparae asseritur quod infernum leviathan ceperit, serpentem supplantarit deiectumque vicerit; anguem contriverit, draconem prostrarit, prostratumque innoxio pede calcarit, iniqui tela fregerit, infernoque excidium ac mortem intulerit.

1579. Porro aut nulla fuit imago penes maiores vulgata solemniterque recepta, qua contractam ab Adami posteris labem repraesentarent, aut eiusmodi existimari illa debet qua obstrictos hereditaria culpa dicere consueverunt a satana deceptos et prostratos, maligni telis confossos, serpentis laqueis irretitos, draconis halitu afflatos, eiusque viru in intimis praecordiis vitiatos atque corru-

dias traduxerit. Videntur enim mihi hae periphrasi aptissime reddi: *hodie intemerata columba malitiae aucupem declinavit ac declinare omnino debuit, quod eiusdem dolis insidiisque sublimior effecta fuerit.*

1) nn. 345-509-548-554-744-908-946-955-995-1004-1011-1012. alibi. Quo et haec pertinent ex corona b. Mariae cap. XI. pag. 411. « Ad laudandum benedicendum et praedicandum te, sanctissima mater Christi, monemur Scripturis, incitamur exemplis, provocamur beneficiis, accendimur inspirationibus internis et miraculis manifestis. Tu Deum hominibus genuisti, pacem mundo impetrasti, *diabolum superasti et vicisti*, humanum genus reparasti, et omnia bona in caelo et in terra te mediante sunt patrata.» Pertinent et haec, quibus Tarasio auctore orat. in Deiparae praesent. §. VIII. pag. 353., Anna sacerdotem compellat inquiens: Ἀγκαλίσαι αὐτὸν, τὸν ἐξ ἀγκαλῶν τοῦ ὄφεως ἡμᾶς ἀφαιρέσασαν. « Hanc complectere, quae nos ab implexibus serpentis abstraxit. » Atque haec pertinent ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 65-155-238-356-396-415-435-438-440:

» Virga Iesse florida,	» Pressus pede mulieris
» Fructum dedit,	» Coluber contritus est.
» Ave caelorum domina,	» Ave cuius munditia
» Principum victrix femina,	» Angelorum custodia
» Fuga catervas hostium	» Conservata non timuit
» Pacem nostram turbantium.	» Inquinari, nec valuit.
» Tu agnum regem,	» Tuque furentem
» Terrae dominatorem,	» Leviathan serpentem
» Moabitici	» Tortuosumque
» De petra deserti	» Et vectem collidens
» Ad montem filiae	» Damnoso crimine
» Sion traduxisti,	» Mundum exemisti,
» Tu victrix Holophernis,	» Tu plaga Pharaonis,
» Te laudant in supernis	» Deiectrix es draconis,
» Voces clamantium.	» Callis errantium.
» Mater superlaudabilis,	» Fratrum infatigabilis,
» Animarum medela,	» Et post vitae fallibilis
» Turris inexpugnabilis,	» Cursum sine querela
» Frangens iniqui tela,	» Nati desiderabilis
» Semper esto tutela	» Nobis vultum revela.

Digitized by Google

ptos. Nihil autem horum est, quod unanimi veterum suffragatione [1]) de Deipara disertis verbis explicitisque sententiis saepissime non negetur: immo nihil horum prorsus, quorum antithesis pari verborum evidentia sententiarumque gravitate [2]) passim de Deipara non affirmetur. Ecquid igitur non tam inferri deducendo potest, quam statui proponendo debet? Statui plane debet eximiam quamdam formularum ubertatem a maioribus profectam suppetere, qua translatis quidem, disertis tamen explicitisque verbis non minus Deipara ab hereditaria noxa immunis edicitur, quam eidem originalis puritas et iuncta cum ipsis primordiis innocentia vindicetur.

ARTICULUS III.

Referuntur explicita disertaque veterum testimonia, eaque propriis expressa verbis: perspicuitatis gratia in quatuor classes diribentur: classes singulae promuntur, et si quando opus sit, idoneo commentario explanantur: consectarium ex iis pendens, suisque expleta numeris immaculati conceptus demonstratio.

1580. Cogitanti mihi *de propriis disertisque sententiis*, quas maiores nostri patresque christiani saepissime usurparunt ut immaculatam Deiparae conceptionem significarent, illae omnium primae menti succurrunt quibus infinite atque universim eam virgineae puritatis formam expresserunt, qua cuiusvis inscia labis semper nituerit semperque emicarit. Ad quem sane censum pertinent suoque merito referuntur quae [3]) Deiparam perhibent sanctitatis de-

1) Quam veterum suffragationem ob oculos habuisse videtur Gersonius orat. de concept. Deiparae pag. 1324. opp. T. III. scribens: »Iustum est, quod regina illa et magistra angelorum, quae secundum promissionem divinam debet conterere et frangere caput serpentis, idest, infernalis inimici, non sit ullo tempore membrum suum et subiecta eius. Alioquin semper posset improperare ipsi, et per irrisionem dicere: ecce mulierem quae, ut inquit, contrivit caput meum; sed prius calcavi caput suum per peccatum originale. Ecce Dominam, quae dicitur tota pulcra, sed sub me fuit maculata, contaminata et prostituta per peccatum originale. Ecce amicam regis vestri, sed ipsius ego primum rex fui et dominus per peccatum originale. Ecce illam quae se dicit domicilium et matrem virtutum, sed prius ipsa obedivit mihi et me hospitio suscepit per peccatum originale. O Deus optime et potentissime, absit ut eo pacto irridere possit tuus et noster inimicus!«

2) Ad hunc numerum pertinent quae his verbis Germanus complectitur orat. in Deiparae praesent. §. IV. pag. 313: Χαίροις ἡ τῇ τῶν βημάτων σου ῥυθμίσει κατακεντήσασα τὸν διινὸν μοι ποδηγὸν κεχρηματικότα πρὸς τὴν παράβασιν, σκολιογνώμονα καὶ μισόκαλον ὄφιν διάβολον· καὶ συνοδεύουσαν ἐπιλαβομένη τὴν ὁλισθηρὰν φαυλίσαν φθορὰν οὐσίαν πρὸς τὸν ἄυλον καὶ ἁγίαν ἀγγέων αὐλὴν σκηνήν. »Salve quae tuorum gressuum rectitudine eum conculcasti, qui mihi crudelis dux fuit ad transgressionem, iniquitatis nimirum suasorem bonique osorem serpentem diabolum; et salve quod naturam corruptam quaeque ad malum prona apparuit consequuta sis comitem ad spiritale, sanctum et immortale rursus tabernaculum.« Aliter haec vertit atque enarrat editor l. c.

3) nn. 203-231-234-267-291-363-377-397-449-456-630-793-1013-1093-1112-1117-1161-1170-1173-1177-1243-1247. alibi. Iacobus Monachus orat. in Deiparae concept. §. XIV. pag. 190., commendatis eiusdem parentum virtutibus, pergit: Ἔδει ἐκ τοιούτων ἀρι-

Digitized by Google

lubrum, gratiarum plenitudinem, charismatum apothecam, copiosissimam bonorum omnium opulentiam, illius magnificentiae participem cuius nulli sint fines, praeditam creatae innocentiae apice ac fastigio, animatam puritatis imaginem, speciem immaculatam et candoris decorisque exemplar, divinitus germinantem innocentiae pulcritudinem, simillimam primae venustatis repraesentationem, natura pulcram ac formosam, ipsisque angelis pulcriorem formosioremque creatam, adeo ut nihil actum in ipsa sit quod totum puritate non fulgeat, quod reprehensione non vacet, quodque extolli [1]) pro dignitate queat. Sed horum ne summa talis est, quae in puritatem quadret quam peccati labes aliquando macularit, quae-

τῶν τὸν ἄρθονόν σε τῶν ἀγαθῶν ὑπαρχεῖθῆναι πλοῦτον. « Oportebat ut ex omnigenis virtutibus tu copiosissima bonorum omnium opulentia prodires. » Et orat. in Deiparae praesentat. §. XVI. pag. 897. exclamat: Καὶ γὰρ ἀμύχανον ἐν αὐτῇ τοῦ κρυπτόμενον τῆς ἁγνείας κατανοῶ κάλλος, καὶ τοῦ κρυπτομένου φανέρωσιν ἡ τοῦ θείου πρὸς ταύτην αὔρασα περίστασιν· ὡς μακάριος ὁ οἶκος Ἰσραήλ, ἐξ οὗ τοιοῦτον ἀνέθηλε βλάστημα, ὡς εὐλογημένη ἡ ῥίζα Ἰεσσαί, ἐξ ἧς ἡ ἀναβλύουσα αὕτη ῥᾴβδος ἀνέδραμεν, ἡ τῷ κόσμῳ τὴν σωτηρίαν ἀνθοφορεῖν μέλλουσα. « Etenim mirificam prorsus in ipsa contemplor latentem innocentiae pulcritudinem, quodque in ipsa latet, patefacit effusa Dei in ipsam munificentia. Quam beata domus Israel, e qua eiusmodi germen pullulavit! Quam benedicta radix Iesse, e qua virens haec virga consurgit, quae salutis florem mundo proferet! » Innumera vero et praeclarissima sunt quae in Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 94-106-197-199-200-248-261-289-291-297-300-301-319-374-376-378-403-406-414-426-449. frequentantur, et e quibus specimenis loco pauca subiungo:

» Ave vas clementiae, » Palmaque victoriae,
» Gratiae piscina, » Vitae medicina,
» Radix innocentiae, » Vitis abundantiae,
» Stella matutina, » Caelorum regina.

» Ave vitae pabulum, » Munditiae speculum,
» Fons dilectionis, » Vas electionis.

» Ave lumen gratiae, » Radix pudicitiae
» Deo valde grata, » Numquam inquinata;
» Summae sapientiae » Humanae miseriae
» Nutu fabricata, » Succurre parata.

» Rex qui vivit, concupivit » Sancta parens labe carens,
» Tuam pulcritudinem, » Salutis puerpera,
» Gratiarum dans suarum » Stella maris ab amaris
» Tibi plenitudinem; » Casibus me libera,
» Nulla tantae post nec ante » Sacrae vitis uva mitis
» Laudis esse meruit. » Da potum quem sitio.

» O Maria, vitae via, » Inter Deum et me reum
» Plena Dei gratia » Rogo ut sis media.

Porro auctor sermonis tertii de Virginis conceptione, qui tribui Gersonio solet, et in eius occurrit operibus T. III. pagg. 1334. seqq., haec primum refert ex Alani Anticlaudiano:

» Haec est stella maris, vitae via, porta salutis,
» Regula iustitiae, limes pietatis, origo
» Virtutis, veniae mater, thalamusque pudoris,
» Hortus conclusus, fons obsignatus, oliva
» Fructificans, cedrus redolens, paradisus amenus.
» Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
» Praedita divino, nectar caeleste propinans,
» Nescia spineti florens rosa, nescia culpae,
» Gratiae fons, expers limi, lux nubila pellens,
» Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,
» Proscriptis reditus, erranti semita, caecis
» Lumen, dejectis requies, pausatio fessis.

Tum haec subdit ex Petro Comestore:

» Si fieri posset, quod arenae, pulvis et undae,
» Undarum guttae, rosae gemmae, lilia, flammae,
» Aethera, caelicolae, nix, grando, sexus uterque,
» Ventorum pennae, volucrum, pecudum genus omne,
» Silvarum rami, frondes, avium quoque pennae,
» Ros, gramen, stellae, piscis, simul anguis, aristae,
» Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
» Linguae cuncta forent, minime depromere possent
» Quae sis vel quanta, virgo regina Maria.

Ac tandem infert pag. 1337: « Ergo ascendite in spiritu, et videbitis Mariam absque pari pulcram, absque fari, quia *tota pulcra* in Mariam amorosam, valde gratiosam, quia *amica mea*: Mariam in conceptu absque omni defectu, quia *macula non est in te*. »

1) Hoc Graeci in Octoecho pag. 29. sic efferunt: ἅπας ἐγκωμίων νόμος ἡττᾶται τῷ μεγέθει τῆς δόξης σου. Latini vero apud Mone T. II. p. 403. significant his verbis:

» Scio quod si lingua foret » Omnisque creatura
» Omne quod sub caelo » Corporalis atque pura
floret,
» Te verbis non exprime- » Laudare non sufficeret.
ret,

Digitized by Google

que peccati turpitudine aliquando sorduerit? Nullatenus, ut quisque singula conferens ac paullo diligentius universa considerans necessario fatebitur. Superest igitur ut ea puritatis forma Deiparae propria consensu maiorum delineata videatur, quae innocentiam omni ex parte integram ac prorsus originalem efflagitet.

1581. Atque eiusmodi profecto est innocentia, quam patres scriptoresque ecclesiastici Deiparae asserunt, quum illius originem caussamque effectricem pandunt, profectosque ex ea effectus manifestant. Ad effectricem namque caussam virgineae innocentiae ea coniunctim referuntur, quibus [1]) Deipara vel ab ipsis incunabulis decore pulcritudinis refulgens propter accepta Spiritus dona praedicatur, vel nondum nata iamque Deo unice addicta perhibetur, vel talis spectanda obiicitur quae ab angelis semper custodita, ab initio aeternitatis radium divini beneplaciti in seipsa receperit. Inter effectus vero singularis innocentiae, qua Deipara caelitus aucta excelluit, ex doctrina maiorumque suffragatione [2]) numerantur, quod ipsa exstiterit finis lacrymarum et miseriae, finis moeroris et vitiorum, finis errorum et noctis, metaque leti et culpae, irae et maledicti, adeo ut eiusdem praesentia retroacto mali impetu et fine culpis imposito, ipsa ceu secundum faustumque pacis initium effulserit.

1582. Age iam, tecumque reputa an originalis Deiparae corruptio et a Deo aversio ac dissidium cohaerere utcumque possint

1) nn. 620-630-792. alibi. Quibus haec respondent apud Mone T. II. pag. 238:

» Ave in qua iustitia, » Ave cuius munditia
» Pax et misericordia » Angelorum custodia
» Veritasque conveniunt, » Conservata non timuit
» Foedus amoris ineunt. » Inquinari, nec valuit.

» Maria tu sideris » Nondum nata crederis
» Instar luminosa, » Tota gratiosa,
» Stella maris diceris » Carens spina veteris
» Vere radiosa, » Culpae caeli rosa.

» Plena luce gratiae » Tota pulcra specie
» Rutilans decora, » Fulges omni hora,
» Solem tu iustitiae » Noctem delinquentiae
» Praevenis aurora, » Fugas sine mora.

» Gaude mater regia, » Per quam nox finem habuit,
» Mater solis et filia, » Sol de sole resplenduit.

» Ave Virgo gloriosa, » Finis leti, vitae via,
» Caeli iubar, mundi rosa, » Tibi triplex hierarchia
» Coelibatus lilium. » Digna dat praeconia.

» Ave salus hominum » Tu finis miseriae,
» Virgo decus virginum, » Tu ver es laetitiae,
» Te decet post Dominum » Pacis et concordiae
» Laus et honor. » Condimentum.

Cum his autem componi prorsus debent quae retulimus nn. 41-581-744-1079. alibi.

2) Opportune Iohannes Geometra hymno III. in Deiparam vv. 1-2. pag. 440. in app. ad biblioth. graec-lat. T. III.

Χαῖρε κόρη, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
Χαῖρε χαρᾶς ἀρχή, χαῖρε τέλος κατάρας.

Salve puella, magnum portentum, magnum hominibus levamen, salve gaudii principium, salve maledicti finis. Neque opportune minus Latinorum hymnographi apud Mone T. II. pagg. 103-181-182-216-280-318-404-414:

» Ave Virgo, virgula » Eximit a macula
» Floseuli regalis, » Culpae generalis,
» Quam in nostris clausula » Ut illustres secula
» Virtus divinalis » Decor virginalis.

Digitized by Google

cum radio divini beneplaciti ab aeterno in ipsam porrecti, quaeque idcirco priusquam nasceretur, sacra Deo fuerit, et a suis primordiis superna gratia donisque Spiritus cumulata. Tecum deinde reputa, an originalis ira, ignorantia, error et maledictio in eam congruant mulierem, cuius praesentia mali impetum cohibuerit, quaeque sibi iure vindicet, ut noctis errorumque meta, lacrymarum vero peccati ac miseriae extremum finisque habeatur. Profecto nisi haec sese mutuo excludant, plane ignoro an alia reperiantur quae simul iungi atque in unum coire amice nequeant. Disertae igitur explicitaeque maiorum sententiae, quae supremam aperiunt effectricem caussam virgineae innocentiae, quaeque consertos cum ea effectus patefaciunt, immaculatam pariter eiusdem conceptionem nulloque infectam vitio originem praeclare demonstrant.

1583. Cui demonstrationi lucem addunt roburque suggerunt disertae eaedemque affirmantes maiorum testificationes, quibus tamquam certum vulgatumque [1]) proponitur, esse credique Deiparam oportere liberam ab omni iugo peccati, immunem a quovis maledicto, totam sine macula omnique culpa vacantem, integram ab omni labe peccati, talem prae qua quum de peccatis agitur, nulla haberi quaestio debet, quando ipsa vicerit omni ex parte peccatum; tabernaculum a quavis sorde liberum omnique malitiae limo purissimum; talem quae vitiata nulla cuiuscumque maculae nota fuerit, et sicuti mente praedita omni funditus culpa vacua, ita corpore eidem consentaneo induta. Neque mirum, siquidem ex veterum suffragio [2]) Maria fuerit a Spiritu praeventa, a Filio praeservata et a Patre praeparata; neque quovis tandem modo praeventa, praeservata et praeparata, sed ita plane ut in ipso conceptu cum Deo fuerit, gratia redundarit, nituerit pulcritudine, Deique imaginem praeferens, compacta sanctitate, mundoque ex luto condita, singulari gratiae novitate in lucem venerit [3]) nova creatura, et super omnes

1) nn. 110-234-334-447-470-483-630-656-696-1015-1077-1176-1246.alibi.Ex his non pauca complexus est auctor coronae b. Mariae cap. XX. pag. 426. inquiens: «Tota es munda intus in mente, tota pulcra exterius in operatione, tota carens macula, tota Deo sociata, divina claritate fulgens, divinis laudibus resultans.» Similia recurrunt apud Mone T. II. pagg. 263-406-438.

2) nn. 726-729-807-820-1111-1129-1172-1173-1190-1213-1223-1224. alibi. Neque omittenda sunt quae eodem spectantia occurrunt apud Mone T. II. pagg. 103-305.

3) Isidoro thessalonicensi orat. in Deiparae praesent. §§. VI-VIII. pagg. 423-426-427. satis non est Deiparam appellare τὸ καινὸν δημιούργημα καὶ τὸν ὑπὲρ νοῦς ἄνθρωπον, *novam creaturam*, *hominemque puris mentibus excellentiorem*, illamque dicere τὸν ὑπερφυέστατον καὶ θειουργικώτατον ἄνθρωπον, *hominem supra naturam longe evectum opusque divinum*; sed illam praeterea idem exhibet καὶ ἀγγέλους δημιουργηθείσαν, *ad angelicae naturae typum conditam*. Quemadmodum ergo fas non est communem humani generis noxam Deiparae asserere, sic tribui eidem de-

Digitized by Google

a labe immunis vitaeque filia originali gratia praecelluerit. Hinc illa penes maiores [1]) usitata, conditam fuisse [2]) Deiparam ab omni labe humanae conditionis solutam, in ipso conceptu totam pulcram, ab hereditario vitio immunem, et a ceteris Adami posteris eo etiam nomine dissimilem, quod quum hi a praevaricatione et ab iniustitia ordiantur, illius contra viae omnes rectae omnesque gressus ordinati fuerint ac praeclari.

1584. Tacitus argumenta praetereo quibus persuadeam quod ex sese mentem occupat assensionemque producit, eiusmodi haec esse quae innoxia ostendunt Virginis initia; et continuo ad classem progredior veterum testificationum, quae negantibus expressam verbis idipsum diserte luculenterque confirmant. Quo quidem ambitu eae primum continentur quae propriis Deiparae ornamentis accensent quod [3]) ipsa fuerit criminum expers, labis incapax, prae omnibus ignara delicti, neque macula turpis neque ruga, peccato impervia, tenebrarum errorisque nescia, qualibet reprehensione vacans, nihil debens legibus, nihil triste Deoque exosum praeferens, exsors communis mortalium sortis, nullo naevo polluta, nulloque vitio obligata. Succedunt eodem contentae ambitu testificationes, quae [4])

bet origo propria *norae creaturae, hominis puris mentibus praestantioris, supra naturam longe evecti, quique opus sit divinum et ad angelicum typum ipsa sua conditione expressum.* Haec autem origo est tum exsors labis, tum splendore gratiae illustris.

1) nn. 644-729-1129-1274. alibi.

2) Alia quae huc faciunt, eaque praeclarissima dabimus sectione sequenti, quum de obiecto celebratae solemniter conceptionis disseremus.

3) nn. 291-364-449-480-505-645-686-920-1035. alibi. Quare auctor coronae b. Mariae cap. X. p. 409. ipsam alloquens scribit: « Pulcra, quia nec maculam aut rugam habuisti, neque carnis neque spiritus aliquod inquinamentum, sed tota tamquam obrizum purissima, tota splendida, tota candida, tota rutilans, tota mundissima: a cuius corde et opere longe fuit omnis peccati macula, cui fortiter adhaesit totius sanctitatis gratia et charisma. » Et cap. XXIV. pag. 432: « Tu Domina fuisti clara et splendida, nulla macula denigrata, nulla sorde umquam polluta, nullo vitio coutenebrata; sed per gratiam supernae illuminationis fuisti velut quaedam emanatio Dei omnipotentis, clara et sincera, in qua nihil inquinatum incurrit. » Consonant quae ex Latinorum hymnis apud Mone T. II. pagg. 108-234-308-309-350-374-405. subdimus:

» Mater Dei et hominis, » Mater expers criminis,
» Capax Trinitatis, » Norma sanctitatis,
» Mater veri luminis, » Fac me sequi iugiter
» Fons es puritatis, » Viam veritatis.
» Salve Virgo, sancta parens » Salve Virgo, radix Iesse,
» Omni prorsus labe carens, » De qua mundus salvus esse
» Ave Virgo inclita; » Meruit per merita.

4) nn. 220-352-648-688-820-1101-1247. alibi. Omitti vero haec non debent apud Mone T. II. pag. 25:

» Iesus in te carnem sumpsit, » Per quam, Christe, dirupisti
» Qui totam culpam consumpsit » Vincula peccatorum:
» In sua passione. » Ergo ipsa fuit munda
» Si quidquid de crimine » Caro tua ab immunda
» Arguatur in Virgine, » Radice peccatorum.
» Caro Christi esset rea, » In hoc die exultemus
» Quam assumpserat ex ea. » Et Mariam collaudemus,
» Carnem Christo contulisti, » Quia plena gratia.

Hinc quae ibidem leguntur:

» O Maria sanctissima, » Templum Dei fuisti,
» Creatura purissima » Et naturam contulisti
» Ab omni contagio. » Creatoris filio.

Atque hinc verba ex acoluth. Spyridon. pag. 28: Ἁγίων ἁγία τῶν ἁγίων τὸν ἅγιον τέτοκας, τὸν πάντας ἁγιάζοντα Χριστόν. *Sancta sanctorum sanctum sanctorum peperisti Christum omnes sanctificantem.*

Digitized by Google

aut de carne Virginis affirmant sacrarium fuisse peccato inaccessum, nullo prolapsionis vitio deturpatum, nulla culpae sorde corruptum, humanae maculae nescium et [1]) consortem Adami naturae non culpae: aut [2]) de illius mente animoque stabiliunt, nulli hunc subiacuisse peccato, nulli funditus vitio fuisse pervium, nihilque in eo apparuisse sordidi, nihil obscuri et nihil quod Deo displicuerit. Tum illae succedunt quae Deiparam [3]) exhibent natura incorruptam ac prorsus talem, in qua huiusce mundi princeps nihil quod suum esset et cum humana praevaricatione consertum repererit. Has vero eae excipiunt quibus Virgo [4]) celebratur ut quae fuerit innocentia numquam laesa, ab ipsis suis primordiis ad mundi senectutem non spectarit, numquam in praeceps ruerit, hereditariae transgressionis labem non contraxerit, et libera ab omni peccato in materno sinu concepta illud evitarit, in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea.

1585. Sed frustra inferendo arguendoque contenderem, huiusmodi esse hanc negationum summam quae cum infectis Deiparae primordiis cohaerere ullo pacto nequeat. Vel enim hoc ex sese mentem ferit animumque percellit, vel spes nulla affulget fore ut disserendo liquidius evidentiusque reddatur. Quapropter satius arbitror ea promere, quibus Iohannes Geometra Deiparam [a]) celebrat

a) Hymn. III. in Deiparam vv. 17-18. pagg. 440-441. in app. ad biblioth. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε δίμας πανὸν ὑψόθεν αἰγλήεντος ὀλύμπου,
Ἡμερίης καλίης οὐδὲν ἀφελκομένη.

1) Hoc quod disertis inculcatum verbis accepimus, potestate aequipollentibus declarat thessalonicensis Isidorus de Virgine scribens orat. in praesent. §. XXVI. pag. 454: Λέγω δὲ ἀπερινόητα μὲν καὶ ἀνθρώποις σχεδὸν ἄφραστα, θεουργικαὶ καὶ ταύτῃ προσεῖναι πλουτοπτήματα· θεᾷ δ' ἐξ ἴσης οὐδέποτε, ἀλλά γε πρὸς μὲν ἡμᾶς, θεὸν ἂν εἴποις· τὸν πάναγνον, τῷ καθ' ὑπερβολὴν αὐτὰς ἀρετῇ, πρὸς δὲ θεὸν, τοῦτ' αὐτό ὅπερ ἐστὶν, ἄνθρωπος ἡ παρθένος. « Contendo sane mente incomprehensas et hominibus propemodum ineffabiles ac deificas ipsi (*Mariae*) dotes inesse; absit tamen ut eam Deo parem umquam habueris. Sed purissimam illam Deum dixeris propter virtutis eius eminentiam, si nobiscum ipsam comparaveris; sin vero eamdem cum Deo contuleris, hoc quod reipsa est, Virgo apparuerit, scilicet homo. » Quibus haec adiicit §. XXVII. pag. 455: Πλὴν ὅπερ ἔφην, κτίσεως ἁπάσης ὑπερκειμένη, καὶ μόνην ἔχειν ἴδοι τις ἂν ἀτέχνως, πρὸς δόξαν ἄγειν ἀνθρώπους θεοῦ, μεῖζον ἡ πᾶσα ἡ ποίησις δύναται. « Caeterum, quod dixi, sublimior est creaturis universis, et facile cernere quisque poterit, ipsam solam plus quam res creatas simul omnes hominibus ad Dei gloriam evehendis parem esse. »

2) nn. 654-655-713-773. alibi.

3) nn. 106-122-291-363-686-927-931-1029-1095-1110. alibi.

4) nn. 53-100-535-618-636-638-649-657-698-1029-1030-1032. alibi. Nemini igitur mirum sit quod Hildephonsus toletanus de perpet. virginit. s. Mariae cap. XII. pagg. 158-159. in collect. pp. tolet. T. I., Deiparam vocet *gloriam incorruptionis*, ipsamque compellans scribat: « O salutis ac vitae meae simul et gloriae praemium, grandi opulentia magnum! O libertatis meae nobilissimus titulus! O ingenuitatis meae praeclara conditio! O nobilitatis meae adstipulatio insolubiliter gloriosa! Ut ego male deceptus, ad reparationem meam fieri concupiscam servus matris Domini mei: ut ego olim in primo plasto angelica communione seiunctus, ancillae et matris factoris mei merear confici servus: ut ego idoneum opus in manibus summi Dei, impetrem in servitute puerperae virginis iugi, in servitutis devotione ligari. »

inquiens: «Salve corpus compactum sublimi splendidoque olympo, quae vitii nostri nihil contraxisti. » Ea deinde subiicere quae Latinorum hymnis [1]) frequentata legimus:

» Aurora lucis oritur,
» Conceptio recolitur
» Mariae, quae verbigenae
» Vas [2]) est provisa gratiae.
» Ut femina dilueret
» Quod [3]) femina polluerat,
» A labe haec originis
» Praeservabatur criminis.

» Concepta ex parentibus
» Mariam nunc colentibus
» Per matrem primogenitae
» Tuam nefanda remove.
» Quae [4]) spinetum lilium
» Ex stirpe Iesse proditum,
» Tu nobile triclinium,
» Singulare [5]) refugium.

ARTICULUS IV.

Rursum de explicitis sententiis disertisque veterum testimoniis: complanatur via, receptusque penes illos loquendi usus de propagata originis labe definitur: aperiuntur fontes, e quibus huiusmodi usus defluxit: ad novem revocantur, et novem promuntur formularum classes quibus transfusio hereditariae noxae efferri consuevit: singulae expenduntur, et ex singulis pariter atque ex omnium summa efficitur, communem vulgatamque loquendi rationem de propagata originis culpa ab ea fuisse omnino alienissimam eique e diametro oppositam, quam maiores de Virgine disserentes usurparunt: consectarium duplex, quorum altero contentio dirimitur de sententiis explicitis disertisque testimoniis, altero autem insignis exhibetur immaculati conceptus demonstratio non aliunde quam ex disertis explicitisque christianae traditionis suffragiis collecta.

1586. Nisi amore forte nimio eius caussae decipimur, cuius expositionem defensionemque suscepimus, videmur nobis affirmare tuto posse, neque re bene provisa neque consulto satis graviterque [6]) dictum fuisse plusque semel repetitum, in priscis catholicae traditionis monimentis initia quidem primasque *lineas* reperiri, qui-

1) Apud Mone T. II. pagg. 7-8.

2) Men. Nov. XXI. Ἡ προορισθεῖσα πανάμωμος. Hieronym., in Matth. I. 5-38. *In lege retributio est, in evangelio gratia.*

3) Men. April. XII. et Nov. XVII. Εὔας τὰς πρώτης τὴν κατάραν μεταβάλλουσας, ἀντὶ, εἰς εὐλογίαν, υἱὸν τοῦ Θεοῦ γεννήσασα· τὰς πρώτης Εὔας περιστείλας αἶσχος τὸ δύσμορφον. Videsis etiam Augustini serm. CLXXXIV. n. 2. et serm. CCLXXXIX. n. 2.

4) Men. Nov. XXII. Ὡς κρίνον ἀναμίσον ἐκλάμψασαν τῶν ἀκανθῶν εὑρὼν ὁ νυμφίος σε ἠγάπησε. Augustinus serm. VII. n. 2: « Spinosum populum Iudaeorum significabat rubus, quo Moyses mittebatur; nam si ille populus spinis non significaretur, non ab eo spinis Christus coronaretur. »

5) Pentecost. pag. 80: Σὶ πάντες καταφύγιον καὶ θείαν σκέπην ἁμαρτωλοὶ ἐν βίῳ κεκτήμεθα.

6) Opus non est ut eorum nomina referamus qui hoc dixerint frequenterque inculcarint. Notissima enim sunt, iisque omnibus explorata qui in hac controversia non penitus hospitantur.

Digitized by Google

bus [1]) doctrina immaculati conceptus adumbretur, nullatenus vero vivos colores quibus exprimatur, disertasque sententias quibus liquido significetur. Ne enim alia commemoremus sane plura quae toto passim opere continentur, vel ea dumtaxat quae hoc capite tribusque superioribus articulis complexi sumus, abunde sufficere lectoribus debent, illisque fidem facere sententiam de conceptu Deiparae ab hereditaria praevaricatione soluto ad earum pertinere veritatum censum, quae non modo suprema divinaque Scripturarum auctoritate muniuntur, neque implicitis dumtaxat maiorum testificationibus conprobantur, verum etiam [2]) disertis explicitisque illorum suffragiis ita asseruntur, ut incolumi aperta catholicae traditionis doctrina in dubitationem adduci nullo pacto queant. Quum vero probe noverim eruditis theologis molestum accidere, *quae imberbes didicere, senes perdenda fateri*, negotiumque esse salebrosum inprimis atque impeditum id negando refigere quod multorum affirmatione fixum diu fuerit ampliterque propagatum; novam idcirco inibo viam, et quod idoneis fultum monimentis videri posset, idipsum plenius validiusque comprobabo.

1587. Principio itaque pono quod viris doctis anceps esse non potest, diversis aetatibus diversisque seculis unam quidem eamdemque semper fuisse catholicae ecclesiae fidem, sed non unam semper eamdemque rationem qua fides animo praeciperetur, praeceptaque verbis declararetur: sive quod eodem redit, unam semper eamdemque fuisse fidem *obiective*, ut loquuntur, atque ὀντως spectatam, minime vero si ea *subiective, psychologice, hermeneutice* et quod *ad intelligentiam enarrationemque* pertinet consideretur. Sane vix unum alterumve proferre licet symboli articulum, qui circa *theologiam, oeconomiam, soterologiam, anthropologiam* aut *cosmologiam* versetur, cuius fides licet *obiective* constans numquam non fuerit sibique gemina, *subiective* tamen atque *hermeneutice* non plures induerit formas, illasque ab invicem non aliter secretas ac obscura a claris, a distinctis confusa et rudia atque inchoata a plenis absolutisque separentur.

1588. Pono deinde quod cum hisce ea affinitate cohaeret qua cum theorematis corollaria vinciuntur, recentiores proponendae

1) Hinc quod crebro legimus, doctrinam de immaculato conceptu illarum numero comprehendi quae in acceptis *deductioni* referuntur, quaeque uberiori in dies dogmatum explicatione innotuerint.

2) Nobis enim indubitatum est, conceptum Deiparae labis exsortem non *implicita* solum traditione verum etiam *explicita* disertaque contineri; neque solum ex veterum testimoniis *mediate colligi* verum etiam iisdem *immediate proponi*.

Digitized by Google

fidei formulas, obortisque successu temporum contentionibus veluti determinatas minus prudenter [1]) in iis quaeri monimentis, quae vetustiora quum sint, eamdem quidem praeferunt fidem, sed neque eadem omnino perfectione conceptam, neque iisdem plane loquutionibus patefactam. Si qui hac prudentiae lege violata, formulas contra novatores a tridentinis patribus adhibitas in antiquissimis monimentis eodem verborum gyro conclusas quaesierint, non operam modo tempusque inaniter ludent, sed eum praeterea ordinem subvertent quo fides labentibus seculis plenius intelligitur atque oratione limatius exponitur.

1589. Ad haec pono quod sua se perspicuitate commendat, in controversia de immaculato Deiparae conceptu diserta veterum suffragatione vindicando, in id sedulo incumbendum esse, ut I. accurate investigetur, quibus animi notitiis veteres apprehenderint, quibus formulis sive propriis sive translatis edixerint, et quibus imaginibus repraesentarint perennem fluxum hereditariae labis, quae universam pervadens Adami progeniem suo illam viru inficit, suaque foeditate commaculat. Ut II. huiusmodi veterum notitiae, formulae atque imagines ab illis omnino secernantur sive quas theologorum principes [2]) Petrus lombardus, Alexander alensis, Albertus, Thomas et Bonaventura invexerunt, quasque illis adhaerens schola deinceps usurpavit: sive quas commotis de conceptu Deiparae dissidiis [3]) usus recepit. Demum III. ut ad enodandum rite problema, *utrum in vetustis monimentis diserta habeantur suffragia quae conceptum Deiparae innoxium purumque significent*, quaerantur in iis

1) Profecto non satis ad prudentiae normam Augustinus et Prosper in veterum monimentis eas antitheses quaesiissent, quas hesternis massiliensium corruptelis e diametro opponerent; neque satis ad prudentiae normam sibi Cyrillus praestituisset eas tantum nestoriano dogmati antitheses opponere, quas totidem conceptas verbis ex maiorum libris derivasset. Sicut enim intellectus fidei suos habet profectus, ita suos habet profectus fidei expositio; et sicuti obortis denuo erroribus novae opponi debent catholicae antitheses, ita iudicarent praepostere qui ex novitate formularum doctrinae novitatem arguerent.

2) Praeter Magistrum lib. II. sent. dist. XXX. seqq., iuverit contulisse Thomam, Bonaventuram, Durandum, et Scotum in commentariis, itemque Caietanum, Medinam, Conradum, Zumelium, Lorcam, Curiel, Montesinum, Vasquium, aliosque ad h. Thomae I. II. q. LXXXI. aa. I. seqq., ac denuo Gregorium de Valentia in I. II. disput. VI. q. XI., Bellarminum de amissione gratiae lib. IV. capp. I. seqq., Dominicum Sotum de natura et gratia lib. I. cap. VII., Driedonem de grat. et lib. arbitr. lib. I. tract. III., Tapperum art. II., Stapletonum de iustificat. libb. I-II., Salmeronem in Rom. V. disputt. XLIV. seqq., Azorium lib. IV. capp. XXV. seqq., Granadum in I. II. controv. VI. tract. VIII. disput. II., Tannerum in I. II. disput. IV. q. VII. et Suarium in I. II. tract. de peccat. disput. IX.

3) Ad hunc usum cognoscendum egregie conferent Gregorius ariminensis et Durandus in II. dist. XXX. q. II., tum Caietanus, Conradus, Medina, Zumel, Montesinus, Curiel, Vasquius, aliique ad I. II. q. LXXXI. aa. III-IV., ac postremo Bellarminus de amiss. gratiae lib. IV. capp. XV. seqq., Salmeron ad Rom. V. disputt. XLIX. seqq., Suarius in III. p. disput. III., Valentia in I. II. disput. VI. q. XI. punct. II., Catharinus in lib. de peccat. originali, Henricus lib. III. summ. cap. XI. §§. IV. seqq. et Tannerus in I. II. disput. IV. q. VII. dub. II.

Digitized by Google

antitheses quae ex adverso respondeant non quidem recentioribus, sed utique priscis formulis priscisque imaginibus, quas maiores nostri ad efferendum originalis culpae traducem adhibendas existimarunt. Viguit enim ante scholae exordia in Oriente, viguit in Occidente certa quaedam cogitandi loquendique ratio, eaque non uno nomine ab illa dissimilis quae deinceps regnans in Occidente universalis evasit, quaeque una propemodum nostras aures occupat, nostrisque in libris recurrit.

1590. Iamvero apte expensis sollerterque collatis quae ad veterem loquendi usum inveniendum definiendumque conducunt, palam erit disertas de immaculato Deiparae conceptu testificationes longe esse in christianis monimentis numerosiores longeque evidentiores ac vulgo censeatur: et palam erit ex iis non pauca quae *aequipollentium* ambitu conclusimus, veluti *explicita* atque *diserta* haberi iure optimo potuisse. Quamplurimae enim exstant sententiae et quamplurimae reperiuntur formulae, quae maiorum suffragio de Virgine adhibitae totidem praeferunt cum iis antitheses splendidasque oppositiones, quibus mos fuit originalis culpae traducem, contractamque ab Adami posteris hereditariam luem explicare oculisque subiicere. Ne quid autem temere dictum leviterque sumptum existimetur, nobilissimis utriusque ecclesiae occidentalis et orientalis scriptoribus in medium adductis, eam aperiemus loquendi formam quae olim invaluit, quaeque christianae antiquitati solemnis fuit ut fidem de transfusa in omnes homines hereditaria culpa profiteretur: tum ex ordine atque enucleate ostendemus, alias prorsus iisdem temporibus fuisse loquutiones de Virgine receptas, neque alias tantum, sed superioribus illis penitus oppositas et plane eiusmodi quae merito ceu totidem disertae antitheses videantur.

1591. Et re sane vera ex multis splendidisque rationibus veterum usu ad efferendam originalis culpae propagationem usurpatis, omnium prima mentem subit *quae ex occasione externoque incitamento paternae transgressionis profecta est*. Hanc enim cum alii plures tum nominatim usurpant [1]) Iustinus, Irenaeus [2]),

1) Dialog. cum Tryphone, ubi causam mortis Christi describens ait: Ἔπρεπε οὖν τὸ γεννηθῆναι καὶ σταυρωθῆναι, ὡς ἐνθένδε τοῦτον, ὑπάρχειν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἃ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει, παρὰ τὴν ἰδίαν αἰτίαν ἑκάστου αὐτῶν πονηρευσαμένου. « Sicut nec nasci nec crucifigi, quasi horum indigus, sustinuit, sed humani generis causa, quod per Adam *in mortem seductionemque serpentis inciderat*; ut interim propriam cuiusque maligne agentis culpam taceam. »

2) Con. haeres. lib. IV. cap. V. et apud Augustinum con. Iulianum lib. I. cap. II: « Non aliter

Tertullianus [1]), Cyprianus [2]), Athanasius [3]), Ambrosius [4]), Hilarius pictaviensis [5]), Basilius [6]), Gregorius nazianzenus [7]), vulgatusque [8]), Hieronymus, quibus unum idemque est originali vinculo obstringi, paternaque labe maculari ac *diaboli astu in mortem incidere, in condemnationem offendere, antiqua serpentis plaga vulnerari, illius veneno corrumpi, dolo supplantari, morsu laedi, praecepti divinitus impositi, circumveniente satana, oblivisci illudque contemnere, diabolicae legi subiici, maligni fraude condemnari, et letifero peccato serpentis instigatione admisso originaliter infici.* Quid vero ad Deiparam quod attinet? Quum hic vigeret loquendi usus, iisque verbis hereditariae culpae propagatio designaretur, *quae ex occasione externoque paterni criminis incitamento* petebantur, non modo nihil eiusmodi ad Virginem traductum legimus, sed plane omnia de ipsa luculentissime negata reperimus. Hoc enim testantur I. quae toties [9]) ingeminata audivimus de Virgine ceu [10]) turri draconi impervia, ignitis illius telis semper latente, numquam eius fraudibus decepta dolisque seducta, et numquam eius veneno polluta morsuque violata. Hoc II. testantur quae enarrantes [11]) Geneseos

salvari homines *ab antiqua serpentis plaga*, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus ex terra, et omnia traxit ad se et vivificavit mortuos. »

1) De testim. animae cap. III: « Satanam dicimus malitiae angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem, *per quem homo a primordio circumventus ut praeceptum Dei excederet*, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit. »

2) De op. et eleemosynis: « Cum Dominus adveniens sanasset illa quae Adam portaverat vulnera, *et venena serpentis antiqui curasset*, legem dedit sano. »

3) Tract. in illud, *omnia mihi tradita sunt*, de primo peccato eodemque communi sit: Ἐφθάρη ὁ ἄνθρωπος καὶ ἀπεκτονήθη· ὁ δὲ διάβολος ἐνήλατο καθ' ἡμῶν. « Homo corruptus et occisus est, *diabolus autem in nos insiluit.* »

4) Exposit. in ps. XLVIII: « Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam *dente serpentis est vulneratus*, et obnoxiam hereditatem successionis humanae *suo vulnere* dereliquit, *ut omnes illo vulnere claudicemus.* » Similia habet in exposit. libri Tobiae capp. IX-XXIII.

5) Exposit. in ps. CXXII. ad ea verba, *vivet anima mea et laudabit te.*

6) In ps. XXIX. Καλὸς μὲν γὰρ ἦμεν κατὰ τὴν φύσιν, ἀσθενὴς δὲ διὰ τὸ ἐξ ἐπιβουλῆς τοῦ ὄφεως πεπωκέναι τῷ παραπτώματι. « Pulcher quidem eram secundum naturam, debilis autem eo quod *per insidias serpentis peccato sum mortuus.* »

7) Orat. XXV. pag. 436. Πάντες ΙΙ οἱ τοῦ αὐτοῦ Ἀδὰμ μετασχόντες, καὶ ὑπὸ τοῦ ὄφεως παραλογισθέντες, ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ θανατωθέντες, καὶ διὰ τοῦ ἀπειθοῦς Ἀδὰμ ἀναζωθέντες, καὶ πρὸς τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐπανελθόντες, διὰ τοῦ ξύλου τῆς ἀτιμίας ὤφθημεν ἀποτετιτώκαμεν. « Omnes qui eidem Adamo participavimus *atque a serpente in fraudem inducti sumus*, per peccatum mortui ac per caelestem Adamum saluti restituti, atque ad vitae lignum unde excideramus, per ignominiae lignum reducti sumus. » De pace orat. III. pag. 221. Ἔχρῆν γάρ ὅλον με σώζεσθαι, ὅλον πταίσαντα καὶ καταχωθέντα ἐκ τῆς πρωτοπλάστου πτώσεως, καὶ κλοπῆς τοῦ ἀντιτιμίου. « Oportebat enim me totum salvari qui totus cecidi, atque ob primi parentis inobedientiam *et diaboli fraudem condemnatus sum.* »

8) In qq. ad libb. Regum: « Mortiferum peccatum, *quod originaliter de serpente antiquo contraxit.*

9) nn. 1574. seqq.

10) Licet haec *absolute simpliciterque* spectata iis non immerito accenseantur quae *aequipollentia* diximus; nihilominus si *cum expositis loquendi consuetudine* comparentur, ratio suppetit eaque perspicua propter quam *explicita ac diserta* haberi iure possint.

11) nn. 902. seqq., 918. seqq., 943. seqq., 960. seqq. et 969. seqq.

Digitized by Google

oraculum ex catholica traditione protulimus, quaeque tot exhibent antitheses quot sunt formulae ad significandam hereditariam labem usu maiorum receptae. Hoc III. testantur quae [1]) de Virginis in satanam triumpho ex veterum monimentis collegimus. Atque hoc IV. testantur quae [2]) occasione salutationis angelicae unanimi christianae antiquitatis suffragio confirmata ostendimus. Pro ea igitur loquendi ratione quae communi usu dominabatur, fieri non potuit ut evidentius praerogativa immaculati conceptus consensione maiorum [3]) ediceretur.

1592. Primam loquutionum classem altera excipit, *quam ex effectrice originalis culpae caussa repetitam* frequentes adhibuerunt [4]) Irenaeus, Cyprianus [5]), Hilarius [6]), Olympius [7]), Reticius [8]), Gregorius naziazenus [9]), Ambrosius [10]), Hieronymus [11]), Augustinus [12])

1) nn. 999. seqq.

2) nn. 1082. seqq., 1093. seqq. et 1115. seqq.

3) Ediceretur autem non ab hoc aut illo, neque uno alterove testimonio plus minusve luculento; sed tum a plurimis simul et vix non omnibus, tum integris doctrinarum capitibus, eàque verborum sententiarumque ubertate qua difficiliores etiam animi expleantur.

4) Con. haeres. lib. V. cap. XIV: « Dominus caro et sanguis secundum principalem plasmationem factus fuit, salvans in semetipso in fine illud quod perierat in principio in Adam. » Ibidem cap. XVI: « Deum in primo Adam offendimus, non facientes eius praeceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cuius et praeceptum transgressi fueramus ab initio. »

5) Confer quae ex epistola ad Fidum laudant Hieronymus in tertio adversus pelagianos libro et Augustinus ad Bonifacium lib. IV. cap. VIII. et con. Iulianum lib. I. cap. II.

6) In Matth. X. n. 23: « Tria tantum in homine reperimus, idest corpus et animam et voluntatem. Sed hoc in illis deprehenditur qui primi a Deo figurati sunt, in quibus coeptae originis ortus effectus est non traductus aliunde. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus, coepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animae infidelitas: ab his enim ortum per transgressionem primi parentis accepimus. » Ibidem n. 24: « Cum ergo innovamur baptismi lavacro per Verbi virtutem, ab originis nostrae peccatis atque auctoribus separamur. Et veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, et per Spiritum anima et corpore innovati, necesse est ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus. » Et in Matth. XVIII. n. 6: « Ovis una homo intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda est. Sed unius Adae errore omne humanum genus aberravit. »

7) In sermone quodam ecclesiastico penes Augustinum con. Iulian. lib. I. cap. II: « Si fides umquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset quae signata deseruit; numquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur. »

8) De baptismo penes Augustinum con. Iulian. lib. I. cap. II: « Hanc igitur esse principalem in ecclesia indulgentiam, neminem praeterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus et ignorantiae nostrae facinora prisca delemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus. »

9) Orat. XXXVIII. pag. 619. *Φεῦ τὴς ἐμῆς ἀσθενείας· ἐμὴ γὰρ τοῦ πρωτόπλαστος.* « O infirmitatem meam! Meam namque dico primi parentis infirmitatem. »

10) In altera Davidis apologia cap. XII. n. 71: « Omnes in primo homine peccavimus, et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est. » Et de Tobia cap. IX: « Quis iste peccati est foenerator nisi diabolus, a quo Eva maculata peccato, obnoxiae successionis usuris omne genus defoeneravit humanum? » Et cap. XXIII: « Diabolus Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hereditatem. »

11) Comm. in Oseae VI: « In paradiso omnes praevaricati sunt in me, in similitudinem praevaricationis Adam. Non enim mirum si quod in parente praecessit, etiam in filiis condemnetur. » Et in Ionae IV: « Nullus enim absque peccato nec si unius quidem diei fuerit vita eius, et innumerabiles anni vitae illius. Si enim stellae mundae non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii. »

12) De peccat. meritis et remiss. lib. III. cap. VI. et de civ. Dei lib. XVI. cap. XXVII: « Etiam parvuli non secundum vitae suae proprietatem, sed

Digitized by Google

et [1]) Prudentius, quibus auctoribus perinde est hereditaria transgressione obstringi ac *in Adamo offendere, in Adamo mori, subiici culpae Adami peccantis, tingi malo peccamine principis Adae, infici primi hominis macula, cum Adamo praeceptum non facere, Adami vulnere laedi, paternis cautionibus et chirographo adstringi, Adami errore aberrare et illius peccato pollui, maculari Evae culpa, cum Adamo praevaricari atque in Adamo testamentum dissipare*. Sed talia ne ista sunt, quae de ipsa quoque Deipara in antiquis monimentis repetantur? Quin repetantur, solemne maioribus nostris numquam non fuit, eo etiam nomine Deiparam saepissime celebrare, quod I. nulla ipsi [2]) fuerit cum Adamo praevaricante societas, nullumque cum Eva peccante consortium, quando II. electa ipsa fuerit ac divinitus praedestinata ut [3]) una cum Filio ac per Filium protoparentum ruinam sarciret, ignominiam tergeret, dedecus tolleret, originalemque dignitatem restitueret. Non aliter ergo de Virgine maiores nostros loquutos constat, ac ii dumtaxat loqui potuerint et debuerint, qui immaculatum eiusdem conceptum purasque origines profiterentur.

1593. Ad quam professionem non minus spectat tertia formularum classis *ex eo profecta opere, quo* [4]) *peccatum in mundum intrasse* Scripturae auctoritas manifestat. Huius vero classis testes sunt omnino locupletes cum alii tum [5]) Irenaeus, Tertullia-

secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissiparerunt. » Hinc Prosper de Ingratis cap. XXVII.

» Inviolata Dei quondam et sublimis imago
» In primo cuncti fuimus patre, dum nemore ab alto
» Degit, et edicto parens cavet arbore ab una;
» At postquam rupta mandati lege, superbum
» Consilium mixtum invidiae de fonte recepit,
» Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
» Corruimus.

1) In apotheosi:

» Haec prima est natura animae, sic condita simplex
» Decidit in vitium per sordida foedera carnis.
» Exin tincta malo peccamine principis Adae,
» Infecit genus omne hominum quod pullulat inde:
» Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
» Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.

2) Huc prae ceteris faciunt quaecumque omnia ex veterum monimentis retulimus nn. 1283. seqq.

3) Recoli omnino debet praestantissima maiorum doctrina de oeconomia reparationis, deque partibus *reparationis* quae per filium et cum filio Deiparae tribuendae sunt nn. 900. seqq. et nn. 1576. seqq.

Hinc Germanus de Deipara scribit orat. in praesent. §. II. p. 289: Σήμερον τῷ ἱλαστηρίῳ ἀνατίθεται ὁ μόνῃ τοῖς τῶν βροτῶν ἐπφαλλομένοις διεξοδίσιον ἀμπλακημάτων ἐπιῤῥοαῖς, ἱλαστήριον καινόν τε καὶ θεοπάδιστον καθαρτικόν τε καὶ ἀχειρότευκτον χρημάτισμα. « Hodie in propitiatorio ea reponitur quae sola, mortalibus inundatione peccatorum in transversum actis, novum Deoque simillimum et manibus hominum non exstructum propitiatorium fuit. » Similia tradit §. IX. pag. 306. et §. XVII. pag. 318. Deiparam sic alloquens: Χαίρεις ὁ τοῦ θεοῦ ἅγιος θρόνος, ἡ θεῖον ἀνάθημα, ἡ δόξης οἶκος, ἡ πεφιαλλὲς ἀγλάϊσμα καὶ ἐκλεκτὸν πειμήλιον καὶ πανσέσμιον ἱλαστήριον καὶ θεοῦ δόξαν ἀνυγούμενος ὁ οὐρανός. « Salve sancta Dei thronus, divinum donarium, gloriae domus, pulcherrimum ornamentum electumque cimelium, universale propitiatorium, caelumque Dei gloriam enarrans. »

4) Rom. V. 12. ἡ ἁμαρτία, ubi articulus demonstrat illud nominatim peccatum, quod in mundum ingrediens Paulus depingit. Est autem peccatum quo in Adamo et per Adamum universa peccavit natura, quam ipse gerebat.

5) Con. haeres. lib. V. cap. XVII. « Delevit

Digitized by Google

nus [1]), Basilius [2]) et [3]) Gregorius nazianzenus, qui reos paternae transgressionis describere solent *ut qui delibatione arbusculi morte damnati fuerint, cum Eva ex ligno ederint, ligni iniquitatem gustarint, et in perniciem primo vetitoque gustu lapsi, per lignum factaque in ligno inobedientia Deo debitores evaserint.* Quid autem horum est quod in priscis monimentis Deiparae tribuatur? Vel satius quid horum est, quod in eisdem a Deipara non longissime abiudicetur? Ab ipsa profecto longissime [4]) abiudicatur, quod pellecta cum Eva fuerit pomi suavitate, quod vetitum fructum [5]) cum protoparentibus degustarit, quodque illius particeps fuerit operis, quo iidem latam divinitus legem transgressi sunt. Restat itaque ut Deiparae immunitas ab hereditario scelere perspicua maiorum antithesi significata videatur.

1594. Quae antithesis multo animis inhaerebit penitius, si ad eos dicendi modos adverterimus, *qui ex ipsa originalis praevaricationis forma desumpti*, maiorum auctoritate, scriptorumque ecclesiasticorum usu ac nominatim [6]) Tatiani, Irenaei [7]), Tertulliani [8]), Atha-

chirographum debiti nostri, et affixit illud cruci, uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.»

1) De resurrect. carnis cap. XXIV. «Cum dicit *(Christus)* ad hoc venisse, uti quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totum ne an in parte? Utique totum. Siquidem transgressio quae perditionis humanae causa est, tam animae instinctu ex concupiscentia, quam et carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem eloquio transgressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, quia periit totus delinquendo.»

2) Orat. de ieiunio, cuius verba utitur Augustinus con. Iulianum lib. I. cap. II. Ἐκεῖθεν οὐκ ἐνηστεύσαμεν, ἐξεπέσομεν τοῦ παραδείσου «Quia non ieiunavimus, decidimus de paradiso.»

3) Orat. II. quae est ad magnum Basilium post suum e fuga reditum: «Omnes ex eadem terra in massa coagmentati sumus, et eiusdem ligni iniquitatem gustavimus.» Et orat. XVIII. in laudem martyris Cypriani, *ea omnia* se abiecisse ait, *quae ex prima gustatione nostra, per quam perditi sumus, originem trahunt.*

4) Nihil iis desiderari potest luculentius quae ex concordi maiorum traditione statuimus nn. 1089. seqq.

5) De hac maiorum testificatione argumentum omnium splendidissimum iis continetur quae attulimus nn. 1284. seqq. Ad eamdem haec pertinent quibus Germanus Deiparam alloquitur orat. in praesent. §. X. pag. 306: Ἐπεβλεψον ἐπὶ τὸ κατανύγμα, ᾧ τοὺς τῇ ἀμβλυωπούσῃ γεύσει τετυφλωμένους τῇ σῇ ἀστραπῇ φωτίζουσα. «Velamen introspice quae eos tuo splendore illuminas, qui gustu oculos hebetante excaecati sunt.»

6) Orat. ad Graecos n. 13. pag. 63. Γίγνεται μὲν οὖν συνδίαιτον ἀρχῆθεν τὸ πνεῦμα τῇ ψυχῇ· τὸ δὲ πνεῦμα ταύτην ἕπεσθαι μὴ βουλομένην αὐτῷ καταλιλοιπεν· ᾗ δὲ ὥσπερ ἴχνυσμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ κατεμίνε, καὶ διὰ τὸν χωρισμὸν τὰ τελεία καθορᾶν μὴ δυναμένη, ζητοῦσα τὸν θεὸν κατὰ πλάνην πολλοὺς θεοὺς ἀνεστήσατο, τοῖς ἀντισφίστοντι δαίμοσι καταπλουθήσασα. «Et initio quidem convivebat Spiritus cum anima; Spiritus vero hanc sequi nolentem deseruit. Illa autem quum eius virtutis quasdam veluti scintillulas retineret, sed ab eo separata intueri res sublimiores non posset, dum Deum quaerit, opinionis errore multos deos effinxit, praestigias daemonum sequuta.»

7) Con. haeres. lib. III. cap. XX. «Non tunc coepit Filius Dei, exsistens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est et homo factus longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans: ut quod perdideramus in Adamo, idest secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.»

8) De habitu mul. cap. I. «Vivit sententia Dei super sexum istum *(muliebrem)* in hoc seculo; vivat et reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es quae eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei tam facile elisisti. Propter tuum meritum, idest mortem, etiam Filius Dei mori habuit.» Et de anima cap. XL. «Omnis anima eo usque in Adam censetur, donec

Digitized by Google

nasii [1]), Macarii [2]), Basilii [3]), Gregorii nazianzeni [4]) et [5]) Optati milevitani consequuti sunt, ut communes vulgatique haberentur. Sunt vero in quibus contracta originis labes describitur *tamquam separatio a sancto Spiritu, immundique spiritus consortium*, itemque *amissio nativae venustatis, iactura divinae similitudinis, corruptio interioris hominis, caelestisque imaginis pollutio ex carnis societate.* Fac porro consignatam maiorum monimentis doctrinam talem esse, quae Deiparam eamque solam ab hisce omnibus liberam solutamque declaret; consequens dubio procul erit, ipsam ex aequo immunem a forma ipsa essentiaque originalis transgressionis declarari. Sed nihil exploratius quam Virginem constanter efferri [6]) perpetua inimicitia ab immundo spiritu seiunctam et [7]) cum divino Spiritu semper cohaerentem, natura [8]) pulcram semperque venustam, semper [9]) animo et carne inviolatam, semperque, utpote [10]) primogenitam et unigenitam, Dei patrisque imagine [11]) fulgentem. Ratis ergo certisque doctrinae capitibus accenseri illud debet, quo Deipara exsors originalis culpae suffragio maiorum stabilitur.

1595. Hoc autem iis praeclare confirmatur *appositis*, quibus originale peccatum ecclesiastico loquendi usu circumscriptum definitumque accepimus. Auctoribus enim [12]) Ignatio, Pseudo-Iustino [13]), Arnobio [14]), Reticio [15]), Athanasio [16]), Ambrosio [17]), Gregorio nazian-

in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate.»

1) Tract. in illud, *omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, n. 2: «Postquam peccavit et cecidit homo, eo cadente, omnia sunt perturbata. Mors ab Adam usque ad Moysem invaluit, maledicta est terra, inferni aperti sunt, clausus est paradisus, caeli infensi nobis sunt facti, ac denique corruptus est homo et iumentis similis effectus est.»

2) Hom. XI. pag. 129. ubi de hereditario malo scribit: Δι' αὐτοῦ ἐπὶ πάσαν ψυχὴν ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος, καὶ πᾶσαν εἰκόνα τοῦ Ἀδὰμ ἠφάνισεν ἐκ τῆς ἐκείνου παρακοῆς, ὥστε τρωπῆναι τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἐλθεῖν εἰς προσκύνησιν δαιμόνων.« Per eum mors imperium obtinuit super omnem animam, et Adae imaginem omnino delevit propter eius inobedientiam, ut conversi dilapsique sint homines ad daemones adorandos.»

3) In Ps. XXIV.

4) Orat. XLII. quae est altera de paschate.

5) Con. Parmenianum lib. IV. «Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi ac separari.»

6) nn. 912. seqq. et 1003. seqq.

7) nn. 1113. seqq.

8) nn. 1244. seqq. et nn. 1576. seqq.

9) nn. 1512. seqq.

10) nn. 1430. seqq.

11) nn. 948-958-966-1130-1176-1213. alibi.

12) In epistola ad Trallianos originalem culpam dicit παλαιὰν δυσσέβειαν.

13) In libro qui inscribitur Ἐκθησις τῆς πίστεως, sic habet: Ἁμαρτὼν ὁ Ἀδὰμ θανάτῳ τὸ γένος ὑπέβαλε, καὶ τὴν φύσιν ὅλην ὑπεύθυνον τῷ χρέει πεποίηκε. «Peccans Adam humanum genus morti subiecit, universamque naturam debito obnoxiam reddidit.»

14) Adversus gentes lib. I. «Proni ad culpas et ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitae.»

15) Apud Augustinum con. Iulian. lib. I. cap. II.

16) Con. arianos orat. II: Ὥσπερ τοῦ Ἀδὰμ παραβάντος, εἰς πάντας τοὺς ἀνθρώπους ἡ ἁπάντη διέβη, οὕτω τοῦ κυρίου ἰσχύσαντος, ἡ τοιαύτη ἰσχὺς λοιπὸν εἰς ἡμᾶς, διαβήσεται. «Ut lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit; ita Domino praevalente, vigor ille in nos tandem transmeabit.»

17) Apolog. David cap. XI. «Antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis,

Digitized by Google

zeno [1]), Hilario [2]), Hieronymo [3]), Prudentio [4]), scriptore librorum de vocatione omnium gentium [5]), Petro diacono [6]), aliisque bene multis obtinuit, ut originis culpa appellaretur *antiqua impietas*, *vitium ingenitae infirmitatis*, *antiquum peccatum in omnes dimanans*, *naturae illuvies et inquinamentum*, *sordes obnoxiae hereditatis*, *primae nativitatis macula*, *peccatum cum homine natum*, *pondus antiqui criminis*, *vinculum hereditariae praevaricationis*, *nativitas delicto obnoxia et peccati lege subiugata*, *iniquitas humanae conditionis*, *nativaeque incolumitatis amissio*. Nulla vero plenior oppositio desiderari potest quam quae haec inter eaque exsistit, quae insigni maiorum testificatione de Virgine confirmata legimus. Ipsa namque est Virgo, cui [7]) omnium ore defertur apex innocentiae fastigiumque sanctitatis: ipsa est Virgo, quae [8]) semper munda, semper pura, semperque immaculata praedicatur: ipsa est Virgo, quae [9]) uti novum, eximium inviolatumque Dei opus proponitur: et ipsa est Virgo, quae [10]), utpote naturae pulcritudo, ab hominum genere hereditaria tabe infecto et sarcina universalis praevaricationis obruto funditus separatur. Hac igitur oppositione splendidaque antithesi testimonium minime dubium continetur, quo Deiparae primordia integra, eiusque origines purae demonstrantur.

originis ipsius excipimus iniuriam et in iniquitate concipimur. » Et in Ps. XLVIII. « Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam hereditatem successionis humanae suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. »

1) Penes Augustinum qui con. Iulianum lib. I. cap. II. tria adducit Gregorii testimonia.

2) In Ps. CXXII. littera sua: « Natura quidem et origo carnis suae eum detinebat, sed voluntas et religio cor eius ex eo in quo manebat originis vitio, ad iustificationum opera declinat. »

3) In Ezech. XLVII. « Mundus in maligno positus est, et a pueritia appositum est cor hominis ad malum, ut ne unius quidem diei a nativitatis suae exordio sine peccato sit humana conditio. Unde et David confitetur in psalmo, *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*; non in iniquitatibus matris meae vel certe meis, sed in iniquitatibus humanae conditionis. »

4) In apotheosi:

» Non animae animas pariunt, sed lege latenti
» Fundit opus natura suum, quo parvula anhelent
» Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis.
» Quae quamvis infusa novum penetret nova semper
» Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
» Ducitur, illoto quoniam concreta veterno est.
» Inde secunda redit generatio, et inde lavatur
» Naturae illuvies, iterumque renascimur intus
» Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.

5) De vocat. omnium gentium lib. I. cap. VII. « Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, et omnes naturae nostrae incolumitatem eiusdem hominis praevaricatione perdidimus. » Et cap. VIII. « Fuit in Adam natura sine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, et in posteros magis magisque multiplicanda transfudit. »

6) De incarnat. cap. VI. « Serpentis astutia depravatus, sponte divinae legis praevaricator effectus est, et ideo secundum quod ei praedictum fuerat, iusto iudicio Dei mortis poena damnatur, totusque, idest secundum corpus et secundum animam in deterius commutatus amissa libertate propria, sub peccati servitio mancipatur. Et nullus est hominum, qui non huius peccati vinculo nascatur adstrictus praeter eum, qui ad hoc vinculum peccati solvendum novo generationis modo natus est, mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. »

7) nn. 1559. seqq.
8) nn. 1449. seqq.
9) nn. 1217. seqq.
10) nn. 1277. seqq.

1596. Accedo ad sextam formularum classem, *quae ex effectibus originalis transgressionis ad ordinem eudaimonicum pertinentibus* universim repetita, non aliter diversa est et multiplex ac iidem effectus *in triplici differentia* versentur. Principio namque conspirantibus [1]) Methodio, Basilio [2]), Ambrosio [3]), Gregorio nazianzeno [4]), Hieronymo [5]), Prospero [6]) et [7]) Gregorio tum re tum nomine magno, receptum fuit ut hereditaria vitiati labe dicerentur *e paradiso eiecti, cum Adamo e paradiso expulsi, principatu atque honore cum protoparentibus privati, et amarissimo peccati gustu a vitae ligno divulsi.* Receptum deinde fuit, ut cum [8]) Irenaeo, Cypriano [9]), Ambrosio [10]), Gregorio nazianzeno [11]), Chrysostomo [12]), et [13]) Augustino transfusio paternae culpae *proposito vinculo* significaretur, *quo illius rei addicuntur morti, letifero vulnere occiduntur, mortisque contagium prima nativitate consciscunt.* Receptum postremo fuit, ut cum [14]) Tertulliano, Origene [15]), Athanasio [16]), Gregorio nazianzeno [17]), Macario [18]), Hieronymo [19]) atque [20]) Orosio,

1) Apud Epiphanium haeresi LXIV. pag. 187., ubi de paradiso loquens sic orditur: « Paradisus, unde in primo parente electi sumus. »

2) Orat. in XL. martyres, ubi eos quum vestimenta exuere, nudique hibernum frigus tolerare iuberentur, sic loquentes inducit: Διὰ τὸν ὄφιν ἐνεδυσαμεθα, διὰ τὸν Χριστὸν ἐκδυσώμεθα· μὴ ἀντισχώμεθα ἱματιῶν, διὰ τὸν παράδεισον ὃν ἀπωλέσαμεν. «Ob serpentem vestimenta induimus, ob Christum exuamus. Relinquamus hunc amictum propter paradisum, quem perdideramus. »

3) De resurrect. cap. II. « Lapsus in Adam, de paradiso eiectus sum in Adam. Quem revocaret nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpae obnoxium, morti debitum, ita in Christo iustificatum? »

4) Orat. XXV. pagg. 436-437.

5) In Micheae II. « Unusquisque nostrum cum Adam de paradiso cecidit, et in huius mundi captivitate versatur. »

6) De ingratis cap. XXVII.

7) In evang. hom. X.

8) Con. haereses lib. V. capp. XVI-XXI.

9) Epist. ad Fidum, e qua Augustinus verba mutuatur con. duas epist. pelag. lib. IV. cap. VIII.

10) Penes Augustinum con. Iulian. lib. I. cap. II. « Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum in intravit mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa, mors omnium est. »

11) Orat. XVIII. in laudem martyris Cypriani.

12) In epist. ad Rom. V. 12. hom. X: Πῶς οὖν εἰσῆλθεν ὁ Σατανᾶς, καὶ ἐκράτησε; διὰ τῆς ἁμαρτίας τοῦ ἑνός· τί δέ ἐστιν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; ἐκείνου πεσόντος, καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου πάντες θνητοί. «Quo pacto mors introivit, ac dominata est? Per peccatum unius. Quid porro sibi illud vult, *in quo omnes peccaverunt?* Illo lapso, et illi qui de ligno non comederunt, effecti sunt omnes mortales. »

13) De civ. Dei lib. XIV. cap. I. « A duobus primis admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteris obligatione peccati et mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeo dominatum est, ut omnes in secundam quoque mortem, cuius nullus est finis, poena debita praecipites ageret, nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret. »

14) De testimonio animae cap. III. et con. Marcionem lib. I. « Homo damnatur in mortem ob unius arbusculae delibationem, et exinde prosiliunt delicta cum poenis, et pereunt iam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt. »

15) Con. Celsum lib. IV. Ἦ ἄρα τοῦ Ἀδὰμ κατὰ πάντων ἐστὶ καὶ τὰ κατὰ τῆς γυναικός, οὐκ ἔστι κατ' ἃς οὐ λέγεται. « Maledictio Adae est communis *(virorum)* omnium; et non est mulier de qua non dicantur quae de *(Eva prima)* muliere dicantur. »

16) Tract. in illud, *omnia mihi tradita sunt* n. 2.

17) Orat. XIV. quae est tertia de pace.

18) Hom. V. pag. 70. Πᾶν τὸ ἁμαρτωλὸν γένος τοῦ Ἀδὰμ τὸν καταδίκην ἐκείνην κατὰ τὸ κρατοῦν κέκτηται. « Maledictionem ad universum Adami genus tamquam hereditatem provenisse. »

19) In Oseae VI. « Et ibi, hoc est in paradiso, omnes praevaricati sunt in me in similitudinem praevaricationis Adam. Non enim mirum si quid in parente praecessit, etiam in filiis condemnetur. »

20) Apolog. de arbitrii libertate. « Omnes pec-

Digitized by Google

uno eodemque censu haberetur hinc quidem originali vitio maculari, inde vero *condemnatum divinitus esse, gustu vetiti ligni damnationem subiisse, in hereditariam offendisse maledictionem, communi maledicto implicari, traducemque condemnationis cum ipsa nativitate contrahere.* Tres igitur effectus *cum ordine eudaimonico* ita conserti, ut duo priores ad praesentem vitam spectent, postremus autem ad eam quae nos manet referatur, totidem maioribus nostris praebuerunt formularum classes, quibus suam de propagata originis culpa fidem mentemque patefacerent.

1597. Summopere autem cordi mihi esset, ut qui nostras hasce commentationes penitus non dedignantur, secumipsis serio graviterque perpenderent, an ea in libris veterum monimentisque maiorum Deiparae adscripta reperiantur, quibus memoratae formularum classes coalescunt. Profecto tot numero tamque perspicua sunt quae deprompsimus, ut illorum responsio neque impedita esse possit neque dubia. Respondebunt videlicet, maiorum de Virgine loquutiones veterumque sententias a recensitis formulis ita dissidere, ut recta, quod aiunt, fronte eisdem adversentur. Solemne namque semper fuit Virgini tribuere, eidemque veluti proprium asserere, quod I. non solum e paradiso [1]) non exciderit, sed ipsa [2]) fuerit rationalis paradisus, et [3]) ad paradisum una cum protoparentibus universum genus revocarit. Quod II. poenale [4]) ius mortis nullum in ipsam

caverunt sive in Adam sive in seipsis, et egent gloria Dei. Universa igitur massa poenas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur. »

1) nn. 1283. seqq.

2) nn. 1299. seqq.

3) nn. 1360. seqq. Haec autem insigniter complexus est Germanus, qui orat. in praesent. §. VIII. pag. 302. Ioachimum et Annam sic exhibet sacerdotem alloquentes dum triennem filiam in templo offerrent. Δέδεξο τὴν δεδεγμένην τὸ ἄβυσσον καὶ ἀκατάληπτον πῦρ· δέδεξο τὴν δοχεῖον χρηματίσουσαν τοῦ υἱοῦ καὶ λόγου τοῦ πατρὸς καὶ μόνου θεοῦ· λάβε τὴν τὸ ἀνεῖδες ἡμῶν τῆς ἀτοκίας καὶ τὴν στεῖρωσιν ἐκμιμήσασαν· εἰσάγαγε τῷ θυσιαστηρίῳ τὴν εἰς τὸν ἀρχαῖον νομὸν ἡμᾶς τοῦ παραδείσου εἰσοικίσουσαν· κράτησον τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ τόκῳ τὸν καθ' ἡμῶν δειλίαν φερομένην θανάτου ἰσχὺν καὶ ᾅδου τυραννίδα κρατήσουσαν· περίπτυξαι τὴν συρίσπουσαν ἡμῶν τὴν Ἐδὲμ γυμνωθεῖσαν φύσιν ἐπιλαβοῦ τῆς χειρὸς τῆς σπαργανούσης τὸ τὴν ἡμῶν ἀκρατῆ καὶ ἀμητιχὴν αὐθαδιστάτως ὑφαπλωθεῖσαν χεῖρα συστέλλουσα· ἀνάθου θεῷ τὴν ἀναθεῖσαν ἡμᾶς, θεοτιλὲς τῶν ἐλπίδων προσδοκίας. « Suscipe eam, quae caelestem ignem et incomprehensibilem susceptura est: suscipe eam, quae Filii ac Verbi Patris atque unius Dei futura est receptaculum: accipe eam, quae infecunditatis nostrae opprobrium et sterilitatem auferet: induc ad altare eam, quae in antiquam paradisi sedem nos introducet: tene eam, quae partu suo vim mortis terrorem nobis inferentis, et inferni tyrannidem debellabit: complectere eam, quae naturam nostram in Edem exspoliatam conteget: prehende illius manum, quae fasciis eum adstringet, qui manum nostram intemperantem et audacem insolentissime porrectam cohibebit: Deo illam consecra, cui nos toti innitimur, et in qua spes nostrae divinitus sunt repositae. »

4) nn. 1405. seqq. Nolim vero missam heic facere praeclaram Isidori thessalonicensis disputationem, qua creaturis omnibus ita in classes tributis, ut aliae incorruptibiles sint, et aliae vicissim corruptibiles, pergit orat. in Deiparae nativit. §. XV. pagg. 234-235. Τὴν ἀνάγκην δέ, εἰ καὶ μηδενὶ τῶν γενητῶν τὴν τοιαύτην ἀνάγκην διαφυγεῖν ἐνῆν, πλὴν ἀντὶς τοῦτό γε ὑποπίπτειν τῷ παθεῖ δοὺς δικαίων, ὡς γενομένης, ἀληθὴς πᾶσιν ἀνάπλασις ἐπανθῆσαι καὶ ζωή, ἥπερ ὁ λόγος ἐδείξε φθάσας; ὡς γὰρ οὐδενὸς τῶν οὐκ ὄντω-

dominium exercuerit, ipsaque proinde [1]) supremam viderit lucem, sed propter caussam ab ea penitus diversam qua reliqui homines morti subiiciuntur. Et quod III. Deipara nullius [2]) particeps maledicti, fuerit [3]) antonomastice benedicta, sola [4]) benedicta, tota [5]) benedicta, semper [6]) benedicta, cum [7]) Filio benedicta et simul cum ipso [8]) caelitus selecta fons et origo, e qua in maledictam Adami progeniem superna benedictio refunderetur. Neminem vero esse arbitror, qui antithesim non cernat oppositionemque non videat, qua utraque loquendi ratio ab invicem distat funditusque seiungitur. Sed quid ex hac separatione dependet? Aut quid cum hac loquendi antithesi constantique oppositione devinctum est? Devincta certissime est iudiciorum antithesis, sententiarumque oppositio. Iudicarunt igitur maiores nostri concordesque senserunt, neque Deiparam cum

πουμένων ἀνθρώποις δέδωκται κοινωνός, ἀλλὰ καὶ ἀγγέλων ἁγιωτέρα μόνη, καὶ μόνην ἐχρῆν, μὴ τοῖς ἄλλοις τῆς κοινῆς κοινωνεῖν δυσκλερίας· ἀλλ' ἵδιόν γ' ἐκεῖ τελληπόντα γεγένηται μήτηρ οἱονεὶ γενέσεως καὶ πηγή, δι' ἣν εἴρηται λόγων, γένεσιν μόνον ἀεὶ τὸ κατ' αὐτὴν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι καθὰ καὶ ἄγγελοι, ἂν ὑπερτέρα καθέστατα, γεγονότες, ἀθάνατοι μένουσι καὶ φθορᾶς ἀνώτεροι. « Verum etiamsi nulla e creatis rebus huic se necessitati *(corruptionis)* subduceret; quis umquam concesserit huic malo innocentissimam quoque illam fuisse obnoxiam, qua exoriente, quemadmodum ostensum iam est, vera reformatio ac vita omnibus effloruit? Sicut enim exsors apparuit eorum prorsus omnium quae in hominibus non censentur laude digna, immo etiam sola apparuit ipsis angelis sanctior; ita oportebat ut sola a communi reliquorum omnium miseria eximeretur. Atque hoc saltem ipsi debebatur, ut quoniam singulari ea conditione progenita est, ut (quod superius diximus) mater veluti ac fons esset existentiae omnium; sic ipsa semper quamvis creata exsisteret, non secus ac angeli, quibus ipsa praecellit, postquam semel facti sunt, immortales permanent et supra corruptionem evecti. » Tum subdit §. XVI. pag. 235: « Ratio autem propter quam haec non ita se haberent, eiusmodi est ut sole lucidior se prodat Virginis magnificentia. Corpoream namque sortita naturam (est autem id ex eo manifestum, quod communem hominun conditionem in iis quae reprehensione vacant, non aufugerit), sublimiora tamen quam pura ac praecelsa angelorum natura, ipsa praestiterit. Si enim corruptioni nullo modo obnoxia fuisset, iam diversae ab humana et immaterialis esse naturae videri potuisset; neque tanta admiratione digna forent sublimissima illa quae innocentissima *(Virgo)* gessit.» Quibus e vestigio addit pag. 236: « Quod si humus innocentissimae illius corpus sacratissimum excepit, non ipsum tamen sicut corpora nostra absumpsit; verum excepit illud quidem utpote ex ipsa compactum, sed ut simul palam faceret inter humana corpora peculiari illud excellentia praeditum et corpori dominico fuisse quam simillimum, non diu apud se retinere illud potuit, quemadmodum latius in sermone *περὶ τῆς κοιμήσεως τῆς μακαρίας de beatae illius dormitione* ostendimus. »

1) nn. 1462. seqq. Lucas Wadingus in opusculo cui titulum fecit, *immaculatae conceptioni beatae Mariae virginis non adversari eius mortem corporalem*, cap. V. n. 43. ex sententia maiorum e quibus testimonia retulerat, scribit: « Si autem quispiam dubitaverit, quare quae mortem non meruerat, mortem subivit, et communem nobiscum sortita est exitum quae commune nobiscum non habuit demeritum; claras et faciles accipiet rationes. Primam, ut collyridianorum et aliorum quorum meminit s. Thomas in III. dist. IV., qui ex diversis capitibus eam dicebant immortalem, haeresis destrueretur, et quam mori videbant, eiusdem cum nostra crederent naturae. Secundam, ut suo Filio assimilaretur, nec potior videretur mortis immunitate quae longe inferior erat fragilitate naturae. Tertiam, ne careret mortis merito, eiusque augeretur merces in caelis cui nec ultimum mortis meritum defuit in terris, nostramque paupertatem suis divitiis sublevaret, reponendo in ecclesiae aerario tot ingentes suorum meritorum ex perpessis poenalitatibus thesauros. Tum demum alteram, ut per mortem finem daret huius vitae aerumnis, eiusque potiretur praesens adspectu, cuius ardenti absens flagrabat desiderio. »

2) nn. 1075. seqq.
3) nn. 293. seqq.
4) nn. 1423. seqq.
5) nn. 1443. seqq.
6) nn. 1452. seqq.
7) nn. 1325. seqq.
8) nn. 1365. seqq.

Digitized by Google

reliqua Adami posteritate confundi posse, neque omnino licere ut commune huius vitium universalisque ruina ad ipsam pariter transferantur.

1598. Reliqua est nona atque ultima formularum classis, quae paullo inspecta accuratius ad geminam consequutionem sua sponte deducit. Petitur autem, aeque ac superiores, *ex effectibus, sed ex iis nominatim qui ad ordinem ethicum mediate* revocantur, et propter quos, vulgato loquendi tropo, familiare fuit [1]) Pseudo-Dionysio, Gregorio nazianzeno [2]), Hilario [3]), Ambrosio [4]), auctori librorum de sacramentis [5]), Macario [6]), Augustino [7]), Prudentio [8]), Prospero [9]), aliisque sexcentis peccatum originale ita describere, ut sit *infirmitas, invasio quaedam contrarietatis qua homo a seipso dissidens intestina pugna laceratur, terrenae contagium corruptelae, radix erroris amorisque perversi, naturae languor, illuvies et morbus, incentivum peccaminis, omniumque concupiscentiarum origo.* Cernis quam sordida sit hereditariae noxae facies, quam foeda et ab ordinis concentu puritatisque candore alienissima? Utique cernis, simulque ex unanimi maiorum suffragio vides, quantopere ab universa hac turpitudinis faece Deipara abhorruerit, quae nullis

1) Eccleiast. hierarch. cap. III. Τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐκπεῖσαν ἀπὸ τῶν θείων ἀγαθῶν ἀνοήτως ἐξολισθήσασαν, ὑπὸ πολυπαθείαις ζωὴ διαδέχεται, καὶ τοῦ φθορικοῦ θανάτου πέρας. « Humanum genus, quod initio divinis bonis stulte excidit, vita excipit multis obnoxia passionibus et corruptricis mortis terminus. »

2) Orat. XXXVIII. in Christi nativit. pag. 619.

3) In Matth. X. nn. 23-24.

4) In lib. de philosophia, qui modo desideratur et ex quo haec refert Augustinus libro secundo contra Iulianum: « Male Eva parturivit, ut partus relinqueret mulieribus hereditatem, a qua unusquisque concupiscentiae voluptate concretus et genitalibus viceribus infusus et coagulatus in sanguine, in pannis involutus, prius subiret delictorum contagium, quam vitalis spiritus munus hauriret. »

5) De sacram. lib. III. cap. I. ubi de casuna agens, propter quam Christus Petro pedes lavit, sic habet: « In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est eo venenum ei affusum est supra pedes. Ideo lavas pedes, ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. » Similia tradit Ambrosius in libro de iis qui mysteriis initiantur cap. VI.

6) Hom. XV-XXI. pagg. 225-297. Ἡ νέα ἐναντιότης ἐν τοῖς φαύλοις καὶ ἐν τοῖς ἁγνοτέροις, ἀπὸ τῆς παραβάσεως τοῦ πρώτου ἀνθρώπου, εἰς ἡμᾶς κατέντησεν. « Penitus contrarietas tam in manifestis quam in occultis post transgressionem prioris hominis nos invasit. »

7) De civ. Dei lib. XIV. cap. XII. « Natura humana duorum primorum hominum praevaricatione mutata est, ut tacitae corruptioni quantum videmus, quantum sentimus, et per hanc subiaceret morti, ac tot et tantis tamque inter se contrariis perturbaretur et fluctuaret affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, utique non fuit. » Et lib. XXII. cap. XXII. « Quid aliud indicat horrenda quaedam profunditas ignorantiae ex qua omnis error exsistit, qui omnes filios Adam tenebricoso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Haec hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adae nascitur. »

8) In apotheosi, ubi de anima canit:

» Quae quia materiam peccati ex fomite carnis
» Consociatu trahit, nec non simul ipsa sodali
» Est incentivum peccaminis, implicat ambas
» Vindex poena reas, peccantes mente sub una,
» Peccandique cremat socias cruciatibus aequis.

9) Responss. ad articulos sibi falso impositos, art. I. « Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta et mortificata est natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit. »

umquam [1]) tentata carnis illecebris, nullo libidinis aestu commota, nullo divisa interiori certamine, sed secum iugiter concors, quin umquam [2]) vel tantillum ab honesto sanctoque deflexerit, in Deum unice intenta et ad summum conversa bonum, ita omni ex parte peccatum vicit, ut virtutis stadium [3]) summa pace compleverit. Vix ergo aut ne vix quidem fieri potuit, ut evidentiori sententiarum antithesi Deiparam a paterna labe immunem maiores nostri celebrarent.

1599. Quapropter ut ad ipsum controversiae caput sermonem revocemus, prolixiusque deducta paucis complectamur, nihil esse nobis antiquius debet quam sedulo animadvertere I. veterum testimonia ad Virginem pertinentia ex eo loquendi more aestimanda esse, qui ad exprimendam originalis culpae propagationem tum invaluit, quum illi scriberent, suaeque fidei eruditionisque monimenta posteritati commendarent: II. hunc loquendi morem varium fuisse ac multiplicem, atque ex novem prae reliquis fontibus quos designavimus dimanantem: postremo III. unum idemque esse sive diserta de praerogativa immaculati conceptus suffragia promere, sive in medium sententias adducere maioribus de Deipara solemnes, iisque e regione oppositas quibus illi transfusum originis peccatum significarint. Atqui ex locupletissima sententiarum ubertate copiaque loquutionum, quibus patres maioresque nostros usos novimus ut propagatam in universum genus originalem noxam docerent, nulla est quam de Virgine adhibuerint, immo nulla est cuius antithesim non receperint unoque veluti ore frequentarint. Plane igitur

1) nn. 1501. seqq.

2) nn. 1546. seqq. Quare Isidorus thessalonicensis orat. in Deiparae nativit. §. XVII. pag. 237. discrimine animadverso inter corporis animaeque corruptionem et mortem, priorem definit τὴν πρὸς τὰ στοιχεῖα καὶ πρώτην αὐτοῦ ἀρχὴν, ἀνάλυσιν, *resolutionem in elementare ac primum sui principium*, alteram vero dicit τὴν τῆς πρώτης ὄντως ἀρχῆς ἀπόστασιν, *recessum ab eo qui vere est principium primum*, tum pergit pag. 238: Πλὴν κατά γε τὸν εἰρημένον τῆς φθορᾶς ὃς ἀνθίσταται τῇ ψυχῇ λόγον, εἴπερ τις, ἡ πάναγνος, φθορᾶς ἀνεπίδεκτος· πάντη μὲν γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐδεὶς ἁμαρτίας πάντοσοῦν ἄψαυστος γέγονεν, ἐκείνου δίχα, τοῦ καινοῦ φημι τῆς μακαρίας τόκου, ὃς μόνος εἶα θεάνθρωπος, ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· κατὰ δὲ τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν, οὐδεὶς τῆς πανάγνου μᾶλλον, τὴν πρὸς Χριστὸν ἐμφέρειαν φέρει· ἴδοι γὰρ μεῖζον ἢ τινα τῶν ἁπάντων, τὴν τικτοῦσαν ἀφομοιοῦσθαι τῷ ἐξ αὐτῆς· οὐκοῦν ἀνθρώπων μὲν πάντων ἡ πάναγνος, καὶ οὐδ' ὅσον λογίσασθαι, ἀναμολογοῦμαι κατωτέρω, καὶ διὰ τοῦτο μόνη πρὸς τούτους ἀφθαρτος πάντως. « Porro ratione habita corruptionis quae in anima consideratur, siquis alius, profecto innocentissima illa corruptionem nullam admisit. Et sane nemo hominum exstitit qui ab omni peccato integer plane fuerit, praeter illum novum, filium inquam huius beatae, qui solus utpote Deus homo *peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore eius.* Quod vero ad hanc spectat ab omni peccato immunitatem, nemo magis quam innocentissima illa cum Christo similitudinem gerit; oportebat enim ut prae hominibus universis genito genitrix assimilaretur. Merito igitur eadem illa innocentissima quibuslibet hominibus, quantum nec fari licet, purior celebratur, proindeque sola inter homines fuit plane incorrupta. »

3) nn. 1546. seqq.

Digitized by Google

evidenterque consequitur I. tot praesto esse explicita veterum de immaculato Deiparae conceptu testimonia, quot in ipsorum operibus formulae sententiaeque de Virgine reperiuntur iis e diametro oppositae, quibus hereditariae culpae tradux efferri consuevit: proindeque II. decus immaculati conceptus earum numero veritatum comprehendi, quae ex traditione maiorum non solum deducendo colliguntur, verum etiam explicita apertaque suffragatione comprobantur. Quam quidem insequenti sectione uberius etiam enarrandam, eleganter expressit Cornelius Mussus tridentinus theologus et bituntinus praesul [1]) inquiens: » Ut Adae filia, non inficior quod et ipsa meruerit cum omnibus reliquis immunditia illa coinquinari; at in scripturis sanctis non lego eam Adae filiam, lego eam Dei matrem *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*. Lego eam gratia plenam, *ave gratia plena*. Lego eam Dei comitem individuam, *Dominus tecum*. Lego eam simpliciter benedictam, *benedicta tu in mulieribus*. Lego eam ab omnibus generationibus glorificatam, *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Lego in ea *magna fecisse eum qui potens est*. Cum his omnibus conferens peccatum originale, maculam, reatum, fomitem, poenam aeternam, Dei iram et odium, horret auris pia et religiosa dicere in matre Dei, quae invenit gratiam apud Deum, quae salutem mundo peperit, quam laudant astra matutina, cum qua est Dominus, cui magna fecit omnipotens, hanc tantam vel per unicum instans labem fuisse. « Neque eleganter minus expressit Hieronymus Vida [2]) canens:

» Sola malo exorta es, veterique impervia noxae,
» Seu tua te genitrix intactam et prorsus avitae
» Secretam maculae gravida concepit in alvo,
» Seu simul atque utero concreta es, caelicolum rex
» Communem exemit labem, puramque reliquit;
» Ne tuus exoriens pura dilapsus ab aethra
» Parte olim foetus foret insincerus ab ulla,
» Nec priscam traheret materno a sanguine labem.

1) Comm. in Rom. V. 12.

2) Hymn. magnae matr. Virg.

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA

CONCEPTAE VIRGINIS CULTUS

De festo conceptae Deiparae: festi initia atque progressiones penes Orientis ecclesias: penes ecclesias Occidentis ac nominatim penes Romanam: utrum affirmari non immerito possit, festum conceptionis una cum festo nativitatis fuisse celebratum: promuntur argumenta quae id efficiunt, et duplex conceptionis festum, alterum implicitum et explicitum alterum constituitur: huius festi dotes proprietatesque numerantur, illudque ostenditur origine antiquissimum, amplitudine catholicum et lege necessarium: explanato discrimine inter occasiones et adiuncta festi propriumque eiusdem obiectum, de hoc agitur idemque accurate definitur: ostenditur proprie illud contineri passiva Deiparae conceptione eademque hereditariae labis experte: quae creare difficultatem possent, diluuntur: de propositione qua immaculatus Deiparae conceptus effertur: ea censeri debet vera, infallibilis et divinitus revelata.

1600. Duplex manifestandae fidei ratio inprimis secernitur, altera immediata ac diserta quae eiusdem professione, symbolis, latisque definitionibus continetur, et altera mediata et implicita quae cultu externisque religionis officiis absolvitur. Eo namque ex sese pertinet cultus, eoque externa religionis officia suapte sponte referuntur, ut praecepta animo fides innotescat, et quodam veluti induta corpore concretior evadat. Quod persuasum esset maioribus nostris Christum esse verum propriumque Deum, nihil propterea fecerunt reliqui quo id externis cultus actibus significarent. Quod persuasum eisdem esset, Spiritum sanctum una eademque cum Patre et Filio natura substantiaque divinitatis potiri, operam propterea dederunt ut illum externo cultu simul cum Patre et Filio solemniter glorificarent. Quod crederent Christum non figura dumtaxat ac virtute, sed veritate etiam ac substantia in Eucharistia esse praesentem, in caussa fuit cur externo adorationis cultu Eucharistiam prosequerentur. Quod crederent triumphantem ecclesiam cum militante penitissimo communionis vinculo cohaerere, in caussa fuit cur et beatorum opem invocarent, et ipsorum memoriam festis diebus

Digitized by Google

recolendam celebrandamque sancirent. Quae quidem nos manu veluti ducunt ad festum conceptae Deiparae considerandum. Quod si paullo instituatur intimius, continuo apparebit spectari illud posse vel pro externa eiusdem facie, ac uti loquuntur, *materialiter*, vel pro interna quasi anima, ac uti dicere mos est, *formaliter*. Priori modo spectatum ab iis externis actibus non differt, quibus Deiparae conceptus solemni memoria pioque ritu celebratur; sed altero spectatum modo, haberi prorsus debet tamquam explicatio et manifestatio illius sententiae, quam christianum nomen de conceptu Deiparae profitetur. Principio itaque supremis quibusdam lineis festi historiam adumbrabimus, eiusdemque origines, amplificationem, latasque de eo leges referemus. Tum de obiecto quaeremus accuratius, sive quod eodem recidit, ostendemus festo conceptae Deiparae eam exterius sententiam promi, quam de ipsius primordiis ab hereditaria praevaricatione solutis ecclesia fovet, ac fidelibus fovendam tenendamque proponit. Denique statuemus, quo in numero haberi sententia debeat, quam cultus origine antiquissimus, amplitudine universalis et lege praescriptus exhibet luculenterque repraesentat.

CAPUT I.

Primordia festi conceptae Deiparae apud Orientales, apud Occidentales et apud romanam ecclesiam: referuntur quae hisce primordiis illustrandis aptius conducunt: initur quaestio, utrum festum conceptae Deiparae aliquando fuerit cum festo nativitatis celebratum: affirmando expeditur, festumque conceptae Deiparae origine vetustissimum, ambitu universale ac lege indictum ostenditur.

1601. Opportunum esse reor duo statim praemonere, quae licet compertissima, non tamen omnium oculis semper obversantur. Horum autem primum est, ab explorata veritate illos discedere qui non modo integrum sibi esse arbitrantur docere, nullum institui festum potuisse, quin theoretica veritas eidem respondens et cui institutio ipsa innititur, antecederet; verum etiam rationibus inversis concludunt, ex aetate celebrati festi de aetate inductae primum theoreticae persuasionis scite prudenterque decerni. Sicut enim negari illud non potest, ita concedi posterius nequit, quin universa de

Digitized by Google

festis historia, ipsaeque rerum naturae labefactentur. Ex historia namque de festis perspicue novimus, plura quae semper cultu fuerunt festisque dignissima, non tamen semper fuisse solemni memoria frequentata. In re minime dubia ab exemplis abstineo, et ad rerum naturas gradum faciens animadverto, admodum haec duo discrepare: peragi aliquid rite sancteque *posse*, et illud ipsum fieri *oportere*. Quemadmodum enim quod fieri oportet, in Christi ecclesia praetermissum numquam fuit; ita quod comparatum sic est ut fieri dumtaxat rite sancteque possit, tum consuevit institui, quum visum id est Spiritui qui non minus ecclesiam ducit in omnem veritatem, quam ipsam in externis cultus actibus moderetur ac regat. Succedit alterum quod praemonendum existimavi, eoque pertinet nullum quidem patere locum discrimini inter ecclesias Orientis et Occidentis, inter ceteras ecclesias et ecclesiarum omnium caput Romanam, quum de iis agitur quae necessaria sunt, quaeque fieri non solum possunt verum etiam debent; sed hoc idem negligi discrimen non posse, quum quae fiunt, sancte quidem suscipiuntur, neque tamen suscipi necessario debent. Sane ex horum numero multa legimus in Oriente facta et in Occidente praetermissa, et non pauca vicissim in Occidente usurpata quin Orientis moribus reciperentur. Quapropter caussa nobis praesto fuit eaque manifesta, ob quam de festo conceptae Virginis historiam enarraturi, Orientem ab Occidente et ab utroque singularem romanam ecclesiam secerneremus. De facto namque sermo est pio utique ac sancto, neque tamen necessario nisi ea necessitate quae ex ecclesiastica lege dimanarit.

ARTICULUS I.

De festo conceptae Deiparae penes Orientis ecclesias: constitutio Manuelis Comneni: Niconis typicum: ecclesiastici Graecorum libri: typicum Sabae: orationes habitae: monimenta ad reliquas Orientis ecclesias spectantia: colligitur festum conceptionis usu totius Orientis ab antiquissimis usque temporibus fuisse receptum.

1602. Consilium mihi est ab eo monimento tractationem auspicari, quod licet omnium vetustissimum non sit, antiquitatem tamen solemnitatemque festi conceptae Deiparae insigniter declarat.

Digitized by Google

Est autem constitutio Manuelis Comneni, quo Augustus ille de Patriarchae sententia dies festos, multis abolitis, pauciores effecit. Quum vero plurimos suis in sedibus intactosque reliquerit, illosque maxime quibus iamdiu et veterum auctoritas et longa ecclesiarum consuetudo patrocinabatur, hos inter diem sacrum conceptae Deiparae reperimus. Praemisso namque [1]) titulo qui [a]) est *de diebus totius anni, quinam ex his in totum sint feriati, et qui ex parte profesti seu intercisi:* et pluribus declarata necessitate contrahendi festorum dierum solemnitates, ne cives otio diffluant, neve imminutis iudiciorum diebus scelera diutius impunita sint, litesque pessimo publico serius componantur, exinde ad dies veniens qui in posterum festi sive ex toto sive ex parte haberi debeant, post alia [b]) sancit: « Decembris dies IX. in quo scilicet conceptio sanctissimae matris Dei nostri celebratur. » Anno igitur MCLXVI. quo edita constitutio fuit, dies conceptae Deiparae in toto Orientis imperio festis accensebatur; immo quod hac solemnitate iampridem claruerit, ratio ipsa dictae legis non obscure demonstrat. Quare fuit cur [2]) Simonius Assemanus scriberet: « Festum istud Manuel Comnenus qui ab anno MCXLIII. ad annum MCLXXXI. imperavit, nequaquam instituit, sed iuxta vetustum Imperii morem sanxit etiam in populo esse feriatum. »

1603. Cui tam vetustati quam amplitudini non minimum favet Niconis abbatis typicon [3]) ab eo scriptum circa annum MLX., et in XL. capita sic tributum ut caput VIII. kalendario constet dierum festorum a mense septembri, « quo Graeci initium anni mutuantur, usque ad augustum. In hoc enim kalendario, quo mores ritusque antiocheni patriarchatus maxime continentur, ad diem IX. decembris haec leguntur: « Conceptio sanctae Annae, quando

a) Περὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ· ποίαι μὲν τούτων ἄπρακτοι, ἐν μέρει δὲ ἔμπρακτοι.

b) Ἡ θ'. τοῦ δεκεμβρίου, ὡς τῆς συλλήψεως ἐν αὐτῇ τελουμένης τῆς ὑπεραγίας μητρὸς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

1) Apud Carolum Labbaeum observatt. et emendatt. in synops. basilic. P. II. pag. 127. edit. Paris. MDCVII.

2) Kalendar. eccles. univ. ad diem IX. Decembris pag. 434. T. V. Erravit autem Ludovicus Thommasinus in opere de festis confidenter scribens, Novellam hanc Manuelis Comneni *vetustissimum esse monumentorum omnium de conceptione Deiparae festo celebrata.*

3) De Niconis typico consulendus est Assemanus biblioth. orient. T. I. pag. 620., ubi arabicos codices recensens de eo disserit.

Digitized by Google

concepit beatam virginem Mariam Dei genitricem. » Eidem antiquitati et amplitudini favent Basilii porphyrogeniti Synaxarium et Menologium, illud quidem [a]) his verbis : « Eodem mense *(Augusto)* die IX. conceptio sanctae Annae matris sanctissimae Deiparae. » Alterum vero, quo primum festus dies sic [b]) indicitur : « Conceptio sanctae Annae, matris Deiparae. » Tum [c]) subditur : « Dominus et Deus noster cum animatum sibi templum domumque sanctam in suum habitaculum praeparare vellet, misit angelum suum ad Ioachim et Annam iustos, ex quibus suam secundum carnem matrem procedere destinaverat, et praenunciavit conceptionem infecundae et sterilis, ut virginis fecunditati fidem faceret. Concepta est igitur nataque sancta virgo Maria, non ut quidam aiunt, septimestris aut [1]) sine viri opera; sed exactis novem integris mensibus, ex promissione quidem, attamen ex viri coniunctione : solus enim Dominus et Deus noster Iesus Christus sine viro ac sine commixtione et semine ex sancta Virgine natus est, modo quodam ipsi soli noto, nobis autem ineffabili et inexplicabili; cumque perfectus Deus esset, omnia sibi quae ad carnis oeconomiam pertinent, perfecte assumpsit, prout humanam naturam ab initio condidit atque effinxit.»

1604. Accedunt codices [2]) evangeliorum ante annum Christi octingentesimum exarati, ad quorum calcem subiuncti festorum

a) Τῇ θ'. τοῦ αὐτοῦ μηνὸς, ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, μητρὸς τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου.

b) Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, τῆς μητρὸς τῆς Θεοτόκου.

c) Menolog. die IX. Decembris pag. 15. T. II. Ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς θέλων ἑτοιμάσαι ἑαυτῷ ναὸν ἔμψυχον, καὶ οἶκον ἅγιον εἰς κατοικίαν ἑαυτοῦ, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς δικαίους Ἰωακεὶμ καὶ Ἄνναν, ἐξ ὧν ἠθέλησε προελθεῖν τὴν κατὰ σάρκα μητέρα αὐτοῦ καὶ προεμήνυσε τὴν σύλληψιν τῆς ἀγόνου καὶ στείρας, ἵνα βεβαιώσῃ τῆς παρθένου τὴν γέννησιν· ὅθεν συνελήφθη ἡ ἁγία παρθένος Μαρία, καὶ ἐγεννήθη οὐχὶ, ὡς λέγουσί τινες, ὅτι ἑπτὰ μηνῶν, ἢ ὅτι χωρὶς ἀνδρός· ἀλλὰ τελείως ἐννέα μηνῶν ἐγεννήθη· καὶ ἐξ ἐπαγγελίας μὲν, ἐκ συναφείας δὲ ἀνδρός· μόνος γὰρ ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἄνευ ἀνδρὸς, καὶ χωρὶς συναφείας καὶ σπορᾶς ἐγεννήθη ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, ἀπορρήτως καὶ ἀνερμηνεύτως, ὡς οἶδεν ἐκεῖνος μόνος· καὶ τέλειος ὑπάρχων θεὸς πάντα τὰ αὐτοῦ τῆς κατὰ σάρκα οἰκονομίας τέλεια προσελάβετο, καθὼς καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν ἐδημιούργησε καὶ ἔπλασε τὸ κατ' ἀρχάς.

1) Huius praeposterae opinionis non obscura vestigia reperiuntur in quibusdam Protevangelii codicibus cap. IV. et in hist. de nativit. Mariae et infant. Salvatoris cap. III. Ceterum damnata ea fuit ab Innocentio XI. anno MDCLXXVII. deque ea habent quae conferri utiliter possint Tillemontius T. I. pag. 199. et Ioh. Baptista Thiers Traité des superstitions T. II. pag. 302.

2) Videsis Assemanum in kalend. eccl. univ. pag. 434. T. V.

catalogi ipsum quoque conceptae Virginis diem repraesentant. Accedunt prisci versiculi, quibus [a]) de Anna dicitur: « Non sicuti Eva tu paris in doloribus; in sinu namque, o Anna, gaudium gestas. Nona die concepit Anna Mariam Dei matrem. » Accedunt Menaea, in quibus [b]) non modo solemni officio celebratur *conceptio sanctae Annae matris Deiparae*, verum etiam [c]) nonnulla omnino praeclara atque eodem pertinentia ex Germano, Iosepho, Iohanne monacho et Stephano sabbaita referuntur. Prae ceteris autem commemorari debent carmen Andreae cretensis et Sabae typicon. Et illud quidem exaratum fuit seculo septimo, legitur in vulgatis Menaeis atque inter opera Andreae a Combefisio edita, atque hunc [d]) praefert titulum: *canon sanctae Annae*. De typico autem Sabae, si ea recolantur quae docent [2]) Allatius et [3]) Zaccaria, facile dabitur pertinere illud ad seculum quintum, dies festos complecti in patriarchatu hierosolymitano solemnes, atque hos inter festum quoque conceptae Deiparae [4]) his verbis exhibere: *conceptio sanctae Annae, matris Deiparae.*

1605. Quum vero ad decus splendoremque festorum adhiberi sermones consueverint, piaculum foret non illos saltem [4]) recensere qui prae reliquis vetustate commendantur. Itaque de concepta Deipara orationem habuit Leo VI. cognomento sapiens, quam in graeco codice bibliothecae sfortianae servatam testantur [5]) Baronius et [6])

a) Men. die IX. Decembris pag. 74. col. 2. E.

Οὐχ ὥσπερ Εὔα καὶ σὺ τίκτεις ἐν λύπαις·
Χαρᾶν γὰρ, Ἄννα, ἔνδον κοιλίας φέρεις.
Τῇ δ' ἐνάτῃ Μαρίαν Θεομήτορα σύλλαβεν Ἄννα.

b) Men. die IX. Decembris pag. 69. col. 2. C. Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς Θεοτόκου.

c) Κανὼν τῆς ἁγίας Ἄννης.

d) Apud Bolland. die XXVI. Iulii pag. 243. Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, μητρὸς τῆς Θεοτόκου.

1) Ibid. pagg. 70-71.

2) Dissert. I. de libris ecclesiast. Graecorum pagg. 4. seqq. ubi Allatius monet dici hunc librum solere τύπον, διάταξιν ac etiam διατύπωσιν.

3) Biblioth. ritual. lib. I. cap. IV. pagg. 79-80. Adde quae de eodem typo habent Simeon thessalonicensis in dialogo contra haereses, et Guillelmus Cave hist. litter. ad an. CDLXXXIV. inquiens: « Scripsit Sabas in usum sui monasterii typicum sive ordinem recitandi officium ecclesiasticum per totum annum, capita LIX. complectentem, qui in omnibus monasteriis hierosolymitanis mox obtinuit. Barbarorum incursionibus depravatum et pene deperditum Iohannes damascenus magno studio postea restituit et renovavit. »

4) Cf. Fabricii biblioth. graec. lib. V. c. XXIX. pagg. 111-112. T. IX. vel pagg. 276-277. T. X.

5) In notis ad Martyrolog. rom. die VIII. Decembris, et ad annum DCCCXI. n. 8. ubi indicem orationum Leonis texit.

6) In notis ad orat. Ephraemi de b. Virgine Maria pag. 110.

Digitized by Google

Gerardus Vossius. Orationem habuit Georgius nicomediensis, neque semel, sed iterum ac tertio. Prior namque illius oratio [a]) inscribitur *in oraculum conceptionis sanctae Deiparae:* altera hanc praefert [b]) epigraphen, *laudatio in conceptionem sanctae Annae, matris sanctissimae Deiparae:* tertiae autem titulus [c]) sic habet: *oratio in conceptionem et nativitatem* [1]) *sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae.* Ad antiquitatem vero solemnitatemque festi plenius cognoscendam ea iuverit retulisse quibus Georgius primam ex orationibus absolvit [d]) inquiens: « Ac vero qui hodiernam tuam celebri conventu festivitatem agamus, non uti [2]) novissime adinventam, quinimmo sicuti ordine ita et ipsa veritate praecipuam, per eam praedicata fruimur voluptate. » Utriusque tam Leonis quam Georgii orationibus addi illa debet, qua Petrus Argorum praesul festum conceptae Deiparae celebravit, quaeque hoc titulo [e]) insignitur: *sermo in conceptionem sanctae Annae, quando concepit sanctam Dei genitricem.* Neque illa tandem praeteriri debet cuius meminit Allatius [3]) inquiens: « Fuit illius scriptor Iohannes, qui nunc presbyter nunc Euboeae episcopus orationibus ab eo compositis praefigitur, cuius eas complures fuisse nullus dubito. Quantae ipse in ecclesia fuerit auctoritatis vel illud evincet, ora-

a) Apud Combefis. Auctar. T. I. pag. 996. Εἰς τὸν χρηματισμὸν τῆς συλλήψεως τῆς ἁγίας Θεοτόκου.

b) Ibid. pag. 1016. Ἐγκώμιον εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης, τῆς μητρὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.

c) Ibid. pag. 1044. Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν καὶ ἀπότιξιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

d) Ibid. pag. 1016. B-C. Καὶ τὴν ἀγομένην δ' ἐπὶ σοῦ σήμερον πανηγυρίζοντες ἑορτὴν, οὐχ ὡς ὕστερον προσευρημένην, ὡς δὲ τῶν εὐσήμων οὖσαν συναρίθμιον· μᾶλλον δὲ ὡς τῇ τάξει, οὕτω καὶ τοῖς πράγμασι πρωτοθεμένην, τῆς δι' αὐτῆς κηρυχθείσης ἀναπολαύομεν θυμηδίας.

e) Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης, ὅταν συνέλαβεν τὴν ἁγίαν θεοτόκον.

1) His addatur et quarta Georgii oratio quae inscribitur *in conceptionem sanctissimae Dei genitricis*, et cuius fragmentum ex Hippolyti Maraccii schedis edidit cl. Ballerinius T. I. pagg. 150-153.

2) « Ipsa haec excusatio, *notat Combefisius pag.* 1227., haud ita pridem institutum indicat istud festum. Quamobrem ut verus sit Andreae cretensis canon, quem eius nomine ex sacris Graecorum libris in lucem edidimus, fuerit Georgius nihil Andrea recentior, videaturque annis aliquot senior, et qualem conlicimus ex oratione eius, si tamen eius, in inventionem vestis eiusdem s. Mariae: ut nimirum spectet ad Heraclii tempora, post illa tamen creatus episcopus. » Quae omnia a vero abludunt.

3) Dissert. de Iohanne damasceno §. LXVIII. pag. 42. opp. Damasceni T. I. Re porro fuerit cum hisce allatianis ea contulisse quae de Iohanne euboeensi litteris consignarunt Lequienius in orient. christ. T. II. pag. 214. et Guillelmus Cave in hist. litter. ad an. DCCXLIV.

Digitized by Google

tiones illius in aestimatione fuisse, ut a multis sub Damasceni nomine vulgarentur. Eas tamen Damasceni non esse, character ipse dicendi, et rerum expositarum dispositio apertissime probant. » Orationis [1]) titulus [a]) est, *sermo in annuntiationem sanctorum iustorum Ioachimi et Annae et in nativitatem sanctissimae, gloriosae ac semper virginis Mariae matris Dei.* Ubi autem Iohannes dies enumerat Deiparae sacros, post alia [b]) scribit: « Festa vero agenda esse aio, cum gratia advenerit, insignia decem. Primumque ante alia solemnia, in quo Ioachim et Anna purissimae ac Deiparae Mariae natalium nuncium accepit. Postmodum [2]) summe venerandum natalem ipsius diem. Ibi conceptio, hic nativitas. » Et [c]) rursum: « Has porro decem solemnitates non sine honore et laetitia agimus. Primam quidem, licet ab omnibus [3]) non agnoscatur, in qua beati Ioachim et Anna natalium semper virginis et Deiparae Mariae nono

a) Apud Lambecium V. pagg. 5. seqq., et VIII. pag. 821. Λόγος εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῶν ἁγίων δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης· καὶ εἰς τὸ γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας ἐνδόξου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας τῆς Θεοτόκου.

b) Ἑορτὰς δὲ φημὶ ἑορτάζειν τῆς χάριτος ἐλθούσης ἐν εὐσήμοις, ἑορτὰς δέκα· πρῶτον πασῶν τῶν εὐσήμων ἑορτῶν, ἐν ᾗ ἐδέξατο τὰ εὐαγγέλια Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα τῆς γεννήσεως τῆς παναχράντου καὶ Θεοτόκου Μαρίας· καὶ μετὰ ταῦτα τὸ πάνσεπτον αὐτῆς γενέθλιον· ἐκεῖ σύλληψις, ὧδε γενέθλιον.

c) Ταύτας δὲ τὰς δέκα πανηγύρεις γεραίροντες ἑορτάζομεν· τὴν μὲν πρώτην, εἰ καὶ μὴ παρὰ τοῖς πᾶσι γνωρίζεται, ἐν ᾗ ἐδέξαντο οἱ μακάριοι Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα τὰ εὐαγγέλια τῆς γεννήσεως τῆς ἀειπαρθένου καὶ Θεοτόκου Μαρίας τῇ ἐννάτῃ τοῦ δεκεμβρίου μηνός· σημείου γουνεχῶς, ἀγαπητέ, ὅτι οὐκ ἄσπονδον, οὐδὲ ἀνωφελὲς τὸ παρ' ἡμῖν γραφῇ παραδιδόμενον· εἰ γὰρ καὶ ἐγκαινισμοὶ ἐκκλησιῶν ἐπαξίως ἐπιτελοῦνται, πόσῳ μᾶλλον ἡμεῖς ὀφείλομεν μυριονταπλασίονα μετὰ σπουδῆς, εὐλαβείας τε καὶ φόβου Θεοῦ ἐπιτελεῖν τὴν πανήγυριν ταύτην, ἐν ᾗ οὐκ ἐκ λίθων ὁ θεμέλιος ἐτέθη, οὐδὲ ἐκ χειρῶν ἀνθρώπων ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ᾠκοδομήθη, τουτέστιν ἐν κοιλίᾳ συνελήφθη ἡ ἁγία Μαρία ἡ θεοτόκος, ἀλλ' εὐδοκίᾳ πατρὸς καὶ συνεργίᾳ τοῦ παναγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος· Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ λίθος ὁ ἀκρογωνιαῖος αὐτὸς ᾠκοδόμησεν, καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῇ κατεσκήνωσεν, ἵνα νόμον καὶ προφήτας πληρώσῃ, ἐλθὼν εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς.

1) In codice barberiniano quem diligenter inspeximus, simplicior est orationis inscriptio atque ita habet: Ἰωάννου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου Εὐβοίας λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Θεοτόκου. *Iohannis monachi et presbyteri Euboeae sermo in conceptionem sanctae Deiparae.*

2) Septem potissimum Deiparae festivitates Graecis solemnes fuisse novimus, σύλληψιν *conceptionem* die IX. Decembris, γέννησιν, γενέθλιον *nativitatem* die VIII. Septembris, εἰσοδίαν, τὴν ἐν τῷ ναῷ εἴσοδον *praesentationem* die XXI. Novembris, εὐαγγελισμὸν *annuntiationem* die XXV. Martii, γέννησιν τοῦ Χριστοῦ *parturitionem* die XXV. Decembris ὑπαπαντὴν *purificationem* die II. Februarii et κοίμησιν *dormitionem* die XV. Augusti.

3) Ipsa phrasis, εἰ καὶ μὴ παρὰ τοῖς πᾶσιν γνωρίζεται, *etiamsi non ab omnibus agnoscatur*, ex sese ostendit, quamquam non ubivis, ampliter tamen festum conceptae Deiparae fuisse diffusum seculo VIII., quo Iohannes sermonem habuit.

Digitized by Google

Decembris die nuncium acceperunt. Notaque attente, dilectissime, non esse praeter fidem et frustra quod nos scriptis mandamus. Nam si templa nec praeter tantae rei dignitatem dedicamus, quanto magis ferventi studio, devotione infinita ac Dei timore solemnitas haec celebranda est, in qua non ex lapide fundamenta iaciuntur, nec manu hominum Dei templum exaedificatur; sed in ventre Deipara ac sanctissima Maria Patris beneplacito, et sanctissimi ac vivificantis Spiritus ope concepta est. Christus Dei Filius, qui lapis angularis eam exstruxit, in qua postea et ipse inhabitavit, ut ad nos servandos adveniens legem prophetasque adimpleret. » Quae prae oculis Allatius habens [1]) concludit: « Vides itaque anno a nativitate Christi DCCXLIV., ante Leonem imperatorem (quando de Georgii nicomediensis aetate non constat) annis CLVI., conceptionem Virginis, non quae Christi Domini in ipsius Mariae utero, sed quae Mariae ipsius in visceribus Annae conceptum infert, licet apud aliquos non adeo innotuerat, a plerisque tamen celebratam. »

1606. Hactenus monimenta retulimus quae ad graecam spectant ecclesiam, quibus tamen usum pariter ceterarum Orientis ecclesiarum exhiberi, tum perspicua inductio persuadet, tum haec ostendunt quae Assemanus [2]) scribit: « Codex uterque vaticanus russicus, *conceptio Annae*. Ita et Possevinus, *conceptio sanctae Annae*. Et fasti graeco-moschi, *conceptio sanctae Annae*. » Et [3]) mox:

1) Diss. cit. §. LXVIII. pag. XLIV. Heic autem nolim silentio praeterire recentioris quidem auctoris sermonem, non indignum tamen qui commemoretur. Itaque in vaticano codice qui ex graecis notatur numero MCLXII., legimus: Ποίημα Ἰακώβου μοναχοῦ τοῦ ἐκ τῆς μονῆς Κοκκινοβάφου, ἐν ᾧ λόγοις ἀπαρτιζόμενον συνθεῖσι μὲν εἰς τὰς ἑορτὰς τῆς ὑπαπαντῆς Θεοτόκου· ὅγουν α΄. λόγος εἰς τὴν σύλληψιν· β΄. λόγος εἰς τὴν γέννησιν· γ΄. λόγος εἰς τὰ ἅγια ἁγίων· δ΄. λόγος εἰς τὸν ἔξοδον τοῦ ναοῦ καὶ εἰς τὰ ἑξῆς· ε΄. λόγος εἰς τὸν χαιρετισμόν· ς΄. λόγος εἰς τὴν ἀπόδοσιν πορφύρας καὶ εἰς τὰ ἑξῆς, ἐκλεγεῖσι δὲ ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν. « Opus Iacobi monachi ex monasterio Coccinobaphi in sex tributum sermones pro festivitatibus sanctissimae Deiparae elucubratos, videlicet I. sermo in conceptionem, II. sermo in nativitatem, III. sermo in sancta sanctorum, IV. sermo in exitum ex templo, V. sermo in annuntiationem, VI. sermo in traditionem purpurae, ex divinarum scripturarum excerptis. » Floruit autem Iacobus seculo XI. ad extremum vergente. Omnibus igitur in summam collectis et chronologice distributis assequimur I. a seculo V. ad XII. usque seriem extare monimentorum, quibus in graeca ecclesia festum conceptae Deiparae celebratum ostenditur; et II. idem festum maiora iugiter incrementa recepisse, et in illorum album fuisse insertum quae solemniora haberentur.

2) Kalend. eccles. univ. T. V. pag. 432.

3) Ibidem. Quare Antonius Gravois de ortu ac progressu cultus et festi immaculati conceptus art. I. n. 11. verissime scripsit: « Antiquitatem nostri festi apud Graecos evidenter probat unanimis in eo celebrando consensus omnium ecclesiarum orientalium, omniumque Graecorum tam catholicorum quam schismaticorum et haereticorum, qui licet in multis officia divina concernentibus ab invicem plurimum discrepent, in hoc tamen unanimiter omnes conveniunt. Interrogentur Syri, Armeni, Maronitae, Chaldaei, Cophti, Melchitae, Albanenses ritum graecum servantes, et omnes alii qui in dominiis Moscoviae, Lithuaniae, Poloniae, Venetiarum et utriusque Siciliae commorantur, interrogentur inquam, utrum in suis partibus et in suis ecclesiis celebretur immaculata gloriosae Virginis conceptio, et voce unanimi respondebunt: celebratur utique, et quidem maxima cum devotione. Videantur apud Bollandistas T. I. Maii ephemerides tum Graecorum tum et Moscorum, et

« In omnibus et graecis et ruthenicis picturis repraesentatur in templo seu potius conclavi ornato Ioachimus Annam uxorem amplexans et osculans; ita et in triptycho minore apud Papebrochium, superimposita epigraphe, *conceptio sanctae Annae.* » Eodem pertinent quae narrat [1]) Matthaeus Paris, archiepiscopum nescio quem maioris Armeniae anno MCCXXVIII. in Angliam venisse, et in monasterio sancti Albani hospitio receptum, monachis interrogantibus *si in partibus suis conceptio beatae Mariae celebraretur*, respondisse, *celebratur utique.* Atque eodem pertinent quae [2]) in codice antiquissimo arabico ad diem XIII. mensis chiach, qui est december, hisce expressa verbis leguntur: *conceptio Annae, cum concepit Dominam sanctam Mariam.* Quemadmodum igitur festum conceptae Deiparae universum qua late patet occupavit Orientem; ita eiusdem initia seculo quinto recentiora vix aut ne vix quidem haberi posse videntur.

ARTICULUS II.

De festo conceptae Deiparae in Occidentis ecclesiis: utrum Hildephonsus toletanus antistes illius in Hispania auctor haberi possit: qui id affirment et quibus de caussis: qui vicissim negent et quibus se commotos argumentis significent: de iis quae probant festi solemnitatem receptam seculis VIII. IX. X. et XI.: cetera monimenta quae auctam in dies eiusdem propagationem ostendunt: eximia illius amplitudo, neque ea angustior qua in Oriente claruit.

1607. Edmundus Martenius ex iis non ultimus qui veterem ecclesiae disciplinam in sanctorum mysteriorumque festis celebrandis diligentius investigarunt, et antiquitatis hac de re monimenta perscrutati sunt operosius, de festo conceptae Deiparae penes Occidentis ecclesias [3]) scribit: « VI. idus decembris celebramus imma-

apud Possevinum T. 1. app. sacri pag. 173. kalendarium Ruthenorum qui tam in Moscovia, ut ibi notatur, quam in reliqua Russia est in usu, et ubique ad diem nonam Decembris invenietur *conceptio sanctae Annae*, activa videlicet quae est passiva beatissimae Virginis. Quis vero asserere poterit haereticos Graecos a catholicis, vel catholicos ab haereticis illam recepisse festivitatem? Quis negabit apud eos institutam eam antiquitus fuisse antequam in tot sectas ac veluti ramos dividerentur? »

1) Hist. angl. pag. 242. edit. Paris. MDCXLIV.

2) Apud Mai scriptt. vett. T. IV. P. II. pag. 21. Cum quibus componi debent quae T. V. P. II. pag. 29. ex codice syriaco LXV. vel CCCXXII. adducuntur.

3) De antiq. eccles. disciplina in div. celebrandis officiis cap. XXX. §. XII. pag. 552. Eadem repetit alio in opere de antiq. monachorum ritibus lib. IV. cap. II. n. 15. pag. 572. inquiens: « VI. idus decembris intemeratae virginis Mariae conceptionem recolimus, cuius festivitatis institutio apud Hispanos est

Digitized by Google

culatae Virginis Mariae conceptionis festivitatem, cuius prima institutio sancto Hildephonso toletano episcopo referenda videtur; nam ut legimus in eius vita seculo II. benedictino, *festum conceptionis sanctae Mariae, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit, et eius constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI. idus decembris*. Unde inter festa Christianorum quae a Iudaeis observari praecepit rex Ervigius lib. XII. legis Wisigothorum tit. 6. recensetur *festum sanctae Virginis Mariae, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur*. Atque hinc apparet conceptionis beatae Mariae festivitatem, ut quidam autumant, in Anglia minime incoepisse. » Iamvero Hildephonsi vita, ad quam se Martenius recipit, illa ipsa est quam referunt [1]) Bollandiani et multo accuratiorem Mabillonius [2]) describit, qui praeterea ex Hermanno monacho et Bernardo aequali [3]) haec habet: « Libellum sancti Hildephonsi toletanae civitatis archiepiscopi, quem composuit de virginitate sanctae Mariae contra Iudaeos, nec non Iovinianum et Helvidium hostes catholicae fidei, rescriptum transtulit ab Hispania Godescalcus Aquitaniae episcopus cum iret in Galliciam orandi gratia ad sanctum Iacobum apostolum. Ut vero sciretur cuius auctori-

antiquissima, utpote quae sanctum Hildephonsum toletanum episcopum agnoscit auctorem, sicut legimus in eius vita: *festum conceptionis sanctae Mariae, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit, et eius constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI. idus decembris*. Huius solemnitatis quam fuerint observantiores Hispani, patet ex l. 12. Wisigothorum tit. 6., ubi Ervigius rex lege lata praecipit, ut a Iudaeis observentur festa Christianorum, in his *festum sanctae virginis Mariae, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur*. » Ad haec animum non satis advertit cl. Ballerinius in monito ad chartam donationis Ugonis De Summo §. V. pag. 4-5. inquiens: « Notissimum sane est, ad nostros usque dies tamquam ratum certumque ab omnibus indiscriminatim tum propugnatoribus tum impugnatoribus habitum fuisse, prima huius non quidem sententiae et doctrinae sed cultus initia, siquidem sermo sit de ecclesiis latinis ac ritu disciplinaque latina utentibus, a revelatione computari quae Elsino abbati facta fertur, quo tempore Angliae regnum obtinebat Guillelmus conquaestor: ex tunc autem primo quidem in Anglia hunc ritum usurpatum ad reliquas deinde Occidentis ecclesias propagatum fuisse. Qua de re vide Baronium in notis ad martyrologium romanum die VIII. Decembris. » Et in historica disquisitione de Petro Argorum episcopo §. XI. pag. 115. eadem premens vestigia scribit: « Atque huic quidem opinioni de homilia in ipsa Siciliae insula a Petro recitata, atque adeo de Virginis conceptae cultu iam per Siciliam tunc obtinente, neminem puto nunc ideo refragaturum quod veteri adhuc laborans praeiudicio conceptionis Mariae cultum in Occidentis ecclesiis ab undecimo tantum seculo labente aut etiam serius praesertim in Italia usurpari coepisse censeat. Iam enim antiquata ista sententia ac penitus obsoleta haberi debet. Atque ut ea omittam quae superius cum de charta Hugonis sermo esset, diximus de cremonensi ecclesia, notissimum est marmoreum kalendarium neapolitanum, quod ante medium seculum IX., ut ostendit cl. vir Alexius Mazzocchi, exaratum fuit, et tamen ad diem IX. Decembris conceptionis Mariae festum indicit. Mirum ergo videri non debet, conceptionis Deiparae solemnia peragi in Sicilia consuevisse, quando eumdem ritum in neapolitana ecclesia eadem aetate invaluisse videmus. » Sed iampridem viri docti praeiudicium exuerant de festo conceptae Deiparae, quod non antea fuerit in Occidente celebratum, quam seculum XI. ad finem vergeret; mirumque mihi omnino accidit, Alphonsum Muzzarellium eruditum sane theologum in opp. inscripto, *delle principali feste di Maria santissima* pag. 30., ab hac opinione sibi, quemadmodum par erat, non satis caviase.

1) T. II. Ianuarii die XXIII. pagg. 535. seqq.

2) Act. ss. ordinis s. Benedicti, sec. II. an. Chr. DCLXVII. Ian. XXIII. pagg. 521-522.

3) Ibid. in observatt. de Hildephonsi scriptis n. 7. pag. 520.

tatis idem Hildephonsus fuerit, etiam vitam eius simul detulit editam [1]) a successore eius Iuliano toletanae sedis episcopo, qui scripsit librum Prognosticon utilem valde et luculentum de resurrectione mortuorum. » Atqui Godescalcus librum Hildephonsi de virginitate beatae Mariae una cum illius vita ex Hispania in Galliam atque in urbem Anicium transtulit anno nongentesimo quinquagesimo primo, quemadmodum idoneis ad fidem faciendam testimoniis Mabillonius [2]) ostendit, iisque confirmatur quae [3]) Nicolaus Antonius docet. Vita igitur Hildephonsi, qua institutum ab ipso conceptae Deiparae festum [4]) narratur, antiquitate insignis est, neque omnino indigna cui assensio deferatur.

1608. Sed visum plane secus est non Salazario [5]) dumtaxat ac [6]) Meratio, verum etiam sagacioribus longe viris [7]) Benedicto Plazza, Alexandro Polito [8]) et [9]) Antonio Zaccariae: Trombellius [10]) autem postquam multa hinc inde congessit, more suo anceps haeret, et fumum potius quam lucem spargit. Caussas vero dubitandi has potissimum promunt. I. Quod nec elogium sancti Hildephonsi ab Iuliano, qui ipsi successit anno DCLXXXVIII., certe conscriptum: nec genuinus libellus Cixilae episcopi, qui toletanam sedem rexit ad annum usque DCCLXXI., *de vita sancti Hildephonsi*, ullam instituti ab eo festi mentionem iniiciant. II. Quod scribarum errore factum sit, ut pro die XVI. Decembris legeretur VI. idus Decembris, atque adeo conceptio Unigeniti ex Deipara cum eiusdem Deiparae ex Anna conceptione turpiter misceretur. Et quod III. Ervigii lege ea indicatur gloriosa Deiparae conceptio, non qua ipsa con-

1) Negat Mabillonius ibid. pag. 521. auctorem vitae quam Godescalcus ex Hispania detulit, censeri posse Iulianum Hildephonsi successorem.

2) Consulantur quae tradit sec. III. benedict. P. I. anno Christi DCCXVIII. Oct. XIX. pagg. 476-477., et rursum praefat. P. II. pag. X.

3) T. I. biblioth. vet. hisp. pag. 288. n. 289.

4) Commemorata apparitione qua Deipara Hildephonsum recreavit, pergit biographus pag. 522. « His dictis relicta veste sancto episcopo Domina nostra cum sanctarum virginum multitudine et luminis claritate disparuit. Episcopus vero quanto gaudio, quanta devotione festum illud *(annunciationis)* Dominae nostrae celebraverit, quantumque deinceps in eius servitio magis confortatus fuerit, nulla lingua promere, nullius cor facile valet explicare. Unde etiam festum conceptionis sanctae Mariae, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit, et eius constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI. idus decembris. »

5) De concept. Virginis cap. XXXV. nn. 53-54. ubi tuetur auctorem festi conceptae Deiparae merito censeri Gundisalvum episcopum toletanum, qui paullo post Hildephonsum pietate in Deiparam sumopere excelluit. Videris quae eodem pertinentia scribunt Bernardinus de Busto in offic. concept. beatae Virginis secunda die infra octavam lect. IV. et Maraccius in biblioth. mariana P. I. ac in op. de antistitibus marianis §. L.

6) T. II. sect. VII. cap. II. de festo concept. b. Virginis.

7) Causs. immac. concept. act. III. art. II. §. I. nn. 42-44. pag. 245.

8) In Martyrolog. rom. ad diem XXIII. Ianuarii de s. Hildephonso pag. 388.

9) Variar. dissertatt. italic. T. II. dissert. V. §. I. pag. 207.

10) Vita Deiparae P. II. dissert. XIII. q. II. nn. 2. seqq.

Digitized by Google

cepta fuit, sed qua Christum ipsa concepit. Verum I. imbecillum est argumentum ex silentio ductum, eoque imbecillius quo evidentius constat, tam Hildephonsi elogium, Iuliano auctore, quam libellum de eiusdem vita, auctore Cixila, ea esse brevitate conscriptum, ut sanctissimi praesulis gesta attingantur potius quam enarrentur. Quid ergo mirum quod silentio prematur institutio festi conceptae Deiparae, praesertim quum ad illorum usque aetatem nulla de mysterio conceptionis quaestio exarserit? Ad haec II. nihil quidem pronius quam amanuensium sphalmata comminisci, sed nihil vicissim eiusmodi commentis levius nisi ea probabili saltem coniectura suadeantur. In praesentia autem nulla suppetit eiusmodi coniectura, quum in Hildephonsi vita festum conceptae Deiparae a festo eiusdem Unigenitum concipientis apertissimis verbis secernatur. Postremo III. fas non est verbis formulisque virtutem subiicere a recepto loquendi usu alienam atque abhorrentem. Sed ut lex Ervigii de festo Deiparae Unigenitum concipientis intelligi possit, necesse est verbis significationem tribuere a vulgato loquendi usu dissidentem. Verba namque legis [1]) sic habent: « Dies tamen ipsi qui ab iisdem Iudaeis sollicita devotione sunt observandi, hi sunt: idest festum sanctae virginis Mariae, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur. Item natalis Christi vel circumcisionis vel apparitionis suae dies etc. » Atqui numquam [2]) in Kalendariis, numquam in Martyrologiis, et numquam in reliquis ecclesiasticis monimentis festum Annuntiationis sive concipientis Deiparae appellatur *festum sanctae virginis Mariae, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur*. Videor ergo mihi cupidius non agere si aperte negem caussas adesse ullas, propter quas narratio de Hildephonso auctore instituti in Hispania festi [3]) conceptae Deiparae in erroris suspicionem adducatur.

1) Leg. Wisigoth. lib. XII. tit. III. l. VI. *Ut omnis Iudaeus diebus dominicis et praenotatis festivitatibus ab opere cesset.*

2) Cf. quae habent tum Bollandiani T. III. Martii die XXV. pag. 536., tum Martenius de antiq. eccles. disciplina in div. celebrand. officiis cap. XXXI. n. 26. pag. 562. Sane festum ipsum Graeci omnium aetatum una eademque formula designarunt, illud appellantes *τὰ εὐαγγελισμὰ τῆς ἁγίας* (vel *τῆς ὑπεραγίας*) *Θεοτόκου*. At Latini paullo aliter: in plerisque enim Martyrologiis *adnunciatio dominica* legitur, et in Kalendario neapolitano *annuntiatio Domini Iesu:* in Sacramentario gregoriano *annuntiatio Angeli ad beatam Mariam:* in codice Florentinli *adnuntiatio sanctae Mariae de conceptione, quando ab angelo est salutata.* Quid quod patres concilii toletani VIII. quod appellari decimum solet, de hoc ipso festo agentes anno DCLVI. decreverunt cap. I. ut *solemnitas dominicae matris die decimo quinto kalendarum ianuariarum omnimodo celebraretur?*

3) E quibus pronum est de his arbitrari, quae in notis ad Missale mozarabum pag. 609. occasione Missae de concepta Deipara Lesleus scribit: « Festivitas ista ignota erat Gotho-hispanis: eam a Gallis suscepisse videntur Mozarabes, quorum more die VIII. Decembris in Missali missa propria et in Breviario,

Digitized by Google

1609. Dum haec in Hispania fierent, non minori pietatis studio in conceptam Deiparam Italia ferebatur. Cuius studii testis inprimis est hymnus cassinensium monachorum usu frequentatus, idemque seculo IX. vetustior. Illum in acceptis referimus eruditis curis Ioh. Baptistae Federicii et Iosephi de Coustantio [1]), qui eumdem ex codicibus beneventanis, sublacensibus et cassinensibus ad secula XII. X. et IX. spectantibus descripserunt, et Ambrosio vel Paulo diacono tribuendum esse criticis argumentis comprobarunt. Dignus porro est qui heic integer [2]) exhibeatur.

» Quis possit amplo famine praepotens
» Digne fateri praemia Virginis,
» Per quam veternae sub laqueo necis
» Orbi retento reddita vita est?
» Haec virga Iesse, Virgo puerpera,
» Hortus superno germine consitus,
» Signatus alto munere fons sacer,
» Mundum beavit viscere caelibi.
» Hausto [3]) maligni primus ut occidit
» Virus chelydri terrigenum parens;
» Hinc lapsa pestis per genus irrepens
» Cunctum profundo vulnere perculit.
» Rerum misertus sed sator, inscia
» Cernens piaculi viscera Virginis,
» Hic ferre mortis crimine languido
» Mandat salutis gaudia seculo.
» Emissus astris Gabriel innubae
» Aeterna portat nuntia Virgini:
» Verbo tumescit latior aethere
» Alvus replentem secula continens.

mozarabum officio proprio colitur; at tam Missa quam Officium ex orationibus hinc inde a missis et officiis Gotho-hispanis desumptis composita sunt.» Videlicet sunt haec ex errore dicta, et quemadmodum superioribus, ita hisce refelluntur quae Mabillonius scribit in notis ad Bernardi epistolam CLXXIV. inquiens: «Quin conceptio beatae Virginis seculo decimo, quo libellus de vita sancti Hildephonsi a Gotescalco in urbem Anicium est allatus, apud Hispaniam celebrata sit, in dubium vix revocari potest.» Cf. Antonii Gravois op. cit. art. II. pagg. 41-42.

1) Videsis quae Federicius scribit in opere italico de imm. Deiparae conceptu pagg. 18. seqq., eaque rursum quae Iohannes Baptista Maurus habet in notis ad Petri diaconi opusc. de viris illustr. cassinensibus cap. VIII.

2) Ibid. pag. 15.

3) Nisi mavis legere, notat Federicius, *hausto viru*, vel *hausta virus*, cum hac loquendi forma componere potes quod penes Tacitum legimus: «Audito castellum Luppiae obsideri, sex legiones eo duxit.» Ac rursum quod Livius habet: «Inde consul ad Pulvinum est progressus, nondum comperto quam regionem hostes petissent.» Multo facilius dixeris, *hausto virus*, adhiberi pro *hausto viru*, quod usu obtineret ut *virus* omnibus efferendis casibus inserviret.

Digitized by Google

» Intacta mater, virgoque fit parens,
» Orbis creator ortus in orbe est,
» Hostis pavendi sceptra remota sunt,
» Toto refulsit lux nova seculo.
» Sic virginalis vincula permanent
» Prodit pudoris dum thalamo potens;
» Mansere clausae arctius ut fores,
» Intrante demum quos sera vinxerat.
» Hoc signat aedis ianua non patens,
» Quam celsa vatis visio prodidit,
» Soli tremenda pervia principi,
» Mansura nempe clausa perenniter.
» Sit Trinitati gloria unicae,
» Virtus, potestas, summa potentia,
» Regnum retentans, quae Deus unus est,
» Per cuncta semper secula seculi. Amen.

1610. His porro ad cultum conceptae Deiparae ostendendum accommodatissimis, monimentum succedit neque minus illustre neque multo aetate recentius. Norunt eruditi Kalendarium marmoreum neapolitanae ecclesiae a Symmacho Mazzochio [1]) editum sapienterque illustratum, et ante seculum X. certissime [2]) adhibitum. In eiusmodi autem Kalendario ad diem IX. Decembris haec habentur: *conceptio sanctae Mariae virginis.* » Nimirum *notat* [3]) *Assemanus*, conceptio passiva Deiparae, quando in utero matris Annae concepta est; nam de conceptione eiusdem Deiparae activa, quando angelo nunciante concepit de Spiritu sancto Iesum Christum Dominum nostrum, in eodem Kalendario agitur ad diem XXV. Martii. Igitur primi omnium Latinorum ante Gallos et Anglos aliosque [4])

1) In op. inscripto, *Alexii Symmachi Mazochii neapolitanae ecclesiae canonici et regii s. Scripturae interpretis in vetus marmoreum sanctae neapolitanae ecclesiae kalendarium commentarius*, edit. Neapol. MDCCXLIV.

2) In diatriba de aetate huius marmorei kalendarii sic habet Mazochius pag. XVIII. « Siquidem intra unius integri seculi ambitum huius praeclari monumenti structuram concludere satis mihi esse ducerem; illud prorsus IX. seculo factum defendere, eoque IX. seculo nec antiquius nec recentius esse posse, non levibus argumentis suaderem. Nunc terminos hosce laxiores quam pro critice aetatis huius esse ratus contractiores multo habenas huic quam quaerimus epochae permittemus. Duas vero in partes hanc totam commentationem tribuemus. Quarum priore demonstrabimus, haec marmora nec anno DCCCXVIII. antiquiora, nec DCCCLXXVII. recentiora esse posse, ita ut eius epocha intra annos non amplius undesexaginta vagari ultro citroque possit. Eo labore perfuncti, altera parte angustioribus decem tantum annorum finibus eamdem epocham coercere adnitemur, ita ut nec ante annum DCCCXL. nec post DCCCL. hi fasti prodiisse videantur. »

3) Kalend. eccles. univ. T. V. pagg. 458-459.

4) Exceptis Hispanis, si ea sibi constent quae praemisimus.

Digitized by Google

Neapolitani in Italia fuerunt conceptionis sanctissimae Deiparae a Graecis acceptae cultores. Quamobrem quum idem festum in eadem nobilissima Italiae ecclesia a latinis hominibus iam ante seculum IX. celebratum sit, atque subsequutis temporibus celebrari non desierit; miror cur nullam eiusce rei notitiam sanctus Bernardus habuerit dum canonicos lugdunenses reprehendens scribit, eos voluisse mutare colorem optimum novam inducendo celebritatem, quam ritus ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Maxime quum hac de re satis edoceri potuisset a Normannis, qui eiectis a Sicilia Saracenis, regno utriusque Siciliae iam potiti fuerant, quo anno sanctus Bernardus scribebat. Miror etiam cur alii recentiores scriptores celebrati primum eius festi gloriam Anglis aut Gallis tribuant. Miror denique quod festo illo tamquam novo in controversiam adducto, nemo unus exstiterit qui graecanicae ecclesiae antiquissimam illius celebrandi consuetudinem adduceret. Nimirum iis temporibus orientalium ecclesiarum ritus aut prorsus ignotus, aut propter instauratum nuper a Michaele Cerulario schisma photianum nihil a sancto Bernardo, nihil a lugdunensibus canonicis habebatur. »

1611. Neapolitano kalendario placet subiicere *chartam donationis*, quam ex comitate eruditi viri Antonii Dragonii accepit Antonius Ballerinius, notisque auctam typis vulgavit. Titulus chartae sic habet: « Charta donationis factae canonicis et ecclesiae sanctae Mariae matris ab Ugone de Summo presbytero de cardine eiusdem sanctae Mariae matris. » In ipsa porro charta, quae anno MXLVII. exarata fuit, post alia legimus: « Volo insuper ut iam dicti venerabiles fratres mei de ordine cardinali huius sanctae Mariae matris de hac civitate Cremonae ordinent fieri intra spatium duorum annorum ab hac ipsa festivitate computandum, unam nobilem et pulcram statuam [1]) de ligno incorruptibili sive de marmore pro eodem [2])

1) Monimentum cum hoc conferendum et ad annum spectans MCIV. memorat Benedictus Plazza in caussa imm. concept. act. III. a. II. n. 86.

2) In eadem charta superius legimus: « Ego, qui supra, Ugo de Summo sanctae Mariae matris Cremonae de ordine cardinali preabyter primus, scholasticus et bibliothecarius provideo ordinare et iudicare, *ut ab isto festo sanctae et immaculatae conceptionis beatae Dei genitricis Mariae* in ante et in perpetuum mea terra cum casa et horto et campis et vinea et omnia superhabente, quam habere videor in loco et fundo qui dicitur Borlenga ultra Padum, sit et maneat in iure et potestate Oraculi mei iuris, quod videtur esse et est exstructum et aedificatum in loco et fundo qui dicitur Plebs octovillarum ultra Padum in finibus sanctae huius cremonensis ecclesiae et episcopatus; et insuper idem Oraculum iuris mei . . ., pro mea pietate et devotione, et pro remedio animae meae et parentum meorum bonae memoriae iam dicti Uspinelli comitis et nobilis feminae Hildegardae Pallavicinae . . ., *ab isto die festo* in ante do, dono et transfero in dominium, ius et potestatem venerabilium fratrum meorum cardinalium de ordine iam dictae ecclesiae. »

Digitized by Google

Oraculo, quae repraesentet imaginem eiusdem sanctae Mariae matris nostrae coronatae [1]) duodecim stellis, in cuius ampla superveste sint sol et luna, et sub pedibus eius habente antiquum serpentem, cui in paradiso terrestri a Deo dictum est, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Volo autem ut serpens ita sit sculptus, ut frustra virus [2]) inermis videatur vomere, et nequissimum eius caput sic beata Virgo forti pede conterat, uti decet illam quae gratia Filii ab originali labe anticipata redemptione praeservata semper fuit tam anima tam corpore integra et immaculata. Insuper ordino, ut omni anno in festivitate immaculatae conceptionis beatae Mariae matris Dei in eodem Oraculo in missa accendatur pharum, et tota die ardeant duodecim luminaria et canatur tropus. » Sequitur *tropus canendus in conceptione sancta immaculata beatae Mariae virginis matris Dei*, his verbis expressus:

» Candidissima uti lilia
» Salve aeterni patris filia.
» Salve mater redemptoris,
» Salve sponsa spiratoris.
» Sine macula concepta
» Salve Triadis electa.
» Salve inferni victrix aspidis,
» Illius expers sola cuspidis.
» Salve Triadis electa
» Sine macula concepta.

Igitur seculo XI. immaculatus Deiparae conceptus in cremonensi ecclesia ritu solemni celebrabatur. Sic vero celebrabatur, ut festum non tum primum inceperit, sed penes maiores iampridem obtinuerit. Quod enim seculo XI. primum non inceperit, ipsa ex sese chartae verba patefaciunt; quod autem iampridem obtinuerit, palam ex iis est quae Dragonius ex antiquis schedis decerpta his verbis proponit: « Inter chartas membranaceas a concive nostro Wenceslao Cavaletti possessas Mediolani, unam vidi ex qua constat comitem Uspinellum prope castrum a se possessum et iuris gentis suae ducalis in loco qui dicitur plebs octovillarum, publicum oraculum construxisse anno DCCLXXX. in honorem beatae Mariae virginis matris Dei sine labe originali conceptae. » Tum eiusdem monimenti auctoritate suffultus addit, nonnulla de immaculato Deiparae

1) Apoc. XII. 1., ad quem locum respiciens Augustinus de symb. ad catech. lib. IV. cap. I. ait: « Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat; mulierem illam virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integre integrum peperit. »

2) Haec deprompta ex illis sunt quae canit Prudentius cathemer. hymn. III. vv. 146. seqq.

Digitized by Google

conceptu scripta referri a Stephano II. cremonensi antistite, qui anno DCCCXIV. e vita decessit.

1612. Italiam excipit Anglia, e cuius monimentis perspicue assequimur, festum conceptae Deiparae ab ipsa Anselmi aetate fuisse penes Anglos frequentatum. Non ego prolixas versabo quaestiones, utrum Anselmo tribui debeant sive tractatus [1]) inscriptus *de conceptione beatae Mariae virginis*, sive epistola [2]) *de conceptione beatae Mariae*, sive demum narratio [3]) qua *miraculum de conceptione sanctae Mariae* continetur. Scio enim viros apprime sagaces [4]) in diversa atque opposita abiisse: itemque scio difficillimum esse ea in medium promere quibus et nodi omnes expediantur, et rata firmaque persuasio procreetur. Quapropter hisce omnino sepositis, duo paucis efficiam: et principio quidem adduci in controversiam non posse quae epistola Anselmo tributa referuntur: deinde vero indubitatis rationum momentis ostendi, ab ipsa Anselmi aetate penes Anglos obtinuisse ut festum conceptae Deiparae celebraretur. Et sane ut a priori capite exordiar, in epistola Anselmi nomen praeferente, commemorata gravissima maris tempestate propter quam Helsinus remessiensis monasterii abbas eiusque socii anno MLXVI. in summum vitae discrimen devenerunt, continuo [5]) subditur: «Cum de salute corporum desperati animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo commendarent, et beatissimam virginem Mariam Dei genitricem, miserorum refugium et desperatorum spem devote reclamarent; ecce subito conspiciunt quemdam admodum reverendae habitudinis [6]) virum, pontificali infula decoratum, quasi

1) Inter opp. Anselmi pagg. 499-505.

2) Ibid. pagg. 505-507.

3) Ibid. pagg. 507-508.

4) Cuiusmodi sane merito habentur Theophilus Rainaudus in P. I. opp. Anselmi, Franciscus Blanchinus in Anselmo vindicato lib. I., Gerberonius in censura opp. Anselmi quae eisdem praefixa legitur, Assemanus in Kalend. eccl. univ. T. V. pagg. 435. seqq., Benedictus XIV. de festis lib. II. cap. XV. pagg. 536. seqq., Christianus Lupus ad concil. mogunt. sub Leone IV., Martenius de antiq. eccles. discipl. in div. celebrandis officiis cap. XXX. pag. 553., Benedictus Plazza in causa de imm. concept. act. III. art. II. nn. 56. seqq. pagg. 428. seqq. et Zaccaria diss. cit. pagg. 209. seqq., qui tamen vel in opposita discedunt, vel haerent ancipites. Verum Antonius Gravois op. cit. art. III. postquam monuit Gabrieli Gerberonio et Natali Alexandro visum esse, Anselmi epistolam ipsamque revelationis historiam inscribi commentis oportere, pergit n. 52: «Sed obiectiones eorum adaequate refellere videtur Plazza, et ulterius efficacissima non desunt argumenta unam et alteram ad superabundantiam comprobantia.» Haec mox refert, institutamque disputationem absolvit inquiens n. 53: «Quibus omnibus perpensis non video quomodo in dubium verti possit memorata sancti Anselmi epistola, quidquid sit de adulterationibus aut additionibus, quae in quibusdam eiusdem epistolae exemplaribus successive fieri potuerint. Deinde, dato etiam quod haec epistola genuinus non foret sancti Anselmi fetus, habemus saltem ex recensitis documentis antiquitatem festivitatis nostrae apud Anglos, Normannos et Belgas.»

5) Inter opp. Anselmi pagg. 505-506.

6) In quibusdam codicibus additur, hunc venerabilem virum fuisse *sanctum Nicolaum*. Nemo autem praefracte neget, ex hac nullius auctoritatis accessione non inepte illorum opinionem repeti, cuius

Digitized by Google

inter medias undas navi proximum. Qui vocans ad se abbatem *(Helsinum)* his verbis coepit eum appellare. Vis, inquit, periculum maris evadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cumque cum fletu id toto corde desiderare et hoc solum expectare responderet; tunc ille: scias, inquit, me ad te a domina nostra Dei genitrice Maria directum esse ad quam dulciter reclamasti, et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis evades imminens periculum maris. Ille vero illico spondet se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo et mihi quod [1]) diem conceptionis et creationis matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis et celebrandum praedicabis. At ille, ut prudentissimus: et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum solemnizandum tenebis. Et quo, inquit abbas, Officio utemur in ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, Officium quod dicitur in eius nativitate, dicetur in conceptione; excepto quod nomen nativitatis mutabitur in nomen conceptionis. » Post quae auctor e vestigio [2]) pergit: « His dictis ille disparuit, et dicto citius sedata tempestate, abbas incolumis concito flatu applicuit littoribus anglicanis, et quae viderat et audierat quibus potuit, notificavit. Statuit autem idem festum in coenobio *(remessiensi)* celebrari, et ipse quamdiu vixit, devotis obsequiis celebravit. » Tandem adhortatione absolvit [3]) inquiens: « Et nos ergo, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis conceptionem dignis obsequiis et officiis celebrabimus, ut ab eius Filio digna mercede remuneremur.» Atqui huius facti et revelationis summa iis asseritur luculenterque vindicatur quae Gaufridus [4]) in suis chronicis anno MCLXXXIII. editis complexus est, de Guillelmo Anglorum rege scribens: « Ea tempestate triumphator ille Guillelmus Manser subiugata Anglia, probi-

Meratius meminit T. II. sect. VII. cap. II. ad VIII. Decembris diem, et qua auctor festi conceptae Deiparae Nicolaus myrensis perhibetur.

1) Ad hanc revelationem, ut quae late innotuerit, manifeste respiciunt Bernardus in epist. ad canonicos lugdunenses, Bernardi discipulus Petrus abbas cellensis epistt. lib. VI. epist. XXIII. ad Nicolaum sancti Albani in Anglia monachum, et Bonaventura in III. dist. III. a. I. q. I. A veritate igitur alienum est quod Mabillonius in notis ad citatam Bernardi epistolam, et Gerberonius in censura opp. Anselmi affirmant, epistolam eidem tributam narrationemque revelationis ea contentam recentiorem esse Bernardo.

2) Inter opp. Anselmi pag. 506. col. 1. B.

3) Ibid. pag. 506. col. 1. B-C.

4) Haec chronica ex quatuor antiquis mss. eruit et in nova bibliotheca manuscriptorum librorum vulgavit Philippus Labbeus. Recitata porro a nobis verba habentur T. II. sect. I. pag. 284. De iisdem chronicis, deque Gaufrido illorum auctore praeter Labbeum agit etiam Guillelmus Cave in hist. litter. ad annum MCLXXXIII.

Digitized by Google

tate pollebat. Hic misit [1]) in Daciam Elphinum abbatem remessiensis monasterii, cui in mare periclitanti angelus apparens diem conceptionis perpetuae virginis Mariae designavit, eumque a mortis periculo eripuit.» Cui argumento, quod ex sese decretorium est, vim roburque addunt tum codices omnino plurimi quos laudant [2]) Iohannes Bacho antiquus ex Anglia theologus, Petrus de Alva [3]), Cardinalis Baronius [4]), Theophilus Rainaudus [5]) et [6]) ipsemet Gerberonius: tum innumera prope vetusta Breviaria, eaque manuscripta et typis edita [7]), in quibus lectiones pro festo conceptae Deiparae usurpandae ex hac epistola Anselmi nomine insignita decerpuntur. Tanta enim codicum librorumque ecclesiasticorum conspiratio alterutrum persuadet, vel epistolae auctorem revera fuisse Anselmum, vel epistolam ad Anselmi aetatem pertinere. Quod postremo et his efficitur quae anno Christi MCCCXXVII. in concilio provinciali cantuariensi, praeside Simone Mephan, constituta [8]) reperimus: «Ad hoc quod inter omnes sanctos memoria beatissimae Virginis et matris Domini eo frequentius agitur atque festivius, quo maiorem gratiam apud Deum qui eius conceptionem praedestinatam ad Unigeniti sui temporalem originem et omnium salutem veraciter ordinavit, creditur invenisse ut per hoc salutis nostrae quamvis remota primordia, in quibus devotis occurritur mentibus spiritualium materia gaudiorum, devotionem in omnibus augeant et salutem; venerabilis Anselmi praedecessoris nostri post alia quaedam [9]) ipsius anti-

1) Lege *in Daniam*, et *Daciam* tribus non infrequentibus amanuensium sphalmatis.

2) Lib. III. Quodlibet q. XIV. part. II. ubi Bacho testatur eam epistolam Anselmi nomine instructam *haberi in multis locis in Anglia et Francia, et Parisiis a se inventam in abbatia sancti Victoris.*

3) In nodo indissolub. de conceptu mentis et ventris, nodo II. §. II. pag. 228. ubi ad XIV. antiqua mss. provocat.

4) In notis ad Martyrolog. rom. die VIII. Decembris, ubi hisce praemissis, *habemus rei gestae historiam in antiquo codice ms.*, infert: «Satis compertum haberi conceptionis celebritatem in Anglia primum celebrari coeptam, eidemque favisse sanctum Anselmum.»

5) In edit. opp. Anselmi, ubi epistolam refert ex antiquo codice ms. monasterii sancti Ragueberti iurensis, atque ex illo primum descriptam studio Francisci Chifletii.

6) In censura opp. Anselmi.

7) De hisce Breviariis legi possunt quae tradunt Petrus de Alva op. cit. pag. 222., scriptores ordinis seraphici in regesto authentico et universali pagg. 19. seqq. et pagg. 199. seqq., Antonius Yepez in chronico generali ordinis sancti Benedicti T. VII. centur. VII. an. Christi MCIX. et Benedictus Plazza op. cit. pag. 257. nn. 66-66.

8) Concil. magnae Britanniae et Hiberniae T. II. pag. 552. col. 2. B-C. In vet. cod. ms. in bibl. bodlei. inter cod. arch. cant. K. LXXXIV. f. 103. b., citante Spelmanno, de praesenti concilio haec habentur: «Anno Domini MCCCXXVIII. archiepiscopus cantuariensis tenuit concilium provinciale Londoniis, in quo ordinavit quod in die Parasceves, et in commemoratione Animarum ab omni servili opere cessaretur: ubi ipse et omnes episcopi praesentes excommunicarunt excommunicatos esse denunciarunt omnes illos et singulos, qui Walterum de Stapelton exoniensem episcopum occiderunt, seu in eum manus violentas iniecerunt. Item idem archiepiscopus de consensu concilii statuit, quod festum conceptionis beatae Mariae deinceps solemniter celebraretur.»

9) Supple *Mariae*, quemadmodum in nonnullis quoque codicibus habetur.

Digitized by Google

quiora solemnia, conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhaerentes statuimus et firmiter praecipiendo mandamus, quatenus festum conceptionis praedictae in cunctis ecclesiis nostrae cantuariensis provinciae festive et solemniter de cetero celebretur.» Quibus non primum festi solemnitas indicitur, sed eadem iam vigens confirmatur atque augetur.

1613. Expedito priori capite, ad alterum quod spectat, animadverto Anselmum, referente Eadmero, nonnisi anno reparatae salutis MCIX. supremum diem obiisse. At vero Matthaeus Paris rerum anglicanarum peritissimus de Gaufrido qui regnante Henrico I. anno MCXIX. creatus fuit abbas XVI. monasterii sancti Albani, sic [1]) habet: « Statuit quoque festivitatem ascensionis Domini principalem fieri, et festivitatem beati Matthaei, et conceptionem beatae Virginis, et festivitatem beatae Catharinae ob reverentiam Dei et sanctorum in cappis festive celebrari.» Quum ergo Gaufridus, vix decem elapsis annis ab Anselmi obitu, de amplificando festo conceptae Deiparae cogitarit legemque tulerit; nihil manifestius quam ipsa Anselmi aetate hoc idem festum fuisse Anglorum usu receptum.

1614. Porro quod iis usuvenit quae cum praeceptis animo sententiis consentanea, vix dum semet exserunt, latissime propagantur; festum conceptae Deiparae incredibili quadam populorum conspiratione Navarram, Galliam, Normandiam, Belgium, ac Germaniam celerrime occupavit. Et de Navarrae quidem regno nihil iis praeclarius quae [2]) in collectaneis de vita et veneratione sancti Veremundi, qui circa annum MLXXXV. fuit abbas hyrachensis [3]), memorantur. Ubi enim de illius virtutibus historia texitur, haec inter cetera [4]) referuntur: « Inter alias autem virtutes viri Dei non parum enituit mira devotio in beatam Virginem, cuius ardentissimo amore velut in extasim rapiebatur; tenera colloquia et ignitas affectuum flammas emittens coram ea imagine, quae hodie in praecipuo ac splendidissimo altari hyrachensi cernitur, ex puro argento formata et novem retro seculis celeberrima: cuius auxilium imploraturus venit rex Navarrae Sancius huius nominis primus, cum es-

1) In vitis abbatum monasterii sancti Albani, quas Matthaeus edidit anno MCCXLIII., quaeque subiectae leguntur historiae anglic. maiori, pag. 40. edit. Paris. MDCXLIV.

2) Apud Bolland. T. I. Martii pag. 795. Quae collectanea dicuntur *fideliter desumpta ex archivo ac veteribus monumentis eiusdem monasterii, ac missali et breviario antiquo Ordinis.*

3) Cf. Antonium de Yepez T. III. chron. gener. Ordinis s. Benedicti ad an. DCCCXV. pagg. 365-388.

4) In collect. cit. n. 6. pag. 796.

set in procinctu ad debellandas Sarracenorum reliquias, exturbandasque a castro de Monsardin: quod divina inspiratione aggressus beneficio eiusdem Virginis feliciter obtinuit, ac monasterio hyrachensi cum tota sancti Stephani valle donavit. Coram hac ergo imagine Veremundus devotionis igne ardebat, et non ita multo post [1]) eius obitum in eodem monasterio festivitas conceptionis immaculatae celebrata est octavo die Decembris. Nam non multo post mortem eiusdem sancti constat ex antiquissima scriptura characteribus gothicis exarata diem illum solemniter quotannis celebrari solitum in toto Navarrae regno, ac sententiam iuridicam in quadam lite huius monasterii dilatam fuisse usque ad diem Decembris nonum ob reverentiam festi conceptionis. » De Gallia lugdunensi plusquam abunde constat ex Bernardi ad lugdunenses canonicos [2]) epistola data circa annum MCXL., et cuius summa, notante Mabillonio, huc redit: *conceptionis festum novum esse, nullo niti legitimo fundamento; ceterum non fuisse instituendum inconsulta sede apostolica, cui sententiam suam subiicit.* Fatetur tamen [3]) Bernardus idem festum non a lugdunensibus primum fuisse inductum scribens: « Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam parcens devotioni quae de simplici corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes atque in famosa nobilique ecclesia, et cuius [4]) specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. » Immo neque silentio premit [5]) Helsino factam revelationem inquiens: « Sed profertur scriptum supernae, ut aiunt, revelationis. » Venio ad Normandiam, in qua eodem seculo festum conceptae Deiparae floruisse liquet [6]) ex chronico rotomagensi in quo ad annum MCXCVII. narratur, aliquot episcopos a Waltero rotomagensi archiepiscopo suspensos supplices accessisse *ad pedes eius prostratos in processione solemni, in festo conceptionis beatae Mariae virginis.* Quid vero Belgae? Diploma [7]) Balduini Flandriae et Annoniae Comitis et Marchionis namurcensis, quo novum altare in condacensi ecclesia beatae Mariae sacrum Petro apostolo erexit, his verbis concluditur:

1) Qui contigit anno MXCII.
2) Epist. CLXXIV. pagg. 169-172. opp. T. I.
3) Ibid. n. 9. pag. 172. B-C.
4) Lugdunensis namque ecclesia erat Bernardi mater *metropolitico iure*, ut ipsemet ait epist. CLXXII.
5) Loc. cit. n. 6. pag. 171. A-B.
6) Apud Philippum Labbeum T. I. biblioth. mss. sect. II. pag. 369.
7) Penes Aubertum Myreum T. I. opp. diplomatic. et historic. cap. CXXI. pag. 721. edit. Bruxell. MDCCXXIII.

Digitized by Google

« Actum in solemnitate conceptionis gloriosae virginis Mariae anno millesimo centesimo nonagesimo quinto. » Immo [1]) ex antiquis et indubiae fidei mss. ad leodiensem ecclesiam pertinentibus scimus, anno MCXLII. Alberone II. episcopo et principe leodiensi, non citra divinum instinctum supernamque revelationem factam Armenfredo cantori leodiensi, per totam dioecesim fuisse celebratam *in remedium magnorum malorum purae et immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis festivitatem pro die VIII. Decembris*. Quibus belgicis monimentis vetustius illud est quod Nicolaus alemannus bibliothecae vaticanae praefectus commentario illustravit, et em. Mai dignum censuit quod in publicam lucem ederetur. Continetur autem libello annali sive kalendario pugillari, quod ad seculum XI. revocandum videtur, et cuius secunda quintae tabellae facies referens mensem Decembrem sic [2]) habet: *VIII. conceptio beatae Mariae*. Scilicet monente [3]) Alemanno: « Conceptione Dei genitricis consueta imagine pictor exprimit. Ex hoc pugillari eos confutari vides qui a Sixti IV. tempore primam huius festivitatis institutionem repetunt. Ceterum si vera sunt, et ego quidem esse reor, quae de huiusce festi primordiis vir eximius Baronius disserit, inde pugillaris huius antiquitatem colligi posse censeo; quam ut supra etiam disputavi, infra annum Christi Domini millesimum septuagesimum eoque amplius computemus oportet. » Quod vero ad Germaniam attinet, satis superque fuerit ea animo reputasse quibus [4]) Potho prumiensis presbyter eiusdem cum Bernardo sententiae, anno MCLII. de novis institutis conquerebatur [5]) scribens: « Unde profecto liquet quantum delinquant, quantum communis vitae societatem perturbent qui extraordinaria instituta monasteriis tradunt, qui currum Domini de quo scriptum est, currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium, Dominus in eis, currum, inquam, Dei extra metam quodammodo ducunt. Hinc est quod in ordine monastico, qui honestis studiis ac laudabilibus institutis aliquando praeminebat,

1) Apud Matthiam Hauzeur T. II. collat. totius theolog. q. XV. in III. sentent. in respons. ad 10. Ubi de fide horum mss. refertur instrumentum authenticum Engelberti de Bois episcopi namurcensis.

2) Apud Mai in nova pp. biblioth. Tom. VI. pag. XXXI.

3) Ibid. pag. XLVIII.

4) Aetatem qua floruit, ipsemet declarat Potho in exemplo idiographo, cuius meminit Alexander brassicanus in epist. ad Card. Bernardum episcopum tridentinum, et in quo legimus: « Hoc anno quo mortuus est rex Conradus, hoc est, MCLII. ego F. Potho indignus presbyter prumiensium ad contemplandum decorem domus Dei mentis oculos attentius sublevans, de statu eiusdem domus Dei quantum in ipsum intellectu perspicere mihi datum fuit, secundum exemplar caelestium, praesens opusculum scribere aggressus sum. »

5) De statu domus Dei lib. III. pag. 502. col. 1. D. et col. 2. E-F. in max. pp. biblioth. T. XXI.

Digitized by Google

nostris iam diebus [1]) color optimus ecclesiasticae gravitatis mutatus esse videtur, superducto quodam fuco levitatis. Ecce enim vita monastica, quae erat columna et firmamentum religionis, in qua videlicet viguit disciplinae censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne, in ecclesiasticis officiis repentinis visa est novitatibus adquiescere, et quadam iuvenili passa est decolorari levitate. Miramur ergo satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam monasteriis mutare colorem optimum, novas quasdam inducendo celebritates. Numquid patribus [2]) doctiores aut devotiores sumus? Superba mente praesumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia praeterivit. Neque vero nos in huiusmodi aliquid invenire possumus, quod illorum quiverit diligentiam praeteriisse. Quae igitur ratio haec festa celebranda nobis indixit? Festum videlicet [3]) sanctae Trinitatis, festum transfigurationis Domini. Additur his a quibusdam quod magis absurdum videtur, festum quoque conceptionis sanctae Mariae. Nos in his omnibus devotioni fidelium minime derogamus dum rationem [4]) quaerimus, qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne forte a via recta deviantes, praesumptionis spiritu seducamur. ■

1615. Esset cur modo de incrementis dicerem, quibus festum conceptionis in dies solemnius evasit, novoque auctum splendore universas Occidentis ecclesias suo lumine collustravit. A quo tamen suscipiendo opere propterea abstineo, quod et compertissima res sit, et plurimorum [5]) diligentia studiisque ita exculta ac perfecta, ut nihil iam novi ac momenti paullo gravioris adduci posse videatur. Quare satius fuerit quae de hoc festo utriusque ecclesiae suf-

1) Haec et quae sequuntur ad illorum expressa sunt amussim, quae in epist. ad lugdunenses canonicos paullo antea Bernardus scripserat.

2) Si haec ad vivum reserentur, eo nos adigent ut non alia comprobemus ecclesiastica instituta, nisi quae ab ipsis apostolis dimanarint. Igitur non quod patribus doctiores aut devotiores simus, nova identidem instituta suscipimus; sed quod Christi corpus iugiter aedificetur, et Spiritus veritatis ac sanctitatis se iugiter prodat.

3) Profecto nemo neget, festa Trinitatis et Transfigurationis dignissima fuisse, quae semper celebrarentur. Non ergo rem ipsam improbat Potho, sed antiquitatis iusto tenacior id omne aegerrime patitur, quod canitie non albescat.

4) Non deerat ratio sive ex usu Orientis atque Occidentis repetita, sive ex numine Spiritus desumpta, quo pastores gregesque ad colendum Deiparae conceptum inflammabantur.

5) Praeter laudatos a nobis scriptores, Assemanum, Trombellium, Plazzam, Benedictum XIV., Martenium et Zaccariam, consuli insuper possunt Theophilus Rainaudus in diptychis marianis puncto II. pagg. 134. seqq. opp. T. VII. et in pietat. lugdunensi erga b. Virginem immaculate conceptam pagg. 272. seqq. opp. T. VIII., Thomas Strozzius in opere italico eoque inscripto, controversia de concept. b. virginis Mariae, lib. III. pagg. 207. seqq., Antonius Gravois op. cit. artt. III-IV. nn. 51. seqq. et in summario n. 2. pagg. 2-15., Federicius in opere italice conscripto, de immac. Virginis concept. pagg. 44. seqq. et Augustinus Pacificus ex ordine Alcantarinorum in opere de ecclesia catholica circa imm. conceptionem pagg. 54. seqq.

Digitized by Google

fragatione recepto complexi sumus, mutuo componere atque ex instituta eiusmodi comparatione inferendo colligere: I. solemnitatem conceptae Deiparae in Occidente non minus quam in Oriente seculo XII. fuisse universalem: et II. eiusdem primordia paullo videri in Oriente quam in Occidente vetustiora; quum in Oriente ad seculum quintum, in Occidente autem [1]) nonnisi ad seculum usque septimum tuto revocentur.

ARTICULUS III.

De festo conceptae Deiparae in romana ecclesia: de Leone IX: de Innocentio III: indubia promuntur testimonia quibus huius festi celebratio in romana ecclesia ante Sixtum IV. ostenditur: quae Sixtus IV. decrevit: quae Pontifices reliqui usque ad Pium V: quid Pius V., quidve insequuti Pontifices ad Alexandrum usque VII. constituerint: de Alexandro VII. ceterisque ad Benedictum usque XIV: de Benedicto XIV. eiusque successoribus ad Pium usque IX. qui romanam catholicamque ecclesiam supremus arbiter moderatur atque regit.

1616. Quamquam alienum non sit ab ea loquendi ratione quae in christianis obtinet monimentis, ut *romanae* ecclesiae appellatione ipsa *catholica* ecclesia qua latissime patet, significetur; nihil tamen impedit quominus eadem appellatione pressius adhibita non alia exprimatur ecclesia, nisi quae proprie *romana* audit, certisque finibus certaque dioecesi continetur. Hac igitur significandi potestate selecta, de romana particulari ecclesia quaerimus tum quo primum tempore festum conceptae Deiparae in ea fuerit celebratum, tum

1) Sikardus qui cremonensi ecclesiae praefuit seculo XII. labente et XIII. ineunte, in Mitrali sive tractatu de ecclesiasticis officiis, libro postremo qui est de festis, ad conceptionem quod attinet, haec scribit: «Conceptionem beatae Virginis quidam aliquando celebraverunt, et forte adhuc aliqui celebrant, ob revelationem cuidam abbati in naufragio factam. Sed non est authentica: immo videtur aliquibus prohibenda, dicentibus quod fuerit in peccato concepta.» Atqui vix horum quidquam est, quod probari ferrique possit. Ferri enim probarique non potest, quod origo celebrati in Occidente Deiparae conceptus ad revelationem Helsino factam seculo XI. revocetur. Ferri deinde probarique non potest, quod *quidam aliquando* festum conceptionis celebrasse dicantur. Seculis enim XI. et XII. festum conceptionis plerasque omnes Occidentis ecclesias occupasse monimentis numero plurimis iisque indubitatis comprobatur. Ad quorum censum una cum aliis spectant hymni et officia seculo XII. frequentata et cl. Mone studio edita T. II. pagg. 7-12-18-20. Neque vero ferri probarique potest quod de seculo XIII. Sikardus ait, *et forte adhuc aliqui celebrant*. Hoc enim seculo vulgatissimum fuit conceptionis festum ac prope universale. Tandem non sine commentario accipi ea possunt quibus affirmat, non defuisse qui festum conceptionis prohibendum arbitrarentur, quod Deiparam in peccato conceptam existimarent. Hos enim nonnisi paucissimos fuisse constat, et solemni ecclesiarum ritu factoque abunde profligatos.

quae de hoc festo eiusdem praesules supremique pastorum pastores censuerint dictisque legibus sanxerint. Itaque vir eruditus [1]) Christianus Lupus de decretis sermonem habens in moguntina synodo [2]) anno MXLIX. promulgatis, inter cetera scribit: « Aliud huius synodi decretum habemus in magno Belgii chronico. *Synodus Moguntiae generalis celebratur in praesentia sancti Leonis papae et Henrici imperatoris, in qua inter alia instituitur festum conceptionis beatae Mariae virginis.* » Tum historia festi paucis enarrata [3]) subdit: « Porro ad cuius preces vel ob quas rationes Leo IX. hoc festum instituerit, ignoramus. »

1617. Non displicuit [4]) Federicio Lupi sententia, illamque [5]) ab Assemani difficultatibus pro virili defendit. Sed ne huiusmodi narrationi confidentius quam par sit, assensionem adiungamus, praeter alia faciunt quod de instituto conceptionis festo ne apex quidem occurrat sive in magno Belgii chronico [6]) quod editum exstat inter scriptores rerum germanicarum, sive in chronico [7]) rerum belgicarum curis vulgato Hauberti Miraei, sive, quod multo est gravius, penes [8]) Hermannum contractum, Adamum bremensem et Wibertum, cui vitam sancti Leonis debemus. Quare hisce in medium relictis, gradum ad illa facimus quae de Innocentio III. referuntur. Carolus du Plessis D'Argentrè adductis verbis quibus [9]) epistolam ad lugdunenses canonicos Bernardus absolvit: *quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis Romanae praesertim ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera quae eiusmodi sunt, universa reservo; ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare;* continuo [10]) pergit: « Sed apostolica sedes festivitatem conceptionis beatae Virginis in ecclesiis Hispaniae tum Angliae et alibi celebratam non improbavit, quin immo paullo post sub Innocentio papa III. in omnibus dioecesibus Galliarum concordissime celebratus est hic festus dies de mandato

1) In notis ad sancti Leonis IX. concilium moguntinum pag. 232. opp. T. IV.

2) De hac synodo vide quae traduntur T. XXI. concil. pagg. 749-750.

3) Ibidem pag. 234.

4) In op. de imm. Virginis concept. pagg. 44-46.

5) Kalend. eccles. univ. T. V. pagg. 438-439.

6) T. III. scriptt. rerum germanic. pag. 108.

7) Ad an. MXLIX.

8) Cf. loc. cit. ex T. XXI. concil. et Francisci Pagii vitam Leonis IX. §. XIV. pag. 618. Quum vero Adam bremensis lib. III. cap. XXXI. acta huius synodi prolixius enarrans, post alia scribat: *et tunc maius altare tribunalis dedicatum est in honorem genitricis Dei;* animum coniectura subiit, fieri potuisse ut ex his, insequenti aetate, historia de festo conceptae Deiparae exsculperetur.

9) Epist. CLXXIV. n. 9. pag. 172. C. opp. T. I.

10) Collect. iudicior. de novis erroribus T. I. P. I. pag. 30.

Digitized by Google

sedis apostolicae, ut in quodam decreto gallicanae ecclesiae [1]) fertur. Tandemque Romae eadem festivitas instituta fuit, postquam a multis pontificibus iam approbata esset. Hoc pacto sententia plurium ecclesiarum de immaculata conceptione beatae Virginis victrix fuit. Ista enim festivitas a sancta conceptione separari non potest, nec sancta conceptio cum originali peccato revera contracto coniungi, ut s. Bernardus docet. Universitas studii parisiensis iudicio lugdunensis ecclesiae et tot aliarum conceptionem beatae Virginis ut sanctam et immaculatam celebrantium, semper adhaesit.» Minus firma visa haec sunt Mabillonio, qui [2]) propterea memoratis Bernardo, Petro cellensi et Pothone prumiensi qui festo conceptae Deiparae seculo XII. obstiterunt, subdit: « Idem seculo sequenti improbant Iohannes Belethus [3]) et [4]) Guillelmus Durandus mimatensis. Unde suspectum redditur ecclesiae gallicanae decretum apud Bochellum relatum in tit. IX. cap. XII. quo *conceptio beatae Mariae de mandato sedis apostolicae* celebrata dicitur tempore Innocentii III. Sed tandem ubivis recepta est seculo XV. auctoritate concilii basileensis et Sixti IV. Apud Praemonstratenses [5]) anno MCCCV. et [6]) apud Carthusienses sub Francisco de Puteo seculo XVI. ineunte.» His autem nemo facile adquiescat, quum Bochellus et Du Plessis non ii fuerint qui commenticia decreta venarentur, et quum [7]) maurini auctores Galliae christianae ex vetustis chartis remensis ecclesiae, nullo edito dubitationis indicio, scripserint: « Eodem anno MCCXV. quum pronunciatum esset a legatis apostolicis conceptionem beatae Mariae celebrandam esse de mandato summi Pontificis, dies illa solemni ritu peracta est in ecclesia remensi. »

1618. Ceterum testimonia suppetunt luculenta, quibus festum conceptae Deiparae ante Sixtum IV. a romanis Pontificibus atque in ipsa romana ecclesia celebratum demonstretur. Eiusmodi namque sunt quae Bartholomaeus tridentinus [8]) scribit: « Conceptio matris

1) Apud Bochellum tit. IX. cap. XIII.

2) In notis ad epist. CLXXIV. pag. LXII.

3) De div. offic. cap. CXLVI.

4) De div. offic. lib. VII. cap. VII.

5) T. III. Metropolis salisburg. pag. 45.

6) Compilat. III. statutorum.

7) Galliae christ. T. IX. pag. 106. C. Ab re non fuerit ea consuluisse quae scribit Gravois in opere *de ortu et progressu cultus ac festi immaculati conceptus beatae Mariae virginis* art. IV. n. 5. quaeque eodem spectantia habet Plazza op. cit. act. III. art. II. n. 93. pag. 256. Ipse etiam Iohannes Marlot in hist. eccles. rhemensis T. II. lib. III. cap. XXIII. pag. 482. huic monimento suffragatur, eidemque conciliare fidem possunt quae Michael Alford T. IV. annal. britann. ad an. MCXXIX. n. 4. hisce praemissis, *in synodo omnium episcoporum sententia decernitur, Deiparae virginis conceptionem solemni festo per universum Angliae regnum celebrandam esse*, continuo subdit: *episcoporum legem a romano pontifice confirmatam fuisse.*

8) Floruit Bartholomaeus tridentinus circa an-

Digitized by Google

Dei a plerisque solemniter celebratur, sicut ipse, praesente romana curia nec inhibente, in cathedrali ecclesia Anagniae fieri vidi.» Eiusmodi quae tradit [1]) Bartholomaeus brixiensis: «Quod ecclesia facit solemne festum in die conceptionis beatae Virginis, et quod ipse in tali die celebravit solemniter in cappella summi Pontificis in praesentia eius et Cardinalium et aliorum Praelatorum.» Eiusmodi duo antiqui [2]) mss. sermones, quorum primus ad calcem sic habet: «Sermo de conceptione beatae Mariae virginis coram D. Papa.» Alterius vero exordium hoc est: «Conceptionis beatae Virginis festum, ut dicit Anselmus, pro tempore fuit [3]) abolitum propter quosdam prudentiae propriae innitentes, sapere nescientes ad sobrietatem, nunc autem propter devotionem simplicium ac sobrie ad honorem Virginis gloriosae sentientium, festum istud solemniter a D. Papa et Cardinalibus s. r. ecclesiae multisque aliis ecclesiis, et praecipue [4]) a Fratribus minoribus tamquam devotis ecclesiae filiis celebratur.» Eiusmodi quae litteris consignata reperimus [5]) in veteri

num MCCXXX., quae autem ex eo desumpsimus, habentur *in prolegom. ad lib. epilogorum in gesta sanctorum*, quemadmodum ex cod. barberin. MMLXI. liquet. Refert Antonius Gravois op. cit. art. IV. n. 57. «Pagina prima Breviarii franciscanorum notari, quod Breviarium pro ipsis a Gregorio IX. anno MCCXLI. approbatum, *officiisque conceptionis beatae Mariae virginis et aliorum sanctorum a sancto Bonaventura subinde auctum, adeo sedi apostolicae placuit, ut testantibus Radulpho tungrensi, Palmerio, Gavanto et Cardinali Bona cum innumeris aliis sacris scriptoribus, a Nicolao III. pro ipsa romana ecclesia susceptum fuerit.*» Tum pergit: «Sufficiat pro nunc auctoritatem afferre Radulphi tungrensis, qui de can. observ. propos. XXII. ait: *sciendum tamen, quod Nicolaus Papa III. fecit in ecclesiis Urbis amoveri antiphonarios, gradualia, missalia et alios libros officii antiquos quinquaginta, et mandavit ut de cetero ecclesiae Urbis uterentur libris et breviariis Fratrum minorum. Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi et franciscani.* Cum autem Nicolaus III. anno MCCLXXVII. ad pontificatum assumptus fuerit, et e vivis anno MCCLXXX. abierit; sequitur quod in illo temporis intervallo, videlicet ab anno MCCLXXVII. ad annum MCCLXXX. sancta romana ecclesia conceptionis officium recitare coeperit, prout iam multorum annorum spatio ipsa romana curia a pluribus solemniter fieri absque ulla prorsus repugnantia audierat et viderat.» Profecto in veteri Kalendario quod illius editor Emmanuel de Azevedo scriptum putat *vel in fine seculi XII. vel ineunte seculo XIII.*, quodque praefixum invenit antiquo missali romano monastico lateranensi exarato seculo XI. labente, quamquam recentiore manu notatum legimus, *VI. idus Decembris, conceptio beatae Mariae.*

1) Si Possevino credimus, claruit Bartholomaeus brixiensis anno MCCXL. Eiusdem verba retulit Bernardinus de Bustis P. II. v. Festum.

2) Servati dudum fuerunt in biblioth. colonienși canonic. regular. s. Crucis, et omnino ad initia pertinent seculi XIV.

3) Decerpta haec sunt ex tractatu Anselmi nomen praeferente et inscripto *de conceptione beatae Mariae virginis.*

4) Apud Wadingum in annalibus Minorum ad annum Christi MCCLXIII. de pisanis totius ordinis comitiis, quibus Bonaventura praefuit, legimus: «Iussum item est, ut novae hae festivitates admitterentur in ordine, videlicet conceptionis beatae virginis Mariae, Visitationis, etc.» Quid autem Bonaventura senserit de mysterio conceptae Deiparae, sin minus ex III. dist. III. a. 1. q. II., liquido certe constat ex postremis eiusdem operibus, atque ex hisce nominatim quae docet serm. II. de b. Virgine pag. 389. col. 2. opp. T. III. «Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservativa contra foeditatem originalis culpae, quam contraxisset ex corruptione naturae, nisi speciali gratia praeventa praeservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa mater eius Virgo. Credendum est enim quod novo sanctificationis genere in eius conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a peccato originali, non quod infuit sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia praeservavit.»

5) Ad medium usque elapsum seculum custodiebatur in gandavensi Benedictinorum bibliotheca.

Digitized by Google

ms. de contentione, qua [1]) coram Iohanne XXII. disputatum acriter fuit de conceptu Virginis, aliis usurpantibus Apostoli verba, *in quo omnes peccaverunt*, et aliis contra opponentibus Gabrielis salutationem, *ave gratia plena*. His enim narratio concluditur: «Tandem Papa divina illustratus gratia, omnes, inquit, fatemur cum Gabriele Mariam plenam gratia. Cum ergo gratiae sint ampliandae secundum leges et canones, Mariam sine originali peccato assero conceptam, et eius festum conceptionis iudico esse celebrandum. Unde et ab illo tempore, ut a maioribus traditur, curia D. Papae ac per consequens universalis ecclesia festum gloriosae conceptionis devote celebrat.» Accedit suffragium [2]) Iohannis Paleoxidori, qui nescio quam prolatam a se sententiam confirmat «Per D. Richardum Rodulphum armacanum, qui fuit primas Hiberniae, in quodam sermone qui incipit *ave Maria*, quem praedicavit coram venerabili coetu Cardinalium in conceptione Virginis gloriosae in conventu Carmelitarum avenionensi.» En autem quae de huius sermonis aetate scribit [3]) Thomas Waldensis: «Armachanus in sermone de conceptione quem praedicavit [4]) anno Domini MCCCXLII. in conventu Carmelitarum Avenione, et habet exordium *ave Maria*.» Accedunt Iohannes Baco, Iohannes ab Hildesheim et Franciscus Martinius, quorum primus [5]) ait: «Publica et diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in curia romana etiam cum venerabili congregatione DD. Cardinalium, cum solemni missa et sermone in domo fratrum ordinis beatae Mariae de monte carmelo: et haec duraverunt tempore multorum romanorum Pontificum usque in praesens tempus. Et constat quod tamquam diuturnam et notoriam solemnizationem, ipsis in Curia praesentibus, servatam bene noverunt domini nostri summi Pontifices et sedes apostolica: et per consequens haec est sancta et catholica religio.» Alter [6]) scribit: «Reverendissimi domini Cardinales a multis temporibus consueverunt in romana curia visitare conventum nostrum in festo conceptionis gloriosae Virginis, venerantes in hoc patronam Ordinis.» Postremus vero [7]) sic habet: «Ecclesia hoc festum permittit

1) Praefuit Iohannes XXII. romanae cathedrae ab anno MCCCXVI. ad MCCCXXXIV. Factum cum his consonum, eodem Iohanne pontifice, narrat Iacobus episcopus valentinus in *Magnificat* lit. N. pag. 445.

2) De antiquit. et sanctit. erem. carmelit. lib. I. cap. I.

3) Tom. III. Sacrament. cap. LXXXIX.

4) Hoc ipso anno creatus fuit Pontifex Clemens VI.

5) In IV. sent. dist. II. q. IV. a. II.

6) In libro cui titulus *de principio ordinis Carmelitarum* cap. XIV.

7) In op. de imm. concept. tract. V. pag. 55.

Digitized by Google

imo facit in curia romana, in qua in die conceptionis beatae Mariae fit festum et colitur cum sermone, ad quod conveniunt domini Cardinales. » Et [1]) rursum: « Omni anno domini Cardinales qui sunt quasi principaliores in ecclesia, et Praelati praesentes in curia romana Avenione residentes veniunt ad sermonem qui fit clero in ecclesia fratrum beatae Mariae virginis Dei genitricis de monte carmelo; et pro isto a summo Pontifice dantur omnibus venientibus ad dictam ecclesiam magnae indulgentiae. Et hoc festum colitur et solemnizatur a summo Pontifice et a dominis Cardinalibus, et in eorum cappellis fit officium de festo conceptionis. » Quibus [2]) addit: « Est de more quod ubicumque sit Papa, celebretur hoc festum virginis Mariae, et tunc cessatur ab operibus servilibus, quamquam hoc festum non ponatur [3]) in canone. Et ut magis publicetur devotio populi, in hac solemnitate dominus Papa dat indulgentias. » Ac [4]) postremo: « Ecclesia non solum permittit festum fieri a laicis conceptionis beatae Mariae virginis passivae, imo ipsa et potiores ecclesiae festum faciunt et praedicant fieri: eam colunt et celebrant Papa et domini Cardinales, et officium celebrant, horas et missas in eorum cappellis, et in Kalendariis communibus omnium ecclesiarum hoc festum notatur: et tamen omnes ecclesiae sunt una ecclesia romana, quae si non bene facerent, erraret romana ecclesia. » Quamdiu ergo romani Pontifices miserrimo christiani nominis fato Avenione fuerunt, hoc est ab anno MCCCV. ad annum usque MCCCLXXV., tamdiu festum conceptae Deiparae et ipsi celebrarunt, et eximio pietatis studio operam dederunt ut ab omnibus celebraretur. Hinc verba [5]) Christophori Silvestrani: « Quando sedes pontificia Avenione tenebatur, summus Pontifex cum Cardinalibus in die conceptionis sermonem in laudem Virginis audiebat a Carmelitis, missamque maximo apparatu, ut dicit Iohannes Bachonius, celebrabat. » Hinc quod [6]) Thomas argentinensis medio seculo XIV. scripsit: « Romana ecclesia festum conceptionis Virginis gloriosae solet solemniter celebrare. » Hinc quod anno MCCCLXXXVII. parisiensis universitas [7]) testata est: « Constat quod romana ecclesia

1) Ibid. pag. 93.
2) Ibid. pag. 138.
3) In albo videlicet eorum festorum, quae auctoritate ecclesiae celebranda praecipiuntur. Primus enim Clemens XI. hunc honorem festo conceptionis deferendum sanxit.
4) Loc. cit. pag. 142.
5) In III. sent. lect. XV.
6) In III. dist. III. q. I. a. I.
7) In censura propositionum Francisci Iohannis de Montesono.

Digitized by Google

permittit dicere Mariam sine originali labe conceptam, imo etiam de eius conceptione solemnizat.» Atque hinc quae [1]) Egidius Bellemerius avenionensis antistes eadem aetate luculentissime monuit inquiens: «Circa vero secundam quaestionem scias, quod ego ipse festum huiusmodi solemnizo, et vidi apud apostolicam sedem per Cardinales, Praelatos et alios, ac per omnes ecclesias etiam Mendicantium, praeterquam fratrum Praedicatorum, sciente ac permittente romano Pontifice celebrari; et intelligo quod per totam Christianitatem celebratur. Ideo dicere quod celebrari non debeat, valde praesumptuosum iudicarem; cum parem auctoritatem habeant generales ecclesiae constitutiones [2]) sicut canonicae sanctiones. Vix enim aestimare possem quod tota ecclesia, vel quasi, circa divinum officium sic deciperetur, cum a Spiritu sancto regatur.»

1619. Neque vero arbitror futuros qui putent, Pontifices Romam maximo bono reversos a festo conceptae Deiparae abstinuisse. Quod enim illud porro celebrarint, manifestum ex iis est quae [3]) Carmelitarum annales testantur. Manifestum [4]) ex antiquo Martyrologio, quod exaratum anno MCDIII. ad diem VIII. Decembris ita habet: «Conceptio sanctae Dei genitricis Mariae, quam venerabiliter ecclesia romana solemnizat.» Manifestum [5]) ex Bartholomaeo Spina, qui de hoc festo deque [6]) Alexandro V. scribit: «Quia praefatus Pontifex Alexander favebat ut doctor praefatae [7]) opinioni adversae, potuit in curia eius nominati postmodum Pontificis festum celebrari eiusdem gratia, et ex tunc in curia etiam romana festum hoc solemnizari coepit.» Sed longe ex iis manifestius quae Iohannes segobiensis anno MCDXXXVI. basileensi synodo proposuit [8]) inquiens: «Constat apud Sedem apostolicam in curia romana annuatim huiusmodi festum conceptionis VI. idus Decembris celebrari, atque ad idem festum de communi consensu convenire principaliter Cardinales, Praelatos et alios fere omnes de curia maiores. Inter festa palatii, videlicet Christi resurrectionis, ascensionis, pentecostes, Iohannis baptistae, apostolorum Petri et Pauli, assumptionis,

1) In cap. Conquest. de feriis.

2) XI. dist. cap. Ecclesiasticarum. cap. In his et cap. Catholica.

3) Cf. annales Carmelitarum ad an. MCCCXCIII-MCDXXV-MCDXXX-MCDXLVII.

4) Apud Budriolium in op. de pontificia cappella in festo imm. conceptionis pagg. 8-9.

5) De universali corruptione generis humani P. V. cap. IX.

6) Qui Pontifex renunciatus fuit anno MCDIX.

7) Opinionem significat, qua originis peccatum a Deipara contractum negabatur, quamque ipsemet acerbissime impetebat.

8) Allegat. I. pro imm. concept. ad concil. basil. an. MCDXXXVI.

Digitized by Google

nativitatis Virginis annumeratur in eodem kalendario hoc festum conceptionis: nec illo die tenetur audientia aut cancellaria, nec aperiuntur registra, et hoc quidem tam manifestum et publicum est, ut nullus ignoret curialis. Ex hoc satis evidenter inferri posset, quod ad neminem plus quam ad sedem apostolicam, quae hactenus numquam creditur restitisse, immo etiam hanc annumeravit inter alias maiores anni celebritates, pertineret hanc piam sententiam de omnimoda puritate sanctae Virginis defensare. » Et [1]) denuo: « Ad hoc quod allegabant celebrari non debere, eo quod romana ecclesia non celebraret; iam tamen a tanto tempore cuius initii memoria hominum non est, in contrarium hanc festivitatem ecclesia romana celebrat VI. idus decembris. Quo die reverendissimi illustrissimique domini Cardinales, et fere tota curia romana, ubicumque fuerit, convenit si in eo loco sit ad ecclesiam conventus ordinis sanctae Mariae Carmelitarum, celebraturque in praesentia eorum, ut communiter, missa solemniter per aliquem episcopum, et fit sermo ad clerum laudando et magnificando mysterium sanctae conceptionis, quod in gratia et sine ulla macula originalis peccati fuerit, probando prout Deus dederit, auctoritatibus sacrae Scripturae, sanctorum doctorum et rationibus: item referendo quamplurima miracula frequenter a Deo facta ob devotionem quam habent fideles ad hanc festivitatem. Haec etiam celebritas annumerata est inter maiores solemnitates totius anni, cessantque eo die in curia romana officia publica, quemadmodum in aliis quae vocantur festa palatii. » Praeteriri autem nullatenus debent quae basileensis synodus [2]) his verbis complexa est: « Renovantes praeterea institutionem de celebranda sancta eius conceptione, quae tam per *romanam* quam per alias ecclesias sexto idus Decembris *antiqua* et *laudabili consuetudine* celebratur, statuimus et ordinamus eamdem celebritatem praefata die in omnibus ecclesiis, monasteriis et conventibus christianae religionis sub nomine conceptionis festivis laudibus colendam esse. » Quamobrem diu antequam de festo conceptae Deiparae Sixtus IV. quidquam decerneret, illud cum aliarum ecclesiarum, tum ipsius romanae ecclesiae consuetudine usuque solemni frequentabatur.

1) Avisament. VII.

2) In decreto quod tulit anno MCDXXXIX., et quo non tam *instituit* quam *renovavit* festum conceptionis per romanam perque alias ecclesias celebratum.

Digitized by Google

1620. At vero quod ad annum usque MCDLXXVI. usu et consuetudine [1]) nitebatur ac vigebat, id voluit Sixtus IV. ut lege deinceps ratum foret, tutum ac solemne. Voluit ut lege ratum foret, edita [2]) constitutione, qua eximiis Deiparae ornamentis uti par erat celebratis, e vestigio subdit: « Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate apostolica hac in perpetuum valitura constitutione statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli christifideles utriusque sexus qui missam et officium conceptionis eiusdem Virginis gloriosae iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis clerici veronensis notarii nostri [3]), et quae desuper a nobis emanavit, Missae et Officii huiusmodi institutionem in die festivitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariae et per octavas eius devote celebraverint et dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eamdem prorsus indulgentiam [4]) et peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta felicis recordationis Urbani IV. in concilio viennensi approbatas, ac Martini V. et aliorum romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi qui Missam et horas canonicas in festo corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis et per illius octavas iuxta romanae ecclesiae constitutionem celebrant, dicunt, aut Missae, Officio et horis huiusmodi intersunt; praesentibus perpetuis temporibus valituris. » Tum voluit ut tutum id foret atque securum, proindeque tribus relatis [5]) propositionibus I. *omnes il-*

1) Hoc in votis fuerat seculo XII. Petro cellensi, qui propterea in litteris ad Nicolaum s. Albani monachum datis scribebat epistt. lib. VI. epist. XXIII. « Utinam salva veritatis auctoritate, lance communis consilii, haec domina et moderatrix totius orbis christiani conceptionem Virginis librasset et approbasset, a mari usque ad mare hanc propagasset, sole, idest Apostolico, et luna, idest curia romana praeeunte. » Et seculo XIV. in votis fuerat Iohanni Baconio qui affirmare non dubitavit in IV. dist. II. q. IV. a. II. « Gratissimum fore Deo, et sacrosanctae romanae ecclesiae laudabili consuetudini consonum, hoc festum generaliter statuere per totam ecclesiam celebrandum. »

2) Constit. edita III. kal. Martii an. MCDLXXVI. *Cum praecelsa.*

3) Antonius Gravois in op. de ortu et progressu cultus ac festi imm. conceptionis art. VI. et in regesto documentorum nn. 6-7. memorat plusquam triginta editiones Breviariorum, et plusquam quinquaginta editiones Missalium romanorum quae a Sixto IV. ad Pium V. fuerunt evulgatae, quaeque continebant tam Officium *sicut Illium*, quam Missam *Egredimini*. Eadem ac Nogarolius mente aliud conceptionis officium elucubravit Bernardinus de Bustis, obtinuitque ut anno MCDLXXX. a Sixto IV. his datis litteris adprobaretur: « Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Libenter ad ea concedenda inducimur, quae devotionis respiciunt incrementum. Tuis igitur in hac parte supplicationibus inclinati, ut officium conceptionis beatae virginis Mariae per te compilatum et ordinatum, tu et omnes qui id voluerint, pro devotione sua dicere et recitare libere et licite possitis et valeatis, seu possint ac valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus. »

4) De aliis subinde indulgentiis a Sixto erogatis testatur Iodocus Clictoveus de purit. concept. beatae Mariae virginis lib. I. cap. XVI.

5) In constitut. edita anno MCDLXXXII.

Digitized by Google

los qui tenent et affirmant gloriosam Dei genitricem Mariam absque peccati originalis macula fuisse conceptam, haereticos esse: II. *ipsam romanam ecclesiam solam spiritualem conceptionem seu sanctificationem eiusdem virginis Mariae celebrare: et* III. *immaculatae conceptionis Officium celebrantes, audientesque sermones illorum qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter*, de iisdem sic [1]) decrevit: « Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus et perversis, a veritate penitus alienis assertionibus et scandalis quae exinde in Dei ecclesia exoriri possent, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes; motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, huiusmodi assertiones praedicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet qui affirmare praesumerent, eamdem sanctam romanam ecclesiam de spirituali dumtaxat conceptione et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare, et eos qui crederent et tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore; utpote falsas et erroneas ac a veritate alienas, editosque desuper [2]) libros praedictos id continentes auctoritate apostolica praesentium tenore reprobamus et damnamus. » Et [3]) rursum, eodem praemisso exordio, pergit: « Huiusmodi assertiones praedicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet qui

Grave nimis. De qua constitutione dubitari non posse, prae ceteris accurate ostendunt Strozzius in controversia de conceptione historice descripta lib. VII. cap. VII. et Plazza op. cit. act. V. a. II. pag. 394.

1) Illarum princeps auctor ac vindex perhibetur Vincentius Bandellus in opere edito anno MCDLXXXI. et inscripto, *Tractatus de singulari puritate et praerogativa conceptionis Christi.* Cf. Iacobum Echardum de script. ord. praedicat. T. II. pag. 2.

2) Paulus V., referente Luca Wadingo in descript. legat. Philippi III. et IV. ad eumdem Paulum et successorem Gregorium XV. pag. 148., episcopo carthaginiensi Catholici oratori quum ab ipso postularet ut Bandelli libros proscriptos ediceret, respondit: « Satis superque prohibitos esse per constitutionem Sixti, *Grave nimis*, propter hos libellos factam, nec ulteriori nec celebriori indigere condemnatione. »

3) In constitut. edita pridie nonas Septembris an. MCDLXXXIII. *Grave nimis.* Tam haec constitutio quam prior habetur inter extravagantes lib. III. de reliq. et ven. sanct. cap. II., et utraque ab Alexandro VI. die XXII. Februarii MDII. *in forma* quam dicunt *specifica* confirmata fuit. « Pares quidem poenas, *scribit Gravois op. cit. art. VI. n.* 78., in unius alteriusve opinionis censores infligit summus pontifex, sed causa et ratione longe diversa. Prohibet enim asserere *conceptionis maculatae* sententiam tenentes *haeresis crimen vel peccatum mortale* incurrere, sed praecise et unice ex eo *quod id nondum sit a romana ecclesia et apostolica sede decisum.* Similiter vetat easdem propositiones contra *immaculatae conceptionis* patronos asserere, quia scilicet *falsas, erroneas et a veritate penitus alienas* eas esse, auctoritate apostolica iam definivit. Utrique igitur parti commune est non posse contrariae sententiae fautores haereseos vel peccati mortalis arguere, utrique parti commune si hoc facerent, excommunicationis poenam incurrere; sed piae sententiae defensores hanc poenam incurrerent iudicium ecclesiae et sanctae sedis immerito praevenire volentes, quae *id nondum decidere voluit nec decidit*, alii vero e contra eamdem incurrerent excommunicationis poenam eo quod *propositionem falsam, erroneam et a veritate penitus alienam et ut talem* a sancta sede expresse *iam condemnatam* pronunciarent et affirmarent. » Huc autem facit similis omnino sententia, quam graviter inculcat Iodocus Clicthoveus de purit. concept. lib. I. cap. XVI.

Digitized by Google

affirmare praesumerent, eos qui crederent aut tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore vel mortaliter peccare, aut huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere; utpote falsas et erroneas et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continentes, quoad hoc, auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus et damnamus. » Voluit postremo ut festum conceptae Deiparae esset solemne, atque hac instinctus mente singularem Missam, propriumque Officium instituit et comprobavit, amplissimaque indulgentiarum erogatione christifideles incendit, ut quo impensius possent, conceptam Deiparam religioso cultu prosequerentur. Nihil ergo mirum quod Bernardinus de Bustis [1]) Sixto IV. his omnino verbis gratularetur:

» Non fuit antistes, pater o sanctissime, quisquam,
Sed neque venturis forte diebus erit,
» Te magis intactae praeconia Virginis optans,
Et laudes ardens magnificare suas:
» Namque sui totum conceptus fama per orbem
Panditur officio, Sixte beate, tuo.
» Laudatur patrio numquam foedata cruore,
Cerbereo numquam subiacuisse iugo.
» Undique mellifluo fertur super aethera cantu,
Laetantes videas sic resonare choros.

1621. Hisce ad Sixtum IV. pertinentibus et iampridem exploratis duo succedunt quae nos primi edimus, quaeque ad historiam festi de immaculato Deiparae conceptu illustrandam non minimum conferre posse videntur. Et principio [2]) quidem succedit inscriptio in plumbea lamina exarata, quaeque anno MDLXXVII. reperta in mensa altaris quo insignis erat capella persolvendis officiis in vaticana basilica destinata, in capitulari eiusdem basilicae archivio custoditur. Inscriptio autem his omnino verbis continetur: « Anno christianae salutis nono et septuagesimo supra mille et quadrigentos sexto idus Decembr. in conceptionis beatae Mariae virginis celebritate Sixti quarti pontificis maximi iussu hanc capellam, quam opere sumptuoso erexerat, magnifice dotaverat in honorem eius-

1) In Mariali P.I.post serm.IX.de conceptione.
2) Utrumque monimentum in acceptis referimus eruditae diligentiae praesulis amplissimi Iosephi Angelini, cui nos impense obstrictos profitemur.

Digitized by Google

dem Dei genitricis et sanctorum Christi confessorum Francisci et Antonii de Padua, reverendus Petrus Guillelmus archiepiscopus salernitanus, suae Sanctitatis referendarius dedicavit ac consecravit, et in hoc altare reliquias sanctorum infrascriptas recondidit: = De velo b. Virginis Mariae. De spatula sancti Stephani protomartyris. De costa sancti Laurentii martyris. De spina sancti Sixti papae et martyris. De costa sancti Sebastiani martyris. De sanguine qui fluxit ex latere beati Francisci stigmatizati. De capillis, de cilicio, de tunica, de habitu eiusdem, in quo mortuus est. De cute capitis sancti Antonii de Padua: = in capsa argentea nielata cum beatae Virginis, sanctorum Francisci et Antonii ex uno et alio lateribus Petri et Pauli apostolorum imaginibus ac armis eiusdem pontificis. Concessit praeterea idem pontifex indulgentiam plenariam omnibus visitantibus hanc capellam a primis vesperis usque in totum diem conceptionis beatae Mariae et festivitatum sanctorum Francisci et Antonii praedictorum, prohibuitque ne qua mulier possit aliquando intrare capellam ipsam nisi in festivitatibus praedictis et die anniversarii sui obitus sub poena excommunicationis. Pontificatus eiusdem anno nono. » Ad quem annum aliud refertur quod polliciti sumus monimentum, constitutio videlicet [1]) nondum edita Sixti IV., qua ea decrevit praecepitque quae in plumbea lamina paucis comprehensa audivimus. Dignam porro eiusmodi constitutionem censuimus quam totidem descriptam verbis legendam proponeremus. Sic igitur habet.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui a Domino in terris collata est ligandi potestas atque solvendi, ad excitandam devotionem fidelium suae curae commissorum nonnumquam Ecclesias, Capellas, ac alia loca in honorem sanctorum tam olim, quam etiam novissime dedicata indulgentiarum muneribus ornat; ut fideles ipsi sanctorum eorumdem recolentes memoriam et Ecclesias, Capellas ac loca ipsa pro consequendis peccatorum remissionibus visitantes, quod alias suis meritis non valerent impetrare, apud Deum illorum intercessioni-

1) Ex Bullar. vatic. T. II. pag. 205.

Digitized by Google

bus facilius consequi mereantur. Sane postquam reparationi, restaurationi et constructioni multarum almae Urbis Ecclesiarum intenderamus, considerantes tandem extremae peregrinationis nostrae diem, cogitavimus apud Basilicam Principis Apostolorum de eadem Urbe, ad quam specialem gerimus devotionis affectum, nostram eligere sepulturam, ac ob id extra, et iuxta ipsius Basilicae dexterum parietem amplam Capellam cum Altari construi et aedificari fecimus pro divinis officiis inibi ad laudem divini nominis honorifice et devote persolvendis. Nos igitur, qui ad gloriosam Domini Nostri Iesu Christi genitricem Virginem Mariam ac Sanctum Franciscum et sanctum Antonium de Padua, quorum meritis et intercessione Altissimus nos ex ordine fratrum Minorum, qui ab eodem sancto Francisco sumpsit exordium, et in quo a teneris annis iuxta illius regularia instituta vitam duximus, ad Cardinalatus honorem ac tandem ad summi Apostolatus apicem, cum nos nostra ad id merita non iuvarent, erexit; sed quamplurimas alias uberrimas gratias nobis hactenus concessit, et continuo concedere non cessat, specialem gerimus devotionis affectum, et illius vices tenemus in terris, cuius perfecta sunt opera; cupientes opus Capellae huiusmodi ad optatum suae dedicationis finem perducere, ut Christifideles illam eo devotius studeant congruis frequentare honoribus, quo ex hoc ibidem dono caelestis gratia uberius conspexerint se refectos, Capellam ipsam, et in ea constructum altare praedictum, per venerabilem fratrem nostrum Petrum Guillelmum Archiepiscopum Salernitanum referendarium nostrum domesticum, et continuum commensalem, in nostra et venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac Archiepiscoporum, Episcoporum, et aliorum Praelatorum Romanae Curiae, et multitudinis Populi praesentia hodie Missam in eadem Capella celebrantem Omnipotenti Deo in honorem et sub invocatione Conceptionis praelibatae Virginis Mariae, cuius festum etiam hodie ex institutione Romanae Ecclesiae solemniter celebramus ac sancti Francisci et sancti Antonii praedictorum, auctoritate Apostolica, praesentium tenore de ipsorum fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et assensu, opportunis ad id in eodem Altari collocatis sanctorum Reliquiis, et convenienti dote ipsi Capellae per nos constituta dedicari et consecrari fecimus. Idcirco de eiusdem omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri

Digitized by Google

et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, universis Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui Capellam ipsam nunc visitarunt, et tam hodie, quam deinceps annis singulis ipsa conceptionis eiusdem virginis Mariae, qua etiam anniversarii dedicationis huiusmodi commemorationem fieri et festum celebrari volumus, ac eorumdem sancti Francisci et sancti Antonii festivitatum diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum festivitatum earumdem devote visitaverint, annuatim plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur. Et insuper nonnullorum Praedecessorum nostrorum qui mulieribus, ne ad sancta sanctorum in Lateranensi et quasdam alias in reliquis praefatae urbis Ecclesiis consistentes Capellas, ceteris tunc expressis diebus dumtaxat exceptis ingrederentur, sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibuisse dicuntur, vestigiis inhaerendo, ut divina officia in antedicta Capella sine strepitu mulierum quietius et devotius peragantur, universis mulieribus, ne sub conceptionis virginis Mariae ac sanctorum Francisci et Antonii, ac in illorum honorem dedicatam hodie Capellam praedictam ullo unquam tempore, praeterquam indulgentiae praedictae et anniversarii obitus nostri diebus intrare ullatenus praesumant sub excommunicationis latae sententiae poena districtius inhibemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Nulli ergo etc. nostrae voluntatis, elargitionis, et inhibitionis infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Sexto idus Decembris Pontificatus nostri anno nono.

1622. Ceterum insequuti Pontifices omnia eximio studio [1]) adhibuerunt, quibus conceptae Deiparae cultum Sixti auctoritate ac religione stabilitum, splendidius ornarent, pleniusque communirent. Etenim Innocentius VIII. anno MCDLXXXIX., adnitente Elisabetha Castellae et Legionis regina, adprobavit [2]) confirmavitque religio-

1) De hoc Pontificum studio praeclare disseritur in commemorata nuper legatione sect. II. §. V. pagg. 217. seqq. ubi ex ordine declaratur - Quantum tribuat alicui doctrinae approbatio Pontificum. Plurimus Pontificum favor ad negativam sectandam invitat. Recensentur suo ordine omnes a Sixto IV., et eorum in negativam favores. Nullus tantillum favit affirmativae. Eam e publicis locis relegavit Paulus V., et quantum ei foerit per hoc derogatum. Ingenuorum est vel ipsis nutibus et suggestionibus Pontificum adquiescere. «

2) Const. edit. prid. kal. Maii an. MCDLXXXIX. *Inter innumera.* De qua constitutione iuverit contulisse Theophilum Rainaudum in diptychis marianis pag. 136. opp. T. VII., Natalem Alexandrum H. E. sec. XV-XVI. cap. I. a. X. n. 1. et Wadingum in annal. ord. minor. ad an. MCDLXXXIX.

Digitized by Google

sarum virginum ordinem a pientissima virgine lusitana Beatrice de Sylva Toleti erectum in honorem et sub invocatione [1]) immaculatae conceptionis beatae Mariae, illisque indixit ut toto anno diebus non impeditis horas maiores divinumque officium de conceptione beatae Virginis persolverent, impeditis autem diebus minores horas parvumque officium de eadem conceptione recitarent. Alexander VI. anno MDII. innovata et confirmata [2]) Sixti IV. constitutione *Grave nimis*, a praeposteris illam commentariis falsisque detorsionibus asseruit. Iulius II. anno MDXI. ratum habuit [3]), quod Innocentius VIII. de ordine religiosarum virginum sub titulo conceptionis decreverat, illisque una cum propria regula hanc etiam professionis formulam praescripsit: « Ego soror N. ob amorem et servitium Domini et immaculatae conceptionis eiusdem genitricis, voveo et promitto Deo et beatae Mariae virgini et beato Francisco etc. » De pallio autem hyacinthino quo ornantur, illis tributum dicitur: « Propter mysticam significationem, quod gloriosae Virginis anima a creatione sua tota facta sit caelestis, et singularis regis aeterni thalamus. » Leo X. annis MDXV. MDXVII. MDVIII. MDXIX. et MDXXI. non modo confirmavit [4]) Sixti IV. constitutiones, neque modo festum conceptionis novis auxit ornamentis; sed confraternitatem praeterea adprobavit *sub invocatione conceptionis beatae Mariae virginis in ecclesia Carmelitarum civitatis rothomagensis erectam*, laudavitque ritum in obitu confratrum gestandi candidum cereum palmamque *ad declarandum, defunctum ipsum perpetuo fidei lumine vestitum sinceritatem conceptionis huiusmodi usque ad mortem tenuisse ac defendisse, et palmam virginalem in*

1) Sed qui poterat, adprobari ordo in honorem et sub invocatione immaculatae conceptionis, nisi sententia de immaculato conceptu certa fuisset Pontifici atque explorata?

2) Constitut. edita VIII. kal. Martii anno MDII. *Illius qui se.* Videsis Strozzium op. cit. lib. VII. cap. XXI.

3) Constitut. edit. XV. kal. Octobris an. MDXI. *Ad statum prosperum.* Cf. Gravois op. cit. art. VI. §. 80. et Alvam qui in regest. auth. pag. 142. ex Conceptionistarum breviario auctoritate quatuor Pontificum Sixti IV., Innocentii VIII., Alexandri VI. et Iulii II. adprobato haec refert: « Cuius immaculata conceptio miraculis coruscat. Ut qui purissimae conceptionis virginis Mariae matris eius commemorationem colimus. Cuius beatam conceptionem colimus. »

4) Constitut. edit. XI. kal. Iunii an. MDXV. *Ad ea.* Constitut. edit. die XXII. Maii an. MDXVII. *Supra gregem.* Constitut. edit. die XVIII. Februar. an. MDXVIII. *Pia Christi.* Constitut. edit. die X. Februar. an. MDXIX., *Quia nuper.* et constit edit. IX. kal. April. an. MDXXI. *Ineffabilis.* Qua constitutione Pontifex initio refert *conceptionis festum in Normannia celebrari olim coepisse, instante Guillelmo eorum duce*, seculo nimirum XI.; tum praeter alia statuta et illud probat quo edicebatur ut singulis annis viri eruditi publice invitarentur ad elucubranda poemata aliaque opera *in laudem Virginis et sanctae conceptionis, ut conceptionis festum in dies magis celebre* redderetur. Huius vero instituti commendatione dignissimi origines referuntur ad Robertum archiepiscopum rothomagensem, qui sedit ab anno MCDLXXXIII. ad MCDXCIII. et de quo in Gallia christ. T. II. pag. 93. legimus: « Eius temporibus institutum est Rothomagi certamen poeseos quod etiamnum perseverat, in quo singulis annis Deiparae conceptio laudibus celebratur. »

Cades exaltatam, quam contra omnem etiam originalis culpae labem reportasse ipsam Virginem, vivens contenderat, quasi ante summum Dei tribunal post obitum repraesentasse. Hadrianus VI. anno MDXXII. confraternitatem toletanam appellatione conceptionis insignem a Francisco Ximenio Cardinali et toletano praesule erectam sua auctoritate [1]) firmavit, firmatamque indulgentiis eximiisque privilegiis instruxit. Paulus III. annis MDXXXVI. et MDXLVIII. apostolica auctoritate [2]) munivit tum Breviarium iussu Clementis VII. a Cardinali Quignonio confectum, in quo conceptionis officium idem refert invitatorium eamdemque orationem ac officium Sixti IV., atque hunc insuper versiculum, *tota pulcra es Maria, et macula originalis non est in te;* tum Breviarium ordinis Humiliatorum proprium, cuius oratio pro festo conceptae Deiparae sic habet: « Omnipotens sempiterne Deus, qui per conceptionem beatae Mariae virginis mundum per Evam perditum salvare voluisti. » Porro ad Pium IV. quod attinet, satis superque fuerit commemorasse editam ab eo constitutionem [3]) qua anno MDLXIII. adprobavit et confirmavit *omnia et singula concilii tridentini decreta*, atque adeo [4]) hoc etiam: « Declarat tamen haec sancta synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse [5]) constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. »

1) Constitut. edit. die XXXI. Iulii an. MDXXII. *Romanus Pontifex.*

2) Constitut. edit. die III. Iulii an. MDXXXVI. *Breviarium divini officii.* Et constitut. edit. an. MDXLVIII. *Decet Romanum Pontificem.*

3) Constitut. edit. VII. kal. Febr. an. MDLXIII. *Benedictus Deus.*

4) Sess. V. ad calcem decreti de peccato originali.

5) In quaestionem venit, omnes ne Sixti constitutiones, an unam solummodo alteramve ex tribus synodus tridentina comprobarit. Sed certum est omnes et singulas fuisse innovatas. Infinite enim loquitur synodus, et sicuti nullam excipit ex sixtinis constitutionibus, ita universas complectitur. Praeterea nemo diffiteri potest, duas saltem ex tribus fuisse innovatas, quum synodus plurali utatur numero edicens: *observandas esse Constitutiones felicis record. Sixti IV. sub poenis in eis contentis.* Quasnam vero? De tertia nemo ambigit, et de prima qua festum fuit institutum, testis est Ambrosius Catharinus (in disput. pro verit. imm. concept. ad s. synodum trident. P. II. pag. 95.) qui synodo interfuit, et testis multo etiam locupletior Alexander VII. qui ad illius innovationem non obscure respicit inquiens: *crevitque horum numerus atque huiusmodi cultus post editas a fec. record. Sixto IV. apostolicas constitutiones, quas sacrum concilium tridentinum innovavit atque observari mandavit.* Restat ergo secunda constitutio, de qua dubitetur. Sed praeter quam quod recurrit argumentum ex universali synodi loquutione desumptum, iuvat animadvertere innovatas perhiberi numero plurali constitutiones, queis poenae in transgressiones sanciuntur. Atqui prima constitutio nullas praefert indictas poenas. Proprietas ergo verborum synodi exigit, ut altera pariter constitutio innovata videatur. Ad quae si animum advertisset Thyrsus Gonzalez in op. de imm. concept. sect. III. n. 25., non adeo fidenter ex albo innovatarum alteram Sixti constitutionem expunxisset.

Digitized by Google

1623. Ordinata temporum series ad Pium V. nos perducit, quem merito auctorem amplificati illustratique cultus conceptae Deiparae veneramur. Illum enim anno MDLXVIII. amplificavit, quum [1]) festum conceptionis a Sixto IV. nonnisi impense commendatum, in romano Breviario et ecclesiastico kalendario iis festis stabiliter accensuit, quae ab universa Dei ecclesia divinis officiis celebrari debent. Illustravit vero quum de festo conceptionis, immutatis dumtaxat nominibus, ea ipsa frequentari praecepit, quae in festo natae Deiparae usurpabantur. Dum enim natam colimus Deiparam, nativitatem honoramus sanctam et nullius consciam labis; ergo si eodem pacto eodemque ritu colenda a nobis est, Pio auctore, conceptio, conceptionem honorabimus sanctam nulloque culpae vinculo obstrictam. Hinc illa ex praescripto officio: « Sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam *sanctam conceptionem*. » Et rursum: « Gloriosae virginis Mariae *conceptionem dignissimam* recolamus. » Etsi vero [2]) aequissimis de caussis Pius vulgato conceptionis officio officium nativitatis suffecerit, veniam nihilominus [3]) copiamque fecit ordinis seraphici alumnis ut illud atque respondentem eidem Missam *Egredimini* retinerent. Sequitur Gregorius XIII. cui in acceptis referimus [4]) tum quod confraternitatem conceptionis probarit erogatisque indulgentiis auxerit, tum quod hanc Michaelis Baii [5]) propositionem confixerit:

1) Constitut. edit. VII. idus Iulii an. MDLXVIII. *Quod a nobis.* Porro nullatenus intelligo qui fieri potuerit ut Natalis Alexander H. E. sec. II. diss. XVI. §. XXI. scriberet: « Nunc vero in romanae ecclesiae officio ne verbulum est, quo immaculata beatae Virginis conceptio indicetur. » Sed mihi non tam *verbula* sunt quam *verba* ad indicandam immaculatam conceptionem accommodatissima, quibus ea dicitur *sancta*, appellaturque *dignissima*. Sanctitas enim, docente Pseudo-Dionysio et probante Thoma III. p. q. XXVII. a. II., *est omni ex parte immaculata puritas*. Perinde igitur est *sanctam* celebrare *conceptionem*, ac illam solemni publicoque facto *omni ex parte puram immaculatamque testari*. Quare Thomas ut conceptionem Christi ab originali labe solutam declaret, ibidem ait: « Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus. »

2) Ut nimirum I. morem gereret tridentinis patribus, qui Breviarii Missalisque romani reformationem praeceperant. Quare sicuti suppressit officia ss. Rochi, Telesphori, Placidi et sociorum martyrum, Petri martyris, Francisci de Paula, Nicolai tolentini, sanctissimi Mariae nominis, sanctissimi nominis Iesu, praesentationis in templo, aliaque; ita emendavit officia sanctorum Benedicti ac Dominici, immutavitque lectiones atque hymnos in officio transfigurationis. Tum vero II. ut varietate officiorum e medio sublata, una atque eadem ubivis publica precandi ratio frequentaretur. Etenim quatuor saltem diversa de conceptione officia usurpabantur, Nogarolii, Bernardini de Bustis, Quignonii et Roberti Gaguini; quod quidem fieri non nisi incommode poterat. Cf. Benedictum XIV. de festis P. II. capp. X-XIV. et P. I. cap. XV., Meratium T. II. P. I. sect. VII. capp. II. seqq. et Gavantum de festis sanctorum mense augusto sect. VII. cap. X. n. 6.

3) Quod opportunis testimoniis efficit Gravois op. cit. in registro n. 8. pag. 31. Adde Strozzium op. cit. lib. VIII. capp. IX-X.

4) Constitut. edit. nonis Ianuarii an. MDLXXX. *Unigeniti filii.*

5) Proposit. LXXIII. Cf. Iacobum La Fontaine in constitut. *Unigenitus* theologice propugnata ad prop. LXX. Quesnelli.

Digitized by Google

« Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. » Sixtus V. annis MDLXXXVI. et MDLXXXVIII. insigne reddidit [1]) festum conceptionis, quam *purissimam ipsius Dei genitricis conceptionem* dixit, facta potestate assequendae plenariae indulgentiae tam monialibus conceptionis et ordini fratrum minorum, quam fidelibus universis qui utriusque ordinis ecclesias die conceptae Deiparae sacro inviserent ceteraque de more exequerentur. Clemens VIII., teste [2]) Gavanto, *in nova romani Breviarii reformatione festum et officium conceptionis beatae Virginis sub ritu duplici maiori deinceps celebrari praecepit*, datisque [3]) apostolicis litteris catechismum probavit Cardinalis Bellarmini in quo legimus: « Domina nostra gratia plena est. Nam quantum ad primum effectum attinet, nullius peccati macula nec originalis nec actualis nec mortalis aut venialis infecta fuit. » Paulo V. satis non fuit [4]) anno MDCXVI. Sixti IV. decreta confirmare neque satis fuit religiosis aliquot ordinibus potestatem facere recitandi Officii *Sicut lilium*, et celebrandae Missae *Egredimini* sabbatis omnibus non impeditis; sed [5]) gravissime insuper ca-

1) Constitut. edit. die XVIII. Octobris an. MDLXXXVI. *Expositum nobis*. Et constitut. edit. die XXX. Maii an. MDLXXXVIII. *Ineffabilis*. Ubi commendat franciscales fratres quod consueverint *ex ipsius Ordinis instituto purissimam Dei genitricis conceptionem devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus et honoribus extollere, ac fidelibus praedicare et explanare, ipsiusque festum maxima reverentia venerari.*

2) In thesauro sacr. rituum P. I. T. II. sect. VIII. cap. II. n. 8. Adde Benedictum XIV. de festis cap. XI. §. III.

3) Constitut. edit. die XV. Iulii an. MDXCVIII. *Pastoralis*.

4) Constitut. edit. die VI. Iunii an. MDCXVI. *Regis pacifici*. Cf. Gravois op. cit. art. VIII. §. 59. et in regest. n. 10. ubi plura ex Paulo V. refert ad ornandum immaculatum conceptum accommodatissima.

5) Decret. edit. die XXXI. Aug. an. MDCXVIII. Commemoratis scandalis quae *oriuntur in populo christiano cum magna Dei offensa*, si quando publice affirmetur *beatissimam Virginem fuisse cum peccato originali conceptam*, illico subditur: « Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit ac praecepit, ac praesentis decreti virtute mandat et praecipit omnibus et singulis cuiusvis ordinis et instituti regularibus, et aliis quibuscumque tam ecclesiasticis quam secularibus personis cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis aut dignitatis tam ecclesiasticae quam secularis, etiamsi specialis, specifica et individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a sancta sede apostolica fuerit definitus, vel per sanctitatem suam et sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientibus autem eadem sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere, et subiecit censuris et poenis contentis in supradictis constitutionibus suorum praedecessorum, et sua, ipso facto incurrendis. » Quanti vero sive ad tuendam sententiam de immaculato Deiparae conceptu, sive ad oppositam infringendam conferat hoc Pontificis solemne decretum, tum perspicuum ex sese est, tum ea qua par est proportione, ex iis licet colligere quae Gregorius nazianzenus de appollinarianis scripsit (epist. CCII. al. orat. XLVI. pag. 168. opp. Tom. II.) ad Nectarium constantinopolitanum praesulem inquiens: *Εἰ τοίνυν οἱ τοιαῦτα φρονοῦντες ἐν ἐξουσίᾳ τοῦ συνάγειν γίνονται, σκεπτέον σου ἡ ἐν Χριστῷ εὐδόκιμος φρόνησις, ὅτι μὴ συμβαινόντων ἡμῖν εἰς ἰσαίνειν φρονοῦσι, τὸ λαβεῖν αὐτοὺς*

Digitized by Google

vit ne *in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis* vitiatus originali labe Deiparae conceptus affirmaretur. Multo progressus est ulterius Gregorius XV. utpote qui anno MDCXXII. duo [1]) constituerit, quae gravissimi omnino momenti videri debent. Principio namque Pauli V. decretum « Extendit et ampliavit etiam ad privata colloquia [2]) et scripta, mandans et praecipiens omnibus et singulis supradictis ne de cetero, donec articulus huiusmodi a sede apostolica definitus, vel per sanctitatem suam et sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum; neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen quibus a sancta sede apostolica [3]) fuerit super hoc specialiter indultum. » Deinde vero expuncto *sanctificationis* [4]) vocabulo, solemnem usum vocis *conceptionis* indixit his verbis: « Et insuper eadem sanctitas sua, cum sancta romana ecclesia de beatissimae Virginis conceptione festum solemniter et officium celebret, omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam secularibus quam cuiusvis ordinis et instituti regularibus mandat ac praecipit, ut in sacrosancto Missae sacrificio ac divino officio celebrandis non alio quam [5]) conceptionis nomine uti debeant. » Urbanus VIII. ratam

---

ἐξουσίαν συνέξεις, οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν, ἢ ἀληθεστέρους τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος νομισθῆναι· εἰ γὰρ ὡς εὐσεβοῦντες ἐκεῖνοι διδάσκειν ὡς φρονοῦσι, καὶ κηρύττειν ἐν παῤῥησίᾳ τὸ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέπονται δόγμα, δῆλον ὅτι κατέγνωσται ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας λόγος, ὡς τῶν ἀληθείας παῤ αὐτοῖς οὐσῶν· δύο γὰρ ἐναντίους λόγους περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἀληθεῖς εἶναι, φύσις οὐκ ἔχει· πῶς οὖν ὑπέμεινέ σου ἡ μεγαλοφυὴς καὶ ὑψηλὴ διάνοια, μὴ χρήσασθαι τῇ συνέσει παῤῥησίᾳ εἰς διόρθωσιν τοῦ τοσούτου κακοῦ. Proinde si iis qui talia sentiunt, coetus habere licet, illud velim cogitet atque expendat tua in Christo illustris prudentia, quod nobis non idem sentientibus ac illi, coetus habendi potestas illis facta nihil aliud sit quam eorum doctrinam nostra veriorem existimari. Nam si illis ut et pie sentientibus, ea quae sentiunt docere libereque promulgare permittitur, qui non videt ecclesiae doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? Neque enim rerum natura fert, duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse. Quomodo igitur excelsus et praestans animus tuus ad tanti mali correctionem consueta libertate non uti sustinuit?

1) Decret. edit. die XXIV. Mail an. MDCXXII. *Sanctissimus Dominus noster.*

2) Quod mihi quidem indicium est non obscurum apertissimae improbationis. Menti enim animoque succurrit, ideirco typum Constantis imperatoris quo silentium indicebatur utrique sententiae tam de una quam de duplici Christi servatoris voluntate, in secretario IV. synodi lateranensis, praeside Martino I., fuisse reiectum: « Quoniam omnino est inconveniens catholicae ecclesiae regulae, in qua utique adversa tantummodo iubentur merito sepeliri silentio. »

3) Quod declaratione edita die XXVIII. Iulii eiusdem anni indultum fuit fratribus praedicatoribus, illisque potestas facta ut in « Quibuscumque privatis eorum colloquiis seu conferentiis, inter se *dumtaxat*, et non inter alios aut cum aliis de materia eiusdem conceptionis beatae Mariae virginis disserere et tractare absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursu, libere et licite possint. »

4) Cf. Strozzium op. cit. lib. IX. cap. XI.

5) Quo pacto obiectum festi atque cultus penitus determinabatur, illudque fiebat quod cardinalis Toletus summopere expetierat, quodque Bellarminus impense consuluerat. Expetierat Toletus scribens in III. p. q. XXVII. art. II: « Utinam oculi nostri viderent saltem hoc in ecclesia constitutum, ut omnes fideles hoc amplectantur, et Papa prohibeat oppositum legi, doceri, affirmari, praedicari, imo obliget omnes una-

habuit probavitque anno MDCXXIII. *institutionem* [1]) *unius militaris religionis sub invocatione conceptionis Deiparae virginis immaculatae*, et christianam eiusmodi militiam praeclara indulgentiarum ubertate ditavit: anno MDCXXXI. Hispanorum [2]) genti *pro eo praecipuo quem universa natio huiusmodi erga festum conceptionis beatae Mariae virginis gerit devotionis affectu*, benigne concessit ut in ecclesia sancti Iacobi de urbe festum conceptae Deiparae quotannis solemniter celebraret ipsa etiam secunda Adventus dominica, si in eam incidisset, et quidem ritu duplicis primae classis: denique [3]) anno MDCXXXIX. ex ecclesiae thesauris magnam deprompsit indulgentiarum vim, qua *confraternitatem sub invocatione conceptionis beatae Mariae virginis in Indiis orientalibus erectam* locupletaret. Quapropter non est cur miremur [4]) si in congregatione generali sancti officii habita anno MDCXXVII. *de unanimi consensu dominorum Cardinalium firmatum fuerit:* « Ad favorem opinionis immaculatae conceptioni faventis sanctitatis suae praedecessores eo usque progressos fuisse, nihil ut iam hodie reliquum sit quam vel quaestionem definire, vel acquipollentia definitioni statuere. »

1624. Nihil iam dicam de Innocentio X. qui anno MDCXLIV. Philippi IV. Hispaniarum regis precibus [5]) annuens constituit, ut dies sacer conceptae Deiparae in universa Hispaniarum ditione festus feriatusque haberetur; sed continuo veniam ad Alexandrum VII. qui multis licet [6]) nominibus cultum conceptionis promoverit, de eo tamen est praeclarissime meritus, quum anno MDCLXI. apostolicam tulit constitutionem, *Sollicitudo omnium ecclesiarum*. In illa namque huius constitutionis parte quam *historicam* vocare non im-

nimiter hoc celebrare festum. » Et consuluerat Bellarminus, qui in congregatione sancti officii habita die XXXI. Augusti an. MDCXVII. Paulo V. auctor fuit ut tandem definiretur « Conceptionem esse recipiendam ab omnibus fidelibus ut piam et sanctam, ita ut nulli deinceps liceat contrarium sentire vel dicere sine temeritate et scandalo et suspicione haeresis. » Ac mox adiecit: « Si non placet nunc ulla formalis definitio, saltem fieri deberet praeceptum omnibus ecclesiasticis secularibus et regularibus ut recitarent officium *de conceptione* quo modo recitat ecclesia; sic enim sine definitione haberetur intentum. »

1) Constitut. edit. pridie idus Ianuarii an. MDCXXIII. *Imperscrutabilis*. Nemo, opinor, credet christianam militiam fuisse auspiciis institutam eius conceptus, quem hostis infecerit infectumque perdiderit; sed utique eius qui singulari Dei tutela hostem repulerit, repulsumque contriverit.

2) Constitut. edit. die XXVI. Novembris an. MDCXXXI. *Sanctae et immaculatae*.

3) Constitut. edit. die XX. Iulii an. MDCXXXIX. *Cum sicut accepimus*.

4) Decret. edit. die XXVIII. Ianuarii an. MDCCXXVII. Cf. Gravois op. cit. in regest. document. n. XXV.

5) Constitut. edit. die X. Novembr. an. MDCXLIV. *In his per quae*.

6) Pleraque omnia monimenta quae huc faciunt, sedulo collegit Gravois op. cit. in regest. document. nn. 13. seqq. Ego nominatim recensebo constitut. edit. die VII. Iulii an. MDCLXIV. *Quae inter praeclaras*, qua clero regnorum Hispaniae Alexander praecepit ut *officium et missam immaculatae conceptionis cum octava in posterum recitaret*.

Digitized by Google

merito possumus, principio antiquitatem tam sententiae de immaculato conceptu, quam cultus cum eiusmodi sententia cohaerentis commendat inquiens: « Sane vetus est christifidelium erga eius beatissimam matrem virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem; atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. » Incrementa deinde sententiae atque cultus, caussasque commemorans quibus tribui ea debeant, pergit: « Crevitque horum numerus atque huiusmodi cultus post editas a fel. rec. Sixto Papa IV. praedecessore nostro in eius commendationem apostolicas constitutiones, quas sacrum concilium tridentinum innovavit atque observari mandavit. Aucta rursus et propagata fuit pietas haec et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus romanis Pontificibus, religiosum ordinem et confraternitates ac concessas ab iisdem indulgentias; ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam, iam fere omnes catholici eam complectantur. » Hinc de opposita sententia eiusque assertoribus refert: « Et quia ex occasione contrariae assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quod nempe eadem beatissima virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo christiano cum magna Dei offensa [1]) scandala, iurgia et dissensiones; fel. mem. Paulus V. etiam praedecessor noster vetuit horum opinionem praefatae sententiae contrariam publice doceri aut praedicari. Quam prohibitionem piae mem. Gregorius XV. similiter praedecessor noster ad privata etiam colloquia extendit: mandans insuper in favorem eiusdem sententiae, ut in sacrosancto Missae sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publice quam privatim non alio quam conceptionis nomine uti quicumque debeant. » Postremo compertissimum sibi esse testatur « Pergere aliquos contrariae illius opinionis

1) Hisce scandalis iampridem vehementer commotus Dominicus Soto ordinis praedicatorum decus et egregius in tridentina synodo theologus, ad verba Pauli Rom. V. 12. *in quo omnes peccaverunt*, scripsit: « Absit ut ullum hic verbum de sacratissima Virgine genitrice Dei faciam. Nam etsi concilium tridentinum decretum Sixti innovando libertatem fecerit sentiendi in utramque partem, est tamen exceptio beatae Virginis ab hac universali sententia Pauli usque adeo celebris non modo inter plebes sed etiam inter bonos doctores, quales praecipue sunt illustrissimi parisienses, ut si qui hanc sibi sententiam persuadere non possunt, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem; adeo id absque odio et invidia nequirent facere. »

assertores, contra praefatas prohibitiones, tum privatim tum publice praefatam sententiam aut impugnare aut vellicare, et favorem a romanis Pontificibus cultui et festo secundum illam praestitum ita interpretari, ut frustrentur; imo negare ecclesiam romanam huic sententiae et cultui iuxta illam beatae Virgini exhibito favere, pios christifideles e sua pacifica quasi possessione deturbare conando: unde offensiones, scandala et iurgia quibus obviare voluerunt Paulus V. et Gregorius XV. nostri praedecessores, perdurant adhuc, et ex occasione eorumdem adversantium maiora his incommoda in posterum prudenter et merito timentur. »

1625. Quibus [1]) uti decebat praestitutis, de sententia ipsa cultuque conceptae Deiparae ita sancit Pontifex: « Nos considerantes quod sancta romana ecclesia de intemeratae semperque virginis Mariae conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit iuxta piam, devotam et laudabilem institutionem [2]), quae a Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni et festo ac cultui secundum illam exhibito in ecclesia romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis, amotisque scandalis conservare: constitutiones et decreta a romanis Pontifici-

1) Haec ab iis consideranda erant, qui officium conceptionis a Pio V. propterea immutatum commenti sunt, quod illi minus probaretur.

2) Testis est Gravois op. cit. art. XI. §. 181. «In archivo ghisiano duos extare codices nn. 120 et 121. signatos, in quibus plurima habentur documenta, quae vel pro extensione constitutionis Alexandro VII. inservierunt, vel eiusdem extensionis occasione exarata fuerunt. Primo enim adsunt ibidem constitutiones summorum pontificum Sixti IV., Alexandri VI., Pii V., Pauli V. et Gregorii XV. favore conceptionis emanatae. Adest auctoritas sancti Francisci Salesii lib. II. de amore Dei cap. VI. declarantis, quomodo salvator mundi sanctissimae suae matri redemptionem praeservativam singulari privilegio applicuerit; nec non et alia Stephani archiepiscopi patrensis et episcopi torcellani sess. X. concilii lateranensis sub Leone X. dicentis: quod *rex magnus ab initio et ante secula terram immaculatam praeparavit, in qua aedificaret sibi domum, et de qua gloriose educeret immaculatam aeternam sponsam, matrem iustorum laetantem.* Adsunt pariter variae aliae auctoritates tum sacrae Scripturae, tum sanctorum patrum quae aparsim olim afferebantur tam contra piam sententiam quam ipsius favore. A folio 37. ad 43. adsunt tridentinorum patrum sententiae de conceptione beatae Virginis summa fide ac diligentia ex originalibus tridentini concilii monumentis collectae. » Denique, aliis sepositis, adest folio 248. epistola Alexandri ad abbatem Hilarionem Rancatum, qua susceptum animo consilium explicans ait: « Volumus in hac nova constitutione multa adversariis prohibere eisdem ab emanatis usque nunc litteris apostolicis nondum prohibita, videlicet: quod non possint mysterium in dubium revocare nec nos a nostra pacifica possessione deturbare, nec constitutiones favore mysterii emanatas in sensu diverso interpretari ab eo qui a nobis explicatur. »

Digitized by Google

bus praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V., Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam beatae Mariae virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus conceptionis eiusdem virginis Deiparae secundum [1]) *piam* istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus et sub censuris et poenis in eiusdem constitutionibus contentis observari mandamus. » Ne qua vero ulla evadendi rima superesset, continuo addit: « Et insuper omnes et singulos qui praefatas constitutiones seu decreta ita pergerent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur; vel qui hanc eamdem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe vel indirecte, aut sub quovis praetextu etiam definibilitatis eius examinandae, sive sacras Scripturas aut sanctos patres sive doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint; praeter poenas et censuras in constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiicere volumus et per praesentes subiicimus; etiam concionandi etc.» Neque tulit ut dissimilis foret librorum conditio, de quibus statuit: « Ac libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, scribitur aut legitur, seu locutiones, tractatus et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum decretum edita aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub poenis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. » Quibus omnibus, ne ea praeter ac ultra Pontificis mentem extenderentur, tandem subiungitur: « Vetamus autem Sixti IV. constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet

1) Narrat Pallavicinus in hist. concil. trident. lib. VII. cap. VII. omnibus prope tridentinae synodi patribus vehementer placuisse, ut sententia de immaculato Deiparae concepta *piae* titulo atque elogio decoraretur. Quod ne praestarent, ab iis obtinuit prudens oeconomia, qua perpaucorum votis obsequendum esse existimarunt. Vicit tamen emersitque veritas, et quod synodus proposuerat, Alexander perfecit.

gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen aut mortale peccatum incurrant; cum a romana ecclesia et ab apostolica sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minime decidere volumus aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem haeresis aut peccati mortalis aut impietatis damnare audentes, praeter poenas quibus eos subiecit Sixtus IV., aliique praedecessores nostri romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subiicimus, quas in contra facientes huic nostrae constitutioni superius infliximus. »

1626. Post insignem adeo romanae Petri sedis constitutionem, insequuti [1]) Pontifices Clemens IX., Clemens X., Innocentius XI. et Innocentius XII. in id sedulo incubuerunt, ut erogatis indulgentiis privilegiisque concessis cultum festumque conceptae Deiparae in dies magis amplificarent. Recenseri autem nominatim debent tum privilegium theatinis quidem factum benedicendi, christifidelibus vero gestandi scapularia parva cerulei coloris *pio devotionis erga mysterium conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae affectu:* tum adprobatio [2]) *in forma specifica* statuti « Quo praecipitur ut graduandi *(patres ex ordine Mercedis)* praevie ad graduum receptionem iurent tenere, tueri, defendere, praedicare atque docere, animam beatissimae Virginis in primo instanti suae creationis et infusionis in corpus, praeveniente Spiritus sancti gratia, intuitu Iesu Christi redemptoris, a peccato originali praeservatam fuisse, et in hoc sensu festum conceptionis eius ab ecclesia celebrari. » Innocentio XII. successit anno MDCC. Clemens XI., isque non modo indulgentiis [3]) auxit usum scapularium cerulei coloris quem Clemens X. probaverat; sed e re catholica esse insuper duxit, ut festum conceptionis universis christifidelibus de praecepto servandum indiceretur. Quapropter anno MDCCVIII. constitutionem edidit [4]) quam his verbis auspicatus est: « Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii exigit ratio, ut gloriosissimae virginis Dei genitricis Mariae, cuius conceptio gaudium annuntiavit universo

1) Quae ad hos Pontifices spectant, dabunt affatim Plazza op. cit. act. V. art. II. pagg. 444. seqq. et Gravois op. cit. in regest. document. nn. 11. seqq.

2) Barbatius consil. LX. nn. 14. seqq., Cardinalis de Luca de Regal. diss. III. n. 4. et quotquot de statutis et decretis *in forma specifica* disserunt, ratum habent: « Statuta et decreta *in forma specifica* a summis pontificibus confirmata, veluti ab eisdem directe et immediate profecta considerari debere. *Ea nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur.* »

3) Constitut. edit. die XII. Maii an. MDCCX. *Caelestium munerum.*

4) Constitut. edit. die VI. Dec. an. MDCCVIII. *Commissis nobis.*

Digitized by Google

mundo, venerationem et cultum plurium romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum more ampliare studentes in terris, illius quae super choros angelorum exaltata pro populo christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in caelis potentissimam opem in tot tantisque quibus premimur christianae reipublicae et catholicae ecclesiae necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri iugiter satagamus. » E vestigio autem subiunxit: « Sincera itaque nostra erga eamdem augustissimam caeli reginam, patronam et advocatam nostram devotione incitati, festum conceptionis ipsius beatae Mariae virginis immaculatae ubique terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, sicut alia festa [1]) de praecepto, servari et celebrari ac sub praecepto observationis festorum comprehendi, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, praecipimus et mandamus. »

1627. De tribus Pontificibus [2]) Innocentio XIII., Benedicto XIII. et Clemente XII. digna sunt quae memoria prae ceteris reputentur I. supplicatio indicta die sacro Deiparae conceptae, et indulgentia [3]) plenaria pro festo *sanctissimae* conceptionis erogata: II. adprobatio [4]) *in forma specifica* statutorum, quibus patribus marianis in Poloniae regno iniungitur « Ut officium divinum iuxta ritum ordinis minorum, et in specie officium immaculatae conceptionis recitetur: ut renovatio votorum fiat in quolibet anno in festo immaculatae conceptionis: et ut praepositus in singulis domibus assignet promotores confraternitatis immaculatae conceptionis, hique adlaborent ut quamplurimos clientes et cultores immaculatae conceptioni beatae Mariae virginis pariant. » III. Privilegium [5]) « Ut in omnibus ecclesiis fratrum minorum conventualium provinciarum

1) Placet referre Henrici gandavensis verba, quibus propriam festorum causam explanans ait, Quodlibet. XV. q. XIII. « Causa primaria et per se celebrationis festi cuiuslibet, sive conceptionis, sive nativitatis, sive circumcisionis, sive alicuius alterius, non est nisi sanctitas aut sanctificatio illius de quo sive in cuius honorem celebratur; non autem ipse actus conceptionis, nativitatis aut circumcisionis. Unde festum conceptionis Christi non celebratur, nisi quia ipse in sua conceptione secundum hominem est sanctificatus: neque festum nativitatis aut circumcisionis eius, nisi quia sanctus erat ille qui nascebatur et circumcidebatur. Quia tamen propter talem sanctificationem in conceptione Christi, etiam ipsa conceptio sancta est: et propter ipsius sancti nati et circumcisi sanctitatem, et ipsa nativitas et circumcisio sancta est; dico quod causa secundaria celebrationis festi cuiuscumque dictorum, est ipse actus conceptionis, nativitatis et circumcisionis. » Nihil vero pronius quam haec ad indictum conceptae Virginis festum opportune transferre.

2) Cf. Gravois op. cit. in regest. document. nn. 20. seqq.

3) Praecepta fuit die VIII. Decembris anno MDCCXXI., promulgato edicto cuius tituius erat: *Indulgentia plenaria pro festo sanctissimae conceptionis, eiusque octava.*

4) Constitut. edit. die III. Septembris anno MDCCXXIII. *In supremo.*

5) Concessum fuit die V. Septembris anno MDCCXXV., et refertur a Gravois op. cit. in regest. document. n. 22.

Digitized by Google

Germaniae acquiri valeat indulgentia plenaria pro festo sancti Francisci de Assisio, et pro festo immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis, non obstante universali suspensione indulgentiarum. » IV. Privilegium [1]) « Ut singulis anni sabbatis in omnibus regnis, dominiis et ditionibus Caroli VI. imperatoris, extra tamen Italiam, officium immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis ab universo illorum clero seculari et regulari sub ritu duplici recitari, et Missa respective celebrari possit. » V. Adprobatio [2]) officii sancti Petri Paschasii, in quo haec leguntur: « Petrus qui sine labe Mariam in sua conceptione defendit, sine macula est ante thronum Dei. Mariam semper virginem in instanti conceptionis scriptis et ore immaculatam defendere primus haud dubitavit. Almo repletus lumine Mariam in origine puram sanctamque praedicat, nullo foedatam crimine. Exsultans spiritus Petri in Deo magnificavit Mariam matrem Domini Iesu, quam glorificavit dicens: tota pulcra es, amica mea, et macula originalis non est in te. » Denique VI. constitutio [3]), quae de legibus academiae cervariensis liberalitate Philippi V. erectae dicitur: « Omnia et singula praeinserta statuta et integrum eorum tenorem de verbo ad verbum, nullo eorum verbo penitus omisso, perinde ac si a nobis emanassent, firmiter et inviolabiliter observari debere apostolica auctoritate perpetuo decernimus ac statuimus. » Atqui inter eiusmodi academicas leges et haec censetur: « Candidati rite examinati priusquam Bacchalaureatus honore decorentur, quod etiam in Licentiatis et Magisteriis obtinebit, fidei ut moris est professione praemissa, in verba ex academiae formula praescripta iurabunt, se immaculatam beatae Virginis huius academiae patronae conceptionem, et constitutionem *Unigenitus* san. mem. Clementis XI. strenue propugnaturos. »

1628. Ad summum [4]) splendoris fastigium conceptae Deiparae festum evexit Benedictus XIV., qui quum titulum [5]) *immaculatae conceptionis* pluribus asseruisset ac fidelium pietatem [6]) tributis indulgentiis inflammasset; anno tandem MDCCXLII. decrevit [7]) ut

1) Legitur hoc privilegium ad calcem Breviarii rom. edit. Venet. MDCCXCIV., tributumque perhibetur die XV. Decembris an. MDCCXXVII.

2) Monimenta hanc adprobationem ostendentia habet Gravois op. cit. in regest. document. n. 21.

3) Constitut. edit. die IV. Decembris anno MDCCXXX. *Imperscrutabilis.*

4) Cf. Budriolii libellum de pontificia cappella in festo immaculatae conceptionis a Benedicto XIV. in perpetuum decreta.

5) Hoc praestitit edito apostolico Brevi ad omnes patriarchas, primates..., quod in eiusdem Bullario T. I. pag. 114. habetur.

6) Cf. Gravois op.cit. in regest. document.n.23.

7) Decret. edit. in consistorio die XXVI. Novembris an. MDCCXLII, Iohannes de Turrecremata in

Digitized by Google

die VIII. Decembris Deiparae conceptioni sacra *cappella pontificia in liberiana basilica haberetur*. « Quod quidem, *subdit Pontifex*, non hoc anno tantum sed singulis quibusque annis fieri mandamus ac praecipimus, ut cappella haec pontificia in honorem immaculatae Virginis quotannis celebranda ceteris annumeretur; ut nimirum ipsa beatissima Virgo a Deo pro nobis implorare dignetur quod petimus, suoque patrocinio non minus catholicam religionem quam hanc apostolicam sedem benigne regere velit ac fovere. » Eadem mens fuit reliquis Pontificibus, atque inprimis Clementi XIII. qui [1] confirmavit ut Deipara sub titulo immaculatae conceptionis Hispaniarum patrona haberetur; neque [2]) indulsit solum ut in universa Hispania Officium *Sicut lilium*, et Missa *Egredimini* adhiberentur *eodem prorsus modo quo « dilectis filiis fratribus ordinis minorum sancti Francisci de praesenti generaliter recitantur, ac in eorum Breviario et Missali a sede apostolica approbatis continentur, die festo immaculatae conceptionis et per eius octavam;* verum etiam [3]) concessit ut in lauretanis litaniis post verba, *mater intemerata,* adderetur *mater immaculata*. Deinde Clementi XIV. qui [4]) et indulgentiarum thesauros reseravit ut cultum immaculatae conceptionis promoveret, et pluribus [5]) copiam fecit ut franciscales in recitando officio missaque celebranda imitarentur. Tum Pio VI. qui [6]) praeter alia [7]) voluit, ut centum indulgentiarum dies lucrarentur qui de-

opere inscripto, *Tractatus de veritate conceptionis beatissimae Virginis pro facienda relatione coram patribus concilii basileensis, an. MCDXXXVII. mandato sedis apostolicae legatorum compilatus*, argumenta expendens quibus sententia negans defendebatur, post alia scribit: « Arguitur ex adverso sic. Notorie constat, apud sedem apostolicam in curia romana annuatim festum conceptionis publice celebrari, ad quod tam DD. Cardinales, quam Episcopi et universi de curia maiores conveniunt: et ita videtur approbasse puritatem conceptionis. » Quibus occurrens pergit: « Ad istam rationem dicitur negando quod ecclesia romana sive sedes apostolica festivitatem istam instituerit aut canonizaverit aut pronuntiaverit aut celebraverit aut in Kalendario annotari iusserit. Non enim quidquid fit in romana curia aut per DD. Cardinales aut Episcopos et populum, aut per scriptores Breviariorum ac Missalium, dicitur ecclesia romana sive sedes apostolica fecisse aut mandasse aut instituisse. » Ecquando igitur merito hoc dicitur? En quae ille e vestigio subdit: « Non enim ecclesia romana (ut loquimur communiter de ecclesia romana pro sede apostolica), in qua totius ecclesiae Dominus principatum collocavit, iuxta *cap. Basilicas* de consecr. dist. I., dicitur celebrare festum aliquod, quando DD. Cardinales aut Praelati sive populus romanus aut Domini de Cancellaria pro sua devotione conveniunt in aliqua ecclesia Missarum solemnia audituri; sed quando summus Pontifex cum collegio romanorum DD. Cardinalium solemniter in loco publico (ut moris est in aliis praecipuis solemnitatibus) celebrat et festivat. » Atqui hoc ipsum est quod fecit, quodque ut in perpetuum fieret edixit Benedictus. XIV.

1) Constitut. edit. sexto idus Novembris anno MDCCLX. *Quantum ornamenti.*

2) Constitut. edit. XVI. kal. Februarii anno MDCCLXI. *Cum primum.*

3) Constitut. edit. die XIV. Martii anno MDCCLXVII. *Eximia pietas.*

4) Bullarii rom. continuat. T.V. pagg. 127-526.

5) Constitut. edit. die XXI. Novembris anno MDCCLXIX. *Ratio pastoralis officii.*

6) Bullarii rom. continuat. T. VI. P. I. pag. 289.

7) Rescript. edit. die XXI. Novembris anno MDCCXCIII.

Digitized by Google

vote alterutram ex hisce precibus recitarent: « In conceptione tua, virgo Maria, immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cuius Filium Iesum de Spiritu sancto conceptum peperisti. Benedicta sit sancta et immaculata conceptio beatae Mariae virginis. » Quid vero Pius VII. immortalis memoriae Pontifex? Is veniam impertiit [1]) ut in Missa a franciscalibus diceretur, *et te in conceptione immaculata*, indulgentiamque [2]) tercentorum dierum tribuit sacerdotibus qui Missa conceptionis celebrata certas quasdam preces persolverent, in quarum priore gratiae aguntur augustae Triadi *pro sublimibus donis privilegiisque Deiparae concessis in sua immaculata conceptione*. Similia in pontificiis monimentis occurrunt [3]) de Leone XII. et Gregorio XVI. qui suprema auctoritate [4]) disposuit, ut omnibus omnino petentibus facultas fieret tum in Missae praefatione dicendi, *et te in conceptione immaculata*, tum in lauretanis litaniis addendi, *regina sine labe originali concepta*. Reliquus est beatissimus Pontifex Pius IX., e quo quum referri plurima [5]) possent, tria tantum commemorabo, atque illud inprimis quod Gregorii XVI. decreta amplissime [6]) confirmarit: illud deinde quod decretum [7]) sanxerit sextae baltimorensis synodi, quo Deiparae sub titulo immaculatae conceptionis patrona foederatae Americae renunciabatur: et illud [8]) tandem quod *propria manu adprobaverit Officium integre proprium cum Missa in festo et per octavam immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis*, illudque primum romano clero, tum vero reliquis omnibus proposuerit. Quamquam igitur tribui romanae ecclesiae non possit, quod ipsa omnium prima conceptam Deiparam religioso cultu honorarit; eidem tamen deferatur oportet, quod quinque continenter seculis omnia prorsus usurpaverit quae ad eiusmodi cultum illustrandum, sententiamque de immaculato conceptu firmandam conducere posse viderentur.

1) S. R. C. decret. XVII. Maii MDCCCVI.

2) S. R. C. decret. XV. Aprilis MDCCCXV.

3) In decretis editis XXX. Decembris anno MDCCCXXVI. et XXII. Novembris MDCCCXXVIII.

4) Series chronologica indultorum, quibus Gregorius XVI. potestatem fecit sive ut in praefat. Missae propriae conceptionis diceretur, *et te in conceptione immaculata*, sive ut lauretanis litaniis adderetur, *regina sine labe originali concepta*, texitur a p. Pacifico Augustino alcantarino in op. ecclesia catholica circa imm. concept. pagg. 820. seqq.

5) Cf. op. cit. pagg. 825. seqq.

6) Cf. Perronii appendicem I. ad disquisit. theologic. de imm. beatae Virginis conceptu.

7) In decret. sacrae congregat. general. de propaganda fide edit. die XXV. Ianuarii MDCCCXLVII.

8) S. R. C. decret. pridie kalen. Octobris an. MDCCCXLVII.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Maiorum testimonia quibus cum cultu natae Deiparae cultus pariter eiusdem conceptae comprehensus perhibetur: huc inprimis ea faciunt quae de nativitate universim atque infinite dicta, ipsam quoque conceptionem complectuntur: ea deinde quae occasione nativitatis proposita, de conceptione tamen intelligi debent: tum ea quibus nativitati tribuuntur quae alibi de conceptione affirmantur: ea tandem quibus ex aequo γέννησις καὶ σύλληψις, nativitas et conceptio, origo ex utero atque in utero recoluntur: ulterior illustratio, sumptumque ex omnibus argumentum, quo duplex usitata ratio honorandae conceptae Deiparae secernitur ac firmatur.

1629. Nativitatis nomen, eidemque subiecta virtus ad illarum spectant genera rerum, quae multiplices quum sint pluribusque coalescant, neque animo semper distincte praecipiuntur, neque semper verbis enucleate significantur. Ac nativitas sane duobus prope stadiis [1]) absolvitur, animatione, ut loquuntur, foetus in utero, et progressione ex utero foetus animati et ad certam quamdam perfectionem adducti. Illa est diciturque nativitas in utero, originalis, inchoata: haec nativitas ex utero, suis expleta numeris ac perfecta. Quum vero utraque *unius instar* spectari consueverit, non tam propriis vocabulis, quam communi nativitatis appellatione expressa reperitur. Nativitatis namque vocabulum, quod vocabulum est inchoationis ac primordii, et universale propterea ac genericum, ita exhibet confusam originis ideam, ut utramque originem imperfectam in utero ac perfectam ex utero indiscriminatim designet. Quare nec mirum, nec a vulgato loquendi usu abhorrens videri potest aut debet, quod nativitatis vocabulum nunc quidem confuse de utraque origine, et nunc de alterutra in christianis monimentis adhibitum usurpatumque recurrat. Quibus brevissime indicatis, ut ad rei caput summamque progrediamur, apertissimis innixi testificationibus contendimus: *penes maiores nostros obtinuisse*,

1) Huc faciunt verba Bernardini senensis, qui in tractatu de conceptione Deiparae cum templo conferens, inter cetera ait: «Ut iuxta typum templi typici, idest figurati Salomonis, de hoc templo vero, scilicet de beata Virgine, triplicem gloriam redderemus; debuit et conceptionis solemnitas celebrari. Reddebamus enim gloriam prius propter hoc templum sacratissimum in nativitatis solemniis, quasi iam templo materialiter consummato: reddebamus etiam in celebritate assumptionis, quasi iam templo in Dei solium deportato: congruum ergo fuit ut redderemus gloriam in solemnitate conceptionis, quasi iam templo noviter inchoato.»

Digitized by Google

ut laudibus cultuque natae Deiparae non magis ipsius nativitas perfecta atque ex utero quam inchoata atque in utero honoraretur.

1630. Loquitur [1]) de nativitate Deiparae Iacobus monachus, et quamquam recta eo spectet ut faustissimum diem quo in lucem ipsa venit, summis laudibus extollat, inter cetera tamen Deum exorans [a]) scribit: « Accipe quam tibi in mediatricem praedestinasti ad nostram reconciliationem. Produc immaculatam agnam e qua naturae lanam induens, speciosissimus nobis qui in tenebris versamur, appareas. » Nemo autem haec quae infinite dicuntur, de sola ex utero nativitate interpretetur, quum ipsam quoque in utero originem manifeste significent. Tum enim proprie immaculata agna producta fuit, quum in utero apparuit, nullatenus vero quum ex utero prodiit. Hinc non paucis interiectis, Adamum [b]) sistit natam Virginem sic alloquentem: « O filia, quale ex meo semine germen surrexisti! qualem ramum virentem edidit natura mea! qualem benedictionis florem emisit! » Sed nisi sua verbis denegetur proprietas et amplitudo, talia haec non sunt quae ad nativitatem ex utero unice exprimendam referri queant. Quae quidem de iis etiam iterari debent quae Iohannes damascenus tum docet quum Deiparae [2]) nativitatem celebrans, hoc praemisso [c]) epiphonemate, *quapropter humanae sterilitatis depulsionem celebremus, qua bonorum impedimentum solutum est,* continuo [d]) subdit: « Sed cur virgo mater orta

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1260. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Λάβε τὴν εἰς καταλλαγὴν ἡμῶν προορισθεῖσαν σοι μεσίτιν· παράγαγε τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα, ἐξ ἧς τὸ τῆς φύσεως περιβαλλόμενος ἔριον, ὡραιότατος ἡμῖν ὀφθήσῃ τοῖς ἐν τῷ σκότει.

b) Ibid. pag. 1280. C. Ὦ θύγατερ, οἷον ἐξ ἐμῶν ὠδίνων ἀνέδραμες βλάστημα· οἷον στέλεχος ἡ κατ' ἐμὲ φύσις ἀνέθηλεν· οἷον τὸ τῆς εὐλογίας ἐξήνθησεν ἄνθος.

c) Orat. I. in Deiparae nativit. §. I. pag. 842. B. Ἑορτάσωμεν οὖν τὴν λύσιν τῆς ἀνθρωπίνης στειρώσεως, ὅτι λέλυται ἡμῖν ἡ τῶν ἀγαθῶν πήρωσις.

d) Ibid. §. II. pag. 842. B-C. Ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν ἐκ στείρας ἡ παρθένου μήτηρ γεγένηται; ἴδοι γὰρ τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον, τὸ τῶν θαυμάτων κεφάλαιον, προσοποιηθῆναι τοῖς θαύμασιν, καὶ κατὰ μικρὸν ἀπὸ τῶν ταπεινοτέρων ἐπαναβῆναι τὰ μείζονα· ἔχω καὶ ἕτερον λόγον ὑψηλότερον καὶ θειότερον· ἡ γὰρ φύσις ἥττηται τῇ χάριτι, καὶ

1) Orationis titulus est: Τοῦ σοφωτάτου μοναχοῦ Ἰακώβου λόγος εἰς τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. *Sapientissimi Iacobi monachi oratio in nativitatem sanctissimae Dominae nostrae Deiparae.*

2) Oratione quae inscribitur Ἰωάννου ταπεινοῦ, δαμασκηνοῦ μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου, λόγος εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Iohannis humilis damasceni monachi et presbyteri sermo in sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae natalitium diem.*

Digitized by Google

est ex sterili? Plane quia oportebat, ut ad id quod solum sub sole novum futurum erat ac prodigiorum caput, via per prodigia sterneretur, paulatimque ab humilioribus ad sublimiora progressio fieret. Ceterum alia quoque altior diviniorque ratio a me afferri potest. Natura enim gratiae cedit, statque tremula pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei genitrix virgo ex Anna nasceretur, natura [1]) gratiae germen antevertere non est ausa, sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet. Nasci siquidem primogenitam oportebat, ex qua nasciturus esset omnis creaturae primogenitus, in quo omnia constant.» Quisque autem videt his utramque nativitatem contineri, iisdemque laudibus tam primam et inchoatam quam alteram ac perfectam extolli.

1631. Neque aliter de Andrea cretensi existimabunt qui animum ad haec adverterint, quibus [2]) in oratione de nata Deipara ad Annam matrem [a]) respiciens ait: «Consonas itaque hisce laudes et nos persolvamus ei, quae sterilis olim vocabatur, nunc autem virginei thalami mater effecta est. Dicamus illi una cum sacris paginis, dicamus: quam felix domus Davidis ex qua provenisti! quam felix venter tuus in quo sanctificationis arcam fabricatus est Deus! vere quidem beata es ac ter beata, quae divinis muneribus cumulatam puellam genuisti.» Vel enim haec utramque nativitatem *instar unius* significant, et illam etiam quae in utero est demon-

Ἔστηκεν ὑπότρομος, προβαίνειν μὴ φέρουσα· ἐπεὶ οὖν ἔμελλεν ἡ Θεοτόκος παρθένος ἐκ τῆς Ἄννης τίκτεσθαι, οὐκ ἐτόλμησεν ἡ φύσις προλαβεῖν τὸ τῆς χάριτος βλάστημα· ἀλλ' ἔμεινεν ἄκαρπος, ἕως ἡ χάρις τὸν καρπὸν ἐβλάστησεν· ἔδει γὰρ πρωτότοκον τεχθῆναι, τὴν τεχαμένην τὸν πρωτότοκον πάσης τῆς κτίσεως, ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκεν.

a) Orat. in Deiparae nat. pag. 184. B-D. apud Gallandium T. XIII. *Σύνῳδα δὲ τούτοις καὶ ἡμεῖς αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ ποτὲ, νῦν δὲ μητρὶ γενομένῃ τοῦ παρθενικοῦ θαλάμου, τὴν εὐφημίαν προσάξωμεν· εἴπωμεν μετὰ τῆς γραφῆς πρὸς αὐτὴν, εἴπωμεν· ὡς μακάριος ὁ οἶκος Δαυὶδ, ἐξ οὗ προῆλθας· καὶ ἡ νηδύς, ἐν ᾗ κιβωτὸν ἁγιάσματος Θεὸς ἐτεκτόνησεν· ὄντως σὺ μακαρία καὶ τρισμακαρία, ἡ θεομακάριστον βρέφος ἐγκυμονήσασα.*

1) Manifestum est *gratiae* nomen hoc sumi non significatione *speciali* de gratia gratum faciente, sed significatione *generali* de munere donoque supremo, quo praeter ac supra naturam sterilis Annae sinus fecunditate inclaruit. Hoc igitur unum ex Damasceni verbis *immediate* colligitur, Deiparam praeter ac supra naturam fuisse conceptam. Nihilominus, ut consequentia seponam, formula qua Virgo dicitur τὸ τῆς χάριτος βλάστημα, *gratiae germen*: ellogia quibus perhibetur τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον, τὸ τῶν θαυμάτων κεφάλαιον, *solum sub sole novum ac prodigiorum caput*, et comparatio qua ipsa veluti *primogenita* cum Christo *primogenito* contenditur; non obscure persuadent conceptum Deiparae habendum esse singularem, et a communi labe ruinaque solutum.

2) Titulus orationis est, Εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. *In natalem diem sanctissimae Dominae nostrae Deiparae.*

strant, vel nulla suppetit ratio qua id effici commode valeat. Quare ut de Tarasio [1]) taceam, dignus est qui observetur loquendi usus in ecclesiasticis Graecorum libris frequentatus. Ubi enim de concepta Virgine sermo in illis est, huc redeunt [a]) formulae frequentiores: « Magnus regis thronus praeparatur, rubus incombustus incipit germinare. Hodie ex radice Iesse incipit germinare mysticus flos. Anna quae ex radice Davidis et Iesse germinavit, nunc proferre incipit divinam virgam. Sceptrum sanctum, nova arca, mannae urna in sinu matris incipit prodire. Regia purpura, o Anna, in tuo sinu incipit texi. Tremendus currus solius regis in terra adornatur ex Anna principium sumens. » Ubi vero nata Virgo debitis ornatur encomiis, nihil hisce occurrit solemnius quae habet [b]) Sergius: « Hodie Deus qui in thronis intelligibilibus conquiescit, thronum sanctum in terra sibimetipsi praeparavit: qui in sapientia firmavit caelos, animatum caelum in benignitate adornavit: ex infecunda namque radice plantam vitae allatricem germinare nobis effecit, suimetipsius matrem. » Atqui sunt haec simillima, sibique ita respondent ut ad unam eamdemque rem inchoatam aut expletam perspicue referantur. Scilicet quemadmodum non aliter spectatur nativitas ac ut ea quae incipiat conceptione in utero, atque ex utero progressione compleatur; ita nativitatis idea ac voce utrumque originis stadium comprehenditur. Quod ex his etiam luculenter

a) Anthолog. pag. 180. col. 1. B. col. 2. C., pag. 181. col. 2. C., 183. col. 1. B. col. 2. D., et in Men. die IX. Decembris pag. 77. col. 1. E., pag. 78. col. 1. A-C. et pag. 79. col. 1. E. *Θρόνος ὁ μέγας τοῦ βασιλέως προετοιμάζεται· βάτος ἡ ἄφλεκτος ἄρχεται ἀναβλαστάνειν. Σήμερον ἐκ ῥίζης τοῦ Ἰεσσαὶ βλαστάνειν ἀπάρχεται τὸ ἄνθος τὸ μυστικόν. Ἐκ ῥίζης ἡ βλαστήσασα Δαυὶδ καὶ Ἰεσσαὶ Ἄννα, νῦν βλαστάνειν ἀπάρχεται τὴν θείαν ῥάβδον. Τὸ σκῆπτρον τὸ ἅγιον, ἡ νέα κιβωτὸς, ἡ στάμνος τοῦ μάννα ἐν νηδύϊ μητρὸς ἀπάρχεται βλαστάνειν. Βασιλικὴ πορφύρα ἐν τῇ σῇ ἀπάρχεται, Ἄννα, ἐξυφαίνεσθαι γαστρί. Ἅρμα τὸ φρικτὸν τοῦ μόνου βασιλέως ἐπὶ τῆς γῆς κατασκευάζεται, ἐξ Ἀννης λάμβανον ἀρχήν.*

b) Anthолog. die VIII. Septembris ad vesp. pag. 19. col. 1. E. *Σήμερον ὁ τοῖς νοεροῖς θρόνοις ἐπαναπαύομενος θεὸς, θρόνον ἅγιον ἐπὶ γῆς ἑαυτῷ προητοίμασεν· ὁ στηρίσας ἐν σοφίᾳ τοὺς οὐρανοὺς, οὐρανὸν ἔμψυχον ἐν φιλανθρωπίᾳ κατεσκεύασεν, ἐξ ἀκάρπου γὰρ ῥίζης φυτὸν ζωηφόρον ἐβλάστησεν ἡμῖν τὴν μητέρα αὐτοῦ.*

1) Oratione enim de oblata in templo Virgine *nativitatis* nomen ita passim usurpat, ut utramque originem in utero atque ex utero complectatur. Neque alia est loquendi ratio quam sequitur Isidorus thessalonicensis ea oratione quam habuit *εἰς τὴν γέννησιν τῆς παναγίας καὶ θεομήτορος καὶ ἀειπαρθένου ἡμῶν Μαρίας, in nativitatem supra modum omnem purissimae et Dei matris et dominae nostrae semper virginis Mariae.*

Digitized by Google

apparet, quibus [a]) Iohannes euboeensis Ioachimum Annamque compellat inquiens: « Vere beati ac ter beati Ioachim et Anna, sed millies beatior haec filia descendens e stirpe Davidis, e femore autem sinuque vestro egrediens. Vos beati Ioachim et Anna, quod rationalem paradisum vobis ipsi edideritis. Ecce ut Anna audivit ab angelo conceptum et nativitatem puellae omni ex parte immaculatae coepit gestire gaudio. » Ubi instar unius iunguntur ortus ἐξ ὀσφύος *ex femore*, idest conceptio, et ortus ἐκ γαστρός *ex utero*, idest nativitas: ubi quum dicitur, *rationalem paradisum vobis ipsi edidistis*, verbo ἐκύησατε utraque nativitas infinite significatur: et ubi σύλληψις, *origo in utero*, et γέννησις, *origo ex utero* veluti partes unius eiusdemque expletae nativitatis habentur.

1632. De eadem loquendi ratione testis est beatus Petrus Damiani, qui [1]) descripta protoparentum transgressione pergit: « Ab illa hora tenebrae factae sunt super universam terram [2]) usque ad Virginem, nec inventus est aliquis qui vel exiret de tenebris vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepelivit. Haec est illa nox solitaria nec laude digna, de qua [3]) scriptum est, posuisti tenebras, et facta est nox. In ipsa pertransierunt omnes bestiae silvae, quia crudeles et indomiti spiritus dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtriverunt. Sed nata [4]) Virgine, surrexit aurora: quia Maria veri praevia luminis, nativitate sua mane clarissimum serenavit. Haec est stella matutina in medio nebulae, quae in caeli cardine summo splendore coruscans orbem subditum splendidioribus radiis incoloravit. Haec est aurora quam sequitur, immo de qua nascitur sol iustitiae, solius claritati succumbens. Haec est aurora quam ille non

a) Orat. in Deiparae concept. Ὄντως μακάριοι καὶ τρισμακάριοι Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα· μυριονταπλασίονα μακαριωτέρα ἡ ἀπόγονος καὶ θυγάτηρ Δαυὶδ, ἡ ἐξ ὀσφύος καὶ γαστρὸς ὑμῶν προερχομένη· μακάριοι ὑμεῖς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, ὅτι παράδεισον λογικὸν ὑμῖν ἐκυήσατε· ἰδοὺ Ἄννα ἀκούσασα παρὰ τοῦ ἀγγέλου τὴν σύλληψιν καὶ γέννησιν τῆς παναμώμου κόρης, ἤρξατο μὲν χαίρειν.

1) Serm. XL. in Virginis assumpt. pag. 96. col. 2. A-D. opp. T. II.

2) Natam ne ex utero, vel in utero animatam? Series orationis demonstrat utramque nativitatem significari et unius instar censeri.

3) Ps. CIII.

4) Qua nativitate? Integra ac plena, neque illam minus comprehendente quae orta in utero, quam quae orta ex utero continetur.

Digitized by Google

vidit qui vidit omne sublime: et orat [1]) beatus Iob ut ei multa suppressione claudatur dicens, non videat ortum surgentis aurorae. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus, tua est nox in qua Adam a die est eiectus, tu fabricatus es auroram, idest, Virginem matrem, et solem, solem videlicet iustitiae qui de virginali thalamo consurrexit.» Suspicit ergo miraturque Damiani eam Virginis nativitatem, quae ab animae creatione proficiscitur. Haec porro est nativitas infinite sumpta, quaeque passiva conceptione ortuque ex utero absolvitur. Accedit Fulbertus carnotensis qui de festo natae Virginis [2]) ait: «Est enim ista suscepta festivitas non modicis nec paucis praefulgens mysteriis, aut reliquorum sanctorum festivitatibus coaequanda; sed tantum est excellentior, quantum constat eam omnibus hominibus praeferendam, cuius hodie praelucida recitantur nativitatis initia.» Sed cuius nativitatis praelucida appellat initia? Dubio procul illius, qua ex utero effulsit; neque tamen illius dumtaxat, ut his efficitur quae [3]) sequuntur: «Huius namque pater et mater carnales fuisse feruntur Ioachim et Anna, quae bene sibi de nominis interpretatione competunt; Ioachim quippe praeparatio Domini dicitur, Anna vero gratia Dei interpretatur. In horum duorum nominum interpretatione quid innuitur, nisi gratia quam simul adepti sunt? Ubi namque poterit esse gratia, nisi ubi famulatur praeparatio conscientiae? Et ubi locum habebit praeparatio operationis, nisi ubi ante praecesserit Dei largita gratia? Sic ergo in unum duae compactae gratiae, disponente Dei nutu, proferunt [4]) ex se gratiam non parvam, profuturam valde cunctis hominibus.» Constat igitur eam usu maiorum cultam ellogiisque honestatam Deiparae nativitatem, quae universim ac infinite ad utramque originem inchoatam in sinu ac perfectam ex sinu porrigeretur.

1633. De quo usu eo minus ambigemus, quo nobis evidentius innotuerit more veterum fuisse receptum, *ut natam Deiparam celebrantes ad illius in utero conceptum palam respicerent*. Et palam enimvero respexit Andreas cretensis [a]) qui de natali eiusdem die

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 95. A-B. apud Gallandium T. XIII. Σήμερον τοῦ

1) Iob. III.
2) Orat. in Virginis nativit. pag. 119. col. 1. A-B. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.
3) Ibid. pag. 119. col. 2. D-E.
4) Quae profecto ad conceptionem atque nativitatem in utero referuntur.

Digitized by Google

sic habet: « Hodie namque creatoris omnium creatum delubrum exaedificatum fuit, ac creatura divinum creatori nova decentique ratione praeparatur hospitium. Hodie natura prius e terra deificationis principium accipit, pulvisque ad supremum gloriae apicem sublimis excurrere contendit. Hodie pura hominum ingenuitas primae a Deo formationis munus recipit et ad seipsam [1]) postliminio redit, et speciei decorem quem vitiositatis ignobilitas obscuravit, hunc natura notae eius matris adhibens qui est [2]) speciosus, optimam planeque divinam formationem accipit; et proprie formatio instauratio fit, et instauratio deificatio, illaque principalis exemplaris per similitudinem expressio. Hodie sterilis contra spem invenitur mater, illaque prolis sine patre mater ex non genitalibus lumbis germinans naturae genituras sanctificat. » Quae omnia et singula quum de nativitate ex utero intelligi nequeant, characteres notasque praeferunt nativitatis in utero. Ad quam in utero originem et haec spectant quae Iacobus monachus [a]) de Ioachimo et Anna scribit: «Hi eorum quae oraculis annuntiata fuerunt exordia in opus sternere coeperunt: hi rerum in spe positarum radicem ediderunt: hi promissionum fundamentum fixerunt: ex his pigmentaria nobis medicaque officina exstructa est: ex his venis prophetarum impletio: ex his prodierunt gaudii pignora.» Quidquid vero his dicitur, etsi occasione festi de nata Deipara a Iacobo dicatur, eiusdem tamen conceptum, illumque purum sanctumque exhibet spectandumque proponit.

παντοκτίστου τὸ κτιστὸν ᾠκοδόμηται τέμενος· καὶ τὸ κτίσμα τῷ κτίστῃ θεῖον ἐναύλισμα καινοπρεπῶς ἑτοιμάζεται· σήμερον ἡ πρὶν ἀπογαιωθεῖσα φύσις ἀρχὴν λαμβάνει θεώσεως· καὶ πρὸς δόξαν ὁ χοῦς τὴν ἀνωτάτω μετάρσιος ἀνατρέχειν ἐπείγεται· σήμερον ἡ καθαρὰ τῶν ἀνθρώπων εὐγένεια τῆς πρώτης θεοπλαστίας ἀπολαμβάνει τὸ χάρισμα, καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἀντεπάντησι· καὶ ἣν ἀπημαύρωσε τοῦ κάλλους εὐπρέπειαν ἡ τῆς κακίας δυσγένεια, ταύτην ἡ φύσις τεχθεῖσῃ τῇ μητρὶ τοῦ ᾠῴου προσέχουσα, πλάσιν ἀρίστην τε καὶ θεοπρεπεστάτην εἰσδέχεται· καὶ γίνεται κυρίως ἡ πλάσις, ἀνάκλησις· καὶ ἡ ἀνάκλησις, θέωσις· ἡ δέ, πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἐξομοίωσις· σήμερον ἡ στεῖρα, μήτηρ παρ' ἐλπίδας εὑρίσκεται, καὶ τόκου μήτηρ ἄπατρος ἐξ ἀγόνων λαγόνων βλαστάνουσα, τὰς γονὰς ἁγιάζει τῆς φύσεως.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1250. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Οὗτοι τὰ τῶν προῤῥήσεων εἰς ἔργον κατεβάλλοντο προοίμια· οὗτοι τῶν προσδοκηθέντων τὴν ῥίζαν ἐβλάστησαν· οὗτοι τῶν ἐπαγγελθέντων τὸν θεμέλιον κατέπηξαν· ἐκ τούτων ἡμῖν ἡ τῆς ἰατρείας μυροθήκη κατεσκευάσθη· ἐκ τούτων ἡ τῶν προφητῶν ἐπεδήμησε πλήρωσις· ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προωδοποίησεν ἐνέχυρα.

1) Haec autem, et quae praecedunt quaeque subsequuntur, non modo comparata sic sunt ut ad nativitatem in utero pertineant, sed hanc praeterea puram ostendunt, immaculatam, illique simillimam qua primum protoparentes exstiterunt.

2) Ps. XLIV. 3.

Digitized by Google

1634. Quo et haec pertinent Nicetae paphlagonis qui natalem laudans Deiparae diem, de Ioachimo [a]) ait: « Qui enim sanctissimi Spiritus sanctissimum thesaurum esset geniturus, decebat eiusdem primum Spiritus divinis operationibus repletum *sacro spiritalique desiderio* [1]) ad conceptum confoveri. » Est autem luce splendidius, haec proprie non ad Deiparam ex utero natam, sed ad ipsam in utero conceptam referri, ad quam pariter et ista referuntur quae Iohannes damascenus [b]) ait: « O par beatum Ioachim et Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum praestantissimum creatori obtulit, nempe [2]) sanctam matrem, solam creatore dignam. O lumbos Ioachim beatissimos, e quibus mundissimum [3]) semen iactum est! o praeclaram Annae vulvam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit foetus [4]) sanctissimus. » Haec [c]) item: « O beatum par Ioachim et Anna, ac vere immaculatissimum! ex fructu ventris vestri [5]) cognoscimini, veluti alicubi Dominus ait: ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Atque haec [d]) denuo: « Vitis uberrima ex Anna pullulavit, uvaque

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 439. A. apud Combefis. Auctar. T. III. Τὸν γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος μέλλοντα τὸ ἁγιώτατον κειμήλιον ἐκτεκεῖν, ἔδει τοῦ πνεύματος αὐτοῦ πρῶτον τῶν θείων πληρούμενον ἐνεργειῶν, ἐξ ἱερᾶς τε καὶ πνευματικῆς πρὸς τὴν κύησιν διαθερμανθῆναι προθυμίας.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842. C-D. Ὦ μακαρία ξυνωρὶς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα· ὑπόχρεως ὑμῖν ἐστι πᾶσα ἡ κτίσις· δι' ὑμῶν γὰρ προσήγαγε δῶρον τῷ κτίστῃ δώρων πάντων ὑπερφερέστερον, μητέρα σεμνὴν, μόνην ἀξίαν τοῦ κτίσαντος· ὦ ὀσφὺς τοῦ Ἰωακεὶμ παμμακάριστε, ἐξ ἧς κατεβλήθη σπέρμα πανάμωμον· ὦ μῆτρα τῆς Ἄννης ἀοίδιμε, ἐν ᾗ ταῖς κατὰ μικρὸν ἐξ αὐτῆς προσθήκαις αὐξήθη, καὶ διαμορφωθὲν ἐτέχθη βρέφος παγκαγιον.

c) Ibid. §. V. pag. 844. C. Ὦ μακάριον ζεῦγος Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, καὶ ὄντως πανάχραντον· ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας ὑμῶν ἐπεγνώσθητε, καθώς φησί που ὁ κύριος· ἐκ καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

d) Ibid. §. IX. pag. 847. B-C. Ἄμπελος εὐκληματοῦσα ἐξ Ἄννης ἐβλάστησε, καὶ βότρυν γλυκύτητος ἤνεγκε, πόμα νέκταρ τοῖς γηγενέσι παγάζοντα εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα ἔσπειραν ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, καὶ ἐθέρισαν καρπὸν ζωῆς· ἐφώτισαν ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως, καὶ κύριον ἐξεζήτησαν, καὶ ἦλθεν αὐτοῖς γέννημα δικαιοσύνης.

1) His non obscure traditur, propter sanctitatem exstituri germinis sua gratia cavisse Deum, ne activus Deiparae conceptus aestu libidinis vitiaretur.

2) Fuit igitur Virgo in sua origine *σεμνὴ sancta*, non *casta*, ut Lequienius vertit.

3) Atqui *immundum* est semen quod aestuante concupiscentia spargitur. Auctor est igitur Damascenus, activum Deiparae conceptum, singulari Dei tutela, fuisse a concupiscentia immunem. Scilicet concipiendus erat *foetus sanctissimus*, atque adeo decebat ut causae opportune praepararentur.

4) Deipara igitur in sua conceptione activa fuit *pura*, quia sine concupiscentia genita: et in sua conceptione passiva fuit *sanctissima*, quia divinis cumulata donis.

5) Quibus *adsignificatur*, editum ab iis fructum nulla fuisse labe vitiatum, sed omnino integerrimum.

Digitized by Google

suavissima effloruit potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. Ioachim et Anna ad iustitiam sibi ipsi seminarunt, ac vitae fructum [1]) messuerunt. Scientiae lumen sibi illuminarunt, ac Dominum exquisierunt, venitque illis [2]) germen iustitiae. » Quibus pronum mihi foret gemina addere ex duabus aliis eiusdem orationibus de beatae Mariae nativitate, quas a Billio [3]) graece ac latine editas Lequienius, nescio qua de caussa praetermisit; sed illa [4]) innuisse contentus, ad Fulbertum carnotensem venio, cui quamquam propositum esset de nata Virgine loqui, haec tamen [5]) habet: « Denique in huius conceptione necessarium haud dubie est, quod utrumque parentem [6]) vivificus et ardens Spiritus singulari munere repleverit, quodque ab eis sanctorum angelorum custodia seu visitatio numquam abfuerit. Merito siquidem huius sanctae Virginis multum adeo laudandi sunt et extollendi et sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se praestiterunt, ut non immerito de eorum stirpe prodiret talis successio quae fieret et priscis aetatibus et subsequentibus exemplum totius bonitatis. Quanta putamus provisio fuerit sanctorum angelorum circa tam Deo gratissimos parentes, ab initio suae procreationis, et excubatio super tam ingentem sobolem? Numquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus [7]) ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Nulli enim fidelium dubium est, quod circa eam omnis frequentia caelestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam [8]) minime ambigebant. »

1635. Ea igitur ratio laudandae natae Virginis penes maiores obtinuit, ut illius quoque conceptum ob oculos haberent, deque eo splendidissime loquerentur. Quare Hildephonsus toletanus antistes, commemorato nostri generis excidio, de Deo pientissimo reparatore [9]) subdit: « In longinquo ergo disposuit per sapientiam

1) Sed *fructus* sunt *mortis* quotquot originali infecti labe concipiuntur.

2) Atqui nemo gignitur obstrictus paterna transgressione, qui non sit dicique debeat *inobedientiae atque iniustitiae germen*.

3) Prior ex hisce orationibus apud Billium incipit, Ἄλλοι μὲν ἄλλας ἑορτῶν ὑποθέσεις: posterioris vero exordium sic habet: Πάλιν ἑορτή, καὶ πάλιν πανήγυρις.

4) Cf. quae traduntur pagg. 271. I., 278. E., 281. A-B. et 284. F-G.

5) Orat. in Virginis nativit. pag. 119. col. 1. C-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.

6) Quo munere vivifici ardentisque Spiritus repleti ab effrenis concupiscentiae motibus eximerentur, et immaculatam filiam genituri nulla libidinis sorde foedarentur.

7) Si Spiritus-sanctus semper adfuit Virgini, ipsa semper fuit sancta, nec umquam culpae aditus patuit quo eam inficeret.

8) Conceptio igitur ac Deiparae nativitas talis fuit, qualis eius esse oportebat quam divini Spiritus sponsam et angelorum reginam reveremur. Haec autem esse oportuit conceptio et nativitas omnino singularis, et a communibus legibus immunis ac soluta.

9) Orat. in Deiparae nativit. pag. 46. col 1. C-D. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.

Digitized by Google

suam, ut per semetipsum redimeret quod per semetipsum plasmavit. Voluit per pietatem suam et omnipotentiam suam visitare mundum, ut ipse qui hominem fecerat, per visitationem suam redimeret. Praeparavit sibi vas, ut per ipsum potuisset apparere hominibus. Scriptum est [1]) enim, *Sapientia aedificavit sibi domum*, vel templum, hoc est, Mariam virginem.» Tum e vestigio [2]) pergit: «Consideremus in quantum possumus, quia nec lingua sufficit loqui quod voluntas cupit proferre, quanta fuit benignitas Dei ut de tam longissimo inquireret sibi templum ubi habitaret: quia Maria virgo [3]) non sic est nata, sicut solent pueri vel puellae nasci. Sed de Anna sterili et patre iam sene, extra consuetudinem mulierum post refrigescentem calorem et sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, et omnem amorum libidinis [4]) discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, ut de tali vasculo [5]) mater sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum sanctum, illo ordinante et benigniter praecipiente, praeparavit sibi matrem quae praecessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem. Honorabilis dies et sacra festivitas, in qua natà est virgo Maria Dei genitrix. Hoc est gaudium nostrum, haec est festivitas nostra, quia quando voluit fecit, ut nos per suam magnam misericordiam per Virginem visitaret. Exsultemus et laetemur omnes in celebratione hodiernae festivitatis beatae Dei genitricis et semper virginis Mariae, quia praeclara et [6]) sancta est, in qua inchoavit redemptor omnium visitationem mirabilem, et nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est.» Quae omnia sic pertinent ad ortum Virginis, ut ex eis neque pauca neque minus illustria ad eiusdem conceptum proprie referantur.

1636. Hinc in Mozarabum Missali inter orationes Missae de Virginis nativitate haec etiam [7]) censetur: «Beata Domini mater et perpetua virgo Maria priusquam nasceretur, oraculis enunciata est

1) Prov. IX. 1.

2) Loc. cit pag. 46. col. 1. D-E.

3) His perspicue Virgo secernitur a communi lege nascendi, ac mox a communi generationis modo exempta declaratur.

4) Cavit Deus, ne activus Virginis conceptus cupiditate vitiaretur, proindeque cavit ne universalis adesset conditio qua hereditaria labes propagatur.

5) Ut rite iudicetur cuiusmodi fuerit Virginis conceptus ac nativitas, excidere ex animo numquam debet conceptum fuisse ac nativitatem non unius e multis sed reginae angelorum Deique matris.

6) *Praeclara sanctaque* dicitur Virginis nativitas. Sed ea manifeste utraque origo tum prima in conceptione tum altera in ortu continetur. Praeclara igitur sanctaque, teste Hildephonso, haberi debet Virginis conceptio.

7) T. II. pag. 374. col. 1. D.

Digitized by Google

et designata miraculis. Nata vero progenies divinitus ordinata privilegio virtutum insignis enituit, Salvatorem edidit, a quo glorificata in caelo numquam terrigenis patrocinari desistit. Propositionem sequatur ordine suo narratio, iamque referamus unum de praetaxatis oraculis, ac inde paucis expediamur. Dixit aeternus ad veterem, Deus [1]) ad serpentem: inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum. Ut per hoc quod de te quae vera sunt credimus, ad hoc quod te diligentibus tribuis ardentius veniamus. Amen. » Sed quod laudatur oraculum, Virginis conceptum nominatim praesignat. Quem pariter haec ostendunt in officio nativitatis solemni Graecorum usu [a]) frequentata: « In afflictione sterilitatis divini Deiparae genitores ad Dominum clamarunt, atque hanc generationibus generationum ediderunt in communem salutem et gloriam. Qui mirabilia operatus es in sterilem uterum, qui infecundum Annae sinum aperuisti ipsique fructum dedisti, tu Deus sanctus, tu filius Virginis, tu carnem accepisti ex ipsa semper virente virgine ac Deipara. Tuas, o Deipara, veneramur fascias, glorificamus qui sterili fructum impertiit et infecundum sinum mirabiliter reseravit. » Quorum ea vis est, ut conceptum potius in sinu quam ortum ex sinu innuant ac demonstrent.

1637. Quare nobis, credo, dabitur ut quae gravissimorum auctoritate testium hucusque asseruimus, eadem suffragio hominis minime boni, sed eruditi ac vetusti postremo confirmemus. Photius itaque in oratione qua natalem diem sanctissimae Deiparae celebrandum suscepit, festi obiectum explanans [b]) ait: « Hodie enim virgo mater ex matre sterili nascitur, et dominici adventus palatium

a) Antholog. die VIII. Septembris pagg. 25. col. 1. B., 26. col. 2. D. et 27. col. 2. A. Πρὸς κύριον ἐν θλίψει στειρώσεως ἐβόησαν τῆς Θεομήτορος οἱ θεόφρονες γεννήτορες, καὶ ταύτην γενεαῖς γενεῶν ἐκύησαν εἰς κοινὴν σωτηρίαν καὶ καύχημα.

Ὁ ποιήσας παράδοξα τῇ στειρωθείσῃ γαστρὶ, ὁ ἀνοίξας Ἄννης ἄγονον μήτραν, καὶ καρπὸν αὐτῇ δούς· σὺ Θεὸς ἅγιος, σὺ υἱὸς τῆς παρθένου, σὺ ἐκ ταύτης σάρκα προσελάβου τῆς ἀειθαλοῦς παρθένου καὶ Θεοτόκου.

Τὰ σπάργανα προσκυνοῦμέν σου, Θεοτόκε, δοξάζομεν τὸν δόντα καρπὸν τῇ πρώην στείρᾳ, καὶ ἀνοίξαντα μήτραν τὴν ἄγονον ἐκ παραδόξου.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1585. C-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Σήμερον γὰρ ἡ παρθένος μήτηρ ἐκ στείρας μητρὸς ἀποτίκτεται, καὶ τῆς δεσποτικῆς ἐπιδημίας τὸ

1) Gen. III. 15.

Digitized by Google

praeparatur. Hodie solvuntur [1]) sterilitatis vincula, et virginitatis claustra obsignantur. Quibus enim infecundus uterus, et cuius prolificae rationes emortuae essent, praeclarum fructum protulit quum spes omnibus abesset; iis quoque virginalis incorruptio promittitur, partusque miraculum splendidis rebus praenuntiatur. Equidem eximia res ac tota quid maius natura partus sine viro ac post editam prolem custodita virginitas; verum naturae quoque leges superat, ut sterilis vetula fecunditate augeatur, pariatque ac rei prodigium virginalem partum antevertit. » Et [a]) continuo: « Hodie Anna sterilitatis opprobrium amputat, gaudiique segetes terrarum orbis metit. Ioachim vocatur puellae pater nosque adoptionis arrhabonem honoris cumulo accipimus. Hodie Virgo [2]) ex infecundis lumbis procedit, peccatique fecundos partus sterilitas [3]) excipit. » Aliquot vero interiectis [b]) exclamat: « O rem mirabilem! quum defecisset sementis tempus, tunc edendi fructus opportunitas advenit: quum [4]) cupiditatis ignis extinctus esset, tunc fecunditatis fax accensa est. Iuventus non protulit florem, et germen senectus edit: vegeti uteri tumor non apparuit, et ventris effoeti partus apparet infans semper virgo. » Quibus expolitis et adversus impiorum dicteria strenue

παλάτιον εὐτρεπίζεται· σήμερον δ'ισμα στειρώσεως λύεται, καὶ τῆς παρθενίας τὰ κλεῖθρα σφραγίζεται· οἷς γὰρ πηδὺς ἄγονος, καὶ λόγους νικηθεῖσα τεκνώσεως, καρπὸν παρ' ἐλπίδας ὡραῖον προηνεγκεν· τούτοις καὶ τὸ τῆς παρθενίας μυστήριον ἀδιάφθορον, καὶ τὸ θαῦμα τῆς κυοφορίας ἐπιδήλοις ἔργοις προαγγέλλεται· ὑπερφυὲς μὲν τόκος ἄναρδρος, καὶ παρθενίας φυλακὴ μετὰ γέννησιν· νικᾷ δὲ θεσμοὺς φύσεως καὶ στεῖρα μετὰ γῆρας γεωργουμένη καὶ τίκτουσα, καὶ τῆς παρθένου τὸν τόκον, δι' ὧν τεκατουργεῖται, προοιμιάζεται.

a) Ibid. pag. 1585. D-E. Σήμερον τὸν ὀνειδισμὸν τῆς ἀτεκνίας ἡ Ἄννα θηρίζεται, καὶ τῆς χαρᾶς τοὺς στάχυς ἡ οἰκουμένη καρπίζεται· πατὴρ παιδὸς ὁ Ἰωακεὶμ ὀνομάζεται, καὶ τῆς υἱοθεσίας ἡμεῖς ἀρραβωνιζόμεθα τὸ ἀξίωμα· σήμερον ἡ παρθένος ἐξ ἀγόνων λαγόνων προέρχεται, καὶ τὰς γονὰς τῆς ἁμαρτίας ἡ στείρωσις διαδέχεται.

b) Ibid. pag. 1588. A-B. Ὦ τοῦ θαύματος· ὅτε τῆς σπορᾶς ὁ χρόνος ἐξέλιπε, τότε τοῦ καρποῦ τῆς φορᾶς ὁ καιρὸς ἐπεδήμησεν· ὅτε τὸ πῦρ ἐσβέσθη τῆς ἐπιθυμίας, τότε ἡ λαμπὰς ἀνήφθη τῆς παιδοποιΐας· νεότης ἄνθος οὐκ ἤνεγκε, καὶ βλαστὸν τὸ γῆρας προβάλλεται· γαστρὸς ὄγκος ἀκμαζούσης οὐκ ἐγνώσθη φύσεως, καὶ ὑπερήκμου πηδὸς ἀεπάρθενον βρέφος γνωρίζεται κύημα.

1) His autem et sequentibus non ortus sed conceptus describitur.

2) Nobis licet non monentibus, quisque cernit haec ad conceptum Deiparae pertinere.

3) Atqui concepta Deipara, ἡ γονὴ τῆς ἁμαρτίας *fecunditas peccati* non exaruisset sed semet ulterius explicasset, si ipsa quoque peccatum originis contraxisset. Nova enim exstitisset filia irae, novumque peccati germen. His igitur fides immaculati conceptus non obscure continetur.

4) Alluditur ad eam veterum sententiam, qua activus Deiparae conceptus exsors libidinis affirmatur.

Digitized by Google

vindicatis, de protoparentibus [a]) subdit: « Quapropter etiam Adam una cum Eva antiquas illas praevaricationis depurgantes sordes, tristemque a moestitia vultum deponentes, libera tum voce tum facie laetis choreis virginalem festivitatem coronant, quin potius eius exsistunt auspices. Quum enim peccati semen toti adnatum generi illud vitiasset, eo [1]) radicitus exstirpato, merito potius gaudium chorosque auspicentur, et socios convocent universos ab eis procreatos. Ex quo namque prolapsionis infirmitas ab iis qui primi praevaricati essent in omnes transfusa diffluxerat, universisque similis curatio opus erat, et fundamenta salutis mundi totius virginali partu hodie ponuntur; decebat ut communis ac generis totius constitueretur celebritas, utque populi totius cantica mundanis maiora in gratiarum actionis monimentum pangerentur. Mundi enim totius salus gratiarum actiones mundanis maiores sibi vindicat. » Tum [b]) pergit: « Gratiarum actionis edamus cantica, populique universi constituamus choros, quod Virgo ex infecundo prodiens sinu infecundam naturae vulvam [2]) sanctificat, eiusque sterilitatem ad uberes virtutum fructus exstimulat. » Perspicuis ergo maiorum testimoniis effecimus, in ellogiis de nata Virgine ea dici atque efferri laudibus consuevisse, quae ad ipsius in utero conceptum omnino pertinerent.

1638. Ceterum instituta comparatione sermonum quos de concepta deque nata Deipara maiores habuerunt, alio rursum ex capite

a) Ibid. pag. 1595. B-D. Διὸ καὶ Ἀδὰμ σὺν τῇ Εὔᾳ τοὺς παλαιοὺς ἐκείνους τῆς παραβάσεως ἀποκαθηράμενοι μολυσμοὺς, καὶ τὸ τῆς κατηφείας ἀποσκευασάμενοι σκυθρωπὸν, ἐλευθέρᾳ καὶ φωνῇ καὶ ὄψει τὴν παρθενικὴν χοροστατοῦσι πανήγυριν χαίροντες· μᾶλλον δὲ κορυφαῖοι ταύτης καθεστηκότες· δι' ὧν γὰρ ἡ τῆς ἁμαρτίας σπορὰ ὅλῳ παραφυεῖσα τῷ γένει, καὶ τοῦτο νοθεύσασα· οὗτοι μᾶλλον ταύτης ἀπορριζουμένης, καταρχεῖν τῆς χαρᾶς καὶ τῆς χοροστασίας, καὶ μητέρχεσθαι καὶ συγκαλεῖν τοὺς ἐξ αὐτῶν πεφυκότας, τυγχάνουσι δίκαιοι· καὶ γὰρ διὰ πάντων μὲν ἀπὸ τῶν πρώτων παραβεβηκότων, τοῦ τῆς παραπτώσεως ἀῤῥωστήματος μεταῤῥυέντος· πάντων δὲ τῆς ὁμοίας θεραπείας ἐπιδεομένων· τῆς δὲ παγκοσμίου σωτηρίας σήμερον τῷ τῆς παρθένου τόκῳ θεμελιουμένης, κοινὴν μὲν καὶ παγγενῆ πρόσηκε συστήσασθαι τὴν πανήγυριν· δημοτελεῖς δὲ καὶ ὑπερκοσμίους τὰς εὐχαριστηρίους ᾠδὰς ἀνακρούσασθαι, ὑπερκόσμιον γὰρ ἀπαιτεῖ τὴν εὐχαριστίαν, τὸ τῆς σωτηρίας παγκόσμιον.

b) Ibid. pag. 1595. E. Ἀναπίμψωμεν εὐχαριστηρίους ᾠδὰς, καὶ χοροὺς πανδήμους συστησώμεθα, ὅτι κόλπων ἀγόνων παρθένος προκύπτουσα, τὴν ἄγονον μήτραν ἁγιάζει τῆς φύσεως, εἰς ἀρετῶν εὐκαρπίαν τὸ ταύτης ἄκαρπον ἐγκεντρίζουσα.

1) Sed qui dici poterat in Deiparae primordiis radicitus exstirpatum peccati semen universo adnatum generi, si et ipsa eo semine fuisset adspersa?

2) En quantopere primordia Virginis abessent a culpa. Eiusmodi fuerunt, quae ipsum uterum sanctificarent.

innotescit, festum nativitatis ab eo non fuisse penitus seiunctum quo conceptio honorabatur. Ut enim verbis utar unius Georgii nicomediensis, quo cum plenissime concinunt [1]) Petrus Argorum praesul et [2]) Iohannes euboeensis, en quae de festo conceptionis [3]) usurparentur: « Quum itaque hodierna festivitas illustrioribus omnibus solemnitatibus propter consummata in ipsa miracula praeeat, iisque ceu fundamentum quoddam ac crepido supposita quidquid in illis sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat; par omnino est ut tamquam principio et caussae universorum bonorum venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudio celebremus. Decet plane ut salutis initia honore prosequamur. »

In altero autem sermone [b]) his verbis Georgius orditur: « Quum enim spiritalis hodie nubes explicari claro vocis praeconio refertur, iam quidem radii luminis [3]) quod nescit occasum, mundo praeoriuntur, quaeque hactenus obtinuerant impietatis tenebrae, diminutionem accipiunt ac fugantur. Annuntiata hodie tabernaculi divini exstructione, pietatis quidem fundamenta firmius stabiliuntur, impietatis vero munitiones penitus convelluntur. Cum hodie texitur regia purpura, futurus nuntiatur omnium regis adventus: hominum qui inimici erant, praevie [4]) reconciliatio sancitur: tropaea

a) Orat. II. in concept. s. Annae pag. 1017. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Οὐκοῦν ἐπειδὴ τῶν ἐυσημοτέρων πασῶν ἑορτῶν ὁ σήμερον διὰ τῶν ἐν αὐτῇ τελεσθέντων προκαθηγεῖται θαυμάτων, καὶ οἷος βάσις τις καὶ κρηπὶς αὐταῖς ὑποτεθειμένη, τὸ πᾶν ὑφ' ἑαυτὴν τῶν διαφόρως οἰκονομηθέντων καθάπερ θεμέλιός τις ἐπισαυγεῖ μυστηρίων, δεῖ τὸ σεβάσμιον αὐτῇ καὶ περιχαρὲς, ὡς ἀρχὴ καὶ αἰτία τῶν ἁπάντων ἀγαθῶν ἀφοσιοῦν· δεῖ τὰ τῆς σωτηρίας γεραίρειν προοίμια.*

b) Orat. I. in oraculum concept. sanctae Deiparae pag. 997. A-D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Σήμερον γὰρ τῆς νοητῆς νεφέλης ἐφαπλοῦσθαι κηρυττομένης, αἱ τοῦ ἀδύτου μὲν φωτὸς προανίσχουσι εἰς τὸν κόσμον ἀκτῖνες, τὸ κρατῆσαν δὲ τῆς ἀθεΐας ἀπομειοῦσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι ἄρχεται σκότος· σήμερον τῆς τοῦ θείκοῦ σκηνώματος οἰκοδομῆς μηνυομένης, οἱ τῆς εὐσεβείας μὲν καταπήγνυνται θεμέλιοι, ἐκ βάθρων δὲ τὰ τῆς ἀσεβείας ὀχυρώματα κατασείεται· σήμερον τῆς βασιλικῆς ἐξυφαινομένης ἀλουργίδος, ἡ τοῦ τῶν ὅλων βασιλέως προκαταγγέλλεται ἐνδημία· αἱ τῶν ἐκπεπολεμωμένων ἀνθρώπων προϋπογράφονται ὑπαλλαγαί· τὰ κατὰ τοῦ πολεμήτορος αὐτῶν προαναφωνεῖται τρόπαια· σήμερον ἡ ῥίζα τῶν ἀγαθῶν ἐν ἀκάρπῳ προαγορευομένη φύεσθαι γηδίῳ, τὴν ἀποξηρανθεῖσαν ἡμῶν τῇ κακίᾳ φύσιν, νεοθαλὴ τῆς εὐσεβείας ἀναφύειν προμηνύει βλαστήματα.*

1) Orat. in concept. s. Annae.
2) Orat. in concept. s. Annae.
3) Lucida ergo nullisque obsita peccati tenebris primum exstitit Virgo.
4) Numquam igitur reconciliatione eguit Virgo, ac numquam propterea peccato obnoxia inimicitias cum Deo exercuit.

Digitized by Google

adversus hostem [1]) erigenda occupato celebrantur. Hodie bonorum radix in sterili nascitura utero praenuntiatur, ut natura hominum quae vitio exaruerat, virentia pietatis germina producat. » Iamvero horum nihil est quod de festo natae Virginis totidem verbis non repetant, geminisque sententiis non inculcent [2]) Hildephonsus toletanus, Andreas cretensis [3]), Iohannes damascenus [4]), Photius byzantinus [5]), Leo Augustus [6]), Iacobus monachus [7]), Anonymus [8]) apud Metaphrastem, Theophanes cerameus [9]), incertus auctor [10]) apud Alcuinum, Fulbertus carnotensis [11]), Petrus Damiani [12]), Goffridus vindocinensis [13]), Bernardus claraevallensis [14]), Odo Morismondi abbas [15]) et [16]) Laurentius Iustinianus. Quod quidem prolatis in medium testimoniis ostenderem, nisi res foret exploratissima, obvia, et quam quisque dummodo velit, apertis libris consultisque quos innuimus locis, usurpare propriis oculis nullo negotio queat. Ne tamen penitus taceam, duos commemorabo, Andream cretensem et Photium byzantinum, quorum ille [a]) de festo nativitatis scribit: « Praesens nobis solemnitas festorum initium est, utique prima post legem et umbras, ipsaque nihilominus earum ingressus atque ianua quae ad gratiam et veritatem spectant. » Et [b]) paullo post concionem alloquens pergit: « Confidite, natalitia celebritas est ac generis reformatio. Iam enim Virgo nascitur, lactatur et fingitur, omniumque seculorum Deo mater praeparatur. » Neque aliter Photius, qui explanato festorum scopo atque consilio [c]) subdit: « Longe prae aliis

a) Encom. in Deiparae nativit. pag. 93. A-B. apud Gallandium Tom. XIII. *Ἀρχὴ μὲν ἡμῖν ἑορτῶν ἡ παροῦσα πανήγυρις· πρώτη δὲ τῶν πρὸς τὸν νόμον καὶ τὰς σκιάς· καὶ μέντοι καὶ τῶν πρὸς τὴν χάριν καὶ τὴν ἀλήθειαν εἴσοδος.*

b) Ibid. pag. 93. C. *Θαρσεῖτε, γενέθλιος ἡ πανήγυρις, καὶ τοῦ γένους ἀνάπλασις· παρθένος γὰρ ἄρτι γεννᾶται καὶ τιθηνεῖται καὶ πλάττεται, καὶ τῷ θεῷ τῷ παμβασιλεῖ τῶν αἰώνων ἑτοιμάζεται μήτηρ.*

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1584. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἡ παροῦσα πανήγυρις τῆς παρθένου καὶ θεοῦ μητρὸς φιλοτιμουμένη τὴν γέννησιν, λαμπρὰ κατὰ πάσης τὰ πρεσβεῖα ἀποφέρεται· ὥσπερ γὰρ τὴν ῥίζαν κλάδων*

1) Una itaque celebratur Virgo, quam infernus hostis sibi numquam subiecerit.

2) Orat. de nativit. Virginis apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VIII. pagg. 46. seqq.

3) Oratt. in Deiparae nat. ibid. pagg. 49. seqq.

4) Oratt. in Deiparae nat. ibid. pagg. 64. seqq.

5) Orat. in Deiparae nat. ibid. pagg. 68. seqq.

6) Orat. in Deiparae nat. ibid. pagg. 71. seqq.

7) Orat. in Deiparae nat. ibid. pagg. 74. seqq.

8) Or. de sanctae Mariae ortu ibid. pagg. 81 seqq.

9) Orat. in Deiparae nat. ibid. pagg. 93. seqq.

10) Orat. in Virginis nat. ibid. pagg. 95. seqq.

11) Orat. in Virginis nat. ibid. pagg. 97. seqq.

12) Oratt. in Virginis nat. ibid. pagg. 99. seqq.

13) Orat. in Virginis nat. ibid. pagg. 109. seqq.

14) Orat. in Virginis nat. ibid. pagg. 111. seqq.

15) Oratt. in Deiparae nat. ibid. pagg. 116. seqq.

16) Orat. in Virginis nat. ibid. pagg. 121. seqq.

Digitized by Google

solemnis hic dies Virginis Deique matris natalitio inclytus praeclara honoris insignia refert. Quemadmodum enim radicem ramorum, truncique ac fructus florisque agnoscimus caussam; sic dempta Virginis festivitate, aliarum ab ipsa germinantium nulla illucescet. » Et nonnihil [a]) inferius: « Quamobrem virginalis festivitas rationem implens radicis, fontisve aut fundamenti, illis pariter universis honestatur ac splendet, multisque ac magnis praepollet donis, et mundi universi dies salutaris agnoscitur. » Ac merito [b]) sane: « Scala namque in caelum subvehens coaptatur, terrenaque natura suos ipsa terminos praetergressa in caelestes mansiones transfertur. Dominica sedes in terra paratur, terrenaque sanctificantur et caelestium ordines nobiscum coniunguntur; illiusque nequam et qui nos primum decepit, fuitque auctor insidiarum humano generi positarum, dolis eius ac molitionibus evanescentibus, potentia colliditur. » Porro quae in ecclesiastico Graecorum officio tamquam conceptionis propria [1]) frequentantur, eadem vicissim ad nativitatem traducta occurrunt. Quorum censu haec inter cetera [c]) veniunt: « Ioachim et Anna opprobrio sterilitatis, Adamus vero et Eva corruptione mortis liberati sunt, o immaculata, in tua sancta nativitate. Hanc et populus tuus celebrat peccatorum vinculo solutus dum ad te clamat: sterilis parit Deiparam, nostraeque vitae altricem. » Festo igitur natae Virginis conceptio pariter honorabatur, et una eademque celebritas ad utrumque mysterium pertinebat.

καὶ στελίχους καὶ καρποῦ καὶ ἄνθους αἰτίαν γινώσκομεν· οὕτως ἄνευ τῆς παρθενικῆς πανηγύρεως, οὐδεμία τῶν ἐξ αὐτῆς ἀναβλαστησάντων ἐπιφαίνεται.

a) Ibid. pag. 1585. B-C. Οὕτω ῥίζης, ἢ πηγῆς, ἢ θεμελίων λόγον ἡ παρθενικὴ πληροῦσα πανήγυρις, ἐκείναις τε πάσαις εἰκότως ἀγλαΐζεται, καὶ πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἐνδιαπρέπει χαρίσμασι, καὶ παγκοσμίου σωτηρίας ἡμέρα γνωρίζεται.

b) Ibid. pag. 1595. Ἡ κλίμαξ ἡ πρὸς οὐρανοὺς ἀναφέρουσα καταρτίζεται, καὶ ἡ γηρὰ φύσις τῶν οἰκείων ὅρων ὑπεραλλομένη, πρὸς τὰς οὐρανίους μονὰς ἐνοικίζεται· ὁ ἀστατικὸς θρόνος ἐπὶ γῆς ἑτοιμάζεται, καὶ τὰ ἐπίγεια ἁγιάζεται, καὶ τὰ τῶν οὐρανῶν ἡμῖν συναγελάζεται τάγματα· καὶ ὁ πονηρὸς, καὶ πρώτως ἡμᾶς ἀπατήσας, καὶ τῆς καθ' ἡμῶν ἐπιβουλῆς ἀρχιτέκτων γενόμενος, τῶν δόλων αὐτοῦ καὶ τῶν μηχανημάτων ὑποσαθρουμένων, τὴν ἰσχὺν περιθραύεται.

c) Ibid. die VIII. Septembris pag. 25. col. 2. A. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα ὀνειδισμοῦ ἀτεκνίας, καὶ Ἀδὰμ καὶ Εὔα ἐκ τῆς φθορᾶς τοῦ θανάτου ἠλευθερώθησαν, ἄχραντε, ἐν τῇ ἁγίᾳ γεννήσει σου· αὐτὴν ἑορτάζει καὶ ὁ λαός σου, ἐνοχῆς τῶν πταισμάτων λυτρωθεὶς ἐν τῷ κράζειν σοι· ἡ στεῖρα τίκτει τὴν Θεοτόκον, καὶ τροφὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν.

1) Antholog. die IX. Decembris pagg. 179. seqq.

Digitized by Google

1639. Quapropter in christianis monimentis nihil frequentius quam nativitatem simul conceptionemque recolere, et utriusque perspicuam disertamque mentionem iniicere. Cuius vulgatissimae consuetudinis testis est locuples [1]) Hildephonsus toletanus, testis [2]) Iohannes damascenus, testis [3]) Nicetas paphlago, testis [4]) Photius, testis [5]) Leo sapiens, testis [6]) Fulbertus carnotensis, testis [7]) Iacobus monachus, et testis tum [8]) Bernardus toletanus, tum [9]) Isidorus thessalonicensis et [10]) Laurentius Iustiniani. Praeclare Photius ubi [a]) de dotibus Deiparae propriis verba faciens inquit: « Quaenam ergo digna? Nisi utique haec, quae miraculo hodie ex Ioachimi

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1602. B-C. apud Combefisium Auctar. T. I. *Τίς οὖν ἀξία; ἢ ὄηλον ὅτι αὕτη ἡ ἐξ Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης τῆς ἀκάρπου ῥίζης παραδόξως βλαστήσασα σήμερον· ἧς ἡμεῖς λαμπρῶς ἑορτάζομεν τὰ γενέθλια, καὶ ἧς ὁ τόκος τοῦ μεγίστου μυστηρίου, τῆς ἐν σαρκὶ φημι τοῦ λόγου γεννήσεως, τὸ θαῦμα προοιμιάζεται· καὶ δι' ἣν ἡ πάνδημος αὕτη καὶ θεία πανήγυρις συγκεκρότηται.*

1) Orat. in Deiparae nativit. pag. 46. col. 1. D-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.

2) Orat. I. in Deiparae nativ. §. II. pag. 842. B-D., §. V. pag. 844. C-E., §. VI. pag. 844. E. et §. VII. pagg. 845-846.

3) Orat. in Deiparae nativit. pag. 428. A-C. apud Combefis. Auctar. T. III. et pag. 439. A-D.

4) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1601. B-E. apud Combefis. Auctar. T. I. In subiecta adnotatione pag. 1605. editor sic habet: « Ut schisma excipias, erat ut Photius magnis quoque viris ac ecclesiae magistris accenseri posset; cuius monumentum hoc in sanctam Deiparam diutius latere nolui. »

5) Orat. in Deiparae nativ. pagg. 1606. C-E. et 1614. C-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Placet orationis titulum referre qui est huiusmodi. *Εἰς τὸν ἐν στειρωτικῶν λαγόνων ἀνθήσασαν σωτήριον ἀνθρώποις γονὴν, τὸν ἀειπάρθενον τοῦ θεοῦ μήτερα. In humano generi salutarem prolem semper virginem et Dei matrem ex sterilibus lumbis floris instar enascentis.*

6) Orat. in ortu almae virginis Mariae inviolatae pag. 119. col. 1. B-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII.

7) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1254. D-E. et 1255. A-B. apud Combefis. Auctar. T. I.

8) Serm. IV. in antiph. *Salve regina*, nn. 3-4. pagg. 747-748: inter opp. Bernardi T. V.

9) Orat. II. in Deiparae ingressum in templum pagg. 34-37. edit. Maraccii. Ubi Isidorus non modo conceptionem iuxta ac nativitatem communibus laudibus effert, verum etiam scribit: « Decebat etiam illius congressus, qui concipiendae Virginis causa fuit, primordialem et antecedentem causam non esse aliud quam Dei congressum, ut qua fieri posset, sola purissima propheticum quoque illud evitare posset, *in iniquitatibus conceptus sum*, posset que de seipsa affirmare, *solam non in peccatis concepit me mater mea*. Nimirum hoc etiam numerando inter illa quae dictum illud complectitur, *quia fecit mihi magna qui potens est*. »

10) Orat. in Deiparae nativit. pag. 124. col. 2. A-E. apud Combefis. in biblioth. concionat. T. VIII. Adducta Gabrielis salutatione Luc. I. 28., pergit Laurentius: « Gabrielis ergo nos eruditi oraculo quanta qualisve sit quae hodie nata est, saluberiter agnoscemus. Nempe in eius ortu laetati sunt caeli, decantaverunt angeli laudes Deo, promulgata est pax, humanae speciei coepit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris quae totum occupaverant orbem, radios suos rutilans aurora perfudit. Solis quippe iustitiae irradiata fulgore placidum in se sapientibus praebebat affectum. Quae enim sanctificata in utero ac ab omni culpae originalis fuerat liberata contagio, gratiae plenitudinem quam mente perceperat, portendebat exterius. Illam profecto adhuc in matris utero decubantem adamavit Verbum, sibique in genitricem elegit, utpote superabundanti iam benedictione praeventam, iamque sancti Spiritus magisterio deputatam. Ipsam idem Spiritus custodivit a carnis colluvione immunem, a libidinis delectatione expertem, a seculi amore alienam, atque ab universorum criminum contagione immaculatam. Tota pulcra absque delicto, sine mentis et corporis deformitate Deo et hominibus amabilis habebatur. Sanctitatis enim perlucidum erat speculum, sapientiae thronus, magistra virtutum, decus hominum, laetitia angelorum, mundi interventrix et aeterni Patris filia praedilecta. »

et Annae germinat infecunda radice? Cuius laetis gaudiis diem celebramus natalem, et cuius partus miraculum inchoat mysterii maximi, Verbi scilicet in carne nativitatis: cuius denique gratia celebris hic totius populi concursus, sacerque indictus et coactus conventus est. » Et praeclare Leo sapiens [a]) exclamans: « O beatum partum! O lumbos quorum habitaculum elegit Deus, quum in nobis habitare voluisset! O conceptionem, partumque ac infantem, quibus exitiosus peccati partus [1]) elanguit, salutisque multa proles innotuit! O infantem per quam natura quae malitiae ac vitiositatis turpitudine consenuerat, novum induta decorem praeclare exornatur! » Hinc Georgii nicomediensis oratio [b]) inscripta, *oratio in conceptionem et nativitatem sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae.* Hinc [2]) inscriptio ruthenica in ephemeridibus papebrochianis et apud Culcinium, qua nativitas et conceptio simul comprehenduntur. Atque hinc usus [3]) in ecclesiasticis libris promiscuus, quo vocabula conceptionis propria in officio nativitatis adhibentur.

1640. Sed duos prae ceteris audire iuvat, Paschasium Ratbertum et Bernardum toletanum, quorum ille de purissimo agens conceptu quo sempiternum Patris Filium Deipara genuit, sic [4]) habet: « Alias autem quomodo Spiritu sancto eam replente non sine originali peccato fuit, cuius etiam nativitas gloriosa catholica in omni ecclesia Christi ab omnibus felix et beata praedicatur? Enimvero si non beata esset et gloriosa, nequaquam [5]) eius festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate ecclesiae quod nullis quando nata est subiacuit deli-

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1614. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ὦ μακαρίων ὠδίνων· ὦ λαγόνων, ὧν κατοικητήριον ἐν ἡμῖν σκηνῶσαι βουληθεὶς ὁ θεὸς ἐξελίξατο· ὦ σύλληψις καὶ τόκος καὶ βρέφος, δι' ὧν ὁ τῆς ἁμαρτίας ὀλέθριος ὠδὶς ἀπήμβλω, καὶ τῆς σωτηρίας ἡ πολυγονία ἐγεωρίσθη· ὦ βρέφος, δι' ἧς ἡ καταγηράσασα τῷ αἴσχει τῆς κακίας φύσις, καινὸν ἀλλαξαμένη κάλλος, ἐξωραΐσατο.*

b) Apud Combefisium Auctar. T. I. pag. 1044. *Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν καὶ ἀπότεξιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.*

1) Non elanguisset sed porro viguisset exitiosus peccati partus, si ipsam quoque conceptam Deiparam vitiasset. Iis igitur Leonis verbis sententia effertur, quae Deiparae conceptum a labe immunem declarat.

2) Apud Assemanum in kalend. eccles. univ. T. V. pag. 227.

3) Exempli loco conferri possunt quae habentur in Antholog. pagg. 19-21-180.

4) De partu Virginis pagg. 298-299. in collect. pp. eccles. tolet. T. I.

5) Al. *tam festiva celebraretur ubique ab omnibus.*

Digitized by Google

ctis, neque contraxit [1]) in utero sanctificata originale peccatum. Unde etsi [2]) Ieremiae dies atque [3]) Iob maledicta pronuntiatur, dies inquam nativitatis eorum; dies tamen quando [4]) inchoata est felix Mariae nativitas, beata pronunciatur et colitur religiose satis. Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur et gemebunda potius quam benedicta, quando nunciatum est patri eius [5]) quod nata esset in seculo. Nunc autem quia universam beata virgo Maria illustrat ecclesiam, non immerito sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda. Nullius igitur nativitas celebratur in mundo nisi Christi et eius atque beati Iohannis: Iohannis [6]) autem quia et ipse in utero sanctificatus [7]) legitur; sic et beata virgo Maria nisi in utero matris sanctificata esset, minime nativitas eius colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius ecclesiae veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum

1) Iosephus de La Barre tornacensis in nova spicilegii acheriani editione Parisiis vulgata anno MDCCXXIII. T. I. pag. 46. hanc Paschasii verbis adnotationem subiicit: « Heic necessarium est lectorem monere, heic de Maria virgine aliter scribi cum de Christi conceptione agitur, aliter cum eius nativitatis conditio describitur. Nam cum prius scripsisset Paschasius, Mariam et *de carne peccati natam* esse, et ipsam *carnem peccati* fuisse donec eam Spiritus sancti obumbratio *emundaret*, statim additur eam non solum nullis quando nata est subiacuisse delictis, sed ne in utero quidem materno originale peccatum contraxisse: deindeque Spiritum sanctum, *quando ta eam advenit*, defaecasse eam a sordibus et decoxisse. Nullus umquam scriptor, ut equidem existimo, magis ipse sibi adversatus est; an vero adeo turpis levitas Ratberto adscribi queat, lectorem ut ex reliquo opere iudicet, rogo. » Atqui et reliquum opus et alia non pauca quae Ratberti studiis debemus, ad evidentiam usque ostendunt eum fuisse et philologum non malum, et theologum iudicii maturitate atque ecclesiastica eruditione spectatissimum. Qui ergo factum est ut intra unius alteriusque paginae spatium a semetipso tam foede dissenserit? Interrogationi interrogatione respondeo, et instanter quaero admitti nec ne concedique possit quod de mutua penes Ratbertum propositionum pugna affirmatur. Scilicet huc redeunt propositiones quae veluti secum ipsis infensae traducuntur: I. *quod Maria de carne peccati nata sit:* II. *quod ipsa fuerit caro peccati, donec illam adumbratio Spiritus emundarit:* III. *quod nullis nata quum est delictis subiacuerit:* IV. *quod ne in materno quidem utero contraxerit originale peccatum:* et quod V. *Spiritus sanctus suo adventu ipsam ad purum defaecarit ac decoxerit.* Sed quin huiusmodi propositiones secumipsis pugnent, ad harmoniam concinunt, si tamen lectorem invenerint qui ultra grammaticam profecerit, quique non sit ecclesiastici sermonis funditus imperitus. Etenim nihil impedit quominus Virgo nata quum est nullis subiacuerit delictis, et ne in materno quidem utero contraxerit originale peccatum; et nata nihilominus dicatur de carne peccati, dicatur fuisse caro peccati, et illapsu Spiritus ita defaecata atque decocta ut *caeli astris sanctior* puriorque evaserit. Nata est enim de carne peccati, et fuit caro peccati, non quod originalem maculam subierit, sed quod communi lege genita editaque in lucem fuerit: et defaecata perhibetur atque decocta, non quod fuerit expianda sordibus, sed quod ad sanctitatem puritatemque prope divinam dignamque Dei genitrice provehi oportuerit. Ceterum alcati Federicius in op. de immaculato Deiparae conceptu pagg. 190. seqq. pro merito habuit maurinum editorem; ita sparsas primum a Vasquio nebulas in III. p. disput. CXVII. cap. V. strenue depulerunt Nierembergius de perpetuo obiecto festi conceptionis cap. III., Plazza in causa imm. conceptionis act. VI. art. II. pagg. 493. seqq. et Trombellius in vita b. Virginis T. I. pag. 40.

2) Ier. XX. 14.

3) Iob. III. 3.

4) Digna est animadversione phrasis qua *felix* dicitur *inchoata Mariae nativitas*. Exprimit enim conceptionem, illamque utpote nullius consciam labis felicem extollit.

5) Respicitur ad vulgatam historiam de oraculo, quo conceptio Deiparae fuit caelitus praenunciata.

6) Quae sequuntur usque ad illa *sic beata*, desiderantur penes Acherium, neque tamen commode omittuntur.

7) Eiusmodi intellige sanctificationem, qua non fuit praeservatus a culpa, sed ab illa mundatus.

maledictio matris Evae soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur. Quod si praeclara sacratissimae Virginis nativitas universaliter tam sancta et tam gloriosa iure colitur et veneratur; quanto magis ipsa, quando ab angelo iam gratia plena officiosissime salutatur? Nam cum dicit [1]) *ave*, caeleste venerationis obsequium exhibet. Cum autem dicit *gratia plena*, ex integro iram expulsam ostendit, et restitutam gratiam declarat. Cum dicit *benedicta tu* fructum benedictionis demonstrat, quia quando Spiritus sanctus in eam advenit, totam [2]) defaecavit a sordibus Virginem et decoxit, ut esset sanctior quam astra caeli. »His autem non solum conceptio et nativitas penitissime iunguntur, sed illius puritas atque innocentia [3]) veluti argumentum sumitur, quo huius sanctitas et gloria comprobentur.

1641. A quibus vix haec abludunt Bernardi toletani, qui [4]) asserta immunitate Deiparae a quavis actuali noxa, pergit: « Ego quoque pia fide opinor in utero matris tuae ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique et rationes et auctoritates inveniuntur ista stipulantes. Et quidem ratio sic: si alii in utero matris fuerunt sanctificati, multo magis tu mater Domini. Sed Ieremias et Iohannes, alter [5]) sanctificatus, alter [6]) Spiritu sancto repletus in utero matris leguntur. Ergo et tu Maria genitrix Dei, quae sola totam Spiritus sancti gratiam possedisti, quam alii habuere per partes. Te enim angelus Gabriel pronuntiavit [7]) gratia plenam. Tuum odorem longe ante in filio patriarcha Isaac trahebat [8]) dicens: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiam angelorum cibus. Te benedixit Dominus: te, inquam, benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam processerat maledicta. De te sanctorum caelestium conscius Salomon [9]) dicit: quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna,

1) Luc. I. 28.

2) Nihil evidentius quam mundationem hoc intelligi quae constaret non depulsione labis, sed ineffabili munere copiaque sanctitatis.

3) Neque mirum, quum pleraque omnia sive ex divinis sumpta litteris sive ex maiorum traditione repetita eo spectent, ut Virginem ostendant numquam peccato laesam, non autem illo primitus infectam ac deinde expiatam. Sanctitas igitur nativitatis ex conceptionis sanctitate dependet, neque hac negata, idonea videtur suppetere ratio qua illa scripturarum traditionisque auctoritate vindicetur.

4) In antiph. *Salve regina*, serm. IV. n. 3. pag. 748. B-E. inter opp. Bernardi T. V.

5) Ierem. I. 5.

6) Luc. I. 15.

7) Luc. I. 28.

8) Gen. XXVII. 27.

9) Cant. VI. 9.

Digitized by Google

electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Aurora semper noctem sequitur, nox praecedit auroram. Quid autem est nox frigida et obscura nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia? Tu ergo processisti ut aurora lucida et rubicunda, quia superatis originalibus peccatis [1]) in utero matris, nata es lucida cognitione veritatis et rubicunda amore virtutis. Inde est quod nativitatem tuam sanctam sancta ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod alias non faceret. Denique nullius praeter te, nisi Domini filii tui et Iohannis Baptistae, qui utique sancti [2]) nati sunt, colit nativitatem. » Profecto neque poterant commemorari evidentius conceptio et nativitas, neque poterat significari praeclarius, idcirco sanctam coli Deiparae nativitatem, quod ipsa instar aurorae concepta et originalium tenebrarum funditus expers haberetur.

1642. E quibus pronum est idoneam derivare caussam duplicis facti, quod usu suffragioque maiorum receptum cognovimus. Itaque priscis temporibus vulgatissimum fuit, ut in solemnibus de nata Deipara laudationibus narratio recoleretur, qua simul cum ortu oraculum quoque ac ratio eiusdem conceptae memoratur. Nescio an vel una [3]) promi queat de nativitate paullo antiquior oratio sive graeca illa sit sive latina, in qua historia cuius meminimus, eiusque expolitio desideretur. Praeterea ex Graecorum Menaeis [4]) probe scimus, altero a festo natae Deiparae die honorari memoriam consuevisse Ioachimi et Annae quod ipsi selecti prae omnibus fuerint, ut Dei matrem gignerent, genitamque in lucem proferrent. Quem ritum haberi non posse recentem demonstrat kalendarium constantinopolitanum a Morcellio editum, quod quamquam sit seculo nono vetustius, nihilominus in serie festorum quae mense septembri indicuntur, sic [a]) habet: « Eodem mense, die IX. ob memoriam

a) Kal. ep. *Μηνὶ τῷ αὐτῷ θ'. εἰς τὴν μνήμην τῶν ἁγίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης.*

1) Non contractis primum ac deinde expiatis, sed eximia gratia funditus victis, ne secus non veluti aurora concepta, sed ut noctis continuatio videretur.

2) Diversissimo tamen genere sanctitatis, quum Iohannes prodromus non sit natus sanctus nisi post expiatam culpam, susceptamque extrinsecus sanctitatem: Christus vero tum ex divina personae dignitate tum ex suae generationis modo numquam non fuerit sanctus.

3) Certe quum plurimas legerim, in plerisque omnibus hanc historiam descriptam exornatamque inveni.

4) Etenim die IX. Septembris memoria celebratur *τῶν ἁγίων καὶ δικαίων θεοπατόρων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης*. Eadem in Synaxario praescribitur, et notissimi sunt versiculi quibus effertur:

Ἰωακεὶμ τίκτουσι σὺν τῇ συζύγῳ,
Τεκοῦσας ἄμφω ψυχικὴν τίκτῳ κτίσιν.
Ἡ δ' ἐννάτῃ τοκέων θεομήτορος τύχε σύναξιν.

Digitized by Google

sanctorum Ioachimi et Annae. » Iamvero utriusque facti aegre aliam inveneris idoneam caussam nisi quam inde deduxeris, quod festum nativitatis [1]) cum altero conceptionis iunctum fuerit penitusque consertum. Quae omnia cum iis uti decet composita quae superioribus articulis complexi sumus, luculenter efficiunt duplicem conceptae Deiparae cultum ac duplex eiusdem festum distingui oportere. Celebrata namque conceptio fuit tum festo singulari et proprio, tum festo ab eo non diverso [2]) quo nativitas honorabatur: et celebrata fuit tum proprio conceptionis titulo adhibito, tum communi nativitatis nomine usurpato, quo instar partium unius integrae expletaeque nativitatis origo in utero atque ortus ex utero significabantur.

1643. *Corollarium I. Festum conceptae Deiparae haberi debet seculo XII. vetustius.* Quemadmodum enim referri hoc festum potest ad ecclesiam tum orientalem tum occidentalem, ita considerari potest vel uti festum proprium et a quovis alio distinctum, vel uti festum una cum altero nativitatis iunctum atque consertum. Atqui sive referatur ad ecclesiam Orientis vel Occidentis, sive consideretur uti festum proprium et a quovis alio distinctum vel uti festum cum altero nativitatis complicatum ac devinctum; indubiis iisdemque luculentissimis monimentis [3]) effecimus illud esse seculo XII. vetustius. Necesse igitur est ut cultus festumque conceptae Deiparae seculo XII. antiquius existimetur.

1644. *Corollarium II. Festum conceptae Deiparae haberi debet absolute simpliciterque vetustum.* Ea namque festa absolute simpliciterque vetusta haberi consueverunt, quae quum praeverterint photianum schisma, ad seculum quintum sextumve non immerito

1) Quare etsi non omnia, ex parte tamen probo quod Combefisius T. I. Auctarii pag. 1223. in notis ad orationem Georgii nicomediensis *de oraculo conceptionis sanctae Deiparae*, his verbis exponit: « Celebrabant Graeci ac etiamnum celebrant titulo conceptionis vel sanctae Annae, ut saepius loquuntur in sacris eorum libris inscriptum habent, vel sanctae Mariae ac Deiparae, ut est in titulo huius orationis quam exscripsi ex antiquo satis membraneo regio codice, miraculosam ac ex oraculo primam Mariae nativitatem, nec praeterea aliud quidquam, quod etiam ex Andreae cretensis, Germani constantinopolitani, Damasceni, aliorumque orationibus in nativitatem Mariae, *et quibus utrumque eius ortum perstringunt*, palam est. » Videsis etiam Eusebium Nierembergium *in exceptionibus concilii tridentini pro omnimoda Deiparae puritate* cap. X. quod hoc titulo insignitur: *idem traditionis sensus confirmatur amplius ex eo, quod conceptio beatae Virginis in eius nativitatis festivitate celebraretur ab ecclesia catholica.*

2) Utriusque porro festi intima copulatio suaderi iis etiam potest, quibus aut Elsino abbati praescriptum divinitus accepimus, *ut dies conceptionis et creationis matris Domini nostri Iesu Christi eo officio solemniter celebraretur quod dicitur in eius nativitate, excepto quod nomen nativitatis mutabitur in nomen conceptionis:* aut anno MDLXVIII. a Pio V. decretum retulimus, ut mutatis duntaxat nominibus, unum idemque officium conceptionis et nativitatis frequentaretur.

3) nn. 1629. seqq.

Digitized by Google

revocantur. Sed festum conceptionis sive de illo tamquam de festo proprio sermo sit, sive de illo agatur tamquam de festo cum altero nativitatis coniuncto, certissime [1]) praevertit photianum schisma et ad seculum quintum sextumve non iniuria revocatur. Cultus ergo festumque conceptae Deiparae tale est, quod absolute simpliciterque vetustum putari debet.

1645. *Corollarium III. Festum conceptae Deiparae haberi debet amplitudine catholicum.* Ut enim festum quodvis amplitudine catholicum iure videatur, sat est illud usu rituque Orientis iuxta ac Occidentis frequentari. Sed Oriens non minus quam Occidens festum conceptae Deiparae frequentat. Festum est igitur illis accensendum quae amplitudine catholica perhibentur.

1646. *Corollarium IV. Festum conceptae Deiparae haberi debet lege praescriptum, proindeque necessarium.* Ad eiusmodi namque festorum album ea omnia solaque pertinent, quae tam in Oriente quam in Occidente legitima auctoritate iniuncta praeceptaque constat. Iamvero idoneis [2]) ad faciendam fidem monimentis ostendimus, in Oriente pariter ac in Occidente festum conceptae Deiparae legitima auctoritate patriarcharum, episcoporum, et quod caput est, episcopi episcoporum, qui est romanus Pontifex, iniunctum fuisse atque universali lege constitutum. Festum igitur conceptae Deiparae eorum numero comprehenditur, quae quum lege iniuncta sint, custodiri necessario debent.

1647. *Corollarium V. Festum conceptae Deiparae haberi debet solemnissimum.* Solemnitas namque festorum sicuti ex ritu oboritur quo ea celebrantur, ita ex ornamentis augetur quibus ditata splendescunt. Sed [3]) historia instituti, explicati, amplificatique festi conceptae Deiparae luculenter demonstrat, ritum quo celebratur esse praestantissimum, romanosque Pontifices omnia in ipsum decora contulisse, quibus festa micant nitidiusque refulgent. Est igitur cur festum conceptae Deiparae solemnissimum iudicetur.

1648. *Corollarium VI. Festum conceptae Deiparae indiciis splendet omnino omnibus cultus eximii et ad summum veluti fasti-*

1) nn. 1642. seqq.

2) nn. 1602. seqq.

3) nn. 1600. seqq. Huc enim pertinent ritus primae classis cum octava, erogatae ex ecclesiae thesauro indulgentiae, cappella pontificia, ordines religiosi ac militares titulo immaculatae conceptionis insignes, templa et altaria conceptioni sacra, erectae conceptionis confraternitates, probata tuendae immaculatae conceptionis iuramenta, et ne singula enumerem, potestas regnis provinciisque facta ut semet in tutelam Deiparae sine labe conceptae tuto pieque reciperent.

gium evecti. Indicia namque omnia cultus eximii quique supremum apicem attigerit, unanimi consensione revocantur ad antiquitatem, universalitatem, legalem necessitatem et solemnitatem. Hi enim characteres si coeant atque in unum conspirent, vix quidquam desiderari posse videtur, quod ad cultus splendorem magnificentiamque pertineat. Sed ne unus quidem est ex huiusmodi characteribus, quo festum conceptae Deiparae insigniter [1]) non commendetur. Hoc igitur festum illorum ambitu circumscribitur, quae eximia quaeque ad summum evecta apicem frequentantur.

1649. *Corollarium VII. Bernardi oppositio historice considerata quin festo conceptionis officiat, illud contra non minimum iuvat.* Suam sententiam illamque festo conceptionis infensam his verbis Bernardus [2]) promit: « Inter ecclesias Galliae constat profecto lugdunensem hactenus praeeminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis et laudabilibus institutis. Ubi etenim aeque viguit disciplinae censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Praesertim in officiis ecclesiasticis haud facile umquam repentinis visa est novitatibus adquiescere, nec se aliquando iuvenili passa est decolorari levitate ecclesia plena iudicii. Unde miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem quam ritus ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose praesumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia praeterivit. Nec vero id tale est, quod nisi praetereundum fuerit, patrum quiverit omnino diligentiam praeteriisse. » Et sub epistolae finem [3]) inferendo concludit: « Alioquin nulla ei *(Deiparae)* ratione placebit contra ecclesiae ritum praesumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. » Novitatem ergo urget Bernardus, illique insistit [4]), ut festum conceptae Deiparae neque recipiendum neque probandum persuadeat. Atqui iampridem [5]) universam occupaverat Orientis ecclesiam, neque pe-

1) nn. 1643. seqq.

2) Epist. CLXXIV. ad canonicos lugdunenses n. 1. pag. 169. C-E. opp. T. I. Quae autem de Bernardo monemus, eadem ad Pothonem quoque prumiensem Bernardi aequalem et simili scribentem lib. III. de statu domus Dei referenda sunt.

3) Ibid. n. 9. pag. 172. B.

4) Significat tamen non primum a lugdunensibus festum institutum inquiens: « Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam pareens devotioni quae de simplici corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobiliqua ecclesia et cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensa; nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. »

5) nn. 1602. seqq.

Digitized by Google

nes Occidentis ecclesiam ignotum prorsus erat et ubivis praetermissum. Accusationi ergo novitatis sufficienda est laus antiquitatis atque ex Bernardi doctrina sumi argumentum debet, quo festum conceptionis adprobetur.

1650. *Corollarium VIII. Ea ipsa quibus Bernardus festo nativitatis patrocinatur, festum pariter conceptae Deiparae muniunt ac tuentur.* Et de festo sane nativitatis [1]) disserens ait: « Accepi ab ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quo assumpta de seculo nequam, caelis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed et ortum Virginis didici nihilominus in ecclesia et ab ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum; firmissime cum ecclesia sentiens in utero eam accepisse ut sancta prodiret. » Et [2]) rursum: « Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et mater Domini ante sancta quam nata, nec fallitur omnino sancta ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. » Atqui eximia testimoniorum [3]) copia evicimus, in utraque Orientis atque Occidentis ecclesia obtinuisse, ut una cum Deiparae ortu ex sinu, eiusdem quoque conceptus in sinu festis honoribus celebraretur. Quae igitur Bernardus adhibet ut festo natae Virginis patrocinetur, ad festum pariter conceptionis non obscure referuntur.

1651. *Corollarium IX. Bernardi oppositio theologice considerata eiusmodi est, quae nisi dextere sumatur, vix aut ne vix quidem cum spectata eiusdem doctrina componi posse videtur.* Sane ubi quaestionem [4]) de festo conceptae Deiparae Bernardus theologice versat, inter cetera scribit: « Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta con-

1) Loc. cit. n. 8. pag. 170. A-B.

2) Ibid. n. 6. pag. 170. E-F.

3) nn. 1629. seqq. Nemo igitur miretur gravissimis theologis, quorum prolixam seriem texit Antonius Gravois op. cit. art. XIX. nn. 283. seqq., placuisse quod Rutilius Benzonius lauretanus praesul in Ps. LXXXVI. cap. XL. expressit inquiens: « Revera usque hodie *(annum intellige MDCXII.)* articulus iste de immaculata Virginis conceptione non est definitus ab ecclesia. Verba sancti Thomae III. p. q. XXVII. art. II. recte scripta sunt pro tempore quo ea scripsit; hodie tamen ecclesia romana festum illud sub nomine conceptionis celebrat, nec solum tolerat. Porro sanctus Thomas et alii sancti patres et doctores contrariae sententiae si hodie viverent, non est dubium quin etiam ipsi libentissime hanc sententiam amplecterentur. Horrent aures audire matrem Dei fuisse aliquando diaboli mancipium, et eam quam Deus osculatus est osculo oris sui, amplexatam a diabolo fuisse vel minimo temporis momento. Quae enim conventio Dei cum Belial, et lucis ad tenebras? »

4) Loc. cit. n. 7. pag. 171. C-E.

ciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus: quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esse, siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas [1]) cum peccato fuit? Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido [2]) non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, et non de viro [3]) conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum sanctum in eam non cum ea venisse, dicente [4]) angelo, Spiritus sanctus superveniet in te. Et si licet loqui quod ecclesia sentit, et verum ipsa sentit: dico gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse: dico peperisse virginem, non tamen et partam a virgine. Alioquin ubi erit praerogativa matris Domini, qua singulariter creditur exsultare et munere prolis et integritate carnis, si tantumdem dederis et matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat: sed nec ipso quidem conceptu, propter peccatum [5]) quod inerat; restat ut post conceptum in utero iam exsistens sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem. » Quibus e vestigio [6]) subdit: « Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen et concipi: ut uni sane servaretur sancti praerogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus et ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cetero universos respicit ex Adam

1) Peccatum significat concipientium, neque aliud a concupiscentia quae in generatione potissimum explicatur.

2) Similia habet, sed universim dicta, sanctus Odo abbas cluniacensis in collatt. lib. II. cap. XXIV. Ceterum neminem latet, quo sensu peccati nomen indeliberatae libidini tribuatur. Tribuitur videlicet non proprie, sed multiplici analogia.

3) Non defuisse qui ita senserint, narrat Theophilus Raynaudus in diptychis marianis P. I. punct. I. §. 10. pagg. 19-20. opp. T. VII., ineptamque opinionem refellit.

4) Luc. I. 35.

5) Concupiscentiam intelligit, quae in activo Deiparae conceptu sese prodidit. Sed hunc ipsum conceptum a concupiscentia fuisse immunem, neque paucis neque obscuris doctoribus visum est; quod et nos superius animadvertimus, et Raynaudus l. c. §. 11. pagg. 20-21. uberius confirmat. Hinc illa Gaugaini in tractatu metrico de Virginis conceptione:

- Sacro igitur compluta caro divinitus imbri,
  Dans operam gnatis, non capit et generat.
- Non dederim cunctis hoc munus, sed quibus aiget
  Mens vitio, et totam spiritus intus alit.

6) Ibid. n. 3. pag. 173. A-B.

Digitized by Google

natos quod unus humiliter de semetipso ac veraciter [1]) confitetur: in iniquitatibus, inquiens, conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. » Tum [2]) infert: « Quum haec ita se habeant, quaenam iam erit festivae ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est: aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas.» Sed fugiebat ne Bernardum, quod indubia ostendunt [3]) argumenta, vulgatissimis festis accenseri illud oportere, quo Praecursoris conceptio honorari consuevit? De hoc sane festo praeclare testantur tabulae papebrochianae, *conceptio s. Iohannis prodromi:* Menologium [4]) basilianum, *conceptio s. Elisabeth quando concepit sanctum Iohannem baptistam:* commune [4]) Graecorum Menologium: kalendarium [5]) constantinopolitanum, *eodem mense* (septembri) *die XXIII. ob conceptionem sancti Iohannis praecursoris:* kalendarium [5]) ecclesiae neapolitanae, *conceptio sancti Iohannis baptistae*: metricus [6]) Graecorum Septembris, *Prodromon includit vigesima tertia in alvum:* Martyrologium [6]) Usuardi, ad cuius verba [7]) Sollierus monet: « De conceptione sancti Iohannis baptistae, quae in textu nostro primum locum obtinet, hoc unice et breviter observandum, eam [8]) in omnibus omnino antiquis Mar-

a) Ad diem XXIII. Septembris. Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἐλισάβετ, ὅτε συνέλαβε τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν.

b) Ad diem XXIII. Septembris. Μνὶ τῷ αὐτῷ κγ'. εἰς τὴν σύλληψιν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ προδρόμου.

c) Ad diem XXIII. Septembris:

Εἰκάδι δὲ τρίτῃ γαστὶ λάβε πρόδρομον εἴσω.

1) Ps. L. 6.

2) Loc. cit. n. 9. pag. 172. A-C.

3) Quae diligenter illustrant Assemanus in kalend. eccles. univ. ad diem XXIII. Septembris pagg. 260-262. T. V., Paciaudius de cultu s. Iohannis baptistae dissert. III. cap. III., Florentinius in Martyrolog. ad diem XXIV. septembris, et Morcellius in kalend. ecclesiast. ad diem XXIII. septembris.

4) Ad diem XXIII. septembris. Ceterum non unam fuisse olim opinionem apud veteres patres de die conceptionis sancti Iohannis baptistae, indicat Photius in biblioth. cod. CCXXXII. pag. 892., ubi Stephani tritheitae cognomento Gobari opus examinat. Nam inter quaestiones quas ille proposuerat, et in utramque partem auctoritatibus veterum confirmare nisus erat, hanc quoque numerat: Ὡς ὁ βαπτιστὴς Ἰωάννης Ὀκτωβρίῳ μηνὶ συνελήφθη· οὗ τὸ ἀντικείμενον, ὡς οὐκ ἐν τούτῳ, ἀλλ' ἐν τῷ Νοεμβρίῳ. *Baptistam Iohannem octobri mense conceptum esse: contraria huic sententia, non eo mense sed novembri.* Sed quemadmodum penes Graecos obtinuit, ut conceptionem Iohannis die XXIII. septembris unanimes enunciarent; ita Latinis in more fuit ut illam VIII. kal. octobris festa recordatione prosequerentur.

5) Ad diem XXIII. Septembris.

6) Ad diem XXIV. Septembris.

7) In adiectis observatt. pag. 555. apud Boll. T. VII. Iunii.

8) « Immo, *pergit*, ab omni aevo in veneratione semper fuisse tam in orientali quam in occi-

tyrologiis consignatam. » Et ne sim nimius, testatur Wandelbertus hisce versiculis :

» Octavum sterili conceptus ventre Iohannes,
» Andochiusque sacrat, martyrque et presbyter almus,
» Quem Tyrsus Felixque pari comitatur amore.

Putabimus ne igitur aut tot seculis nobilissimas ecclesias ab eo quod rectum sanctumque est in cultu deflexisse, aut in ea fuisse sententia, ut Praecursorem sine libidine vel de Spiritu sancto conceptum arbitrarentur? Utrumque absonum est, et alterutrum tamen, etsi viro pio doctoque indignum, concedi oporteret si Bernardi dicta sententiaeque ad vivum resecarentur.

1652. *Corollarium X. Neque pauca sunt neque levia quae persuadent, eum conceptae Deiparae cultum fuisse Bernardo improbatum, qui ad activam eiusdem conceptionem referretur.* Distinguit s. Vincentius Ferrerius [1]) duas conceptiones, u quibus quum alteram dicat *conceptionem seminis* quae tum peragitur quum in maritali congressu emissa semina ad foetum formandum commiscentur, alteram vicissim nuncupat *conceptionem germinis*, quae tempore posterior ipsa animae infusione ac foetus animatione completur. Priorem Deiparae conceptionem citra omnem gratiam, quam neque decisa semina neque inanimatus foetus recipere queunt, eatenus san-

dentali ecclesia. Fatetur Florentinius ignorare se, cur eiusmodi celebritas in romano emendato Martyrologio praetermissa sit; utrum vero coniecturis suis id assequatur, lectoris iudicio relinquo, cui auctor sum ut eiusdem Florentinii exercitationem huic diei subiunctam consulat, *de Iohannis baptistae nondum posito praecursoris officio, deque eiusdem conceptionis et nativitatis loco*, ubi de *Macherunte* disputat, quo in loco nonnulla hieronymiana Baptistae conceptionem signant. Si haec non sufficiant, videatur Papebrochius haec omnia accuratissime illustrans T. IV. Iunii cap. II. §§. 2-3. Videri etiam potest notatio Roseweydi ad festivitates apostolorum p. 223.» Videatur sane Papebrochius l. c. pag. 701. a quibus diversa non sunt quae idem habet in notis tum ad Septembrem Graecorum metricum, tum ad tabulas graecomoschas, ubi ea illustrat quae leguntur die XXIII. Septembris et die IX. Decembris. Verum I. quod Papebrochius hisce in locis de discrimine coniicit apud Graecos festum conceptionis Deiparae et Prodromi afferentes, subtilius est quam verius; quum ex Menologiis communibus atque ex basiliano nominatim liqueat, utroque modo et *conceptionem Iohannis et conceptionem sanctae Elisabeth* nuncupari. Quod autem II. inculcat de festo concepti Iohannis ab antiquis temporibus penes Latinos recepto, probare omnino non possum. Principio namque puto, illud numquam apud Afros obtinuisse, quod ex duobus Augustini sermonibus CCX. et CCCXIV. eruitur, atque ex eo confirmatur quod illius nulla occurrat mentio in vetusto-kalendario carthaginiensi Mabillonii curis edito. Puto deinde ne in gallicanis quidem gothicis et mozarabicis ecclesiis fuisse celebratum. De illo namque nullum penitus vestigium exstat in monimentis liturgicis gallicanis, in Missali mozarabico et in libello precum gotho-hispano, quem Blanchinius evulgavit. Ad haec puto, neque usu romanae ecclesiae fuisse receptum, quum illud in sacramentariis, antiphonariis, ordinibus romanis a Tommasio, Muratorio et Georgio in lucem prolatis numquam memoretur. Tandem puto in Martyrologio pleraque omnia a Papebrochio et Sollerio recensita festum concepti Iohannis derivasse ex Martyrologio Adonis, quod ipse ex Martyrologio ravennatensi ad graecos ritus expresso descripsit. Qua de re sollerter disserit Zaccaria in diss. V. de festis Deiparae. Expuncta igitur e romano Martyrologio conceptione Iohannis, novitas vetustati cessit et mos antiquus refloruit.

1) Orat. II. in Virginis nativit. pagg. 362. seqq.

Digitized by Google

ctam censeri posse Ferrerius [1]) tradit, quatenus illius parentes rem uxoriam ea pietate habuerunt ut nullum omnino peccatum admiserint: « Lux dicitur illa benedicta generatio virginis Mariae, quia sine tenebra culpae facta est. Modo autem in generatione filiorum sunt multae tenebrae propter intentionem carnalem et corruptam mentem parentum. Sed generatio virginis Mariae fuit ut lux. De ista luce [2]) habetur, sicut lux aurorae oriente sole mane absque nubibus rutilat; sic ista coniunctio Ioachim et Annae luminosa fuit. » De posteriori autem Deiparae conceptione Vincentius [3]) subdit: « Et facta est lux. Ecce sanctificatio virginis Mariae. Non credatis quod fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur et nascimur et nutrimur: quia si ante baptismum fuissemus mortui, damnaremur, in limbo intellige. Sed statim [4]) postquam corpus fuit formatum et anima creata, tunc fuit sanctificata. Ideo fit festum de eius conceptione, quia facta est lux, scilicet sanctificationis in ea. Et statim angeli in caelo fecerunt festum conceptionis. »

1653. Iamvero neque pauca sunt neque levia sive interna sive externa rationum momenta quae suadent, non aliud conceptionis festum displicuisse Bernardo nisi quo seminis conceptio honoraretur. Atque ita sane I. de Bernardi sententia existimarunt viri doctissimi, qui omnes intenderunt vires ut germanam eiusdem mentem assequerentur. Hos inter quum plures numerari possent, dignos habeo qui prae aliis laudentur, Bellarminum [5]), Gregorium de Valentia [6]), Franciscum Bivarium [7]), Angelum Manrique [8]) et [9]) Benedictum

1) Ibid. pag. 366.

2) II. Reg. XXIII.

3) Loc. cit. pag. 366.

4) Ubi illud *postquam* non ad ordinem *temporis* sed *naturae* referatur oportet. Diserte namque dicitur, conceptionem Virginis non fuisse *sicut in nobis qui in peccatis concipimur*: et diserte dicitur, *lucem sanctificationis factam esse in ea*, scilicet conceptione. Quare Ferrerius serm. I. de nativ. Virginis pagg. 358-359. ad ipsam referens incisum ex Ps. XLV. 6. *adiuvabit eam Deus mane diluculo*, distinctis sex horis in quibus creaturas sanctificatas legimus, post alia pergit: « Alii hora prima in ortu solis fuerunt sanctificati, qui in utero matris antequam nascerentur effecti sunt sancti, ut Ieremias et Iohannes baptista. Sed virgo Maria in aurora fuit sanctificata, non expectavit Deus novem menses nec unum, sed in eodem die et eadem hora. » Quanam hora? Conceptionis passivae, ut series orationis evincit; et illud confirmat quod de supremo gradu sanctificationis in serm. de concept. Virginis pag. 20. idem docet inquiens: « Sextus gradus et super alios omnes est sanctificatio virginis Mariae, quia non quando debuit nasci nec in ultimo die nec hebdomada nec mense, sed in eodem die et hora, formato corpore et anima creata, quia tunc fuit rationalis, et capax sanctificationis fuit sanctificata. »

5) De amiss. gratiae lib. IV. cap. XVI.

6) In P. II. disput. VI. puncto II.

7) In op. cuius titulus *Bernardus vindicatus* lib. II.

8) In annalibus cisterciens. ad an. Christi MCXXXVI. capp. IV-V. pagg. 310. seqq. T. I.

9) Op. cit. sect. VI. art. I. nn. 35. seqq. Neque praetereundus est Vincentius Fassari, qui trutinae theologicae disput. V. divis. II. §. II. sic habet: « Expenduntur aliqua loca istius epistolae, in quibus potest patere quod sanctus Bernardus loquutus sit de conceptione carnali Virginis, nec primae infusioni animae eius dedisse originale, prout de ea modo loquimur. » Susceptam vero inquisitionem absolvit scribens n. 11: « Haec nostra expositio de sancto Bernardo

Digitized by Google

Plazza. Neque vero II. recentiore dumtaxat aetate in hanc Bernardi interpretationem viri docti concesserunt; sed hac una usi sunt nobilissimi quique scholarum duces neque a Bernardi aetate longius seiuncti. Usus namque ea est Alexander alensis, qui quum statuisset Deiparam neque ante conceptionem neque in ipsa fuisse conceptione sanctificatam; utrumque Bernardi auctoritate communivit: et primum quidem his verbis, *quia nequaquam potuit ante sancta esse quam esse:* posterius vero his quae subdimus, *quia sanctitas non potuit admisceri conceptui, inter oscula et amplexus maritales, ut simul et concepta esset et sancta.* Quum vero ad tertiam [1]) quaestionem progressus docet, neque post conceptionem ante infusam animam fuisse sanctificatam, ad Bernardum non provocat; ad quem tamen se [2]) continuo recipit, quum his innixus, *fuit procul dubio mater Domini ante sancta quam nata,* eiusdem sanctificationem ante ortum ex sinu propugnat. Sed qui factum est ut qui totus ex Bernardo pendebat, tertium tamen quaestionis caput eius suffragio non diremerit, de sanctificatione autem cum animatione conserta funditus tacuerit? Quod summus theologus intellexerit, de eo quod postremum innuimus nullatenus egisse Bernardum, de tertio vero capite nonnisi leviter obiterque dixisse. Aquinas [3]) qui duo inquirit de sanctificatione Deiparae, alterum an in conceptione vel ante conceptionem fuerit ipsa sanctificata, et alterum an post conceptionem ante animationem; quum utramque dubitationem negando expediat, prioris dumtaxat solutionem Bernardi nomine tuetur. Succedit Bonaventura, qui [4]) postquam docuit et Bernardi dictis comprobavit, non potuisse Deiparam ante animationem sanctificari, neque fas esse festum celebrare conceptionis

est expresse Bellarmini lib. IV. de amissione gratiae cap. XVI., qui fuse etiam probat sanctum non fuisse loquutum de alia conceptione Virginis nisi illa seminum. Idem probat Bivarius *in patribus vindicatis* quatuor rationibus. Et nos hoc vidimus ita interpretatum fuisse Bernardum sanctum Thomam et sanctum Bonaventuram, et in opusculo de scholasticis antiquioribus eumdem sensum epistolae sancti Bernardi eos tribuisse probabimus. Hanc expositionem dedit etiam huic et similibus locis Scotus et eius sectatores, eamque refert Caietanus in opusculo de conceptione cap. V., et approbant etiam ciamontana familia et Calderonius, aliique complures. Ubi notandum, quod ita dicimus Bernardum et patres aliquos loquutos fuisse de conceptione seminum, ut etiam voluerint illam pertinere ad inficiendam animam originali in debitrice potentia; cui sensui subscribit magnus ille doctor Suarius in III. p. disput. III. sect. IV., qui profunditate sui ingenii omnia fere tangit quae in una materia apte dici possunt. »

1) Ibid. art. III.

2) Ibid. art. IV.

3) In III. dist. III. q. I. a. I. ubi Angelicus quum quaestiuncula prima interogasset, *an beata Virgo sanctificata fuerit ante conceptionem* (puta in parentum lumbis), *vel in ipsa conceptione* (activa et maritali congressu); quaestiuncula insequenti scitatur, *an saltem sanctificari potuerit ante animationem.* Videsis etiam quae habet III. p. q. XXVII. a. II.

4) In III. dist. III. q. I. a. I.

Digitized by Google

quae animationem praeverterit; de quaestione *an anima beatae Virginis fuerit sanctificata ante originalis peccati contractionem*, ita disserit ut Bernardum ne nomine quidem tenus appellet. Scilicet noverat nihil de hoc capite in Bernardi epistola contineri, illamque nonnisi ad priora capita pertinere. Albertus vero [1]) non solum Bernardi auctoritate non probat, Virginem in ipsa animatione labe originis fuisse infectam; sed aperte testatur non alium ab ipso fuisse impugnatum errorem, nisi quo Virgo prius sancta quam animata crederetur. Atque hoc etiam III. fuisse iudicium quod facultas theologica parisiensis non diu post editam Bernardi epistolam de eadem tulit, auctor est locuples ipsemet Albertus [2]) inquiens: « Dicimus quod beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui oppositum dicunt, est haeresis damnata a beato Bernardo in epistola ad Lugdunenses, et a magistris omnibus parisiensibus. » Neque illud IV. praeteriri debet quod [3]) in tractatu de conceptione Virginis de caussa improbati cultus conceptionis memoratur his verbis: « Et hi quidem ut nulla memoria de conceptione Virginis matris in ecclesia Filii eius fiat, non sine ratione sibi videri affirmant; eo quod in nativitate illius quae ubique festive recolitur, conceptionis eius exordium satis memoretur. Nec enim, aiunt, nata esset si concepta non fuisset; et cum in lucem ex materni uteri secreto prodivit, clarum fuit quod in alvo parentis concepta in humanam formam concrevit. Cum itaque corporis eius [4])

1) In III. dist. VIII. aa. III-IV.

2) Ibidem.

3) Tract. de Virginis concept. pag. 499. col. 1. C-D. inter opp. Anselmi.

4) Tum habetur corporis *specificata compositio*, quum informantis animae ad corpus accessione individuum existit humanae speciei, ipsumque corpus evadit humanum. Quibus illustrandis conferet praeoculis ista habuisse, quae Engelbertus abbas admontensis in tract. de gratiis et virtut. Virginis P. IV. cap. III. pagg. 703-704. apud Pezium anecdott. T. I. P. I. tum docet, quum quaestionem versans, *qualiter beata Virgo miraculose fuerit concepta et sanctificata*, inquit: « Sciendum ergo quod solent distingui triplex conceptio, videlicet primo conceptio seminalis materiae, secundo conceptio animae, tertio conceptio gratiae. Conceptio seminalis materiae fit in actu et tempore commixtionis viri et feminae. Conceptio vero animae fit in tempore vivificationis foetus et infusionis animae, quod secundum glossam super illud Ioh. II. *quadraginta et sex annis aedificatum est hoc templum*, fit in quadragesimo et sexto die ab hora et tempore conceptionis seminalis materiae. Conceptio vero gratiae fit post infusionem animae, cum anima sit subiectum gratiae: subiectum vero oportet accidenti praeexistere tempore, vel natura, vel utroque. Cum igitur ista tria, scilicet generatio per naturam, et vivificatio per animam, et sanctificatio per gratiam habeant se ad invicem ordine consequente secundum prius et posterius (quia sicut vivificationem per animam praecedit generatio per naturam, ita sanctificationem per gratiam praecedit vivificatio per animam); conceptionem vero beatae Virginis non festivet ecclesia nisi ratione sanctificationis ipsius Virginis per gratiam: consequens erit quod ecclesia non festivet conceptionem seminalis materiae, quia tunc foetus nondum est in utero vivificatus, et per consequens nec sanctificatus. Sed illa conceptio quam festivat ecclesia, erit potius conceptio animae et gratiae; quia sanctificatio non fit nisi per infusionem gratiae quae praeexigit infusionem animae, *ita quod infusio gratiae simul tempore fiat cum infusione animae*, licet infusio gratiae naturali consequantia sit posterior infusione animae. »

specificata compositio et in huius mundi latitudinem exhibitio veneretur a cunctis; supervacue illa adhuc informis materia coleretur, quae in nonnullis saepe priusquam plene in humanam effigiem transeat, deperit et adnihilatur. » Improbabatur igitur cultus informis materiae, proindeque cultus concepti seminis foetusque nondum animati; quum ab omnibus vicissim non minus Deiparae *exhibitio in huius mundi latitudinem,* quam [1]) *corporis eius specificata compositio* proindeque passiva conceptio foetusque animatus honorarentur. Nimirum V. inhaerebant veteres, atque ipse etiam Bernardus inhaesit nativae potestati, qua *concipio,* συλλαμβάνω idem valet ac *simul aut intus capio, comprehendo, recipio,* et de feminis passim adhibetur, quae semen ad foetum comprehendunt. Audiatur Anselmus, qui quum [2]) docuisset nullum peccatum, ne originale quidem, inanimato semini inesse, ut deinde [3]) explicet quo pacto immunda atque in peccatis dicatur conceptio animationem antevertens, hoc praefixo lemmate, *quod semen hominis dicatur immundum et concipi in peccatis, quamvis in eo non sit peccatum,* pergit: « Videtur itaque sequi quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem

1) Cuius unanimis testificationis testis pariter est Engelbertus loc. cit. cap. VI. pagg. 708-709.

2) De concep. virg. et orig. pec. cap. III. pag. 98. Heic autem puto me rem lectoribus gratam facturum, si lemmata eorum consideranda proponam, quae Vincentius Fassari unus prae reliquis optime tuetur atque confirmat. En igitur eiusdem verba in trutina theologica disputat. III. pagg. 47. seqq. « De acceptione nominis conceptionis in genere, et in specie de illo conceptionis Virginis ab immemorabili usque ad tempus sancti Thomae inclusive. I. Ex etymologia nominis explicatur quid importet conceptio ex primaeva sui significatione, et ostenditur primo et rethoricis et grammaticis stare pro prima actione virtutis generativae incipiente formationem corporis animalis, et omnino antecedenter ad introductionem animae seu primam animationem foetus, licet cum ordine ad illam. II. Probatur conceptionem non importare ex sua ratione animationem foetus ex Aristotele et universa schola peripatetica. III. Adducitur Averroes et alii peripatetici pro nomine conceptionis significante in antiquitate solam carnalem. IV. Ostenditur universam scholam peripateticam et philosophicam nomine conceptionis non intellexisse, neque intelligere nisi carnalem et non primam infusionem animae rationalis. V. Adducitur Hippocrates, Galenus et alii medici tradentes conceptionem significare formationem animalis in utero antecedenter ad animationem. VI. Separatim adducitur pro eodem Galenus. VII. Pro eadem significatione nominis conceptionis stantis pro carnali et seminum adducitur Avicenna et alii praecipui ex medicis tum commentantes priores, tum etiam absolute scribentes. VIII. Probatur auctoritate sacrarum Scripturarum frequentissima, nomen conceptionis importavisse primam introductionem dispositionum humanarum ad formationem corporis obtinendam, etiam praescindendo a termino animationis vel extra illum. IX. Ex variis locis sanctorum patrum sive in expositione sacrarum Scripturarum, sive alia occasione traditis, probatur similiter nomen conceptionis non significare apud ipsos nisi primam receptionem seminum antecedenter ad primam foetus animationem. X. Ex sanctis Thoma, Bonaventura et antiquis theologis scholasticis expresse demonstratur, nomen conceptionis tum absolute tum applicatum Deiparae stare pro organizatione corporis eius ante infusionem animae; et idem iudicium esto de ceteris scholasticis illis cuiusvis vel etiam antiquioribus. XI. Adducitur ius civile cum omni caterva iurisperitorum ad ostendendum, quod in dicta antiquitate nomen conceptionis significaverit illam seminum. XII. Adducitur ius canonicum cum canonistis ad demonstrandum, conceptionem in eadem antiquitate stetisse pro dicta seminum. XIII. Solvuntur aliquae obiectiones, quibus probatur Aristotelem et antiquiores medicos nomine conceptionis intellexisse primam animationem hominis vel animalis. »

3) Ibidem cap. VII. pag. 90. col. 2. D-E.

Digitized by Google

nequit habere; aut in eo non est originale peccatum, mox cum conceptus est. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim ut quotiens susceptum semen humanum etiam ab ipso momento susceptionis perit antequam perveniat ad humanam figuram, totiens damnetur in illo anima humana, quoniam non reconciliatur per Christum: quod est nimis absurdum. Haec igitur pars huius divisionis penitus relinquenda est. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum, quid est quod dicit [1]) Iob Deo, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et quomodo verum est quod [2]) dicit David, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea?*» Quem complicatum sane nodum ut expediat [3]), subdit: « Quaeram igitur si possum, quomodo quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, immundo tamen semine in iniquitatibus et in peccatis concipi dicantur. Saepe utique divina Scriptura asserit aliud esse quod modo non est, idcirco quia tamen est futurum esse. Sic quippe Deus Adae de ligno vetito [4]) dicit, *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, non quod ea die mortuus sit corpore; sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi. Sic [5]) in Adam omnes peccavimus quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus; sed quia de illo futuri eramus: et tunc facta est illa necessitas ut cum essemus, peccaremus, quoniam *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*. Simili modo de immundo semine in iniquitatibus et in peccatis concipi potest homo intelligi, non quod in semine sit immunditia peccati aut peccatum sive iniquitas, sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione ex qua incipit [6]) homo esse, accipit necessitatem ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam peccatum et iniquitas. Nam etsi vitiosa concupiscentia generetur infans, non tamen magis est [7]) in semine culpa quam est in sputo vel in sanguine, si quis mala voluntate expuit aut de sanguine suo aliquid emittit:

1) Iob. XIV. 4.
2) Ps. L. 7.
3) Loc. cit. cap. VII. pag. 100. col. 1. A-D.
4) Gen. II.
5) Rom. V. 12. seqq.
6) Hinc receptus loquendi usus, quo conceptio seminis conceptio inchoata, et conceptio germinis atque animatio conceptio perfecta suisque expleta numeris nuncupatur.
7) De hac Anselmi doctrina disserit illamque tuetur anonymus auctor idemque Bernardo suppar, cuius verba ad calcem tractatus Anselmi pagg. 107-108. referantur.

Digitized by Google

non enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo et in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum, et vera sint quae de divina Scriptura opposui. Quippe non est illis peccatum, quia non habent (sine qua non inest peccatum) voluntatem: et tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt [1]) peccandi, cum homines iam erunt, necessitatem. Si ergo haec, ut puto, vera sunt, quod assumitur de parente ad prolem, quia nullam habet voluntatem, nullum est in eo peccatum. » Quibus nihil accommodatius, ut conceptionis nomen de comprehenso semine deque inanimi usurpatum foetu comprobetur.

1654. Eadem significatio ex iis praeclare innotescit quae [2]) ex Bernardo retulimus, quaeque ipse tum scribit [3]) quum humanam suspiciens miseriam ait: « Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo, caro facta est. » Neque alia frequentior significatio recepta occurrit, penes antiquos scholae theologicae magistros, Petrum lombardum [4]) Alexandrum halensem [5]), Albertum magnum [6]), Bonaventuram [7]) et [8]) Thomam. En Halensis verba: « Conceptio dicit commixtionem, quae est in principiis seminalibus viri et mulieris, quae commixtio fit per naturam. » Thomas [9]) vero sic dis-

1) Hisce semel animadversis, pronum est ea rite interpretari quibus Iobi et Davidis oracula ad ipsam quoque Virginem relata identidem leguntur. Scilicet eiusmodi relatione non exprimitur peccatum quod Virgo contraxerit, sed necessitas significatur peccati contrahendi, nisi ab ipsa Virgo singulari privilegio praeservantis gratiae fuisset exempta. Huc autem omnino pertinent quae Vincentius Fassari in trutina theologica disput. IV. pagg. 71. seqq. proponit accurateque demonstrat. Sunt vero quae subdimus: « De conceptione in peccato usurpata a Scripturis et a patribus usque ad sanctum Thomam inclusive pro illa seminum, non pro illa naturae. I. Adducitur versiculus Ps. L. *ecce in iniquitatibus conceptus sum*, et ostenditur ex unanimi consensu sanctorum patrum intelligi de conceptione seminum. II. Ostenditur ex Ps. L. expressius, conceptione etiam in peccato intelligenda pro prima initiatione praeeunte ad formationem corporis humani in utero matris antecedenter omnino ad animationem seu introductionem animae rationalis, intellecto peccato pro originali causaliter sumpto. III. Animadvertitur ex unanimi consensu patrum in hunc locum Ps. L., *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, sermonem haberi de conceptione carnali prout dicit primam initiationem formationis corporis humani, nulla mentione facta de prima animatione foetus, et intellecto peccato pro eo quod contrahitur ab Adam et seminaliter. IV. Recensentur alii patres qui concipi hominem in peccato tradunt per hoc, quod ex concupiscentia et carnis corruptione generatur; et demonstratur eos semper loqui de conceptione carnali et seminum dum de dicta conceptione in peccato loquuntur. V. Conceptionem in peccato in Scripturis ulterius intelligi de illa seminum, ostenditur ex illo Iob. XIV. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* VI. Eandem conceptionem in peccato intelligi pro illa seminum in Scripturis, demonstratur alias ex eodem Iobo cap. III. ubi dixit, *pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo.* VII. Ex sancto Thoma item et sancto Bonaventura ostenditur, quod concipi in peccato importet mere peccatum quod dicitur esse in carne, vel in anima tantum in debito. »

2) nn. 1649. seqq.

3) Lib. de anima cap. II. Confer quae cum his consona habet Innocentius III. de contemptu mundi lib. I. cap. IV., itemque Henricus gandavensis. quodlibet. XV. q. III.

4) Sent. III. dist. III.

5) III. P. q. IX. membr. II. aa. II-III.

6) In III. dist. III. a. IV.

7) In III. dist. III. a. I. qq. I-II.

8) In III. dist. III. q. I. a. I.

9) III. P. q. XXVII. a. II.

Digitized by Google

serit: « Non celebratur festum nisi de aliquo sancto; sed quidam celebrant festum conceptionis; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, et ita quod ante animationem fuerit sanctificata. » Atqui postremo consectario nullus omnino locus pateret, si conceptionis nomine ipsa quoque animatio comprehenderetur. Invaluit ergo ut nominata conceptione non alia primum atque ex sese nisi seminis conceptio significata censeretur. Ad quam VI. ita respexisse Bernardum, ut illius festum cultumque dumtaxat reiecerit, argumenta tandem ostendunt quibus et Lugdunenses a suscepto consilio deterret, et suam caussam pro virili propugnat. Eiusmodi namque argumentorum primum [1]) sic est: conceptio Mariae non fuit sine libidine; ergo non fuit sine peccato; ergo non fuit sancta. « Quomodo potuit peccatum deesse ubi libido non defuit? Numquid potuit maritalibus osculis et amplexibus sanctitas admisceri, ut simul et concepta esset et sancta? » Sed haec quae de conceptione activa deque maritali congressu dici possunt, ad conceptionem passivam animationemque absurdissime transferrentur. Ne igitur non tam disseruisse quam aerem inepte verberasse Bernardus censeatur; fatendum est, non alterius conceptionis quam activae cultum festumque ab eo fuisse notatum acriterque reprehensum. Sequitur alterum argumentum quod [2]) huc redit: non

1) Epist. cit. n. 7. Dicores ob oculos habuisse Bernardum tum I. imagines Graecis solemnes, quibus mysterium conceptae Deiparae spectandum exhibebant, propositis Ioachimo et Anna semet mutuo complexantibus: tum II. quae in apocrypho evangelio de nativitate beatae Mariae legimus, quaeque ad seminalem eiusdem conceptum referuntur.

2) Ibidem. Neque alio argumenta pertinent quibus utitur Thomas III. p. q. XXVII. art. II., ubi de quaestione, *utrum beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem*, sic disserit, « Videtur quod beata Virgo sanctificata fuerit ante animationem, quia ut dictum est articulo praecedenti, plus gratiae collatum est Virgini matri Dei quam alicui sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum quod sanctificarentur ante animationem, quia ut dicitur Ierem. I. 5. *priusquam te formarem in utero, novi te;* non autem infunditur anima ante corporis formationem: similiter etiam de Iohanne baptista dicit Ambrosius super Luc. cap. I. super illud, *et Spiritu sancto replebitur*, quod *nondum inerat ei Spiritus vitae, et iam inerat ei spiritus gratiae*. Ergo multo magis beata Virgo ante animationem sanctificari potuit. Praeterea conveniens fuit, sicut Anselmus dicit in lib. de concept. virg. cap. XVIII. *ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi;* unde et Cant. IV. 7. dicitur, *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te*. Sed maior puritas fuisset beatae Virginis, si numquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit ut antequam animaretur, caro sanctificaretur. Praeterea non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum conceptionis beatae Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, et ita quod ante animationem fuerit sanctificata. Praeterea Apostolus dicit Rom. II. 16. *si radix sancta, et rami*. Radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo beata Virgo sanctificari etiam in suis parentibus ante animationem. » Gemina habet Thomas in III. dist. III. q. I. art. I., quodlibet. VI. q. V. art. I. et opusc. II. cap. CCXXXI.; neque dissimilia tradit Bonaventura, qui ad ostendendam conclusionem quod *gloriosae Virginis caro ante animationem non fuit sanctificata, cum sanctificatio per aliquod superadditum donum fieri debeat, quod non in carne sed in anima recipitur*, viam sibi his argumentis praemunit in III. dist. III. q. I: « Utrum caro Virginis sanctificata fuerit ante animationem. Et probatur primo quod sic. Ierem. I. *antequam formarem te in utero, novi te*. Constat quod Virgo excellentior

potuit Deipara prius sancta esse quam foret; nequit autem eius conceptus haberi sanctus et veluti sanctus honorari, nisi eidem deferatur quod sancta prius foret quam existeret. « Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus: quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esset, siquidem non erat antequam conciperetur. » Et mox: « Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat; restat ut post conceptum in utero iam existens sanctificationem accepisse credatur. » Praeclare omnino si sanctitas et cultus oppugnentur concepti dumtaxat seminis, sed omnino abs re si de sanctitate cultuque conceptae animataeque Virginis adhibeantur. In id ergo Bernardus incubuit, ut conceptionem seminis neque sanctitatis capacem neque cultu dignam demonstraret. Quo et tertium ultimumque pertinet argumentum, cuius haec est [1]) ratio: Deipara non de Spiritu sancto sed communi lege concepta fuit; fieri ergo non potuit ut in ipsa conceptione sanctitatis munere augeretur. « Nisi forte quis dicat, de Spiritu sancto eam et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. » Quorum huc sententia redit: non potuit cum conceptione sanctitas cohaerere, quin foetus fuerit in ipsa statim conceptione idoneis instructus organis et anima vi-

fuit quam Ieremias; ergo prius fuit approbata et purificata eius caro quam esset formata. Sed ante fuit formata quam animata; ergo ante fuit carnis sanctificatio quam animatio. Item super illud Luc. I. *exultavit in gaudio infans in utero meo*; glossa, *nondum erat in eo spiritus vitae, et iam erat spiritus gratiae*. Ergo multo fortius hoc fuit in Domini matre, quae dignior fuit quam Iohannes; ergo sanctificata fuit ante Spiritum vitae, et ita ante animationem. Item non est minus potens virtus sanctificans, quam sit virtus inficiens et foedans. Sed caro infici potest et foedari ante animationem; ergo pari ratione ante animae infusionem, imo a fortiori potest sanctificari, cum opposita nata sint fieri circa idem. Si ergo beatae Virgini hoc concessum est quantumcumque congruum est concedi purae creaturae, videtur quod caro eius ante animationem fuerit sanctificata. Item conceptio gloriosae Virginis fuit ex legitimo matrimonio et de parentibus sanctis et de matre sterili, secundum quod narrat quaedam historia. Videtur ergo quod ipsa concepta fuerit virtute Spiritus sancti. Si ergo illa conceptio quae est secundum legitimum matrimonium et secundum Spiritus sancti adiutorium est sancta et immaculata, videtur quod caro virginis Mariae in ipsa sua conceptione fuerit sanctificata. Sed ante fuit conceptio quam animatio; ergo fuit antea sanctificata quam animata. « Scilicet quod *loquendi usu obtineret*, ut conceptio absolute simpliciterque ad conceptionem seminis referretur; propterea mediae aetatis theologis unum idemque fuit I. de conceptione verba facere, ac de foetu loqui nondum animato: et II. quaerere utrum Virgo in conceptione fuerit sancta, ac scisciari utrum illius caro ante animationem sanctitate niteret. Eadem fuit Bernardi mens ac sententia, proindeque Bonaventura iis quae retulimus continuo subiicit: « Sed contra Bernardus in epistola ad Lugdunenses, *ante conceptionem sanctificari minime poterat, quia non erat; sed nec in ipso concepto propter peccatum quod inerat*. Sed constat quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato; ergo dicit propter caussam peccati quae erat in carne; ergo videtur quod sanctificatio non fuerit ante infusionem animae. »

1) Ibidem.

Digitized by Google

vificante informatur; ea enim est sanctitas quae nequit nisi animae inesse. Atqui de uno Christo utpote virtute Spiritus concepto profitetur ecclesia, quod in ipso conceptu fuerit numeris omnibus expletus, anima informatus, divinaque sanctitate perfusus. Virgo igitur utpote concepta non de Spiritu, sed ex voluntate carnis atque ex voluntate viri, non potuit in ipso conceptu sanctitatis luce splendere. Quemadmodum vero haec omnia ad animationem nullatenus spectant, et ad conceptionem seminis unice referuntur; ita [1]) nonnisi huius sanctitatem festamque recordationem a Bernardo notatam improbatamque perspicue ostendunt.

1655. *Corollarium XI. Non ea est obiecta a Mabillonio difficultas, quae superiorem Bernardi interpretationem labefactet.* Meminit [2]) superioris interpretationis Mabillonius, deque ipsa iudicium laturus monet, non satis illam recentioribus probari «Qui conceptionis nomen usurpantes pro instanti infusionis animae, censent Bernardum impugnasse non solum festivitatem conceptionis Deiparae virginis inconsulta sede apostolica institutam, verum etiam ipsam conceptionis hoc modo sumptae sanctitatem, seu immunitatem a peccato originali.» Tum [3]) pergit: « Quod quidem ad Bernardi mentem propius accedere videtur. Nam in ista epistola nullum omnino discrimen agnoscit nisi penes maiorem ac minorem gratiae plenitudinem inter beatam Virginem ac Ieremiam et sanctum Iohannem baptistam, quos quidem in utero sanctificatos affirmant omnes, im-

1) Neque enim iis suffragari possumus qui censent, Bernardum non tam festo conceptionis, quam libertati illius celebrandi, inconsulta apostolica sede, repugnasse. Repugnavit enim utrique, et festo inprimis atque prolixius, quum serio graviterque contenderit non posse celebrari conceptionem quam peccatum infecerit, quamque gratia et sanctitas neque decorarint neque vero etiam decorare potuerint. Quamquam vero Thomas et Bonaventura mitius multo egerint, verbaque diligentius temperarint; nihilominus et quae ipsi de festo conceptionis tradunt, eodem sensu accipienda sunt. Atque eodem sensu accipi inprimis debent verba, quibus Thomas huic difficultati occurrens III. p. q. XXVII. art. II. *non celebratur festum nisi de aliquo sancto; sed quidam celebrant festum conceptionis beatae Virginis; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, et ita quod ante animationem fuerit sanctificata*, scribit: « Ad tertium dicendum, quod licet romana ecclesia conceptionem beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius. » Tum eodem sensu accipi ea debent quae Bonaventuram habent auctorem in III. dist. III. q. I.

2) In notis ad epist. CLXXIV. n. 142. p. LXII.

3) Ibidem. Sed haec primum disiecerant Petrus de Alva in sole veritatis signo II. radio XXXII. et Thyrsus Gonzalez de concept. disput. II. sect. XIV. nn. 117-121. inquiens: « In hoc sensu *(de conceptione seminis ante animationem)* acceperunt mentem Bernardi theologi antiqui, qui post tempora Bernardi theologiam scholasticam Parisiis tradidere; et de hac conceptione materiali tamquam non sancta loquitur Anselmus, et de illa loqui Ps. L. *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, docet lib. de concept. virg. et de peccat. orig. cap. VII. »

munes a culpa originali, nullus. Et hanc quidem fuisse Bernardi sententiam colligitur ex serm. II. in assumpt., in quo aperte concedere videtur beatam Virginem a parentibus *originalem maculam traxisse*. Quod autem nonnulli quosdam contextus Bernardo tribuunt in gratiam immaculatae conceptionis, ex suppositiis eius operibus plurimum adducuntur, ut iis diutius immorari necesse non sit. » At vero I. indirecta haec sunt, obliqua et sic comparata ut nullatenus argumenta enervent quibus effecimus, Bernardo fuisse sermonem de conceptione seminis, et de hac una ab eo negatum, haberi illam sanctam posse dignamque quae festa solemnitate recoleretur. Certe [1]) Bonaventura de immaculato disserens Virginis conceptu, et conceptum de animatione sumens ait: « Non huic obviant dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione *(praevertente animationem, de qua loquitur)*, quam erga Virginem devotionem nostram minuere. » Et [2]) obiectis sibi Bernardi verbis, *quomodo ibi peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* reponit: « Constat quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent eam agere sine peccato; ergo dicit propter causam peccati, quae erat in carne. » Caussam vero radicemque peccati in carne existentem, tum ipse, tum plerique veterum [3]) cum Halensi concupiscentiam interpretabantur. Fixa ergo rataque manent argumenta, quibus contentionem de sincera germanaque Bernardi mente definivimus. Bene habet, sed quo tandem pacto II. occurrendum iis est, quae Mabillonius opponit? Nimirum quod principio opponit, latius patet quam ut extricando nodo par merito videatur. Opponit enim fuisse Deiparam a Bernardo cum Ieremia et Iohanne prodromo collatam, neque aliud fuisse commemoratum discrimen nisi quod his verbis [4]) exprimitur: « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non so-

1) In III. dist. III. q. I.

2) Ibidem.

3) S. III. P. q. XI. membr. II. a. II. Huc faciunt quae discipulo de homine inquirenti, *quomodo in iniquitate concipitur?* magister in elucidario lib. II. cap. XII. pag. 472. respondet inquiens: « In concupiscentia. Omnis namque homo debuit sine concupiscentia generare, sicut manus manui iungitur sine delectatione. Sed quia primus homo a iustitia naturali recessit et interdictum concupivit, mox concupiscentia eum servum sibi subegit, et ipsum omnesque posteros suos in concupiscentia generare coegit. Igitur omnis qui in concupiscentia concipitur, iniustus nasci convincitur; et ideo si absque baptismate, quod est mors Christi, moritur, in caelum angelis consequandus non assumitur. Nullus quippe angelis aequabitur, nisi cui nulla iniustitia sicut nec ipsis dominabitur. Nemo autem mundus a sorde, nec infans unius noctis in orbe. »

4) Epist. CLXXIV. n. 5. pag. 170. E-F.

Digitized by Google

lum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam: quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. » Quid iamvero si *sanctificationis benedictio* intelligatur *copiosior* tum munerum ubertate, tum etiam extensione, adeo ut ipsam quoque animationem et Deiparae origines perfuderit? Quid si *privilegium singularis sanctitatis* ad ipsam quoque praeservationem referatur? Et quid si ducta ex eo ratio quod Virgo *peccati mortisque peremptorem genuerit*, talis habenda esse affirmetur quae cum vinculo originalis damnationis cohaerere nequeat? Horum nihil absurdum est, nihil quod Bernardi auctoritate refutetur, et nihil quod sese non admodum commendet. Quod igitur principio Mabillonius opponit, tale non est quod rem propositam efficiat. Neque III. tale est quod mox subdit, quodque ex hisce Bernardi verbis [1]) mutuatur: « Sed forte curiosius quisquam requirat, cur in praesenti [2]) evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue poenitentiam, quae malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit, sed minus a Ieremia sanctificatam in utero, aut non magis a Iohanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana: nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur. Postremo cum omnimodis constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, quippe cum et nunc in baptismate sola hanc maculam lavet gratia et sola eam raserit olim petra circumcisionis: si, ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilo minus ab innocentissimo corde etiam poenitentia longe fuit. » Etenim ne illud regeram quod ab aliis [3]) animadversum scio, quae ad contractum originis peccatum spectant, non affirmate a Ber-

1) Serm. II. in Virginis assumpt.n.8.pag. 1065. D-F. opp. T. III.

2) Ea petebatur ex Luc. X. 38. seqq., atque his verbis incipiebat: *Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.*

3) Videsis Plaza op. cit. act. VI. art. I. n. 44.

Digitized by Google

nardo dici, *sed hypothetice praeteriri;* tria habeo quibus e medio difficultatem tollam. Atque illud inprimis, a recepto penes veteres [1]) loquendi usu non abhorrere, ut quod *de tracta* dicitur *originali a parentibus macula*, nonnisi concupiscentiae infectionem significet et cum ea necessario cohaerens culpae debitum, cuius tamen explicatio sigulari gratiae munere praepediatur. Illud deinde, propterea Virginem *magis ab Iohanne Spiritu repletam* celebrari, quod ipsa sola proprio gratiae dono a contrahenda hereditaria culpa fuerit praeservata. Et illud postremo, immunitatem ab originali culpa quantum satis est efferri, quum Deipara exsors cuiusvis actualis culpae perhibetur. Sunt enim haec penitissime conserta, et sin minus pro rerum naturis, pro historico certe qui regnat ordine numquam contingit, ut ab invicem separentur. Ne autem IV. nobis Mabillonius vitio vertat, quod de mente sententiaque Bernardi ex dubiis aut etiam nothis testificationibus iudicemus; non ad alia provocabimus eiusdem dicta, nisi quae omnium suffragio certa indubiaque existimantur. Ad quem censum inprimis haec pertinent quae de patrocinio Deiparae Bernardus [2]) scribit: « Advocatum habere vis et ad ipsum *(advocatum Christum)?* Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. » Sed [3]) omnium prima ac maxime propria naturae contaminatio ea est quae consortio hereditariae labis contrahitur. Huius igitur expers haberi debet Deipara, si quod Bernardus affirmat, pura fuit ab omni contaminatione naturae. De qua originali puritate haec quoque sumantur [4]) oportet: « Sed iam advertistis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipsa est via per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tamquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus et nos ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. » Quibus Deipara universalis nescia praevaricationis tum implicite

1) nn. 1501. seqq.
2) Serm. in Deiparae nativit. n. 7. pag. 1020. F. opp. T. III.
3) Cf. Thomam in II. dist. XXX. q. II. a. II.
4) In adventu Domini serm. II. n. 6. pag. 729. B-D. opp. T. III.

Digitized by Google

tum aperte declaratur: et implicite quidem, quum media Deum inter perditumque nostrum genus exhibetur: aperte vero, quum eiusdem integritas nostrae corruptioni e diametro opponitur. Quare de ratione disserens [1]) Bernardus susceptae ab Unigenito oeconomiae ait: « Proinde factor hominum ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere immo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus: voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. » Duo igitur Deiparae Bernardus asserit: alterum, quod talis *condita* ipsa fuerit, qualis Dei genitrix esse oportebat, et alterum, quod ipsa agni immaculati immaculatum ectypum praeseferret. Fateor autem me prorsus non videre, quo pacto haec cum labe originalis transgressionis concilientur. Neque video qui fieri queat, ut cum eadem labe ea componantur, quae mox [2]) Bernardus subiicit: « Alioquin quomodo angelus eam in sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quippiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat? » Nimirum ea Virgini gratiae plenitudo tribuenda est, qua *quippiam vel parum boni* neque a gratia profecti, ab ipsa quam longissime dissitum videatur. Sed plurimum mali, illudque non a gratia sed a satana hominumque malitia dimanans Deiparam infecisset, si vitiata originali culpa brevissimo licet momento temporis extitisset. Quod ne quis nostrum putet, haec item postulant quae Bernardus [3]) addit: « O admirabilem et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit [4]) Apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter nec fortuito inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praefiguratam, a prophetis promissam. » Ecquis enim corruptam censeat originali peccato, quae *parentum reparatrix* et *posterorum vivificatrix* dicitur? Cui tam animi quam corporis *integerrima et deflorata numquam vir-*

1) Hom. II. super *Missus est*, n. 1. pag. 743. C-D. opp. T. III.
2) Ibid. n. 1. pag. 743. D.
3) Ibid. nn. 3-4. pag. 744. B-D.
4) I. Cor. VII. 34.

Digitized by Google

ginitas defertur? et quae *ab aeterno electa, praecognita et ab Altissimo sibi ipsi praeparata* celebratur? Praesertim quum illius dotes Bernardus enumerans [1]), post alia scribat: « Nam et defectus omnis sub ea, et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prae ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis. » Quibus haec [2]) sunt gemina: « Candidissimus sane sed et calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari. » Liceret autem suspicari, immo tenendum prorsus esset, *non omnem sub ipsa fuisse defectum, non quidquid fragilitatis est et corruptionis ab ea fuisse alienissimum, neque ipsam a tenebris penitus fuisse divisam,* si eiusdem primordia originale scelus deturpasset. Hinc Bernardus de corona loquens qua Virginis [3]) caput insigne refulget, exclamat: « Supra hominem est coronae huius rationem exponere, iudicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostrae exiguitatis abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim praerogativas gratiarum intelligere [4]) videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria praerogativas caeli, praerogativas carnis, praerogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginae nostrae diadema praefulgeat universis. Mihi sane singularis rutilat fulgor primo quidem in Mariae generatione, secundo in angelica salutatione, tertio in Spiritus superventione, quarto in Filii Dei inenarrabili conceptione. » Sed unde fulgor Mariae generationem perfundens? Vel ut Bernardus [5]) loquitur, *quid ergo sidereum micat in generatione Mariae?* En sanctissimi viri [6]) responsum: « Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quod longe ante eiusdem patribus caelitus repromissa; quod mysticis praefigurata miraculis; quod oraculis praenuntiata propheticis. » Quae omnia non ex dubiis nothisque sed ex indubiis germanisque operibus

1) Serm. infra octav.assumpt. n.3.p. 1013. B-D.
2) Ibid. n. 3. pag. 1013. D.
3) Ibid. n. 7. pag. 1014. E-F.
4) Al. *valeamus.*
5) Loc. cit. n. 8. pag. 1015. A.
6) Ibid. n. 8. pag. 1015. A-B.

Digitized by Google

deprompta alterutrum luculentissime ostendunt: vel Bernardum immaculatis Deiparae primordiis non obscure favisse: vel certe non ea litteris consignasse quae Mabillonius duxit, quaeque propositam a nobis epistolae ad Lugdunenses interpretationem subverterent.

1656. *Corollarium XII. Ad eam supremam normam exigit Bernardus utramque quaestionem tum practicam festi, tum theoreticam de ratione conceptionis, quae si in praesentia adhibeatur, quamvis e medio difficultatem penitus tollit.* Postquam enim de festo, deque ratione conceptionis ea Bernardus disseruit quae superius [1]) expendimus, illico [2]) subdit: « Nam si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicae sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas [3]) imperitorum. » Et paullo [4]) post: « Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc sicut et cetera quae eiusmodi sunt universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio paratus iudicio emendare. » Atqui consulta apostolica sedes non modo conceptionis festum permisit, sed illud solemniter instituit, praecepit, et omnibus quibus potuit modis splendidissime exornavit. De sententia vero, qua Deiparae origines cuiusvis expertes labis praedicantur ita statuit ut illam sibi impense cordi esse indiciis minime obscuris expresserit. Quemadmodum enim opinioni de infectis Deiparae primordiis omnem aditum in lucem prodeundi lata lege obstruxit; ita sententiam de immaculato conceptu promovit, piam nuncupavit, et eo usque devenit ut de illa inter fidei articulos numeranda serio graviterque deliberarit. Factum igitur satis est Bernardi votis, neque aliud iam restat quam ut Bernardus ipse festi patronis, piaeque sententiae vindicibus iure merito accenseatur.

1657. *Corollarium XIII. Quod de contentione affirmavimus Bernardum inter ac lugdunenses canonicos, idipsum ac paullo etiam evidentius de contentione quae exstitit inter Nicolaum sancti Albani monachum, Petrumque cellensem repeti debet.* Ex iis non paucis [5])

1) nn. 1652. seqq.

2) Epist. CLXXIV. n. 9. pag. 172. B. opp. T. I.

3) Quae profecto dicta sunt paullo contentiosius, quum refundi non posset in *paucorum simplicitatem imperitorum*, quod universus frequentabat Orians, quodque ex Occidente non pauci celebrabant.

4) Loc. cit. n. 9. pag. 172. C.

5) Quinque memorat Strozzius op. cit. lib. III. cap. XIV., iique sunt Richardus victorinus in sermone de conceptione, Nicolaus Astifragus in lib. de concept. Virginis ad Petrum pontiniacum, Petrus Comestor in serm. de conceptione, Petrus cantor parisiensis in tractatu de conceptione et Petrus Abelardus in oratione eiusdem tituli.

Digitized by Google

qui Bernardo obstiterunt, nulli secundus habendus est [1]) Nicolaus sancti Albani in Anglia monachus, qui omnem movit lapidem atque in omnes sese partes vertit, ut conceptionis festum tueretur et immaculatas Virginis origines propugnaret. Quare vehementius forte quam deceret, in Bernardum incaluit, atque ceteris asperius dictis et hoc [2]) adiecit: « Dominae nostrae animam non solum in passione Filii gladio transfixam, sed etiam in conceptionis suae contradictione. » Bernardi vindicias suscepit Petrus cellensis, et quamquam non tulerit ut viri sanctissimi nomen ac fama vel tantillum laederetur; de festo tamen deque sententia immaculati conceptus ea litteris consignavit, quae et ad cognoscendam Bernardi mentem, et ad vulgatissimam receptamque persuasionem stabiliendam non mediocriter conferunt. Itaque ad Bernardum quod attinet, sic alloquitur [3]) Nicolaum: « Sola mihi sancti Bernardi iniuria donetur, et quaecumque et undecumque vis iacula conglomera, sive ut meam rusticitatem confundas, sive ut de sensu meo vilissimas sententiarum quisquilias excutias, sive ut thesauros tuos homini pauperi aperias, sive ut nescientem doceas et sensus tuos fortissimis assertionum repagulis stabilias. » Et [4]) infra: « Petra vero scandali es, quod beatissimum Bernardum debita exuis veneratione, et verborum iacula post eum emittis, tamquam famam eius possis extenuare vel gloriam evacuare. Bona fide qua te diligo, et fidelissima caritate laudo, consulo et rogo ne amplius in caelum ponas os tuum; quia nisi caveris tibi, in caput tuum recasurus est lapis quo ferreum vis penetrare caelum. » Et Bernardi laudibus compendio enumeratis [5]) pergit: « Alumnus enim familiarissimus fuit Dominae nostrae, cui non unam tantum basilicam, sed totius ordinis cisterciensis basilicas dedicavit, ad cuius laudem politissimos tractatus et facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominae nostrae, scribe contra Bernardum suum. »

1) Editor maurinus ad calcem epist. XXIII. ex lib. VI. epistt. Petri cellensis pag. 133. sic habet: « Vetus et nobile apud Anglos sancti Albani monasterium ab Offa rege conditum haud procul Verolamio, ubi sanguinem pro Christo fuderat sanctus Albanus. Ceterum eadem hic Petro abbati de festo conceptionis beatae Virginis cum Nicolao concertatio, quae olim Bernardo fuerat cum canonicis lugdunensibus epist. CLXXVI., eademque sententia: nihil videlicet in ea renovandum videri ante sedis apostolicae decretum. Quod quidem si eorum aevo prodiisset quale postea sequutum est, haud dubium quin pro eximia utriusque erga Virginem reverentia aequissimis laetissimisque animis accepissent. »

2) Inter epistt. Petri cellensis lib. VI. epist. XXIII. pag. 129.

3) Epistt. lib. VI. epist. XXIII. pag. 136.

4) Ibid. pag. 129.

5) Ibid. pag. 130.

Digitized by Google

1658. Quibus expeditis, ad caput contentionis progressus, animum sibi esse ad honorandam Deiparae conceptionem propensissimum declarat [1]) his verbis: « Tu contendis honorare conceptionem, et ego praedestinationem ac totam eius retro progeniem. Tu rosam, ego etiam spinam. Tu florem et fructum, ego corticem et folium. Tu apparentia, ego latentia. Tu farinam, ego furfurem. Tu panem, ego cinerem. Tu solium, ego scabellum. Tu substantiam, ego picturam. Si cursum eius fas esset distinguere et sequestrare in mente divina a collegio cunctorum creatorum, mitterem animam ab initio praedestinationis ut sequeretur adorando, sancta et suprema veneratione colendo eius vestigia. » Et [2]) mox: « Semper interero conventiculis, ubi Dominae nostrae digna celebretur commemoratio, sive nominetur conceptio, sive nativitas, sive assumptio, sive alia quaecumque veneratio. » Caussam deinde promens [3]) qua retardabatur, subdit: « Cum ergo una gradiamur via, quid ad rem si diversa sit semita? Tu sinistram tenes semitam, quare murmuras, si ego teneo dexteram? Si tua tibi displicet semita, quia et larga et caritativa est nostra, cedo, et concedo tibi locum iuxta me. Proverbium est, non sunt dimittendae veteres viae propter novas. Quis sanctorum, quis antiquorum [4]) non ambulavit semitam nostram? Credo et vere fateor, si in hoc errassent, et hoc eis Deus revelasset. Quibus enim sua tam familiariter revelarit consilia, ut etiam ad supplementum evangeliorum, epistolarum et prophetarum perpetua stabilitate canones et decreta statuerint pari pene observantia tenenda cum evangelio, hoc solum eis tacuisset, si periculosum [5]) esset? »

1659. Tum hanc sibi [6]) difficultatem opponit: « Audesne tu qualiscumque abbas occludere puteos semper continuandae devotionis, et profundius quotidie fodiendae venerationis? Nonne eodem spiritu potantur moderni, quo et antiqui? Nonne, ut ait Hieronymus, in

1) Ibid. pag. 128. A.

2) Ibid. pag. 128. B.

3) Ibid. pag. 128. B-C.

4) Quasi vero tum primum festum conceptionis inceperit, neque illud iampridem sanctissimi patres atque nobilissimae ecclesiae celebrarint? Nescio autem quo fato sane non bono contigerit, ut Petrus iuxta ac Bernardus huius festi antiquitatem ignorarint, vel de eiusdem obiecto secus ac par foret censuerint.

5) Heic sibi Petrus a confusione satis non cavet, qua uno eodemque numero habentur tum honesta et utilia, tum necessaria quaeque omitti citra piaculum nequeunt. Ea namque utitur ratione, quae de necessariis quidem valide, sed de honestis dumtaxat atque utilibus frustra usurpatur.

6) Loc. cit. pag. 128. C. De hac in dies enucleata magis magisque splendida veritatum in catholica ecclesia manifestatione, accurate scribit Muzzarellius op. cit. de festo conceptionis cap. I. pagg. 37-38., mentemque suam vestigiis Aquinatis II. II. q. I. art. VII. insistens, lusolenter patefacit.

templo Dei quisque pro virili portionem offert, alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos, alius, ut ad viliora veniamus, pilos caprarum et cetera? Non erat ab initio nativitas Virginis in ecclesia solemnis, sed crescente fidelium devotione, addita est praeclaris ecclesiae solemnitatibus. Quare igitur non similiter et diem conceptionis obtineat sedulitas christianae devotionis?» Cui e vestigio [1]) occurrens ait: « Ad quod ego, cataractas caeli et fontes abyssi libentius in obsequium Virginis solverem quam clauderem; et si filius eius Iesus aliquid omisisset in praerogativa exaltationis suae matris, ego servus, ego mancipium non quidem de effectu sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certe non habere linguam, quam aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quam vellem eius extenuare gloriam. Licuit quoque semperque licebit sponsam Christi ecclesiam, quae in terris peregrinatur, secundum mutationes rerum, personarum et temporum variare rationes decretorum, et nova adinvenire medicamina remediorum, et statuere sanctis adeptione gloriae frequentiam solemnitatum.» Quibus vere sapienterque constitutis [2]) pergit: «Est tamen auro locus in quo conflatur, et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam, quae claves caeli principaliter tenet, et clausura consiliorum Dei reserata dispensante Deo, unguentum gratiae a capite usque in oram vestimenti habet compluere. Haec sedes Petri, idest, petra in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata convertens animas, fragosa quaeque haereticorum conciliabula elidit et adlidit, profanas vocum novitates resecat et rescindit, superflua confodit et iugulat, hiantia et ecliptica complet et illustrat. Utinam salva veritatis auctoritate, lance communis concilii, haec domina et moderatrix totius christianitatis conceptionem Virginis librasset et approbasset, et a mari usque ad mare hanc propagasset. Sole, idest, Apostolico, ac luna, idest, curia romana praeeunte, tam secure quam expedite in lumine vultus eorum gressus meos ponerem et disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, et sequi solidum et securum.» Neque alibi [3]) secus, ubi Nicolaum compellans inquit: « Virginem laudas, et ego laudo. Praedicas sanctam, et ego. Extollis super choros angelorum, et ego. *Dicis immunem ab omni peccato, et ego.* Asseris Dei ge-

1) Ibid. pag. 128. C-D.
2) Ibid. pagg. 128. D. et 129. A.
3) Lib. IX. epist. X. pag. 190. A-B.

Digitized by Google

nitricem, adstruis nostram ad Deum mediatricem, et ego. Versa et reversa in quolibet statu venerationis et glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis [1]) monetae formam vis fabricare aliam, quam non approbaverit sedes Petri, cuius est approbare vel improbare ordinem universalis ecclesiae, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior. »

1660. Hactenus de festo, de sententia autem immaculati conceptus quid Petrus iudicarit, coniici initio ex hisce potest quae descripsimus: *dicis immunem ab omni peccato, et ego.* Tum ex hisce coniici potest quae [2]) subdimus: « Prorsus nihil ad nos, nihil ad angelos dignius et melius de omnibus thesauris suis protulit aeterna Trinitas, quam templum virginale et holocaustum quod ad immolandum ex eo traxit et extraxit, Verbum Deo Patri coaeternum et consubstantiale. Sic corde credo, sic ore confiteor. » Atque ex hisce tandem [3]) omnino praeclarissimis: « Credo, dico, assero et iuro beatissimam Virginem nostram in aeterna praedestinatione singulari privilegio munitam, nec a sua conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse et permansisse illibatam: et sicut beata ultra humanam et caeterorum hominum naturam, sic secreta et incognita manet ultra omnium notionem. » Verum quo pertinent verba, *nec a sua conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse et permansisse illibatam?* Sensum manifeste praeferunt interpellatae numquam continuationis, et seriei semper sibi similis et omnino homogeneae. Incisum ergo, *nec a sua conceptione in aliquo violatam,* sensu accipi debet *inclusivo,* atque ita reddi: *iam inde a sua conceptione in nullo violatam.* Quibus diserta immaculati conceptus professio continetur.

1) Quum de Bernardi vita eiusque gestis accurate scripserint Guillelmus abbas, Bernardo adhuc superstite, Arnoldus similiter abbas qui, Bernardo vita functo, Guillelmi historiam continuavit, et Gaufridus qui fuit Bernardo a secretis, quique utriusque operi supremam manum admovit; nemo tamen controversiae meminit, quae Bernardum inter et lugdunenses canonicos exarsit. Quamnam vero huius silentii causam fuisse arbitrabimur? Non aliam opinor adduci probabiliorem posse, quam quod ea contentio vix excitata conquieverit, festumque conceptionis maiori continenter luce refulserit.

2) Lib. VI. epist. XXIII. pag. 127. D.

3) Lib. IX. epist. X. pag. 187. A-B.

CAPUT II.

De obiecto atque motivo festi cultusque conceptae Deiparae: veluti indubitatum haberi debet passivam Deiparae conceptionem a quavis labe solutam et nitore sanctitatis illustrem obiectum simul ac motivum semper fuisse et porro esse festae celebritatis: ostenditur ex ordine, atque iis principio adductis mutuoque compositis quae ad Orientis ecclesiam referuntur: tum iis adductis mutuoque compositis quae de Occidentis ecclesia novimus, sive ante Sixtum IV., sive a Sixto IV. ad Alexandrum VII., sive ab Alexandro VII. usque ad Pium IX.: institutae probationis epilogus et cum epilogo iuncta conclusio qua infertur, inter ea quae infallibili ecclesiae magisterio declarata existimari debent, numerandum prorsus esse tum obiectum tum motivum festi, quo Deiparae conceptus pie solemniterque honoratur.

1661. Non est cur pluribus explanemus, cultum et festa earum genere rerum comprehendi, quae quum necessario ad obiectum aliquod festo cultuque dignum dirigantur, *relativa* censentur. Neque est cur pluribus explanemus tum *ab obiecto* festi cultusque sedulo distingui eiusdem *motivum* oportere, tum ab utroque suapte natura distare sive festi instituendi amplificandique *occasiones*, sive *singularia adiuncta* quae forte festum ipsum comitentur. Sane ut exemplo declarem quod mente verso, nemo est quem lateat, quanta fidelium pietate quantoque studio cor sanctissimum Christi Servatoris honorctur. At nemo pariter est quem lateat, sive aliud esse huius cultus obiectum et aliud motivum, sive ab obiecto non minus et a motivo quam ab invicem differre hinc festi adiuncta, inde illius instituendi occasionem. Occasio namque fuit multiplex, eaque profecta tum a supernis revelationibus, tum a pietate et precibus quibus fideles ecclesiarumque pastores a romanis Pontificibus enixe postularunt ut ipsi iuberent proprium sacratissimi cordis festum celebrari: ex adiunctis vero illud est commemoratione dignissimum, prae ceteris corporis partibus cor visum esse inprimis idoneum, quod veluti amoris caritatisque symbolum deligeretur. Sed cum hisce nihil commune habet festi obiectum, nihil motivum: quemadmodum enim [1]) illud est cor ipsum verum physicumque

1) Videsis propoit. LXIII. synodi pistoriensis a Pio VI. damnatam, quaeque de propositione ipsa eiusque damnatione luculenter disserit Gerdilius opp. T. XIV. pagg. 343. seqq.

Digitized by Google

Christi Servatoris, ad quod cultus tendit religionisque obsequia diriguntur; ita hoc continetur penitissima cordis cum Verbi hypostasi coniunctione, qua efficitur ut ipsum sit cor divinum, cor Dei, cor Unigeniti incarnati, proindeque dignum quod *in se propter Verbum* cuius cor est, suprema latriae adoratione ab omnibus honoretur. Quapropter descripta ac pro virili illustrata historia cultus festique, quo Deiparae conceptio ab antiquissimis usque temporibus celebrata fuit; illud est reliquum ut non tam de occasione atque adiunctis quam de vero proprioque huius festi obiecto ac motivo quo fieri accuratissime potest disseramus. Praesertim quum neque viri gravissimi defuerint qui in diversas iverint opiniones, res vero ita ex sese comparata sit ut nonnulla lucis accessione perfundi posse videatur. Hoc igitur explendum praesenti capite suscipimus, quod de perspicuitate solliciti, in articulos ita tribuemus, ut quidquid alicuius est momenti, suo loco suoque ordine enarretur.

ARTICULUS I.

De obiecto deque motivo cultus conceptae Deiparae in Orientis ecclesia: ut rite utrumque definiatur, principio animadvertitur conceptionem Deiparae universim celebrari tamquam singularem, novam ac sanctam: animadvertitur deinde, hasce dotes ad ipsam referri Deiparam primum conceptam: quod diligenter confirmatur: ac postremo deducitur Deiparam in ipsa sui animatione, propter sanctitatem qua nituit, fuisse constans obiectum ac motivum festi in Orientis ecclesia celebrati.

1662. Ne quid in hac quaestione minime levi de obiecto deque motivo cultus festique conceptae Deiparae a nobis affirmetur, quod non sit ad liquidam veritatem exactum, quibusdam velut gradibus eo paullatim sensimque tendemus quo propositum nobis est pervenire. Quare in antecessum monemus, *plurima omnino esse orientalis ecclesiae consignata monimentis, quae conceptum Deiparae eximium, singularem, sanctum et a reliquorum hominum primordiis longissime secretum infinite universimque testantur.* Quo quidem ea initio pertinent, quibus ἡ ξένη σύλληψις, *peregrina, nova, miraque conceptio* [a]) nuncupatur: « Mira est tua conceptio, mira

a) Antholog. die XX. Novembris Ode ε'. pag. 121. col. 1. B-C. Ξένη σου ἡ σύλληψις,

Digitized by Google

et tua nativitas, mirus processus quo intus, o Virgo, in templum adduceris; mira et stupenda sunt, o immaculata, quae tibi conveniunt, neque cogitandi minus quam fandi virtutem superant.» Ut enim [a]) Georgius nicomediensis scribit: «Angeli inexspectatam eius praenunciant conceptionem, quae supernaturalem ineffabilemque partum novavit. Vincit exspectationem eius processio, cuius est mirabilis generatio.» De qua [b]) Iohannes damascenus propterea exclamat: «O miraculorum miracula, et rerum admirabilium res maxime mirabiles! Aequum [1]) quippe erat, ut ad ineffabilem Dei incarnationem qua se ille ad nos inclinavit, iter per miracula muniretur.» Cuius miraculi conceptae Deiparae praestantiam suspiciens [c]) Iacobus monachus ait: «Rei immensitate teneor, ut ne loqui possim, animusque prae portenti magnitudine defixus haeret novum quoddam et insolitum videns in terra mysterium. Quod arcane ante secula omnia promissum fuit salutare, nunc terminum accipit. Peculiare hoc parentum Virginis exsistit encomium. Prooemium hoc vim verborum omnem fugit.»

1663. Ac merito sane, *quum eiusmodi prooemium atque Deiparae conceptus initium fuerint gaudii, laetitiaeque praelibatio.* Sic enim de Ioachimo et Anna Deiparam gignentibus [d]) Georgius nicomediensis habet: «Hi prima ad opus praestruxerunt praedictionum

ξένη σου καὶ ἡ γέννησις, ξένη σου ἡ πρόοδος, παρθένε, ἡ ἔνδον οὖσα τοῦ ἱεροῦ ἀγωγή· ξένα καὶ παράδοξα τὰ σά, λόγον ὑπερβαίνοντα καὶ διάνοιαν, ἄχραντε.

a) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1064. E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἄγγελοι τὴν παρ' ἐλπίδα σύλληψιν τῆς ὑπερφυῆ καὶ ἀπόῤῥητον καινουργησάσης κύησιν προοιμιάζονται· παρὰ πρόσδοκίαν ἡ πρόοδος, ἧς παράδοξος ἡ γέννησις.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842. D. Ὦ θαυμάτων θαύματα, καὶ παραδόξων παράδοξα· ἴδιν γὰρ τὴν τοῦ θεοῦ ἄῤῥαστον καὶ συγκαταβατικὴν σάρκωσιν προσδοκηθῆναι τοῖς θαύμασιν.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1248. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἀμηχανίᾳ τοῦ πράγματος τὸν λόγον κατέχομαι, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ θαύματος ἐκπλήττομαι τὴν διάνοιαν, ξένον ὁρῶν καὶ παράδοξον ἐπὶ γῆς τελούμενον μυστήριον. ὃ πρὸ πάντων αἰώνων ἀῤῥήτως ἐκηγγέλθη σωτήριον, νυνὶ πέρας δέχεται· τοῦτο τῶν τὴν παρθένον τεκόντων ἀνωκισμένον ἐγκώμιον· τοῦτο προοίμιον πᾶσαν ἐκφεύγον λόγων ἐπίδοσιν.

d) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pag. 1076. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Οὗτοι τὰ τῶν προῤῥήσεων εἰς ἔργον κατεβάλλοντο προοίμια· οὗτοι τῶν προσδοκηθέντων

1) Nemo miretur quae ad conceptionem pertinent ex orationibus decerpi, quibus Deiparae nativitas celebratur. Ostendimus enim (nn. 1629. seqq.) more maiorum fuisse receptum, ut utraque nativitas in utero atque ex utero instar unius spectata communi cultu festoque honoraretur.

Digitized by Google

initia, hi expectatorum radicem germinarunt, hi promissorum fundamentum iecerunt, ex his nobis emersit [1]) sanitatis myrotheca, ex his orta prodiit laetitiae conciliatrix, ex his praeierunt gaudii pignora.» Quibus gemina scribit Iacobus monachus, quo auctore [a]) Anna de concepta Deipara gestiens, his verbis protoparentes compellavit: «Veni dux generis, et olim speratae reparationis perspice pignora, vinculum maledictionis solutum, sempiterni gaudii exordium, concessam a diuturna maledictione liberationem. Veni prima parens, et dirupti tristitiae chirographi faustum nuncium prior recipe.» Haec autem Deiparae conceptioni propterea deferuntur, *quod ipsa fuerit iustitia splendens, divina, sancta, sacratissima, proindeque religioso cultu veneranda.* Opportune [b]) Georgius, qui ad conceptionis diem [2]) respiciens ait: «In ea edita universis est congrua gloriatio, in ea ex infecundis lumbis decus sacerdotum germinavit, imperii robur, eorum qui virtutem colunt consummatio, virginum ornamentum, non habentium prolem beata proles, sterilitatis solutio. Floruit ex sterili bonorum ubertas, ex iustis iustissimus fructus abundavit.» Opportune in solemnibus officiis [c]) graeca

τὴν ῥίζαν ἐβλάστησαν· οὗτοι τῶν ἐπηγγελθέντων τὸν θεμέλιον κατέπηξαν· ἐκ τούτων ἡμῖν ἡ τῆς ἰατρείας μυροθήκη κατεσκευάσθη· ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προοιμόπουν ἐνίχυρα.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1269. B-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Δεῦρο τοῦ γένους ἀρχηγέτα, καὶ τὰ τῆς προπλασθείσης ἀνακλήσεως κατανόησον ἐνέχυρα· τὸ τῆς ἀρᾶς τοῦ δεσμοῦ λυτήριον· τὸ τῆς αἰδίου χαρᾶς προοίμιον· τὴν τῆς μακρᾶς καταδίκης ἐλευθερίαν· δεῦρο πρόμητορ, τῶν τῆς λύπης διαῤῥηχθέντων χειρογράφων τὰ εὐαγγέλια προκομίζου.

b) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1048. D-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἐν ταύτῃ τὸ πᾶσι κατάλληλον ἀπεκυήθη σημνολόγημα· ἐν ταύτῃ ἐξ ἀγόνων λαγόνων ἐβλάστησεν ὁ τῶν ἱερέων κόσμος· τὸ βασίλειον κράτος· ἡ τῶν ἐν ἀρετῇ τελειότης· παρθένων ἐγκαλλώπισμα· τῶν ἀτέκνων ἡ εὐτεκνία· στειρώσεως ἡ λύσις· ἐκ στείρας ἡ τῶν ἀγαθῶν ἀνθοφόρησεν ἀφθονία· ἐκ δικαίων ὁ δικαιότατος ἐπλεόνασε καρπός.

c) Men. die VIII. Decembris ad Vesper. pag. 63. col. 2. B. Πνευματικὴν νῦν χορείαν δεῦτε κροτήσωμεν, καὶ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦντες προσόρτια δῶρα προσάξωμεν ἐκ πόθου, αἶνον δικτὸν τῷ τοῦ γένους καυχήματι τῇ Θεοτόκῳ, γεραίροντες τὴν αὐτῆς παρ' ἐλπίδα θείαν σύλληψιν.

Ibid. ad Matut. Ode α'. pag. 64. col. 1. E. Χαρᾶς ἡμῖν σήμερον προκαταγγέλλονται

1) Non potuit autem esse aegra immo propter peccatum mortua, quae *sanitatis myrotheca* primum exstitit.

2) De quo die ibidem sit: τὴν σωτήριον ταύτην καὶ ὑποδεξώμεθα καὶ διανυσφημήσωμεν ἡμέραν. *Salutarem hunc diem suscipiamus, fausteque omnibus prosequamur.*

ecclesia: « Agite iam nunc ducamus spiritalem choream, et Christum celebrantes profesta dona cupide afferamus, hymnum acceptum Dei genitricis quae gloria est generis, divinam illius insperatamque conceptionem honorantes. Hodie nobis praenunciatur reserari gaudii thesauros, et arceri maledicti tristitias in divina Deiparae conceptione. Iucunde, splendide, divine hodie canamus tuba convocantes universam creaturam ad profestam laudem divinae conceptionis matris omni ex parte innocentis. » Neque minus opportune quae in iisdem [a]) frequentantur: « Sacer Ioachim et Anna dona obtulerunt priscis sacerdotibus, et non admissi ut qui prole carerent, preces ad largitorem universorum effuderunt, qui illorum exaudiens orationem iisdem donavit veram vitae portam, cuius [1]) sanctam honoremus conceptionem. Hunc igitur diem celebremus, quo recoluntur edita ab angelo oracula, quibus sanctam annuntiavit conceptionem innocentis Deiparae. » Consona porro sunt quae ex hymnis Vartdanis et Iacobi claiensis in Armeniorum Breviario de concepta Virgine usurpantur. Prior enim ita [2]) canit: « Sanctam illam « spiritalibus virtutibus laudatam atque hodie pro naturae lege genitam, matrem super naturam Dei Verbi, exaltate. » Alter vero [3]) sic habet: « Hodie impleta est promissio patriarchis facta, in ipsorum semine gentes omnes benedicendas; ex ipsorum namque radice effloruit Virgo sancta, quae Verbum peperit tollens protoparentis peccatum. Agite, glorificemus eum qui nobis dedit benedictam in mulieribus. »

ταμεῖα διανοίγεσθαι, καὶ ἀποκλείεσθαι τῆς κατάρας αἱ λύπαι, ἐν τῇ θείᾳ συλλήψει τῆς Θεομήτορος.

Ibid. Ode γ'. pag. 64. col. 2. E. Σαλπίσωμεν φαιδρῶς, εὐσήμως σήμερον, ἐνθέως καλοῦντες τὴν κτίσιν πᾶσαν προοίρτιον εἰς αἴνεσιν τῆς παναγνου μητρὸς θείας συλλήψεως.

a) Men. die IX. Decembris Ode γ'. pag. 73. col. 1. B. Ἰωακεὶμ ὁ ἱερὸς καὶ ἡ Ἄννα δῶρα προσήγαγον τοῖς πρὶν ἱερεῦσι· καὶ μὴ δεχθέντες ἄγονοι τυγχάνοντες, δέησιν προσηύξαντο τῷ δοτῆρι τῶν ὅλων· καὶ τῆς προσευχῆς αὐτῶν ἐπακούσας, δωρεῖται τούτοις τὴν ὀντως πύλην τῆς ζωῆς· ἧς τὴν ἁγίαν τιμήσωμεν σύλληψιν.

Ibid. pag. 75. col. 1. B-C. Ταύτην γοῦν τὴν ἡμέραν πανηγυρίζομεν, ὡς ἀνάμνησιν ἔχουσαν τῶν ὑπ' ἀγγέλου δοθέντων χρησμῶν, τοῦ τὴν ἁγίαν σύλληψιν εὐαγγελισαμένου τῆς ἁγνῆς Θεομήτορος.

1) Huc facit inscriptio orationis quam habuit Petrus Argorum antistes, Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης, ὅταν συνέλαβεν τὸν ἅγιον Θεοτόκον, *oratio in conceptionem sanctae Annae, quando concepit sanctam Deiparam.*

2) Hymn. in Ioachim et Annam Deiparae genitores, pag. 748. T. III. Breviar. arm.

3) Hymn. in Mariae nativit. ex Ioachim et Anna, pag. 781. Ibid.

Digitized by Google

1664. Aucta hisce dotibus atque hisce ornata appositis conceptio fieri vix potuit, *quin obsequiis ac veneratione digna exhiberetur*. Atque eiusmodi sane luculenter significatur [a]) his verbis: « Hodie terrigenae tibi, o Deo gratissima, profestam laudem texunt, et venerandam tuam conceptionem, tamquam gaudii nuntium recipiunt. Concrepent hodie prophetarum vaticinia; ecce enim gratiosae ipsorum praedictiones digne expleri incipiunt in veneranda conceptione Deiparae, quae sola est innocens; in qua omnes exsultamus. » Quare Georgius nicomediensis [b]) iis occurrens, si qui forte essent quibus tanta festi laetitia minus probaretur, inquit: « Enimvero non desint qui dominicae apparitioni hanc laetitiam

a) Men. die VIII. Decembris Ode ς'. pag. 66. col. 2. D. Γηγενεῖς προσόρτιον αἴνεσιν σήμερον σοὶ πλέκουσι, Θεοχαρίτωτε, καὶ τὴν σεπτήν σου σύλληψιν, ὡς χαρᾶς εὐαγγέλια δέχονται.

Ibid. die IX. Decembris Ode θ'. pag. 78. col. 2. C-D. Κροτείτωσαν σήμερον τῶν προφητῶν οἱ πρόκριτοι· ἰδοὺ γὰρ αἱ προῤῥήσεις αὐτῶν τῆς χάριτος ἄρχονται πληροῦσθαι ἀξίως ἐν τῇ σεπτῇ συλλήψει τῆς μόνης ἁγνῆς Θεομήτορος· ἐν ᾗ πάντες ἀγαλλόμεθα.

b) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1045. B-E. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἀλλὰ τῇ δεσποτικῇ ἄν τινες ἐπιφανείᾳ τὴν τοιαύτην εἶποιεν καὶ εὐφροσύνην καὶ εὐχαριστίαν προσήκειν, ὡς ἅπαντα ταῦτα γινομένῃ· καὶ πίρας τοῦ τι μυστηρίου καὶ τῶν δεδομένων καθεστηκυῖα δωρεῶν· ἀλλ' οἱ ταῦτα προτείνοντες νοείτωσαν, ὡς ἐκείνης αἰτία ἡ παροῦσα γίγονε θυμηδία καὶ ἀρχὴ τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτοῦ καταλλαγῆς, καὶ τῆς διὰ ταύτης ἐπιφανείσης ἡμῖν καθέστηκεν εὐφροσύνης· ὥσπερ γὰρ τὰ εἰς καταλλαγὰς ἐνέχυρα παραλαμβανόμενα, εἰρήνης μέν ἐστι σύμβολα βεβαίας, ἀρχὴ δὲ τῆς διὰ τῶν αὐτῆς καλῶν τοῖς καταλλαττομένοις ἐγγίνεται θυμηδίας· ἢ ὥσπερ ἡ ἐκ τῶν ὑπηκόων εἰς βασιλικὴν ἀγχιστείαν καὶ προκρινομένη καὶ παραλαμβανομένη, τεκμήριον ἀψευδὲς τοῖς ἀφ' ὧν ἐξελέγη κατέχεται, τῆς τε πρὸς βασιλέα συγγενικῆς ἑνώσεως, καὶ τῆς διὰ τοῦτο παρεισομένης εὐδοξίας· ἢ καθάπερ βασιλικῶν ἐν ἰδιωτικοῖς ἐγκαινιζομένων κλήροις σημεῖον τῆς δι' ὧν καινουργεῖται παρουσίας καὶ συνδιατριβῆς οὐκ ἀμφίβολον τῇ περιοίκῳ γίνεται, δι' οὗ τήν τε τῆς εὐμενείας καὶ συντηρήσεως προκατασκάζεται κηδημονίαν· οὕτω δὴ καὶ τὰ περὶ τῆς σήμερον καὶ γίγονε, καὶ τὰς ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω προαναπέμπει εὐδοξίας ἐφέδους· τὰ μὲν γὰρ ἐνέχυρα προτέθειται, καὶ ἡ ἀνύμφευτος προκέκριται νύμφη· τό τε παλάτιον καὶ παρῆκται καὶ κυτρίπιστται σήμερον· ἡ δὲ τῶν ἐλπισθέντων βεβαιότης, διά τε τῆς βασιλικῆς ἐπιδημίας καὶ συναφείας τοῖς τῶν δώρεῶν ἡμῖν δηλαδὴ προσγίνετο μετόχοις· οὐκ οὖν ἡγεῖται μὲν τῆς κατὰ τὴν ἄῤῥητον οἰκονομίαν εὐφροσύνης ἡ παροῦσα φαιδρότης· ἡγεῖται δ' οὐχ ὡς μὴ συνεχὴς ἐκείνῃ, ἢ τῷ μεγέθει διανιστηκυῖα, ἀλλ' ὡς πρὸς τὸ τοῦ παντὸς ἀσφαλὲς χειραγωγήσασα, καὶ ἡμῖν γε οἰκείως καὶ πρώτως, ἐπεὶ καὶ διὰ τῆς ἐξ ἡμῶν τὴν τελεωτάτην χαρὰν προξενήσασα· διὰ τοῦτο δεῖ τὴν προσόρτιον ταύτην καὶ τοῦ τέλους αἰτίαν προστίροντας εὐχαριστίαν, φαιδροῖς μὲν τῷ φαινομένῳ, φαιδροτέροις δὲ τῇ ψυχικῇ κοσμιότητι, τὴν παροῦσαν ἐπαίνοις καταστέφειν πανήγυριν, σκιρτᾶν εὐθυμότερον· εὐφραίνεσθαι πνευματικώτερον μᾶλλον, ἢ σωματικώτερον τῇ τῶν νοερῶν καὶ θείων ἁμίλλασθαι τάξιων ἀγαλλιάσει· πᾶσαν ἅπαντας προτρεπομένους διανιστᾶν ἐν τούτοις τὴν κτίσιν.

et gratiarum actionem congruere dicant, tamquam universa haec facta sit, finisque mysterii, concessorumque donorum exstiterit. Sed noverint qui ista opponunt, praesentis diei iucunditatem illius fuisse caussam ac Dei nobiscum reconciliationis [1]) initium, eiusque laetitiae quae per eam nobis affulsit. Quemadmodum enim accepta ad conciliationem pignora, signa quidem sunt firmae pacis, initium autem iucunditatis illius qua pax suis bonis conciliatos afficit: ut item, siqua mulier e subiecto populo ad regium thalamum deligatur et assumatur certissimum tam affinitatis cum rege, quam futurae ex ea gloriae, argumentum sit gentilibus suis: ut denique dedicata privatis possessionibus regia suimetipsius designatione omni circum populo indubitatum signum efficitur, quo iam illa clementiam principis providamque conversationem avide salutet sibique gratuletur; ita sane etiam se habuerunt quae ad praesentis diei laetitiam spectant, supernaeque gloriae argumenta praenuntiarunt. Arrhabo prolata est ac delecta innupta sponsa, regia quoque hodie pariter edita est atque instructa, bonorumque in spe positorum secura adventu illo ac necessitudine [2]) firmitas percipientibus dona, nobis videlicet, accessit. Praeit itaque praesentis diei claritas ineffabili illi ex Christi incarnati sacramento laetitiae: praeit vero non ut ei non cohaerens vel ut magnitudine [3]) differens; sed velut quae ad rei totius certitudinem quasi manuduxerit, idque modo nobis familiari atque congruo: quando per eam quae nostra gentilis esset, consummatissimum gaudium conciliavit. Quamobrem necesse est ut profestam hanc finisque caussam gratiarum actionem adiicientes, laetis quidem exterius, laetioribus autem animi decore laudibus, diei praesentis celebritatem coronemus. Iucundius exsultemus, spiritali magis quam corporali ratione laetemur, cum caelestibus divinisque ordinibus certatim gestiamus, omnesque hortemur ut universam ad hoc studium excitent creaturam.» Quibus omnibus quantum

1) Non potuit autem esse ἀρχὴ τῆς καταλλαγῆς, *reconciliationis initium*, quod fuerit cum inimicitia consertum. Eiusmodi autem fuisset Deiparae conceptus, si illum hereditariae labis culpa maculasset.

2) Quae tria a Georgio commemorantur, Deiparam in suo conceptu fuisse *arrhabonem*, *regiam*, *certissimamque cum Deo necessitudinis argumentum*, comparata sic sunt ut cum contracta originis culpa nullo prorsus modo componi posse videantur.

3) Insignis est haec utriusque conceptionis tam Deiparae quam Θεανθρώπου copulatio, eoque suapte natura pertinet, ut illa huic simillima existimetur. Hinc pronum est de hisce iudicare, quae Combefisius, sepositа lectione καριτώσατε, aliaque selecta χαριτωτε, subdit in notis pag. 1234. A: «Praefero hanc lectionem, velitque Dei templum illud simul editum atque ornatum ipsa prima editione ac conceptu, collatis Mariae donis gratiae amplissimis, utcumque illa gratiae collatio ad ipsam conceptionem habuerit.» Sed quid est *utcumque?* Profecto ea gratiae collatio debuit esse praeservans, si simul edita Virgo fuit donisque gratiae cumulata.

Digitized by Google

satis est declaratur, conceptum Deiparae propterea fuisse festis honoribus celebratum, quod conceptus exstiterit non communis et universali praevaricatione obstrictus, sed *mirus, singularis, ineffabilis, gaudii caussa, reconciliationis pignus, restitutae cum Deo necessitudinis argumentum, divinus, sanctus, et ad illum sanctimonia atque innocentia proxime accedens, quo deinceps ex eiusdem sinu Unigenitus caro factus germinavit.*

1665. Verum haec expolienda sunt diligentius, et multo definiri accuratius debent tum festi obiectum, tum eiusdem motivum. Quapropter ut ab iis ordiamur, quibus obiectum quidem diversimode, sed motivum *propriis vocabulis* effertur; Iohannes damascenus [a]) scribit: «Ioachim et Anna ad iustitiam sibi ipsi seminarunt, ac vitae fructum messuerunt.» Neque aliter Nicetas paphlago qui conceptum simul nativitatemque [b]) complexus ait: «Hodie videre splendide licet iuxta prophetae oraculum, oriri veritatem de terra, iustitiamque de caelo prospicere. Etenim Dominus ostendens de caelo digne petentibus [1]) iustitiam suam, dedit benignitatem, verbum divinae promissionis annuntians; Anna vero fide illud suscipiens, ex vulva sua, ceu ex terra, promissam oraculo veritatem [2]) profert, illamque cunctis hominibus animatum atque viventem fructum producit.» Igitur obiectum aeque ac motivum cultus exprimunt formulae καρπὸς ζωῆς, *fructus vitae*, et ἔμψυχος καὶ ζῶν καρπός, *animatus atque vivens fructus*. His autem tamquam obiectum sistitur non semen sed germen, et tamquam motivum *vita*, quae morti culpae opposita, gratiae animationem comitanti tribui debet. Quae non minimum splendescent, si cum his [c]) componantur [3]) quae in festo conceptae

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. B. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα ἔσπειραν ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, καὶ ἐθέρισαν καρπὸν ζωῆς.

b) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 440. D. et 441. A. apud Combefis. Auctar. T. III. Σήμερον ἐναργῶς ἐστὶν ὁρᾶν κατὰ τὴν προφητικὴν θεηγορίαν, ἀλήθειαν μὲν ἀνατέλλουσαν ἐκ τῆς γῆς· ἐκ τοῦ οὐρανοῦ δὲ, τὴν δικαιοσύνην διακύπτουσαν· καὶ γὰρ ὁ κύριος ἄνωθεν τὴν αὐτοῦ δικαιοσύνην ἐπιδεικνύμενος τοῖς ἀξίως αἰτήσασιν, ἔδωκε χρηστότητα· τὸ ῥῆμα τῆς θείας ἐπαγγελίας χρηματίζων· Ἄννα δὲ πίστει τοῦτο καταδεξαμένη, ὥσπερ ἐκ γῆς τῆς οἰκείας μήτρας τὴν χρησμῳδοθεῖσαν ἀλήθειαν ἀνίσχει, καὶ ταύτην πᾶσιν ἀνθρώποις ἔμψυχον καὶ ζῶντα προβάλλει καρπόν.

c) Antholog. die IX. Decembris Ode α'. pag. 181. col. 1. A-B. Δικαίων ἐπήκουσας

1) Significat Ioachimum et Annam fecunditatem postulantes.

2) Est ἀνίσχω idem ac ἀνίχω, prominco, emergo, orior, unde illud, ἀνίχει ὁ ἥλιος, *sol oritur*.

3) Sunt haec deprompta ex cenone Andreae cretensis.

Digitized by Google

Deiparae Graecorum ecclesia frequentat: « Iustorum preces exaudisti, Domine, sanctorumque avorum tuorum supplicationes explesti, atque his fructum dedisti innocentem illam quae te peperit. Gloriosa Anna nunc innocentem concipit, quae Dominum incorporeum optimumque concipiet. Ventris fructum mihi si dederis, exclamavit Anna ad Dominum, glorificabor, et hunc tibi offeram; propterea concipit innocentem Dei genitricem. » Accedit [a]) Iohannes damascenus, qui de Ioachimo et Anna scribit: « Scientiae lumen sibi illuminarunt ac Dominum exquisierunt, venitque illis germen iustitiae. » Accedit Georgius nicomediensis, qui nunc [b]) de iisdem ait: « Eorum te inclytum ac naturae [1]) honoramus fructum, bonorum radicem, donorumque aeternorum conciliatricem. » Nunc de concepta Deipara [c]) inquit: « Decebat ut ex ingenua radice germen [2]) summe ingenuum pullularet, bonis ex lumbis optimus palmes surgeret, illa semper virens generis gloriatio. » Et nunc Ioachimum et Annam alloquens [d]) exclamat: « O bonam radicem, e qua optimum germen prodiit! » Hinc [e]) Andreas cretensis commemorata

τὰς ἱκεσίας, ἁγίων ἐκπλήρωσας τὰς ἐντεύξεις, κύριε, τῶν προπατόρων σου, καὶ τούτοις δίδωκας καρπὸν, τὴν σὲ τεκοῦσαν ἀγνήν.

Ἡ Ἄννα ἡ ἔνδοξος νῦν συλλαμβάνει ἁγνὴν, τὴν τὸν ἄσαρκον συλλαβοῦσαν κύριον τὸν ὑπεράγαθον.

Ibid. Ode γ'. pag. 181. col. 1. B-C. Καρπὸν χιλίας εἰ παράσχοις μοι, ἀνιβόα Ἄννα πρὸς κύριον, μεγαλυνθήσομαι, καὶ σοὶ τοῦτον προσαναθήσομαι· διὰ τοῦτο συλλαμβάνει τὴν ἁγνὴν θεομήτορα.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. B-C. Ἐφώτισαν ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως, καὶ κύριον ἐξεζήτησαν, καὶ ἦλθεν αὐτοῖς γέννημα δικαιοσύνης.

b) Orat. II. in Deiparae concept. pag. 1041. C-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Τὸν εὐκλεῆ σε τούτων καὶ τῆς φύσεως γεραίρομεν καρπὸν, τὴν ῥίζαν τῶν ἀγαθῶν, τὴν τῶν αἰωνίων δωρεῶν πρόξενον.

c) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1064. C-D. ibidem. Ἔδει ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστόν· ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κλῆμα, τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα.

d) Orat. VI. in Deiparae ingressum in templum, pag. 1128. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ὦ ἀγαθῆς ῥίζης ἀγαθώτατον ἐκφυσήσας βλαστόν.

e) Orat. in Deiparae nativit. pag. 96. E. apud Galandium T. XIII. Ἐξ ἀγόνων γο-

1) Una est Deipara quae post universalem praevaricationem merito suo audit ὁ εὐκλεὴς τῆς φύσεως καρπός, *inclytus gloriosusque naturae fructus*; reliqui namque omnes naturae sunt fructus ingloríi, et culpae dedecore notati.

2) Sed quotquot hereditaria infecti culpa procreantur, tantum abest ut εὐγενέστατος βλαστὸς *germen summe ingenuum* dici possint, ut dici contra debeant pullulasse mancipia satanae, servique peccati.

Digitized by Google

Ioachimi et Annae sterilitate, pergit: «Ex infecundis fecundos reddidit, et iam ex infructiferis arentibusque, ceu ex irriguis aboribus, gloriosus nobis fructus, Virgo haec omni ex parte immaculata germinavit.»

1666. Cuiusmodi igitur existimari debet obiectum, et cuiusmodi motivum festi conceptae Deiparae? Utrumque coniunctim effertur formulis, quibus ipsa concepta perhibetur veluti καρπὸς ἀγνός, *fructus innocens*, veluti καρπὸς εὐκλεής, *fructus gloriosus*, veluti βλαστὸς εὐγενέστατος, *germen maxime* [1]) *ingenuum*, veluti βλαστὸς ἀγαθώτατος, *germen optimum*, veluti ἀγαθώτατον κλῆμα, *optimus palmes*, et veluti γέννημα δικαιοσύνης, *progenies iustitiae*, idest, *iusta*. Quemadmodum vero substantiva nomina καρπός, βλαστός, κλῆμα, γέννημα, *fructus, germen, palmes, progenies* ostendunt, obiectum cultus ipsam esse in sua animatione Deiparam; ita cohaerentia apposita, ἁγνόν, εὐκλεές, εὐγενέστατον, ἀγαθώτατον, δίκαιον, *innocens, gloriosum, maxime ingenuum, optimum, iustum* evincunt, innocentia, gloria, ingenuitate, bonitate atque originali iustitia motivum instituti cultus celebratique festi contineri. Quae sane eo redeunt, propterea festiva celebritate honoratam fuisse atque honorari conceptam Deiparam, quod in suis primordiis suaque animatione crederetur *innocens, gloriosa, maxime ingenua, optima, iusta,* atque adeo nescia culpae et originalis expers transgressionis. De qua maiorum fide *alia eiusdem generis neque numero pauca luculenter testantur*. Scilicet testatur haec [a]) Iohannis damasceni exclamatio: «O praeclaram Annae vulvam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit *foetus sanctissimus!*» Testatur quod idem [b]) praemiserat: «O lumbos Ioachim beatissimos, ex quibus *immaculatissimum* [2]) *semen* νίμους εἰργάσατο, καὶ δὴ λοιπὸν ἐξ ἀκάρπων τε καὶ ξηρῶν, ὡς ἐξ ἐνύγρων ξύλων, καρπὸς εὐκλεὴς, ἡ πανάμωμος αὕτη παρθένος ἡμῖν ἐξεβλάστησε.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 812. C-D. Ὦ μήτρα τῆς Ἄννης ἀοίδιμε, ἐν ᾗ ταῖς κατὰ μικρὸν ἐξ αὐτῆς προσθήκαις πύξήθη καὶ διαμορφωθὲν ἐτέχθη βρέφος πανάγιον.

b) Ibidem. Ὦ ὀσφὺς τοῦ Ἰωακεὶμ παμμακάριστε, ἐξ ἧς κατεβλήθη σπέρμα πανάμωμον.

1) Quibus illustrandis haec conferunt ex oratione Petri Argorum praesulis in Deiparae concept. §. II. et XII., quibus Virginem in suis primordiis suoque conceptu exhibet ut τὴν τῶν ἡμετέρων εὐγενῶν φύσεως, *naturae nostrae* servae atque captivae *ingenuitatem* nulla nota maculatam nulliseque vinculis obstrictam, et veluti τὸ τοῦ γένους ἄνθος *generis* nostri spinis obsiti *florem* pulcherrimum.

2) Quamquam Graecorum σπέρμα et Hebraeorum זֶרַע, universim *semen* notet ac speciatim *semen virile*; non infrequenter tamen *de sobole, deque*

Digitized by Google

iactum est! » Et testatur Andreas cretensis, e cuius canone in conceptam Deiparam [a]) haec referimus: «Chorus propheticus olim praenunciavit *immaculatam, innocentem puellam et Dei filiam*, quam [1]) Anna sterilis atque infecunda concepit; hanc hodie qui per ipsam sumus salutem consequuti, cordis exsultatione celebremus, *uti solam undequaque immaculatam.* Mysteriorum divinorum ac terribilium, quae ineffabiliter ante secula a Deo praenunciata fuerunt mortalibus, prooemium est *innocentis Deique filiae conceptio*, per quam opera tenebrarum et passionum exscindi praesignatur.» A quibus separari ista nullatenus debent, quibus [b]) Nicetas paphlago Dei benignitatem atque magnificentiam in Ioachimum et Annam eferens ait: « Num iustorum supplicationem sprevit? Aut attendit quidem clamori, donum tamen in tempus distulit? Aut statim quidem largitur, sed tale tribuit donum quale petebant? Haudquaquam, sed continuo quidem sancti angeli voce respondet, praedicitque *Dei filiae conceptionem* [2]) *ac nativitatem:* edicit et ipsam clari nominis futuram usque ad fines terrrae. O fidei potentiam! O magnificum Altissimi donum!» Neque haec seponi debent quae [c]) Io-

a) Antholog. die IX. Decembris Ode γ'. pag. 181. col. 1. D. Χορὸς προφητικὸς προεκήρυξε πάλαι τὴν ἄμωμον, ἁγνὴν καὶ θεόπαιδα κόρην, ἣν Ἄννα συνέλαβε, στεῖρα οὖσα καὶ ἄγονος· ταύτην σήμερον ἀγαλλιάσει καρδίας μακαρίσωμεν οἱ δι' αὐτῆς σεσωσμένοι, ὡς μόνην πανάμωμον.

Ibid. Ode θ'. pag. 183. col. 2. C. Τῶν πρὸ αἰώνων ἀῤῥήτως ὑπὸ θεοῦ τοῖς βροτοῖς προκηρυχθέντων θείων καὶ φρικτῶν μυστηρίων, προοίμιον τῇ πίστει ἡ τῆς ἁγνῆς καὶ θεόπαιδος σύλληψις· δι' ἧς τὰ ἔργα τοῦ σκότους καὶ τῶν παθῶν ἐκκοπῆναι προμηνύεται.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 440. B-D. apud Combefisium Auctar. T. III. Ἆρα παρῃδεῖ τῶν δικαίων τὴν ἱκετηρίαν; ἢ προσέσχε μὲν τῇ κραυγῇ, ὑπερίδετο δὲ εἰς χρόνους τὴν δωρεάν; ἢ δωρεῖται μὲν εὐθὺς, τοιαύτην δὲ οἵαν ἠτοῦντο δόσιν ἐπιβράβευσιν; οὐδαμῶς· ἀλλὰ χρηματίζει μὲν αὐτίκα δι' ἀγγέλου φωνῆς ἁγίου, τῆς θεόπαιδος τὴν σύλληψιν καὶ τὴν ἀπότεξιν· χρηματίζει δὲ αὐτὴν ὀνομαστὴν γενήσεσθαι ἄχρι τερμάτων τῆς γῆς· ὢ τῆς ἰσχύος τῆς πίστεως· ὢ τῆς ὑψίστου μεγαλοδωρεᾶς.

c) Men. die XXIII. Novembris Ode γ'. pag. 172. col. 1. C. Ἀγαλλιάσθω ὁ Δαυὶδ ὁ ὑμνογράφος, καὶ χορευέτω Ἰωακεὶμ σὺν τῇ Ἄννα, ὅτι γόνος ἅγιος ἐξ αὐτῶν προῆλθε Μαρία ἡ φωτοφόρος θεία λαμπάς· χαῖρε θαῦμα παγκόσμιον.

progenie usurpatur. Exempla affatim habentur in Scripturis Gen. IV. 25., IX. 9., Matth. XXII. 24-25., Marc. XII. 19-22., Luc. I. 55., Ioh. VII. 42., VIII. 33-37., neque in profanis libris desiderantur, Thucid. V. 16., Sophocl. Elect. 1508.

1) Contracta originis labes efficit, ut qui ea vitiati concipiuntur, non sint filii Dei sed filii irae. Deipara autem concepta praedicatur veluti ἡ ἁγνή, ἄμωμος καὶ θεόπαις κόρη, *puella innocens, immaculata ac Dei filia.*

2) Hoc arctissimo conceptionis et nativitatis vinculo significatur, talem fuisse conceptam Deiparam, qualis ipsa nata est. In lucem autem venit *Dei filia*; ergo et *Dei filia*, θεόπαις concepta fuit.

Digitized by Google

sephus scribit: « Exsultet hymnographus David et choreas agitet Ioachimus simul cum Anna, quoniam ex his processit *sancta soboles Maria, lucifera divina lampas*. Salve totius mundi portentum. » Quibus haec respondent ex Niceta paphlagone, ubi [a]) de Ioachimo ait: « Qui enim *sanctissimi Spiritus sanctissimum thesaurum* esset geniturus, decebat eiusdem Spiritus divinis primum afflatibus repletum, sacro spiritalique desiderio ad conceptum confoveri. » Tum haec respondent ex Georgio nicomediensi, qui [b]) virtutibus Ioachimi et Annae celebratis infert: « Decebat ut ex effluenti virtutum penu, *supersanctae illae divitiae* scaturirent. » Alibi vero non modo [c]) eosdem vocat *genitores illius undequaque innocentis;* verum etiam [d]) addit: « Quamobrem etiam *immaculatam illam* gignunt, regenerationis nostrae conciliatricem, nostrae reformationis caussam, per quam vitiata in nobis Dei imago ad suum rediit decorem. » Suffragatur Germanus antistes constantinopolitanus, qui Annam [e]) sic loquentem inducit: « Igitur clemens Dominus et ad miserandum promptus amborum precibus flexus angelum suum misit, qui nobis huiusce filiae meae conceptionem annunciaret. Statim ergo, iubente Deo, natura foetum suscepit; neque enim ante [1]) gratiam divinam

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 439. A-B. apud Combefis. Auctar. T. III. Τὸ γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος μέλλοντα τὸ ἁγιώτατον κειμήλιον ἐκτικεῖν, ἔδει τοῦ πνεύματος αὐτοῦ πρῶτον τῶν θείων πληρούμενον ἐνεργειῶν, ἐξ ἱερᾶς τε καὶ πνευματικῆς πρὸς τὴν κύησιν διαθερμαθῆναι προθυμίας.

b) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1064. C. apud Combefis. Auctar. T. I. Ἔδει ἐξ ἀφθόνων ἀρετῶν τὸν ὑπεράγιον ἐπιβρῦσαι πλοῦτον.

c) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pag. 1077. A. apud Combefis. ibid. Τοὺς τῆς παναγου γεννήτορας.

d) Ibid. pag. 1085. C-E. Διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τὴν τῆς ἀναγεννήσεως πρόξενον ἡμῶν, τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν· δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ ἀχρειωθὲν πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθεν εὐπρέπειαν.

e) Orat. in Deiparae praesentat. pagg. 1416. E. et 1417. A. apud Combefis. Auctar. T. I. Τοίνυν ἐπικαμφθεὶς ὁ πρὸς οἶκτον ἕτοιμος καὶ φιλόψυχος κύριος ταῖς ἀμφοτέρων εὐχαῖς, τὸν αὐτοῦ πέπομφεν ἄγγελον, τὴν τῆς ἐμῆς παιδὸς σύλληψιν ἡμῖν προσαγγείλαντα· αὐτίκα γοῦν ἡ φύσις πρὸς θεοῦ κελευθεῖσα, τὴν γονὴν εἰσεδέξατο· οὐ γὰρ πρὶν τῆς θείας χάριτος αὐτὴν τετόλμηκε δέχεσθαι· ἀλλ' ἐκείνης προεισελθούσης, οὕτως ἠνύσασα μήτρα τὰς ἰδίας πύλας ἤνοιξε, καὶ τὴν ἐκ θεοῦ παραθήκην ὑποδεξαμένη παρ' ἑαυτῇ κατέσχεν, ἄχρι θεοῦ εὐδοκίᾳ τὸ ἐν αὐτῇ σπερμαθὲν εἰς φῶς ἐξῆλθεν.

1) Appellatione τῆς θείας χάριτος, *gratiae divinae*, pro recepto apud maiores loquendi usu significatur quod praeter ac supra naturam est. Nihil enim ea oppositione notius, qua χάρις καὶ φύσις secernuntur.

Digitized by Google

ausa erat suscipere. Verum illa progressa, matrix hactenus clausa portas suas reseravit, *susceptumque ex Deo* [1]) *depositum* penes se retinuit, donec eiusdem beneplacito quod conceptum in ipsa erat, in lucem prodiit.» Et suffragatur Photius qui [a]) de concepta Virgine scribit: «Hodie solvuntur sterilitatis vincula, et virginitatis claustra obsignantur. Quibus enim infecundus uterus, et cuius prolificae rationes emortuae essent, praeter spem *venustum fructum* protulit. Hodie Anna sterilitatis opprobrium amputat, *gaudiique segetes* terrarum orbis metit. Ioachim puellae dicitur pater, nosque adoptionis arrhabonem honoris cumulo accipimus. Hodie Virgo ex infecundis procedit lumbis, *peccatique sobolem sterilitas* [2]) *excipit.*» Sed quonam pacto? Declarat Nicetas paphlago, ubi [b]) Annae texens ellogia scribit: «Anna, gratia, non nomine dumtaxat sed longe magis re, omnisque Dei gratiae promptuarium, ut quae *gratiarum fontem* ediderit, et in seipsa quidem malitiae fluctus retinendo inhibuerit, fragrantiae autem fluvios in omnem terram emiserit.»

1667. Fuit igitur, cur Iacobus monachus utramque Deiparae nativitatem in utero atque ex utero complexus [c]) exclamaret: «Quam

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1585. C-E. apud Combefis. Auctar. Tom. I. Σήμερον δίσμα στειρώσεως λύεται, καὶ τῆς παρθενίας τὰ κλεῖθρα σφραγίζεται· οἷς γὰρ νηδὺς ἄγονος, καὶ λόγους νεκρωθεῖσα τεκνώσεως, καρπὸν παρ' ἐλπίδας ἀραῖον προήνεγκεν· σήμερον τὸν ὀνειδισμὸν τῆς ἀτεκνίας ἡ Ἄννα θερίζεται, καὶ τῆς χαρᾶς τοὺς στάχυς ἡ οἰκουμένη καρπίζεται· πατὴρ παιδὸς ὁ Ἰωακεὶμ ὀνομάζεται, καὶ τῆς υἱοθεσίας ἡμεῖς ἀῤῥαβωνιζόμεθα τὸ ἀξίωμα· σήμερον ἡ παρθένος ἐξ ἀγόνων λαγόνων προέρχεται, καὶ τὰς γονὰς τῆς ἁμαρτίας ἡ στείρωσις διαδέχεται.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 439. D. apud Combefisium Auctar. T. III. Ἄννα, ἡ χάρις, οὐ τῷ ὀνόματι μόνον, πολὺ δὲ μᾶλλον τῷ πράγματι, καὶ πάσης θεοῦ χάριτος ταμιεῖον, ὡς τὴν πηγὴν τῶν χαρίτων ἀναβλύσασα· καὶ χειμάῤῥους μὲν ἐν αὐτῇ τῆς κακίας ἀναστείλασα, εὐωδίας δὲ ποταμοὺς ἐπὶ πᾶσαν πλημμυροῦσα τὴν γῆν.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1268. A-C. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Ὡς ἡγιασμένος ὁ τόπος, καὶ δεδοξασμένη ἡ ἑστία, ἔνθα τὸ τοῦ θεοῦ ἀπεκυήθη ἁγίασμα· ἔνθα ὁ οἶκος ἐθεμελίωσε τὴν δόξαν· ἔνθα ὁ ὑπεράγιος καὶ ἀκατάληπτος ᾠκοδομήθη ναός· ὡς ἀῤῥαβὼνα θεῖον τῆς ἐλευθερίας ἡ γῆ τότε τὴν ἐπιθυμητὴν καὶ ἁγίαν ὑπεδέξατο γῆν· τὴν τοῦ καινισμοῦ τῆς κτίσεως αἰτίαν, δι' ἧς τῆς ἀκανθώδους ἀρᾶς ἀπηλλάγη, καὶ εὐλογίας καρποὺς προσήνεγκε.

1) Quae est vis propria τῆς παραθήκης, cuius insignis usus apud Paulum occurrit I. Tim. VI. 20. et II. Tim. I. 12-14. Ubi tamen codices bene multi habent παρακαταθήκην. Cf. Lobeck ad Phryn. pag. 318.

2) Poetica ferme coloribus depingit Photius τὴν ἁμαρτίαν *peccatum illud*, quod mundi peccatum dicitur, veluti fecundum, et cuius sint soboles quotquot communi lege concipiuntur: tum illud ipsum peccatum sterile penitusque exsiccatum repraesentat, quum ad conceptam Virginem refertur. Atqui imago haec est omnino praestantissima, ut Virginis conceptus peccati nescius designetur.

Digitized by Google

sanctus locus et gloriosi lares, ubi edita est *Dei sanctificatio!* ubi *domus gloriae fundata!* ubi sanctissimum et incomprehensibile templum exstructum est! quam divinum tunc libertatis pignus accepit terra, *desiderabilem illam sanctamque terram!* innovatae creaturae caussam, per quam spinarum diris liberata, benedictionis fructus edidit.» Fuit cur eadem mente [a]) Iohannes damascenus scriberet: «Eam ob [1]) caussam Virgo nunc antiquae maiorum scortationis adversaria editur, ipsique Deo sponsa iungitur, ac Dei misericordiam parit, ut efficiatur Dei populus qui ante non populus, et qui non consequutus misericordiam, misericordiam consequutus, quique non dilectus, dilectus.» Et fuit cur Iacobus claiensis ex communi Armeniorum fide [2]) caneret: «Qui misericordia complexus es homines, o caelestis Pater, in peccato secundum prophetam genitos, quique hodie naturam nostram donasti *sancta Virgine* Filii tui unigeniti genitrice; huius precibus nostri miserere. O Fili, qui hodie super nos ex nube legis effudisti virginem Mariam, e qua natus es carne et per quam protoparentis Adae peccatum abstulisti; huius precibus nostri miserere. O sancte Spiritus, qui cor uterumque mundasti matris eius, qui tibi in gloria aequalis est, quique hodie illius infecundis genitoribus contulisti Verbi matrem *atque Evae benedictionem;* huius precibus nostri miserere.»

1668. De obiecto itaque deque motivo festi, quo orientalis ecclesia conceptam Deiparam honoravit ac porro honorare pergit, ex formulis iudicandum est quas retulimus et quibus cultu affici perhibetur γόνος ἅγιος, *proles sancta,* βρέφος παράγιον, *foetus undequaque sanctus,* ὑπεράγιος πλοῦτος, *supersanctae divitiae,* ἁγιώτατον κειμήλιον, *sanctissimus thesaurus,* τοῦ θεοῦ ἁγίασμα, *Dei sanctificatio,* κόρη ἁγνὴ, παράγνος, ἄχραντος, ἄμωμος, πανάμωμος, *puella innocens* [3]), *innocentissima, intemerata,*

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VIII. 847. A-B. *Διὰ τοῦτο νῦν παρθένος τίκτεται τῆς προγονικῆς πορνείας ἀντίπαλος, καὶ αὐτῷ τῷ θεῷ μνηστεύεται, καὶ τίκτει τοῦ θεοῦ τὸν ἥλιον· καὶ λαὸς τοῦ θεοῦ, ὁ πρὶν οὐ λαὸς καθίσταται· καὶ ὁ οὐκ ἠλεημένος, ἠλέηται· καὶ ὁ οὐκ ἠγαπημένος, ἠγάπηται.*

1) Quod hominum genus ab universali praevaricatione foret liberandum.

2) Hymn. in Deiparae nativit. ex Ioachimo et Anna pagg. 761. seq. Breviar. arm. T. III.

3) Praeclare Iohannes euboeensis orat. in Deiparae concept. §. XIII. ubi I. Deipara in suo conceptu suisque originibus perhibetur κόρη πανάμωμος καὶ διόπερα πανάμωμος, *puella penitus immaculata et idcirco penitus immaculatissima:* II. tam illius conceptio quam nativitas appellatur σύλληψις καὶ γέννησις τῆς πανάμωμου κόρης, *conceptio et nativitas puellae omni ex parte immaculatae:* III. in ipso conceptu a nobis peccato mancipatis separatur: immò IV. non aliter effertur ac ut ἡ τῆς ἡμετέρας προξένος ἐλευθερίας, *nostrae libertatis conciliatrix.*

immaculata, *immaculatissima*, ἐκ θεοῦ παραθήκη, *depositum ex Deo*, θυάτηρ, *Dei filia*, τῆς προγονικῆς πορνείας ἀντίπαλος, *avitae scortationis hostis, fructusque venustus nulloque culpae halitu infectus*. Huiusmodi autem formularum ea est potestas, ut neque aliud festi obiectum designetur quam Virgo in suis [1]) primordiis, suaque, ut loquuntur, animatione: neque aliud delati cultus exhibeatur motivum, quam venustas, innocentia et sanctimonia quae Deiparae origines cohonestarint. Accedunt *quae idem demonstrantia obiectum multiplici troporum varietate motivum festi, cultusque caussam significant*. Quo sane numero comprehenduntur quae praeeunte Germano [a]) Graeci canunt: « Olim prudens Anna supplici prece Deum fideliter exorans, vocem angeli audivit quae ipsam de divino petitionum eventu certam reddidit; incorporeus enim sic ipsam perspicue alloquutus est: oratio tua ad Deum pervenit, ne tristeris atque lacrymas cohibe: fecunda namque eris oliva proferens *venustum ramum*, Virginem, quae secundum carnem emittet florem Christum, qui magnam mundo impertiet misericordiam. » Comprehenduntur quae praeeunte Andrea cretensi iidem [b]) canunt: « Ex radice Davidis atque Iesse oborta Anna iam nunc incipit proferre *divinam virgam*, quae mysticum florem germinabit, Christum omnium creatorem.» Eaque comprehenduntur quae Iohannes damascenus et Petrus Argorum praesul docent, ille ubi [c]) ait: « David Dei parens gaude

a) Antholog. die IX. Decembris ad Vesp. pag. 180. col. 2. A. Πάλαι προσευχομένη πιστῶς Ἄννα ἡ σώφρων, καὶ θεῷ ἱκετεύουσα, ἀγγέλου φωνῆς ἀκούει προσβιβασοῦντος αὐτῇ τὴν τῶν αἰτουμένων θείαν ἔκβασιν· πρὸς ἣν ὁ ἀσώματος ἐμφανῶς διελέγετο· ἡ δέησίς σου πρὸς τὸν κύριον ἤγγισε· μὴ σκυθρώπαζε, τῶν δακρύων ἀπόστηθι· εὔκαρπος χρηματίσεις γὰρ ἐλαία βλαστάνουσα κλάδον ὡραῖον, παρθένον· ἥτις τὸ ἄνθος ἀνθήσει Χριστὸν κατὰ σάρκα, παρέχοντα τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος.

b) Ibidem Ode ε'. pag. 181. col. 2. C-D. Ἐκ ῥίζης ἡ βλαστήσασα Δαυὶδ καὶ Ἰεσσαὶ Ἄννα νῦν βλαστάνειν ἀπάρχεται τὴν θείαν ῥάβδον, τὴν βλαστήσασαν τὸ μυστικὸν ἄνθος, Χριστὸν τῶν πάντων κτίστην.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. II. pag. 850. C-D. Δαβὶδ ὁ θεοπάτωρ εὐφράνθητι· Ἡσαΐας ὁ προφητοκράτωρ φαιδρύνθητι· καὶ ὁ μέν, ὅτι ἐξ ὀσφύος σου κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν ἡ βασιλὶς προέρχεται, ἐξ ἧς θήσειν ἐπὶ τὸν θρόνον σου τὸν καρπόν σου θεὸς ἐπηγγείλατο· ὁ δέ, ὅτι ἡ προφητεία σου πέρας εἴληφεν, ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται· ῥάβδος ἡ παρθένος, ἐξ ἧς ἀπειρόγαμος τὸ ἀνθρὼν καὶ ἄπορον Χριστὸς ἔτεκεν.

1) Neque enim puto argumentis probandum esse, nullam esse formularum quae ad Virginis exordia non pertineat. Vel enim hoc insita evidentia prodant testimonia, e quibus illae depromptae sunt, vel nihil est quod ad id comprobandum valeat.

Digitized by Google

animo, Esaia prophetarum primas exhilarare: alter quidem quod tuis ex lumbis, uti [1]) iuratum erat, *regina* [2]) procedat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positurum promiserat: alter vero, quod finem habeat [3]) vaticinium illud tuum, *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*. Virga Virgo est, ex qua innupta floridus perennisque flos Christus assurgit. » Posterior vero ubi hominum naturae [4]) propter conceptam Deiparam haec verba tribuit: « Nunc virgo illa Esaiae, quae te Emmanuel in utero habebit et pariet, in [4]) tuae sterilis utero plantatur, et *levis nubes* componitur, et virga radices agit, super quam ego innitar. »

1669. Cum his autem conserta sunt quae mox [b]) Petrus de angelis subdit: « Et quomodo intuentes *palatium purissimum*, quod Domino omniumque regi Christo praeparatur, haud exsultabunt? » Conserta sunt quae [c]) Andreas cretensis habet: « Quam David praedixit, ecce *reginam* utero suscipio, exclamavit Anna; et pariam fidelium omnium tutelam, quaeque Christum regem in lucem proferet. » Neque admodum differunt quae idem [d]) addit: « *Regia purpura* in tuo sinu, o Anna, iam incipit texi, quam Deus et rex omnium inducns conspicuus mortalibus erit, et hostes qui nos oppugnant humiliabit. *Fragrans unguentum* in sinu recepisti, o Anna, illam quae vitae unguentum supra naturam recipiet Dominum, qui gratiae halitu mentes nostras perfundet. » Et [e]) rursum:

a) Orat. in Deiparae concept. §. X. Νῦν ἡ κατὰ τὸν Ἡσαΐαν παρθένος ἴξουσα σὶ τὸν Ἐμμανουὴλ καὶ τίξασα, τῆς σῆς στείρας νηδύϊ φυτεύεται, καὶ ἡ κούφη νεφέλη συνίσταται, καὶ ἡ ῥάβδος ῥιζοῦται, ἐφ' ᾗ στηριχθήσομαι.

b) Ibid. §. XI. Πῶς τὸ καθαρώτατον τοῦ δεσπότου καὶ παμβασιλίως Χριστοῦ βλέποντες ἀνάκτορον, οὐκ ἀγαλλιάσονται, κατασκευαζόμενον;

c) Antholog. die IX. Decembris Ode η'. pag. 183. col. 1. A. Δαυὶδ ἦν προέφησε βασίλισσαν ἰδοὺ γαστρὶ ὑποδέχομαι, ἡ Ἄννα ἐκβοᾷ· καὶ τίξω τὴν πάντων προστασίαν πιστῶν, τὴν τὸν βασιλέα Χριστὸν μέλλουσαν τίκτειν.

d) Ibid. Ode ζ'. pag. 182. col. 2. D-E. Βασιλικὴ πορφύρα ἐν τῇ σῇ ἀπάρχεται, Ἄννα, ἐξυφαίνεσθαι γαστρί· ἣν ὁ Θεὸς καὶ βασιλεὺς πάντων φορέσας, τοῖς βροτοῖς ὀφθήσεται, καὶ ταπεινώσει ἐχθροὺς σοὺς πολεμοῦντας ἡμᾶς.

Τὸ μῦρον τὸ εὐῶδες ἐν γαστρὶ συνέλαβες, Ἄννα, τὴν τὸ μῖρον τῆς ζωῆς ὑπερφυῶς εἰσδεξαμένην τὸν δεσπότην, τὸν πνοαῖς τῆς χάριτος τὰς διανοίας ἡμῶν εὐωδιάσαντα.

e) Ibid. Ode ε'. pag. 182. col. 1. A. Τὴν ἀγνὴν πιστερὰν συλλαβοῦσα ἐν γα-

1) Ps. CXXXI. 11.

2) Duo luerit animadvertisse, I. orationes de nato Deipara ad utramque in sinu atque ex sinu nativitatem passim spectasse: et II. Virginem describi, ut quae primum extiterit non serva sed ἡ βασιλὶς regina.

3) Is. I. 11.

4) Nescio an non satius sit legere τὴς γῆς στείρας, et latine vertere *terrae sterilis*.

« *Innocentem columbam* [1]) utero concipiens Anna, spiritali gaudio vere repleta est, Deoque hymnos obtulit eucharisticos. » Hinc quae Georgius nicomediensis [a]) conceptam Deiparam extollens ait: «Quum hodie texitur *regia purpura*, futurus nuntiatur omnium regis adventus: hominum qui inimici erant, reconciliatio in antecessum sancitur: *tropaea adversus hostem erigenda* in antecessum [2]) celebrantur.» Hinc quae Iohannes damascenus [b]) scribit: « *Vitis uberrima* ex Anna pullulavit, *uvaque suavissima* effloruit potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. » Atque hinc verba, quibus hominum natura, teste Petro Argorum antistite, intimum animi gaudium propter conceptam Deiparam [c]) expressit: « Nunc ex me in Annae utero germinans rosa Maria, corruptelae faetorem de medio mei tollet, suamque impertiens frägrantiam divinae exsultationis me consortem reddet. »

1670. Eo igitur spectavit maiorum pietas ut concepta Deipara solemni festo propterea coleretur, quod primum exstiterit κλάδος ὡραῖος, *ramus venustus*, ἄνθος μυστικόν, *mysticus flos*, βότρυς γλυκύπικρος, *uva suavissima*, ῥόδον, *rosa*, μύρον εὐῶδες, *fragrans unguentum*, θεία ῥάβδος, *virga divina*, ἁγνὴ περιστερά, *innocens columba*, βασιλικὴ πορφυρά, *regia purpura*, καθαρώτατον ἀνάκτορον, *purissimum palatium* et βασίλισσα, *regina*. Atqui talia haec sunt, quae ab illorum omnium primordiis summopere abhorrent, qui vitiati originali labe concipiuntur. Ecquis enim irae filium, maledicto obnoxium, culpae viru infectum

στρὶ, χαρμονῆς πνευματικῆς ἐκπληρώθη ἀληθῶς, προσάγουσα χαριστηρίους ᾠδὰς ἡ Ἄννα Θεῷ.

a) Orat. I. in oraculum concept. Deiparae, pag. 997. B-C. apud Combefis. Auctar. T. I. Σήμερον τῆς βασιλικῆς ἐξυφαινομένης ἀλουργίδος, ἡ τοῦ τῶν ὅλων βασιλέως προκαταγγέλλεται ἐνδημία· αἱ τῶν ἐκπεπολεμωμένων ἀνθρώπων προϋπογράφονται καταλλαγαί· τὰ κατὰ τοῦ πολεμήτορος αὐτῶν προαναφωνεῖται τρόπαια.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. B. Ἄμπελος εὐκληματοῦσα ἐξ Ἄννης ἐβλάστησε, καὶ βότρυν γλυκύπικρος ἤνθησε, πόμα νέκταρ τοῖς γηγενέσι πηγάζοντα εἰς ζωὴν αἰώνιον.

c) Orat. in Deiparae concept. §. X. Νῦν ἐξ ἐμοῦ ῥόδον προφανὲν Μαριὰμ ἐν νηδύϊ τῆς Ἄννης, τὴν ἐκ φθορᾶς μου δυσωδίαν ἐκ μέσου ποιεῖ, καὶ τὴν ἑαυτῆς εὐωδίαν δι-δοῦσα θείας ἀγαλλιάσεως μεταδίδωσι.

1) Alia imagine neque minus splendida de concepta Virginis dicitur Ode θ'. pag. 183. col. 2. D. Σήμερον τοῦ Ἰωακεὶμ βλαστάνειν ἀνέρχεται τὸ ἄνθος τὸ μυστικόν. *Hodie germinare incipit flos mysticus Ioachimi.*

2) Quis porro dixerit celebrari in antecessum tropaea, dum quis ab hoste debellatur? In suo igitur conceptu non victa fuit Virgo, sed hostem superavit.

Digitized by Google

et peccati macula sordescentem dixerit *ramum venustum, mysticum florem, unguentum suave spirans, innocentem columbam, rosam fragrantem*, et ne singula [1]) repetam., *purissimum palatium?* Festo igitur conceptionis solemne continetur suffragium, quo maiores nostri insculptam animo fidem de innoxiis Deiparae originibus professi sunt. Ad quam professionem confirmandam egregie conducunt *symbola* ac *typi*, quibus iidem passim utuntur ut festi obiectum cultusque motivum patefaciant. Praeclare vulgatus Epiphanius [a]) de Virginis parentibus inquiens: « O beata radix, quae hanc produxit. De hac Esaias propheta more hirundinis submurmurat ignea lingua exclamans: *exsurget virga de radice Iesse, et flos de radice ascendet, et requiescet super eum Spiritus timoris Dei.* De radice Iesse ortus est rex David, et de tribu regis Davidis sancta Virgo, sancta sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim et Anna; qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum eiusmodi germinarunt, sanctam virginem Mariam, *templum* simul et matrem Dei. Ioachim porro, Anna et Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim enarratur praeparatio Domini, eo quod ex illo praeparatum sit *templum Domini*, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia enarratur, propterea quod Ioachim et Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti. Ioachim

a) Orat. de laudibus Deiparae pagg. 291. D. et 292. A. Ὦ μακαρία ῥίζα· πόθεν ταύτην ἐβλάστησε; περὶ ταύτης ὁ προφήτης Ἡσαΐας, ὡς χελιδὼν κελαδεῖ, τῇ πυρίνῃ γλώττῃ βοῶν· ἀναστήσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται, καὶ ἀναπαύσεται ἐπ' αὐτὴν πνεῦμα φόβου θεοῦ· ἐκ τῆς ῥίζης δὴ Ἰεσσαὶ Δαβὶδ ὁ βασιλεὺς, καὶ ἐκ τῆς φυλῆς Δαβὶδ τοῦ βασιλέως ἡ ἁγία παρθένος, ἡ ὁσία τῶν ὁσίων ἀνδρῶν θυγάτηρ, ἧς οἱ γονεῖς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, οἵτινες ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν τῷ θεῷ εὐηρέστησαν, οἱ καὶ καρπὸν τοιοῦτον ἐβλάστησαν, τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαν, ναὸν θεοῦ ὁμοῦ καὶ μητέρα. Ἰωακεὶμ δὴ καὶ Ἄννα καὶ Μαρία, οἱ τρεῖς τῇ τριάδι σαφῶς ἐλειτούργησαν. Ἰωακεὶμ γὰρ ἑρμηνεύεται ἑτοιμασία κυρίου· ἐξ αὐτοῦ γὰρ ἡτοιμάσθη ναὸς κυρίου ἡ παρθένος. Ἄννα δὲ πάλιν ὁμοίως χάρις ἑρμηνεύεται· χάριν γὰρ ἔλαβεν Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, ἵνα τοιοῦτον βλαστήσωσι καρπὸν διὰ προσευχῆς, τὴν ἁγίαν παρθένον κτησάμενοι. Ἰωακεὶμ γὰρ ἐν τῷ ὄρει προσηύχετο, καὶ Ἄννα ἐν τῷ παραδείσῳ αὐτῆς· κυοφορήσασα δὲ Ἄννα, οὐρανὸν καὶ θρόνον χερουβικὸν ἔτικτε, τὴν ἁγίαν κόρην Μαρίαν· αὕτη γὰρ οὐρανὸς καὶ ναὸς καὶ θρόνος εὑρίσκεται.

1) Huc iterum pertinent quae scribunt Petrus Argorum episcopus de concepta Deipara orat. cit. §§. I. II. et Iohannes euboeensis orat. in Deip. concept. §. XVII. exhibent enim Virginem quum primum exstitit tamquam *ver iucundissimum*, tamquam *rosam fragrantissimam*, tamquam *regale stupendumque palatium et omnibus, uno excepto universorum rege, penitus inaccessum*. Illius ergo conceptio fuit immaculata, hereditarii inscia peccati, *proindeque digna quae ut festi obiectum coleretur*.

Digitized by Google

siquidem precabatur in monte, et Anna in horto suo. Anna vero gravida effecta, *caelum et thronum cherubicum* peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur esse *caelum*, *templum* et *thronus*.» Praeclare Georgius nicomediensis, qui [a]) conceptionem simul nativitatemque laudibus efferens, sic orditur: « Hodie terra illustrioribus supra caelum gratiae fulgoribus laetam faciem explicat, augustius caelo spiritali claritate splendet, maiori prae mundano caelo decore pollet, quippe natum [1]) suscipit *superius caelum*, *caelum vere superlucidum et immensum*, quod non occidentem mundi solem sed eum praetendat qui nescit occasum, *caelum plane non visibilibus stellis sed spiritalium luminum accensione varium*. Hoc enim celebri hodie conventu recolimus, hoc splendidissimum apposuit omnis generis eduliorum epulum, hoc praesentis diei indixit tripudium, hoc sermonem provocans, ad suam universos convocat participationem.» Et rursum [b]) singularia commemorans bona ex concepta Deipara in hominum genus profecta scribit: « Per ea congruentiorem recepimus statum, per *thalamum in lucem editum* regalibus nuptiis adscripti sumus, *per caelum illud quod nunc splendidius pariter et capacius* productum fuit, caelestem vitae rationem adscivimus, per *congenerem benedictionem* evangelica potimur iucunditate.» Quibus simillima habet Iohannes euboeensis propter conceptam Deiparam [c]) exclamans: « Ecce erigitur [2]) *tabernaculum David* in conce-

a) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1044. A-C. apud Combefis. Auctar. T. I. Οὐρανὸν ἡ γῆ ταῖς τῆς χάριτος μαρμαρυγαῖς ὑπερφαιδρύνεται σήμερον· οὐρανὸν ταῖς νοηταῖς ὑπεραγλαΐζεται λαμπρότησιν· οὐρανὸν ὑπερκόσμιον ὡραΐζεται· τὸν γὰρ ὑπέρτερον οὐρανὸν ἀποτικτόμενον δέχεται, τὸν ὑπέρφωτον ὄντως καὶ εὐρυχωρότατον· τὸν οὐκ ἥλιον δυόμενον, ἀλλὰ τὸν ἄδυτον ἀνίσχοντα τῷ κόσμῳ τὸν οὐκ ἄστροις ὡραμένοις, ταῖς νοηταῖς δὲ ποικιλλόμενον δαδουχίαις· τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἐστι τὸ πανηγυριζόμενον σήμερον· τοῦτο τὴν λαμπροτάτην προύθηκε πανδαισίαν· τοῦτο τὴν παροῦσαν συνεκρότησε χορείαν· τοῦτο τὸν λόγον διαναστῆσαν εἰς τὴν οἰκείαν ἅπαντας συγκαλεῖται μέθεξιν.

b) Ibid. pag. 1068. A-B. Διὰ τοῦτο τῆς οἰκειοτέρας μετειλήφαμεν στάσεως· διὰ τὴν ἀποκυηθεῖσαν παῖδα, ἐν τῷ βασιλικῷ κατελογίσθημεν νυμφῶνι· διὰ τὸν νῦν παραχθέντα λαμπρότερόν τε ὁμοῦ καὶ εὐρυχωρότερον οὐρανὸν, τὸν οὐράνιον ἐπεγραφάμεθα διαγωγήν· διὰ τῆς συγγενοῦς εὐλογίας, τῆς εὐαγγελικῆς ἐναπολαύομεν θυμηδίας.

c) Orat. in Deiparae concept. Ἰδοὺ ἀνίσταται ἡ σκηνὴ Δαυὶδ ἐν τῇ συλλήψει καὶ γεννήσει τῆς αὐτοῦ θυγατρός.

1) Orationis consilium, universaque rerum series exigunt ut nativitas de utraque coniunctim origine in sinu atque ex sinu intelligatur.

2) Sed qui potuit erigi tabernaculum Davidis *in conceptione* Deiparae, si ipsa in suo conceptu fuerit peccati late grassantis impetu delecta atque prostrata?

Digitized by Google

ptione et nativitate ipsius filiae. » Et [a]) infra: « Vos beati Ioachim et Anna, qui vobis *rationalem paradisum* procreastis. »

1671. Verum si animus nobis esset omnia persequi symbola, omnesque in medium typos promere quibus maiorum fides tam conceptionis rationem, quam eiusdem colendae obiectum propriumque motivum adumbravit; vix non omnia repetenda forent quae de typis Deiparae [1]) disserentes accurate explanavimus. Ecquod enim est symbolum, quive typus ad innocentiam praestantiamque significandam accommodatus, qui de concepta Virgine non usurpetur, et quo festi obiectum ac motivum non efferantur? Vel unus Iohannes damascenus nihil praetermisisse visus est. Ipsi namque Deipara in sua [2]) conceptione [b]) est caelum conspicuo caelo longe divinius atque excelsius: « Hodie in terra ex terrena natura *caelum* ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat et in altum extulerat. Ac sane *caelum istud illo longe divinius est ac stupendum magis*. » Est [c]) animata scala cum caelo cohaerens: « Hodie ille fabri filius, rerum omnium artifex Verbum *animatam sibi ipsi scalam fabricavit*, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad caelum usque porrigitur. » Est [d]) porta orientalis soli Deo pervia: « Hodie *porta illa ad orientem posita exstructa est*, per quam Christus ingredietur et egredietur, et erit clausa porta, in qua Christus ostium ovium, cuius nomen oriens. » Est [e]) agna agni immaculati parens: « Exsultet natura, *agna* enim in lucem editur,

a) Ibidem. *Μακάριοι ὑμεῖς Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, ὅτι παράδεισον λογικὸν ὑμῖν ἐκτίσατε.*

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. III. pag. 842. E. *Σήμερον ἐκ τῆς γηΐνης φύσεως οὐρανὸν κατεσκεύασεν ἐπὶ γῆς, ὁ πάλαι ποτὲ ἐξ ὑδάτων πήξας, καὶ πρὸς ὕψος μετεωρίσας τὸ στερέωμα· καὶ ὄντως οὗτος ἐκείνου πολὺ θειότερος καὶ παραδοξότερος.*

c) Ibid. §. III. pag. 843. B-C. *Σήμερον ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, ὁ πανεπιχείρων λόγος κατεσκεύασεν ἑαυτῷ ἔμψυχον κλίμακα, ἧς ἡ βάσις ἐπὶ γῆς ἐστήρικται, ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς αὐτὸν τὸν οὐρανόν.*

d) Ibid. §. IV. pag. 843. E. *Σήμερον ἡ κατὰ ἀνατολὰς ᾠκοδόμηται πύλη, δι' ἧς Χριστὸς εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ ἔσται κεκλεισμένη ἡ πύλη· ἐν ᾗ Χριστὸς ἡ Θύρα τῶν προβάτων, ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ.*

e) Ibid. §. IV. pag. 844. A. *Σκιρτάτω ἡ φύσις, ἡ γὰρ ἀμνὰς τίκτεται, ἐξ ἧς ὁ ποιμὴν περιβαλεῖται τὸ πρόβατον, καὶ τοὺς χιτῶνας διαῤῥήξει τῆς πάλαι νεκρώσεως.*

1) nn. 451. seqq.

2) Omnia enim quae referimus testimonia, quamquam ex oratione in Deiparae nativitatem desumpta, ad eiusdem tamen nativitatem in utero animationemque perspicue spectant.

ex qua pastor ovem induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit. » Est [a]) mons omnibus proceritate superior: « *Mons quippe Dei clarissimus* editur, qui collem omnem montemque, angelorum scilicet et hominum sublimitatem superat ac transcendit. » Est [b]) *vertex Sina sanctior*, quem non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis tegit, sed sanctissimi Spiritus vis illuminatrix. » Atque ut finem faciam, est arca multo [c]) mosaica nitidior atque pretiosior: « Agnoscat arca undique auro contecta quam nihil habeat, quod *cum hac* comparari possit. » Iisdem typis, eademque mente utuntur tum [1]) Petrus Argorum praesul, tum [2]) Georgius nicomediensis, Stephanus sabbaita [3]) et [4]) Andreas cretensis, auctores canonum quos graeca ecclesia in profesto festoque conceptae Deiparae usurpat, et e quibus pauca quaedam decerpta [d]) subiungo. « *Porta inaccessa* nunc [5]) inchoatur, *civitas undequaque lucida* ad splendendum progreditur, sola omni ex parte immaculata hodie per angelum iustis innotescit; quapropter laeti ad creatorem clamabant, largire nobis fructum, fontem incorruptionis. Vaticinia prophetarum implentur; etenim *mons sanctus* in visceribus fun-

a) Ibid. §. VI. pag. 845. B-D. Τὸ γὰρ ὄρος κυρίου τὸ ἐμφανέστατον τίκτεται, τὸ ὑπερβεβηκὸς καὶ ὑπερκείμενον πάντα βουνὸν καὶ πᾶν ὄρος, ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων τὴν ὑψηλότητα.

b) Ibid. §. VI. pag. 845. C-D. Ἡ ἄκρα ἡ τοῦ Σινᾶ ἁγιωτέρα, ἣν οὐ καπνὸς, οὐ γνόφος, οὐ θύελλα, οὐ πῦρ δεσμοῦν καλύπτει, ἀλλ' ἡ φωτιστικὴ τοῦ παναγίου πνεύματος ἔλλαμψις.

c) Ibid. §. VI. pag. 845. E. Ἐπιγινώσκεται τὸ πρὸς αὐτὴν ἀσύγκριτον, κιβωτὸς παντόθεν χρυσίῳ κεκαλυμμένη.

d) Men. die VIII. Decembris Ode γ'. pag. 65. col. 2. A. Ἡ πύλη ἡ ἄβατος τῶν ἐπιτίθεται, ἡ πόλις ἡ πάμφωτος λάμψαι προέρχεται, ἡ μόνη πανάχραντος σήμερον δι' ἀγγέλου τοῖς δικαίοις δηλοῦται· ὅθεν ἐν εὐφροσύνῃ ἀνεβόων τῷ κτίστῃ· καρπὸν ἡμῖν δωρῆσαι, τὴν ἀφθαρσίας πηγήν.

Men. die IX. ad Vesper. pag. 70. col. 1. A. Τῶν προφητῶν αἱ προῤῥήσεις ἐκπληροῦνται· ὄρος γὰρ τὸ ἅγιον λάγοσιν ἵδρυται· κλίμαξ ἡ θεία φυτεύεται· θρόνους ὁ μέγας τοῦ βασιλέως προετοιμάζεται· τόπος εὐτρεπίζεται ὁ θεοβάδιστος· βάτος ἡ ἄφλεκτος ἄρχεται ἀναβλαστάνειν· ἡ μυροθήκη τοῦ ἁγιάσματος ἤδη πηγάζει.

Ibid. Ode η'. pag. 78. col. 1. B. Ἅρμα τὸ φρικτὸν τοῦ μόνου βασιλέως ἐπὶ τῆς γῆς κατασκευάζεται, ἐξ Ἄννης λαμβάνον ἀρχήν· ἐν ᾗ μέλλει ἐποχούμενος ὁ κτίστης παραγίνεσθαι, ὅπως με πρὸς τὸ ὕψος ἀναβιβάσῃ τῆς χάριτος.

1) Orat. in Deiparae concept. §§. X-XI.

2) Men. die VIII. Decembris pagg. 64. seqq. Quo die celebrantur προεόρτια τῆς συλλήψεως τῆς ἁγίας Ἄννης.

3) Men. die Decembris pagg. 71. seqq.

4) Antholog. die IX. Decembris pagg. 180. seqq.

5) Praeter lectionem ἐπιτίθεται quam selegimus, duae insuper habentur ἀνατέλλεται et ἀνατίθεται.

Digitized by Google

datur, *divina* oritur *scala*, *magnus regis thronus* instruitur, *locus Deo pervius* adornatur, *rubus incombustus* germinare incipit, et iam *vas sanctificationis* scaturit. *Currus terrificus* solius regis in terra adornatur ex Anna initium sumens, in quo sedens creator veniet ut me ad gratiae sublimitatem evehat. »

1672. Quemadmodum igitur festis honoribus concepta Deipara colebatur et colitur; ita deferendi cultus haec fuit ratio atque hoc constans motivum, quod Deipara in sua conceptione suisque originibus exstiterit ἀμνάς, *agna* immaculati agni parens, ἡ κατ' ἀνατολὰς πύλη, *orientalis porta uni pervia Deo*, παστάς, *thalamus sponsi caelestis*, ὄρος ἐμφανέστατον καὶ ἅγιον, *mons splendidissimus et sanctus*, ἡ ἄκρα ἡ τοῦ Σινᾶ ἁγιωτέρα, *vertex Sina sanctior*, *arca multo mosaica ditior atque nitidior*, πόλις ἡ πάμφωτος, *civitas undequaque lucida*, ἅρμα τὸ φρικτὸν τοῦ μόνου βασιλέως, *terrificus solius regis currus*, κλίμαξ ἡ θεία, *scala divina* et ἔμψυχος κλίμαξ, ἧς ἡ κεφαλὴ πρὸς αὐτὸν τὸν οὐρανόν, *scala animata cuius fastigium ad ipsum assurgit caelum*, ναὸς θεοῦ καὶ κυρίου, *templum Dei et Domini*, οὐρανὸς καὶ θρόνος χερουβικός, *caelum thronusque cherubicus*, ὑπέρτερος οὐρανὸς καὶ ὑπέρφωτος καὶ λαμπρότερος, *celum sublimius*, *fulgentissimum* et nostro hoc caelo *nitentius*, οὐρανὸς πολὺ θειότερος καὶ παραδοξότερος, *caelum longe divinius et mirabilius*, λογικὸς παράδεισος, *rationalis paradisus* et μυροθήκη τοῦ ἁγιάσματος, *vas sanctificationis*. Quibus firmandis roborandisque haec mirifice conferunt, quae Iohannes eubocensis usurpat Ioachimum et Annam [a]) compellans: « Vos terra estis, ipsa vero *caelum*; vos terreni, sed per ipsam terreni caelestes evadunt. » Et [b]) rursum: « Ecce enim devictus est diabolus, qui naturam nostram tyrannide sua premebat. Ecce *solium cherubico mirabilius in terra paratur (Virgo)*, de qua scriptum est, *Deus in medio eius et non commovebitur*. Ipsa enim *solium et sedes et domicilium* Emmanuelis et summi regis Christi. » Ac [c]) denuo: « Vos etiam Abel et Seth in cantica erumpite, quo-

a) Orat. in Deiparae concept. §. XII. Ὑμεῖς γάρ γῆ ἐστε, αὕτη δὲ οὐρανός· ὑμεῖς χοϊκοὶ, δι' αὐτῆς δὲ οἱ χοϊκοὶ ἐπουράνιοι.

b) Ibid. §. XVII. Ἰδοὺ γὰρ νενίκηται ὁ τὴν ἡμετέραν φύσιν τυραννήσας διάβολος· ἰδοὺ θρόνος θαυμαστότερος τοῦ χερουβικοῦ ἐπὶ γῆς ἑτοιμάζεται, περὶ ἧς γέγραπται· ὁ θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται· αὕτη γὰρ θρόνος καὶ χωρίον καὶ οἰκητήριον τοῦ Ἐμμανουὴλ καὶ παμβασιλέως Χριστοῦ.

c) Ibid. §. XXI. Ἄβελ καὶ Σὴθ καὶ ὑμεῖς ὑμνήσατε, ὅτι ἑτοιμάζει ὁ ὕψιστος σκήνωμα αὐτοῦ, καὶ ἔρχεται εὐλογῆσαι τὴν γῆν, ἣν κατηράσατο.

niam Altissimus *tabernaculum suum praeparat*, et venit ad benedicendum terrae cui maledixerat. » Eadem mente Petrus Argorum praesul de concepta Deipara [a]) scribit : « Omnes quotquot sunt creaturae dum *purissimi templi* regis omnium Christi nunc iaci fundamenta cernunt, gaudio tripudiant. » Et [b]) mox : « Nunc arido in utero *divinus ille plantatur paradisus*, qui nos a priori expulsos mortique damnatos per vivificum germen ex eo oriturum ad vitam revocabit. » Neque discrepat [c]) Iacobus monachus inquiens : « Hodie enim dum *spiritalis illius nubis* praedicatur expansio, mundo praeoriuntur inocciduae lucis radii; hodie dum *tabernaculi divini* enuntiatur exstructio, pietatis fundamenta iaciuntur. » Nihil autem evidentius quam his ceu motivum cultusque rationem proponi tum innocentiam qua claruit, tum sanctimoniam qua fulsit Deiparae conceptio. Ad cuius rationem aestimandam non minimum postremo iuverit *ipsam retulisse tam ad principem supremamque caussam Deum, quam ad secundas subiugesque caussas, cuiusmodi fuisse Ioachimum et Annam accepimus.* Hac enim instituta comparatione innotescet, eam maioribus nostris Deiparae conceptionem visam esse, quae nulla fuerit infecta labe nulloque peccato maculata.

1673. Et resanevera ut ab iis recolendis abstineam, quae tum diligenter expendi quum [1]) de proprio singularique habitu inter Deum creatorem creatamque Virginem dissererem; ad rem praesentem egregie faciunt quae Iohannes euboeensis tradit ut celebrandam Deiparae conceptionem [d]) ostendat inquiens : « Si enim eccle-

a) Orat. in Deiparae concept. §. I. Νῦν τὸ καθαρώτατον ἀνάκτορον τοῦ παμβασιλέως Χριστοῦ θεμελιούμενον, πᾶσα ἡ κτίσις ὁρᾷσὰ σκιρτᾷ.

b) Ibidem. Νῦν ὁ θεῖος παράδεισος ἐν ἀνίκμῳ νηδύι φυτεύεται, τοὺς ἐκ τοῦ πρώτου ἐξορισθέντας ἡμᾶς καὶ θανάτου καταχρισθέντας πρὸς ζωὴν διὰ τοῦ ἐξ αὐτοῦ βλαστήσεως μέλλοντος ἐπανάξων ζωηφόρου φυτοῦ.

c) Orat. in Deiparae concept. §. II. Σήμερον γὰρ τῆς νοητῆς νεφέλης ἐφαπλοῦσθαι κηρυττομένης, αἱ τοῦ ἀδύτου φωτὸς προανίσχουσιν εἰς τὸν κόσμον ἀκτῖνες· σήμερον τῆς τοῦ θείκοῦ σκηνώματος οἰκοδομῆς μηνυομένης, οἱ τῆς εὐσεβείας καταπήγνυνται θεμέλιοι.

d) Orat. in Deiparae concept. §. XXIII. Εἰ γὰρ οἱ ἐγκαινισμοὶ ἐκκλησιῶν ἐπαξίως ἐπιτελοῦνται, πόσῳ μᾶλλον ἡμεῖς ὀφείλομεν μυριονταπλασίονα μετὰ σπουδῆς, εὐλαβείας τε καὶ φόβου θεοῦ ἐπιτελεῖν τὴν πανήγυριν ταύτην, ἐν ᾗ οὐκ ἐκ λίθων ὁ θεμέλιος ἐτέθη, οὐδὲ ἐκ χειρῶν ἀνθρώπων ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ ᾠκοδομήθη· (τουτέστιν ἐν κοιλίᾳ συνελήφθη ἡ ἁγία Μαριὰμ ἡ θεοτόκος) ἀλλ' εὐδοκίᾳ θεοῦ πατρὸς, καὶ συνεργείᾳ τοῦ παναγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος, Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ λίθος ὁ ἀκρογωνιαῖος, αὐτὸς ᾠκοδόμησε, καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῇ κατῴκησεν, ἵνα νόμον καὶ προφήτας πληρώσῃ, ἐλθὼν εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς.

1) nn. 1187. seqq.

Digitized by Google

siarum dedicationes merito celebrantur, quanto magis nos decet studio citra quamvis comparationem ferventiore, pietate atque Dei timore hanc peragere solemnitatem, in qua non ex lapidibus fundamentum positum est, neque [1]) hominum manibus Dei templum aedificatum (nimirum concepta in utero est sancta Maria Deipara); sed beneplacito Dei Patris, et cooperatione sanctissimi atque vivificantis Spiritus, Christus Dei filius, lapis ille angularis sibi ipse eam aedificavit, atque ipse in ea habitavit, ut legem et prophetas ad nos servandos adveniens adimpleret. » Egregie faciunt quae de obiecto festi conceptae Deiparae Georgius nicomediensis [a]) ait: « Nascitur Virgo ex sterili, Deus ex Virgine corporaliter gignitur, et ambobus novum opus [2]) peragitur. » Hinc postquam [b]) animadvertit potiorem gloriam iis deberi qui maiora gerunt, quique ad Deum propius accedunt, de Ioachimo et Anna pergit: « Heic autem nihil vicinius magisque cognatum existimari queat illis, quae veluti media ad patranda mirabilia fuerunt assumpta. Sibi quippe Verbum ex eorum massa tabernaculum exstruens, ex eodem supra mentis vim humanae naturae massam assumpsit, novam prorsus tum actionem tum cogitationem dispensans. » Porro quod de conceptione Virginis, tamquam de proprio singularique Dei opere Iohannes euboeensis et Georgius nicomediensis testantur, iampridem [3]) Iohannes damascenus et [4]) Germanus constantinopolitanus luculenter docuerant. Quorum disertis verbis [5]) perspicuisque sententiis addi debent tum [6]) Nicetae paphlagonis suffragium, tum Petri Argorum praesulis excla-

a) Orat. II. in concept. s. Annae pag. 1017. D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Ἐκ στείρας, παρθένος· ἐκ παρθένου θεὸς σωματικῶς ἀποτίκτεται, καὶ δι' ἀμφοτέρων νεουργία πραγματεύεται.*

b) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pag. 1076. C-D. ibidem. *Ἐνταῦθα δὲ οὐκ ἂν ὑποπτευθείη τὴν ἐγγύτητα πλέον φερόμενον, τῶν ὅσα τοῖς παραδόξοις τῶν δρωμένων πρὸς μεσιτείαν παρείληπται· τοῦ γὰρ αὐτῶν φυράματος ἑαυτῷ τὴν σκηνὴν ὁ λόγος δημάμενος, ἐκ ταύτης ὑπὲρ νοῦν τὸ ἀνθρώπινον εἴληφε φύραμα, ξένην πάντῃ διοικονομούμενος καὶ πρᾶξιν καὶ νόησιν.*

1) *Uterque codex*, notat editor, *caes. A. et barb. habent* ἀνθρώπων, *at forte legendum* ἀνθρωπίνων. Nihil minus, quum graece aptissime dicatur ἐκ χειρῶν ἀνθρώπων, et lectio ἀνθρωπίνων nullo codicum suffragio roboretur.

2) Ubi juverit advertisse, I. simul conferri Virginis ex sterili, atque ex Virgine Christi conceptum: tum II. utrumque dici νεουργίαν, *novum opus*, *novamque facturam.*

3) Orat. I. in Deiparae nativit. §. II. pag. 842.

4) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1418. apud Combefisium Auctar. T. I.

5) A quibus describendis propterea abstineo, quod nostris lectoribus comperta iam sint, eaque relata habeantur nn. 1160. seqq.

6) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 438-439. apud Combefis. Auctar. T. III. Si qui Nicetae verba recolere velint, hi consulant n. 1290.

Digitized by Google

matio qua Annam [a]) compellat inquiens : « Ave quae tuo partu, senectutis et sterilitatis angore abiecto, nova a Deo contexta stola, propter tuum partum induta es. »

1674. Conspirant quae in canone pro festo conceptionis habet [b]) Stephanus sabbaita inquiens : « Hodie manifeste annuntiatur Christi purpura, immaculata illa ex sterili sinu gratia contexta, » qua universi rex mortalem gestans naturam pulcherrimus mundo apparebit. Hodie orbis celebrat conceptionem Annae [1]) in Deo factam; ipsa namque eam genuit quae ineffabiliter Verbum peperit. » Conspirant quae in canone pro eodem festo penes Andream cretensem [c]) leguntur : « Dei sapientia sibi ipsi domum aedificat ex sterili utero, Mariam Dei genitricem. » Atque haec conspirant [d]) ex Iohanne Geometra : « Salve Dei donum sero parentibus datum, atque a parentibus vicissim ante conceptionem Deo oblatum. » Quare accidere mirum non debet quod Graecorum ecclesia [e]) cecinerit ac porro canat : « Ecce in te stupenda creatio, o Dei genitrix supergloriosa; nova est conceptio tua, tuaque progressio e reliquorum numero exempta. » Honorabatur igitur solemni cultu Deiparae conceptio, atque ex maiorum fide propterea honorabatur, quod ipsa fuerit ξένη σύλληψις, *nova conceptio*, σύλληψις γεγενημένη ἐν Θεῷ, *conceptio facta in Deo*, et πρόοδος ἐξαίρετος, *progressio a communi ordine secreta*. Idcirco autem hisce digna ellogiis habebatur, quod in ea refulserit νεουργία, *novum opus*, νέα στολὴ θεοῦφαντος, *nova stola divinitus facta*,

a) Orat. in Deiparae concept. §. XII. Χαίροις ἡ τὸ γῆρας καὶ τῆς στειρώσεως ἄχθος ἀποθεμένη τῷ τόκῳ σου, καὶ νέαν ἐνδυσαμένη διὰ τόκου σου στολὴν θεοῦφαντον.

b) Men. die IX. Decembris Ode α'. pag. 72. col. 1. B. Ἡ πορφύρα σήμερον Χριστοῦ λαμπρῶς καταγγέλλεται ἐκ στειρευούσης ὑφανθήσεσθαι χάριτι παῖδος, ἡ ἄσπιλος, ἐξ ἧς φορέσας ὁ βασιλεὺς τῆς κτίσεως φύσιν τὴν βροτείαν, κόσμῳ ἀρραιότατος ὀφθήσεται.

Ibid. Ode ς'. pag. 74. col. 2. C. Ἑορτάζει σήμερον ἡ οἰκουμένη τὴν τῆς Ἄννης σύλληψιν γεγενημένην ἐν Θεῷ· καὶ γὰρ αὐτὴ ἀπεκύησε τὴν ὑπὲρ λόγον τὸν λόγον κυήσασαν.

c) Antholog. die IX. Decembris Ode θ'. pag. 183. col. 1. E. Ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία οἰκοδομεῖ τὸν ἑαυτῆς οἶκον ἐκ στείρας παιδίου, τὴν Θεοτόκον Μαριάμ.

d) Hymn. II. in Deiparam vv. 21-22. pag. 438. E.

Χαῖρε τοκετῶσι Θεοῦ δόσις ὄψιμος, ἐκ δὲ τοκήων
Ἔμπαλι καὶ πρὸ τόκου ὑψιμέδοντι δόσις.

e) Men. die IX. Decembris Ode π'. pag. 78. col. 1. C. Ἴδε ἐπὶ σοὶ παράδοξα ἡ κτίσις, Θεογεννῆτορ ὑπερένδοξε· ξένη σου ἡ σύλληψις, καὶ ἡ πρόοδος ἐξαίρετος.

1) Sunt haec deprompta ex canone Andreae cretensis, in quo legimus Antholog. die IX. Decembris Ode ς'. pag. 182. col. 1. B. γεγενημένην ἐκ Θεοῦ, *ex Deo factam*.

Digitized by Google

παράδοξα ἡ κτίσις, *stupenda creatio*, *purpura* χάριτι *gratia contexta*, θεοῦ δόσις, *Dei donum*, et οἶκος, σκηνὴ, ναὸς, *domus*, *tabernaculum*, *templum quod Verbum beneplacito Patris et cooperatione vivificantis Spiritus sibi ipsi exstruxit exstructumque seposuit*. Quemadmodum vero hisce Deiparae conceptio a primordiis ceterorum hominum toto ut aiunt caelo secernitur, ita ab ipsa quaevis culpae labes penitus arcetur, funditusque repellitur.

1675. Atque Deus sane *ita secundas caussas disposuit, temperavit ac rexit, ut suum consilium de praerogativa immaculati conceptus Deiparae tribuenda non obscure patefecerit*. Insignia sunt quae suis opportune locis de ratione providentiae [1]) in seligendis Deiparae parentibus ex maiorum sententia disseruimus, quaeque [2]) ex eorumdem mente de activo Deiparae conceptu ab aestu libidinis singulari gratia soluto commemoravimus. Ad quod doctrinae caput sua sponte referuntur quae Georgius nicomediensis his verbis [a]) exponit: « Decebat ut labores eiusmodi [3]) talem reportarent fructum, ut ex ingenua radice summe ingenuum pullularet germen, ex bonis lumbis optimus palmes surgeret. » Referuntur quae [b]) Nicetas paphlago de Ioachimo scribit: « Qui enim sanctissimi Spiritus sanctissimum thesaurum esset geniturus, decebat eiusdem Spiritus divinis afflatibus primum repletum sacro spiritalique desiderio ad concubitum foveri. » Referuntur quae praeter allata superius [4]) de utroque parente Iohannes damascenus [c]) tradit exclamans: « O lilium inter spinas ex generosissima et maxime regia radice davidica progenitum! O rosa quae ex spinis, Iudaeis scilicet, orta es, divino-

a) Orat. III. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1064. C-D. apud Combefis. Auctar. T. I. *Εὗτι τοιούτων πόνων τοιοῦτον συγκομισθῆναι τὸν καρπόν· ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστόν· ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κλῆμα.*

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 439. A-B. apud Combefis. Auctar. T. III. *Τὸν γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος μέλλοντα τὸ ἁγιώτατον κειμήλιον ἐκτικεῖν, ἔδει τοῦ πνεύματος αὐτοῦ πρῶτον τῶν θείων πληρούμενον ἐνεργειῶν, ἐξ ἱερᾶς τε καὶ πνευματικῆς πρὸς τὴν κύησιν διαθερμανθῆναι προθυμίας.*

c) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VI. pag. 845. A-B. *Ὦ κρίνον ἀναμέσον τῶν ἀκανθῶν ἐκφυὲν ἐξ εὐγενεστάτης καὶ βασιλικωτάτης ῥίζης δαβιτικῆς· ὦ ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν τῶν Ἰουδαίων ἐκφυὲν, καὶ εὐωδίας θείας πληρῶσαν τὰ σύμπαντα· μακαρία ἡ ὀσφὺς καὶ ἡ γαστὴρ, ἐξ ἧς ἀνεβλάστησας.*

1) nn. 1200. seqq.
2) nn. 1501. seqq.
3) Quos ab Ioachimo et Anna exhaustos Georgius plaribus antea recensuerat.
4) n. 1634.

que odore cuncta perfudisti! Beati lumbi et venter, ex quibus prodiisti.» Referuntur quae ad Ioachimum et Annam spectantia Germanus [a]) ait: « Par venerandum divinam procreat iuvencam, » qua ineffabili ratione saginatus progredietur vitulus vere pro universo mundo mactatus. Hos igitur magnificemus, et fide choreas agamus in conceptione matris Dei ex ipsis divinitus editae.» Ac pariter referuntur quae Fulbertus carnotensis [1]) scribit: « Denique in huius conceptione haud dubium est quin utrumque parentem vivificus et ardens Spiritus singulari munere repleverit, quodque ab eis sanctorum angelorum custodia seu visitatio numquam abfuerit. Merito siquidem huius sanctae Virginis multum adeo laudandi sunt et extollendi sanctissimi procreatores qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se praestiterunt, ut non immerito de eorum stirpe prodiret talis successio, quae fieret et priscis aetatibus et subsequentibus exemplum totius bonitatis.» Et [2]) mox: « Quanta putamus provisio fuerit sanctorum angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suae procreationis, et excubatio super tam ingentem sobolem? Numquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Nulli enim fidelium dubium est, quod circa eam omnis frequentia caelestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minime ambigebant.» Hinc illa quae [b]) Graeci unanimes frequentant: « Non

a) Anthol. die IX. Decembris ad Vesper. pag. 180. col. 2. B-C. Ζεῦγος καρποτοκεῖ τὸ σεπτὸν τὴν θείαν ἄμαλιν, ἐξ ἧς προελεύσεται ἡ μόσχος ἀῤῥήτῳ λόγῳ ὁ σιτευτὸς ἀληθῶς ὑπὲρ ὅλου κόσμου προθυόμενος· τούτους οὖν μακαρίσωμεν, καὶ πίστει χορεύσωμεν ἐν τῇ συλλήψει ἐνθέου τῆς ἐξ αὐτῶν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν μητρὸς τικτομένης.

b) Men. die IX. Decembris pag. 74. col. 2. E.

Οὐχ ὥσπερ Εὔα καὶ σὺ τίκτεις ἐν λύπαις·
Χαρὰν γὰρ Ἄννα ἔνδον κοιλίας φέρεις.
Τῇ δ' ἑνάτῃ Μαρίαν Θεομήτορα σύλλαβεν Ἄννα.

1) Serm. in Virginis nativit. pag. 40. col. D. in max. pp. biblioth. T. XVIII.

2) Ibid. pag. 40. col. 2. E-F. Antiquus theologus Franciscus Martini tract. V. de concept. Virginis, et Petrus Canisius de Maria Deipara lib. I. cap. VII. haec praeterea referunt ex Fulberto carnotensi desumpta: « Ave Maria electa et insignis inter filias, quae non fortuito, solo placito parentum, ut plerique, sed divina dispensatione nomen accipis, quae immaculata semper exstitisti ab exordio tuae creationis, quia paritura eras auctorem totius sanctitatis.» De his autem Benedictus Plazza op. cit. n. 333. pag. 217. notat: « Hi quidem locum non citant, sed Raynaudus in pietat. lugdunensi pag. 280. opp. T. VIII. citat tractatum *super Missus est*, *cui conseritur explicatio salutationis angelicae*: quem tamen invenire non potui.» Sed primum incisum legitur in orat. de Virginis nativitate quae incipit, *consuetudinis est*, pag. 38. col. 2. F. in max. pp. biblioth. T. XVIII.

Digitized by Google

sicuti Eva tu in doloribus paris, intus namque in sinu, o Anna, gaudium gestas. Nona autem die Mariam Dei matrem Anna concepit.»

1676. Quamquam igitur non liceat inferre, passivam Deiparae conceptionem eiusque animationem peccato obstrictam duci oportere, si activa eiusdem conceptio [1]) neque immunis fuerit ab aestu libidinis neque ab igne cupiditatis soluta; valet tamen vigetque consequutio, passivam eiusdem conceptionem immaculatam et animationem sanctam iure meritoque existimari, si singulari Dei munere ipsa quoque activa conceptio ab iis fuerit seiuncta indiciis atque ab iis expedita conditionibus quae originalem praevaricationem ostendunt, quaeque hereditariae labis propagationem comitantur. At vero neque numero pauci, neque infimi subsellii obscuraeque famae vetusti auctores docuerunt, ab activa Deiparae conceptione *alienam fuisse flammam libidinis, proindeque bonos beatosque fuisse lumbos e quibus ipsa prodiit, praeclaram vulvam in qua fuit excepta, mundissimum semen cuius germen extitit, et sacrum afflatuque superno inditum desiderium quo ab Ioachimo et Anna fuit procreata.* Nihil ergo manifestius quam iisdem fuisse persuasum, nesciam culpae et sanctimonia insignem eam fuisse conceptionem, quam festa celebritate venerabantur. Praesertim quum et illud adiecerint, *neque Spiritum-sanctum ab ea umquam abfuisse, quam erat sua virtute suoque numine obumbraturus: neque beatos angelos ab eius umquam tutela vacasse, quam erant ceu reginam summis obsequiis prosequuturi.* Uno verbo, quemadmodum ex sententia maiorum conceptio Virginis talis fuit, cuiusmodi decebat Dei genitricem, Spiritus sponsam, angelorum reginam, nostri generis ornamentum, humanae naturae pulcritudinem, divinaeque benevolentiae conciliatricem; ita illius festum cultusque propterea obtinuit, quod innoxia sanctaque crederetur.

1677. *Corollarium I. Ab explorata monimentorum fide abhorret opinio, qua festum conceptae Deiparae usu orientalis ecclesiae receptum pia eorum commemoratione circumscribitur, quae mira ac stupenda in eiusdem conceptu accidisse perhibentur.* Agit non semel [2]) Franciscus Combefisius de festo conceptionis, eiusque obiectum rationemque explanans ait: « Festo hoc Latinis Graeci praeivere,

1) Ex libidine enim *activae conceptionis* dumtaxat consequitur I. semen esse immundum, conditionemque II. praevertere, quam citra speciale privilegium peccatum in ipsa animatione subsequitur.

2) Videsis biblioth. concionat. T. VI. pag. 82. et Auctar. T. I. pag. 1223.

nec aliud antiqua religione eo celebrandum suscepisse monstrant, quibus et officio exornarunt et panegyricis celebrarunt, quam quod concepta oraculo, divinoque miraculo ex sterilibus primum suscepta, quae ipsum conceptura ac paritura Emmanuelem esset. Primum itaque aurorae ortum orituro iam soli praecuntis, ac suo ortu offusas Adae lapsu humano generi tenebras primo dispellentis, festis gaudiis consecrandum maiores putavere. » Ubi vero [1]) de oratione disserit quae [2]) penes Georgium nicomediensem inscribitur *in oraculum conceptionis sanctae Deiparae*, sic habet: « Ipse titulus clare admodum declarat argumentum diei adeo festae Graecis, quum ad eos Georgius oraret, ac postmodum Latinis apud quos ea solemnitas tardius inducta est. Celebrabant ergo Graeci ac etiamnum celebrant titulo conceptionis vel sanctae Annae, ut saepius loquuntur et sacri eorum libri inscriptum habent, vel sanctae Mariae ac Deiparae, ut est huius orationis titulo, quam exscripsi ex antiquo satis membraneo regio codice, miraculosam ac ex oraculo primam Mariae nativitatem, *nec praeterea aliud quidquam*, quod etiam ex

a) Auctar. T. I. pag. 096. A. Εἰς τὸν *χρηματισμὸν τῆς συλλήψεως τῆς ἁγίας Θεοτόκου.*

1) Auctar. T. I. p. 1223. B-D. Disserit adversus Combefisium Antonius Gravois, atque initio scribit. op. cit. art. I. n. 12: « Quid ea die celebrent Graeci, certius discere non possumus quam ab officio divino pro eadem festivitate in ipsorum Menaeis assignato. Continet illud officium antiquum seculo VII. a sancto Andrea exaratum, et varias alias odas ac orationes a quibusdam aliis patribus graecis postea adiunctas. » E quibus postquam ea decerpsit quae accommodata existimavit, infert: « Haec a septimo et aliis proxime sequentibus seculis indesinenter cantare non cessant Graeci, quae immaculatam ab iis celebrari beatissimae Virginis conceptionem aperte demonstrant; immo et litteraliter accepta insinuant celebrari sanctae Annae conceptionem relative tamen ad passivam beatissimae Virginis. » Tum. a. 13. pergit: « Antiquum a sancto Andrea exaratum officium latine reddidit Combefisius, sed parum fidelitar. In eo enim beatissimae Virginis conceptionem semel et iterum *sanctam* nominat sanctus Andreas, τὴν ἁγίαν σύλληψιν, et qualibet vice latine dumtaxat reddit conceptionem, silentio praeteriens adiectivum τὴν ἁγίαν. E contra vero in encomio nativitatis et in eiusdem officio quotiescumque idem sanctus τὴν ἁγίαν vocat beatae Mariae γέννησιν, *sanctam nativitatem* semper traduxit, nec vocem ἁγίας in suis traductionibus praetermisit, nisi quando conceptioni Deiparae eam adiectam reperiit. Similiter ubi cantatur quod Anna *concepit Virginem labis expertem, puram ac Dei filiam*, τὴν ἄμωμον, ἁγνὴν καὶ Θεόπαιδα κόρην, ipse propositionem obscuravit et larva texit dicens, quod Anna concepit *intemeratam, castamque ac divina progenie puellam*. In encomio nativitatis vocem Θεόπαιδα latine vertit *Dei filiam*; sed in officio conceptionis eadem vox alio modo iuxta ipsum traduci debet. Tandem ode prima eiusdem officii habetur, *Anna gloriosa nunc concipit puram*, ἡ Ἄννα ἐνδόξως νῦν συλλαμβάνει ἁγνήν: ipse vero traduxit, *eam hodie Anna gloriosa concipit*, et in aliis locis eamdem vocem τὴν ἁγνὴν semper interpretatur *castam*. Unde iuxta ipsius traductionem vel supprimenda foret in officio conceptionis vox ἁγνή, dicendo dumtaxat *eam*, vel dici deberet, *Anna concipit puellam castam, concipit eam quae casta est*. Similiter verba, ὅθεν συλλαμβάνει τὴν μόνην ἁγνήν sic vertit, *unde castam illam singulariter concipit*; quae tamen verti debent, *unde concipit eam quae sola est pura*, quasi ibi diceretur, *concipit eam quae sola cum puritate concepta est*. Scio istam vocem graecam ἁγνὴν indifferenter significare *castam, puram, mundam, labis expertem*: sed quis non videt agendo de puella quae concipitur et de festo huiusmodi conceptionis ridiculam fore eam loquendi formulam, *Anna concipit puellam castam? Puellam quae casta est?* »

Digitized by Google

Andreae cretensis, Germani constantinopolitani, Damasceni orationibus in nativitatem Mariae, et quibus *utrumque eius ortum* perstringunt, palam est. » Combefisio post alios suffragatus est Chrysostomus Trombellius, qui principio [1]) scribit: « Aio *conceptionis Mariae* nomina interdum accipi ad significandam conceptionem Mariae sanctissimae ab angelo praenunciatam, peractam quoque non levi miraculo, quale est sterilitas ea conceptione ablata a matre non modo sterili verum etiam aetate iam provecta, qua etiam aetate provectus putatur fuisse Ioachim pater Mariae sanctissimae, quum Anna eamdem Mariam sanctissimam genuit. » Tum addit, ad haec mira plane et singularia recolenda festum pertinere, quo Graeci celebrarunt atque celebrant Deiparae conceptionem. Quod illico [2]) auctoritate utriusque Menologii basiliani et sirletini confirmans, tandem [3]) subdit: « Revera in graecis Menologiis conceptionis beatae Mariae virginis memoriam recolentibus nulla fit mentio exemptionis, ut ita appellem, beatissimae Virginis a labe originis; quam quidem quaestionem ne attigerunt quidem, si Petavio [4]) in ecclesiasticis monimentis versatissimo et pene detrito fidem adhibes, Graeci. »

1678. At vero quum de definiendo alicuius festi obiecto ac motivo quaestio instituitur, cavendum diligenter est ne quae sunt distincta, commisceantur praepostere: ne quae forte rei accidunt, non secus ac eiusdem summa et caput existimentur: ne potiora monimenta negligantur: et ne quae in medium promuntur, aliter ac necesse est accipiantur atque enarrentur. Nisi autem totus fallor, nullus est a nobis recensitus defectus, in quem Combefisius et Trombellius non offenderint. Sane I. oraculum atque angeli annuntiatio de concipienda Deipara, genitalis virtus Ioachimo tributa, solutum sterilitatis Annae opprobrium, et fausta adventantis iusti-

1) Vit. Mariae m. P. II. diss. XIII. sect. I. q. I. n. 2. pag. 382. T. V.

2) Ibid. n. 3.

3) Ibid. n. 4.

4) De Incarnat. lib. XIV. cap. II. n. 1. « Nunc quae veterum patrum de eo sententia fuerit, paucis enarrabimus, Latinorum duntaxat, siquidem Graeci ut originalis fere criminis raram nec disertam quaestionem scriptis suis attigerunt, sic utrum beata Virgo affinis illi concepta fuerit, liquidi nihil admodum tradiderunt. » Sed I. insequutae eruditorum curae ostenderunt, neque raram adeo neque adeo impeditam penes Graecos recurrere de propagata culpa originis quaestionem. Praeterea II. quum non una sit ratio praeceptae animo fidei significandae, haud satis intelligo qui affirmare Petavius potuerit, ideo a Graecis nihil admodum liquidi de originibus Deiparae fuisse traditum, quod de hereditaria labe ex proposito dataque opera non disputarint. Ecquid enim si ad hanc materiem spectantia tum docuerint, quum oeconomiae reparatricis modum exponerent, quum vim divinae maternitatis aperirent, quumque multiplices declararent habitus quibus Deipara ad Deum hominumque genus refertur? Ceterum quae hucusque dedimus, normae instar haberi queunt ad quam confidentior Petavii affirmatio exigatur.

Digitized by Google

tiae solis praemonstratio quum neque ad obiectum neque ad festi motivum pertineant, connumerari *adiunctis* debent quae illud praeeundo comitandoque illustrarint. Praeterea II. neque Menologia neque orationum tituli aut sola aut potiora sunt monimenta, e quibus de obiecto festique motivo rite iudicetur; sed ipsae imprimis consulendae sunt orationes et quae iis continentur accurate evolvenda: tum adverti animus debet ad solemnia officia vulgatosque hymnos, quibus et obiectum cultus et eiusdem ratio ac forma uberius declarantur. Denique III. vel ipsius Basilii Menologio, nisi omnia oscitanter decurrantur, Trombellii opinio ad illud provocantis funditus convellitur. En Menologii verba [a]): « Dominus et Deus noster quum animatum sibi templum, domumque sanctam in suum habitaculum praeparare vellet, misit angelum suum ad Ioachim et Annam iustos, ex quibus suam secundum carnem matrem procedere destinaverat, et praenunciavit conceptionem infecundae ac sterilis, ut Virginis fecunditati fidem faceret. Concepta est igitur sancta virgo Maria. » Ex his autem nihil manifestius discrimine inter adiuncta festi, et eiusdem obiectum ac motivum: ac nihil denuo manifestius sive obiecto quod est Deiparae *conceptio*, sive motivo inde repetendo, quod Deipara in ipsa conceptione fuerit *animatum Dei templum, domus sancta, sancta* ac plane eiusmodi qualis esse oportebat *Dei habitaculum Deique mater*. Suffragantur tituli, quibus sermo Iohannis euboeensis in duobus codicibus vindobonensibus atque in tertio barberino inscribitur. Sunt [b]) enim: *sermo in annuntiationem sanctorum iustorumque Ioachimi et Annae: sermo in nativitatem supersanctae, gloriosae et semper virginis Mariae Deiparae:* et *sermo in conceptionem sanctae Deiparae*. Atqui his plane efficitur I. appellatione τοῦ γενεθλίου ἢ τῆς γενέσιος *nativitatis* significatam pariter a Graecis fuisse τὴν σύλληψιν *conceptionem:* II. festum conceptionis ad primum Deiparae ex Ioachimo atque

a) Menolog. die IX. Decembris pag. 74. Ὁ κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς θέλων ἑτοιμάσαι ἑαυτῷ ναὸν ἔμψυχον καὶ οἶκον ἅγιον εἰς κατοικίαν ἑαυτοῦ, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς δικαίους Ἰωακεὶμ καὶ Ἄνναν, ἐξ ὧν ἠθέλησε προελθεῖν τὴν κατὰ σάρκα μητέρα αὐτοῦ· καὶ προεμήνυσε τὴν σύλληψιν τῆς ἀγόνου καὶ στείρας, ἵνα βεβαιώσῃ τῆς παρθένου τὴν γέννησιν· ὅθεν συνελήφθη ἡ ἁγία παρθένος Μαρία.

b) Λόγος εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῶν ἁγίων καὶ δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης.
Λόγος εἰς τὸν γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας ἐνδόξου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας τῆς θεοτόκου.
Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Θεοτόκου.

Digitized by Google

Anna ortum pertinuisse: et III. quum eiusmodi festum ideo dicatur institutum, ut *sanctissimae* Deiparae origo digne celebretur, non aliud fuisse illius motivum praeter sanctitatem qua Virgo ab ipsis primordiis refulsit. Quod Petrus Argorum praesul luculenter [1]) significat de concepta Virgine [2]) scribens: « Quamobrem laetemur animis universi et gestiamus hymnorum concentibus, quum in utero Annae videamus exordia capere nobilitatem naturae nostrae. » Audis festi caussam, celebritatisque rationem? Propterea colebatur Deiparae conceptio, quod nostra natura originali transgressione deiecta, primum in ea apparuerit non serva et captiva *sed nobilis atque ingenua*. Hinc quod Emanuel paleologus [3]) de ipsa scribit: « Simul ac nata fuit, dixerim quoque simul atque concepta beata Virgo sua illam gratia implebat qui sibi futuram praestituerat matrem; immo vero cum illa erat ipse antequam esset nata: factum quippe et compactum est illi corpus temporibus suis de sanguinibus immaculatae: numquam tamen non fuit illi coniunctus statim atque in sterilis matris utero caepit esse. » Atque hinc quod [3]) tradit de nobilissima huius praerogativae caussa inquiens: « Te, o Virgo, reperimus primitiarum et reconciliationis vim obtinentem apud eum, qui primitiae et reconciliatio est apud suum Patrem humano infensum generi ob iniuriam praevaricationis. »

1679. *Corollarium II. Cum certa maiorum testificatione componi nequit opinio, qua non alia ab orientali ecclesia Deiparae conceptio festa solemnitate celebrata perhibetur, nisi quam activam appellare consuevimus.* Huius opinionis quam improbandam ducimus, duo prae ceteris commemorari [4]) auctores debent claritate

a) Orat. in Deiparae concept. §. II. Ἀγαλλιασώμεθα τοίνυν καὶ ψαλμικῶς ἀλαλάξωμεν ἅπαντες, ὁρῶντες τὴν τῆς ἡμετέρας εὐγένειαν φύσεως ἀρχομένην ἐν τῇ γαστρὶ τῆς Ἄννης φυτεύεσθαι.

1) Neque luculenter minus significat orationis inscriptio, λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης, ὅταν συνέλαβεν τὴν ἁγίαν Θεοτόκον, *sermo in conceptionem sanctae Annae, quando concepit sanctam Deiparam.* Conspirant tituli tum orationis quartae Georgii nicomediensis, qui est *oratio in conceptionem sanctissimae Dei genitricis*, tum sermonis, auctore Iacobo monacho, qui ita se habet, λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, *sermo in conceptionem supersanctae Deiparae.*

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 63. edit. Maraccii in Caesaribus marianis.

3) Ibidem pag. 56.

4) Diceres enim praelusisse Iodocum Clichtoveum de purit. concept. beatae Mariae virginis scribentem: « Sentiendum, non solum unionem sanctae animae virginis Mariae ad sacrum ipsius corpus in utero materno iam formatum, fuisse sine aliqua contractione culpae; verum etiam conceptionem ipsius sacratissimae Virginis secundum carnem, per nuptialem sanctorum parentum suorum congressum, factam fuisse sine macula aut sorde peccati inusta corpori, unde postea anima inficeretur in ipsa sui ad carnem coniunctione. Fatendum est insuper, hanc gloriosae

Digitized by Google

nominis eruditionisque fama insignes, Iosephus Simonius Assemanus [1]) et [2]) Franciscus Antonius Zaccaria. Argumenta quibus pro ea pugnant, illamque tuentur, ad hanc summam facile revocantur. I. Quod in Orientalium Menologiis non alio titulo quam *conceptionis sanctae Annae* festum designetur. II. Quod in vetustis publicisque eorumdem [3]) picturis ad festi obiectum significandum repraesententur Ioachimus et Anna semet osculantes mutuoque amplectentes. Et III. quod referente [4]) Matthaeo Paris, Armeniorum episcopus anno MCCXXVIII. interrogatus *inter loquendum ab uno qui fuit ei assidens collateralis monacho, si in partibus suis conceptio beatae Mariae celebraretur,* responderit: « Celebratur. Et haec est ratio: quia angelo nunciante Ioachim dolenti et desertum tunc inhabitanti, ipsa conceptio facta est. Similiter et conceptio beati Iohannis baptistae, simili ratione. De conceptione autem Domini quae facta est angelo nuntiante Mariae, quae concepit ex Spiritu sancto, nulli fidelium venit in dubium. » Verum iis modo sepositis quae superius adhibui, quaeque ad hanc quoque opinionem convellendam accommodatissima videri debent; pauca adiiciam quae reliquam omnem obscuritatem, si qua forte supersit, omnino depellant.

1680. Scilicet negari principio debet, non alios huius festi titulos apud Graecos Orientalesque reperiri, nisi qui sint aut *conceptio sanctae Annae,* aut [a]) nonnihil plenius, *conceptio* [5]) *sanctae*

a) Quemadmodum in Menologio, ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, τῆς μητρὸς τῆς θεοτόκου.

Virginis conceptionem secundum carnem solum fuisse immunem ab omni labe carnis, per quam inexistentem carni in ceteris, quum fit animae ad corpus coniunctio, contrahitur in anima peccatum originale: per sublatam vero et minime immanentem, immo nec umquam inhaerentem virgineae carni (id operante divina benedictione illam conceptionem praeveniente) hanc labem morbidam et luem concupiscentiae, animam gloriosae Virginis sacratissimam mundo et immaculato corpori fuisse coniunctam sine aliquo peccati contagio. Nam submotum erat divino munere illud a corpore, quod in ceteris solet animam in ipso coniunctionis ad corpus momento labefactare. » Quibus praestitutis docet, dignam fuisse activam Virginis conceptionem, sive conceptionem virgineae carnis, quae festo coleretur; praesertim quum *inchoatio quaedam suscipiendae in anima gratiae videatur praeparata in ipso corpore.* Neque abludit Ambrosius Catharinus qui in disput. pro verit. immaculatae conceptionis ad sanctam synodum tridentinam P. I. pag. 81. tuetur, celebrari ab ecclesia conceptionem purissimae carnis, siquidem « Praeservationis illius est festum, quae praeservatio manifestata est in ipsa foetus sanctificatione ab initio suae conceptionis. Tunc enim inchoata est sanctificatio in carne, ut demum in spiritu terminaretur et tempore suo consummaretur. »

1) In Kalend. eccles. univ. die IX. Decembris pagg. 482. seqq. T. V.

2) Diss. V. italice scripta de festis Deiparae §. I. n. IV. pagg. 215. seqq.

3) Perspicuum hoc est ex Triptycho minore apud Papebrochium pag. LX., atque ex iis quae Cuicinius narrat P. II. pag. 105.

4) Hist. angl. an. MCCXXVIII. pag. 242.

5) De formula, *conceptio sanctae Annae*, tria quaeri possunt: I. quid ipsa *ex sese* significet: II. quid *loquendi usu* non infrequenter denotet: ac III. *quam adsignificationem* complectatur. Itaque in eiusmodi *constructis formulis* adverti discrimen debet inter nomina quae *actiones immanentes*, quaeque *actiones transeuntes* demonstrant. Si enim nomen quod *subiecti vicem* gerit, actionem exprimat immanentem,

Digitized by Google

Annae matris Deiparae. En cuiusmodi sit inscriptio tertii sermonis, quem [a]) Georgius nicomediensis habuit: *sermo in conceptionem et nativitatem sanctissimae Dominae nostrae Dei genitricis semperque virginis Mariae*. En quem praeferat titulum oratio [b]) Iohannis euboeensis: *sermo in conceptionem sanctae Deiparae:* et en [c]) titulum sermonis, auctore Petro Argorum praesule: *sermo in conceptionem sanctae Annae, dum concepit sanctam Deiparam*. Quo igitur redit ex titulis atque inscriptionibus sumpta probatio? Talis est, quae in suos auctores facile retorquetur. Ad haec, quamquam acerrimae ac diuturnae penes Latinos disputationes effecerint, ut *activa conceptio a conceptione passiva* subtiliter distingueretur; huius tamen discriminis apud Orientales a nostris contentionibus nostrarumque scholarum moribus alienissimos, nescio an ullum vestigium etsi tenuissimum reperiatur. Sed quid propterea? Utramque nimirum conceptionem activam et passivam *unius instar* fuisse ab iisdem habitam, et utramque infinite atque universim fuisse celebratam. Fuisse pia commemoratione celebratam conceptionem activam, utpote portentis insignem: et fuisse pia commemoratione celebratam conceptionem passivam, utpote sanctitate praeclaram. Quid vero si dixerimus, *aut* festum conceptionis activae apud Orientis ecclesias non citra habitum ad sanctimoniam passivae conceptionis [1]) viguisse: *aut* visum Orientalibus esse, a conceptione activa foetusque virginei primordiis seiungi [2]) animationem, et cohaerentem cum animatione

a) Apud Combefisium Auctar. T. I. pag. 1044. A. Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν καὶ ἀπότεξιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

b) Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Θεοτόκου.

c) Λόγος εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγίας Ἄννης, ὅταν συνέλαβεν τὴν ἁγίαν θεοτόκον.

tum formulae significatio *activa* est, uti cum dicimus *visionem oculi*, vel *auditionem aurium*; sin vero idem nomen actionem praeferat transeuntem, tum formulae potestas subest *passiva*, uti cum dicimus *illuminationem lunae*, *generationem Petri*. Atqui in formula, *conceptio sanctae Annae*, nomen subiecti actionem exhibet transeuntem; ergo *ex sese* formula potestatem induit passivam et terminum productum ostendit. Nihilominus *usu loquendi* non semel contingit, ut eiusmodi formulis *activa potestas* subiiciatur. Et subiicitur sane ab Arnoldo abbate bonae vallis, qui de cardinalibus Christi operibus scribit: *o Virgo iusta et omni iustitia, plenissima, cuius conceptio singularis*, ea nimirum qua Emmanuelem concepit et de qua una Arnoldus loquitur. Itemque subiicitur a Bernardo qui serm. IV. in vigilia nativitatis Domini ait, *attende, et conceptum invenis sine semine. Quid gloriosius quam sancta et sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis?* Haec porro neque alia est significatio, qua formula, *conceptio sanctae Annae*, usurpatur. Cum hac autem significatione *adsignificatio* cohaeret, eaque exprimitur actionis terminus, idest Deipara in Annae sinu faustissime germinans.

1) Profecto de hac celebrandae conceptionis ratione quae apud Orientales obtinuerit, tot praesto sunt suffragia, quot ex antiquis monimentis sumpta testimonia hucusque deprompsimus.

2) Quod utraque ecclesia latina et graeca festum celebret conceptionis die VIII. vel IX. Decem-

Digitized by Google

gratiam sanctitatemque non posse? Neutrum eiusmodi est, quod non se admodum commendet. Se namque vehementer primum commendat, quum et in maiorum sermonibus et in solemnibus ecclesiae officiis activa conceptio numquam a passiva seiuncta proponatur. Neque minus se alterum commendari, suadet disputatio quam Gregorius nyssenus a) his verbis auspicatur: « Restat autem secundum ea quae antehac examinavimus, ut quaeratur quando animae principia sui ortus et existentiae habeant. Nam si datum fuerit quod ante corpus in peculiari quadam statione anima vivat, omnino necesse est ut absurdas illas sententias fictasque opiniones eorum qui propter vitiositatem animas in corpora deduci volunt, vires habere putemus. Enimvero posteriorem esse originem animarum, ipsasque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente praeditus in animum induxerit: quum manifestum et perspicuum

a) De anima et resurrect. T. II. pagg. 672. D. et 673. A-B. Περὶ τοῦ ποτὲ τὰς ἀρχὰς αἱ ψυχαὶ τῆς ὑπάρξεως ἔχουσαι, ὡς ἀκόλουθον ὂν τοῖς προιξετασμένοις ζητεῖν καταλείπεται· εἰ γὰρ δοθείη τὸ πρὸ τοῦ σώματος ἐν ἰδιαζούσῃ τινὶ καταστάσει τὴν ψυχὴν βιοτεύειν, ἀνάγκη πᾶσα τὰς ἀτόπους ἐκείνας δογματοποιΐας ἰσχὺν ἔχειν νομίζειν τῶν διὰ κακίας τὰς ψυχὰς εἰσοικιζόντων τοῖς σώμασιν· ἀλλὰ μὴν ἐφυστηρίζειν τὰς ψυχὰς τὴν γένεσιν, καὶ νεωτέρας τῆς τῶν σωμάτων εἶναι συμπλάσεως, οὐδεὶς ἂν τῶν εὐφρονούντων ὑπονοήσειεν· φανερῶς πᾶσιν ὄντος, ὅτι οὐδὲν τῶν ἀψύχων κινητικήν τε καὶ αὐξητικὴν ἐν αὐτῷ δύναμιν ἔχει· τῶν δ' ἐν νηδύϊ ἐντρεφομένων, οὔτε ἡ αὔξησις, οὔτε ἡ τοπικὴ κίνησις ἐστιν ἀμφίβολος· λείπεται οὖν μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ψυχῆς τε καὶ σώματος ἀρχὴν τῆς συστάσεως οἴεσθαι.

bris, eiusdem vero nativitatem die VIII. Septembris, id non minimum theologorum animos torsit atque in diversas opiniones distraxit. Ex duobus enim alterutrum concedendum esse videbatur, aut festa solemnitate coli *conceptionem activam*, quod est a veritate alienissimum, aut *plusquam novem menses* a concepto semine ad Deiparae nativitatem defluxisse, quod nulla probabilitatis specie commendatur. Itaque ad nodum extricandum Gabriel Vasquius in III. p. disput. CXVII., Aldretus de concept. disput. I. sect. VI. aliique docuerunt, coli prorsus *conceptionem passivam*, ideirco autem coli die VIII. vel IX. Decembris, quod cum tempus *animationis* incertum sit, nullus suppeteret dies qui ad agendam solemnitatem opportunius seligeretur. Secus censuit Thyrsus Gonzalez, qui mentem suam in opusc. de concept. n. 237. his verbis prodidit: « Mihi maxime arridet sententia alia quae modo circumfertur, affirmans *primam conceptionem* beatae Virginis factam esse initio Decembris die dominica per correspondentiam ad primam diem creationis in qua conditi sunt angeli, in quorum reginam electa fuerat beatissima Virgo; *conceptionem* vero *secundam* factam esse septima die a prima, idest sabbato proxime sequenti, VIII. Decembris per correspondentiam ad septimam diem, in qua perfecta est creatio et Deus quievit ab omni opere quod patraverat; et hanc eodem instanti in quo anima illa creata et infusa est corpori, eximiis gratiae dotibus fuisse ornatam, et ideo diem sabbati specialiter fuisse deputatum cultui beatae Virginis: quia divina omnipotentia septem illis diebus perfectius organizavit et disposuit corpus ad infusionem animae, quam virtute solius naturae solet disponi corpus femineum ad receptionem animae intra longum illud tempus, quod medici et philosophi assignant vel octoginta vel quinquaginta vel quadraginta dierum. » Neutra opinio placuit Calderonio in apolog. pro titulo immac. conceptionis cap. VII., Granado disput. III. cap. I. sect. II. et Nierembergio de obiecto festi conceptionis, quibus auctoribus, tenendum est, praeter statas communesque leges *brevissimo aliquot horarum intervallo conceptionem seminalem ab animatione Deiparae fuisse seiunctam*. Videlicet aqua theologis haeret, nihilque praesto habent quod tamquam certum exploratumque tueantur.

Digitized by Google

sit omnibus, quod nihil ex inanimis habeat in sese vim movendi pariter atque crescendi. At eorum qui in utero nutriuntur, neque augmentum et incrementum, neque de loco ad locum motus controversus et ambiguus est. Relinquitur igitur ut putemus, unum idemque animae et corporis constitutionis principium esse. » Quod ut idonea comparatione expolivit, e vestigio [a]) subdit: « Quemadmodum igitur in nascentibus seminibus incrementum paulatim ad perfectionem progreditur; eodem modo in hominum quoque formatione atque constitutione pro ratione ac proportione corporeae magnitudinis, animae quoque potentia apparet ac elucet: primum quidem per vim alendi simul atque augendi iis quae in utero effinguntur, sese insinuans atque innascens: post haec vero donum sentiendi in lucem productis inducens, atque ita deinceps quasi fructum quemdam, aucta iam aeque planta, exserens ac prodens ratione praeditam vim. » Et [b]) mox: « Quoniam igitur id quod ab animatis ad materiam et caussam animatae constitutionis avellitur, mortuum esse non potest; (mortalitas enim per animae privationem fit, non autem privatio habitum praeverterit) ex his deprehendimus communem et in unum idemque tempus collatum ingressum et aditum ad essentiam patefieri ei coagmentationi atque coalitioni quae ex ambobus (corpore scilicet et anima) constat et coalescit, neque hoc prius existente, neque illa posterius accedente. » Putavit igitur Nyssenus una cum vita foetus incipere animationem, neque hanc esse illa posteriorem. Vita autem foetus vix aut ne vix quidem a concepto semine tempore distinguitur. Putavit igitur una cum concepto semine iungi atque penitissime animationem cohaerere. Cui opinioni ipsum quoque subscripsisse Basilium, haec videntur

a) Ibid. pag. 673. C-D. *Ὥσπερ οὖν ἐπὶ τῶν φυομένων σπερμάτων κατὰ λόγον ἡ αὔξησις ἐπὶ τὸ τέλος πρόεισι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τῆς ἀνθρωπίνης συστάσεως, πρὸς λόγον τῆς σωματικῆς ποσότητος, καὶ ἡ τῆς ψυχῆς διαφαίνεται δύναμις· πρῶτον μὲν διὰ τοῦ θρεπτικοῦ καὶ αὐξητικοῦ τοῖς ἔνδοθεν πλασσομένοις ἐγγινομένη· μετὰ ταῦτα δὲ τὴν αἰσθητικὴν χάριν τοῖς εἰς φῶς προελθοῦσιν ἐπάγουσα, εἶθ' οὕτω, καθάπερ τινὰ καρπὸν, αὐξηθέντος ἤδη τοῦ φυτοῦ μετρίως, τὴν λογικὴν ἐμφαίνουσα δύναμιν.*

b) Ibid. pagg. 673. D. et 674. A. *Ἐπειδὴ τοίνυν τὸ ἐκ τῶν ἐμψύχων εἰς ἀφορμὴν ἐμψύχου συστάσεως ἀποσωζόμενον, νεκρὸν εἶναι οὐ δύναται· ἡ γὰρ νεκρότης κατὰ ψυχῆς στέρησιν γίνεται· οὐκ ἂν δὲ προσλάβῃ τὴν ἕξιν ἡ στέρησις· ἐκ τούτων καταλαμβάνομεν τὸ καινὸν τῷ ἐξ ἀμφοτέρων συνεστηκότι συγκρίματι, τὴν εἰς τὸ εἶναι πάροδον γίνεσθαι, οὔτε τούτου προτεροῦντος, οὔτ' ἐκείνου ὑστερίζοντος.*

innuere quae [a]) in litteris ad Amphilochium statuit: « Quae de industria foetum corrupit, caedis poenas luit. De formato autem aut informi subtilius non inquirimus. » Quibus Balsamon [b]) hunc commentarium subiicit: « Praesens canon decernens eas quae tale quod agunt, homicidarum poenis obnoxias esse, addit non esse, differentiam ullam abortivi foetus: sive enim est informe quod abortu eiectum est, sive formatum atque habens hominis characteres, eadem est ratio. Hoc autem dictum est propter eos qui dicunt, quod quoniam semen in matricem deiectum non statim formatur in hominem, sed prius quidem fit sanguis, deinde in carnem humanam concrescit, tum effingitur et formatur in membra et partes; non fit caedes, quando abortio facta fuerit foetus qui nondum est formatus. » Porro nihil cum hac arbitrandi ratione coniunctius, quam [1]) abiecta quavis animae vegetantis, sentientis, rationalisque successione, simul tempore complecti animationem foetus eiusque vitalem conceptionem.

1681. Ceterum obiectum motivumque celebratae apud Orientales conceptionis splendidissime innotescent, *si usurpata in festo conceptionis cum iis quae adhibentur in festo nativitatis, dextere componantur*. Liquebit enim illa sibi adamussim respondere, et utroque festo sancta Deiparae primordia sive in utero sive ex utero piis

a) Epist. CLXXXVIII. can. II. pag. 271. A-B. opp. T. III. Φθείρασα κατ' ἐπιτήδευσιν, φόνου δίκην ὑπέχει· ἀκριβολογία δὲ ἐκμεμορφωμένου καὶ ἀνθρωποείστου παρ' ἡμῖν οὐκ ἔστιν.

b) Apud Beveregium in Pandect. canonum pag. 51. C-D. T. II. Ὁ παρὼν κανὼν διορίζομενος τὰς τοιοῦτόν τι ποιούσας, τοῖς τῶν φονέων ἐπιτιμίοις καθυποβάλλεσθαι, προστίθησι μὴ εἶναι διαφορὰν τοῦ ἀμβλώματος· κἂν γὰρ ἀμόρφωτόν ἐστι τὸ ἀμβλωθὲν, κἂν μεμορφωμένον καὶ χαρακτῆρα ἔχον ἀνθρώπου, ὁ αὐτὸς λόγος ἐστί· τοῦτο δὲ ἐρρέθη διὰ τοὺς λέγοντας, ὡς ἐπεὶ τὸ σπέρμα τῇ μήτρᾳ καταβαλλόμενον, οὐκ ἀπεντεῦθεν εἰσποιεῖται εἰς ἄνθρωπον, ἀλλὰ πρότερον μὲν ἐξαιματοῦται· εἶτα εἰς σάρκα πήγνυται ἀνθρωπίνην· εἶτα ἐξεικονίζεται καὶ διατυποῦται εἰς μέλη καὶ μόρια· οὐ γίνεται φόνος ὅταν ἀμβλωθῇ τὸ ἔμβρυον, τὸ μήπω εἰσποιηθέν.

1) De hac successione videsis Thomam I. p. q. LXXVI. a. III., et Suarium metaphysic. disput. XV. sect. X. Gennadius de ecclesiast. dogmat. cap. XV. sic habet: « Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua animatur corpus et immixta sit sanguini, et alteram rationalem quae rationem ministret; sed divinitus unam esse eamdemque animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat. » Gemina tradunt vetustus auctor de spiritu et anima cap. IX. inter opp. Augustini T. VI., et Hugo Victorinus lib. IV. allegoriarum in Lucam pag. 161. opp. T. I. inquiens: « Fides catholica eiusmodi assertionem *(de distinctis animabus)* non recipit, sed unam eamdemque animam esse verissime testatur, quae in homine et corpori vitam praebet per sensum, et in semetipsa vivit per intellectum. »

Digitized by Google

laudibus honestari. Ex plurimis autem quae adduci possent exemplis, nonnisi pauca exhibebo, eaque ita disponam *ut praecedant quae de conceptione canuntur, sequantur vero quae ad nativitatem pertinent.* Haec itaque [a]) legimus: « Prophetarum oracula implentur; etenim mons sanctus in ventre fundatur, divina figitur scala, *magnusque regis thronus praeparatur.* Hodie qui in spiritalibus thronis conquiescit Deus, *sanctum thronum in terra sibi ipsi praeparavit.* » Tum [b]) legimus: « Ineffabilis angelis atque hominibus magnificentia, novumque mysterium hodie in utero sapientis Annae [1]) gignitur Maria *Dei filia adornata in habitaculum summi regis seculorum et in reformationem generis nostri.* Hodie sterilis Anna parit *Dei filiam ex omnibus praeelectam generationibus in habitaculum summo regi et creatori Christo Deo, in expletionem divinae oeconomiae, per quam mortales reformati sunt,* atque ex corruptione ad perennem vitam revocati. » Itemque [c]) legimus: « Congratulamini mecum, laetabunda clamabat Anna, omnes Israelis tribus, *novum* namque *caelum* in sinu concepi. Exsultet caelum, gestiat terra; etenim *Dei caelum* in terra editum est, haec Dei sponsa ex promissione. » Ad quam comparationem haec ex aequo [d])

a) Antholog. die IX. Decembris ad Vesper. pag. 180. col. 1. B. Τῶν προφητῶν αἱ προῤῥήσεις ἐκπληροῦνται· ὄρος γὰρ τὸ ἅγιον λαγόσιν ἵδρυται, κλίμαξ ἡ θεία φυτεύεται, θρόνος ὁ μέγας τοῦ βασιλέως προετοιμάζεται.

Men. die VIII. Septembris ad Vesper. pag. 56. col. 1. B. Σήμερον ὁ τοῖς νοεροῖς θρόνοις ἐπαναπαυόμενος Θεὸς, θρόνον ἅγιον ἐπὶ γῆς ἑαυτῷ προετοίμασεν.

b) Antholog. die IX. Decembris ad Vesper. pag. 180. col. 1. C-D. Τὸ ἀπόῤῥητον τοῖς ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις μεγαλεῖον, καὶ μυστήριον παράδοξον σήμερον ἐν ταῖς λαγόσι τῆς σώφρονος Ἄννης βρεφουργεῖται Μαρία ἡ Θεόπαις, ἑτοιμαζομένη εἰς κατοικίαν τοῦ παμβασιλέως τῶν αἰώνων, καὶ εἰς ἀνάπλασιν τοῦ γένους ἡμῶν.

Men. die VIII. Septembris ad Vesper. pag. 56. col. 1. A. Σήμερον ἡ στείρα Ἄννα τίκτει Θεόπαιδα, τὴν ἐκ πασῶν τῶν γενεῶν προεκλεχθεῖσαν εἰς κατοίκησιν τῷ παμβασιλεῖ καὶ κτίστῃ Χριστῷ τῷ Θεῷ, εἰς ἐκπλήρωσιν τῆς θείας οἰκονομίας· δι' ἧς ἀνεπλάσθημεν οἱ γηγενεῖς, καὶ ἀνεκαινίσθημεν ἐκ τῆς φθορᾶς πρὸς ζωὴν τὴν ἄληκτον.

c) Antholog. die IX. Decembris Ode δ'. pag. 181. col. 2. B. Συγχάρητέ μοι, Ἄννα γηθομένη ἐκραύγαζε, πᾶσαι φυλαὶ τοῦ Ἰσραὴλ, ἐν γαστρὶ συνέλαβον τὸν νέον οὐρανόν.

Men. die VIII. Septembris pag. 58. col. 1. D. Ἀγαλλιάσθω οὐρανὸς, γῆ εὐφραινέσθω· ὁ τοῦ Θεοῦ γὰρ οὐρανὸς ἐν γῇ ἐτέχθη, ἡ Θεόνυμφος αὕτη ἐξ ἐπαγγελίας.

d) Antholog. die IX. Decembris Ode ε'. pag. 181. col. 2. D-E. Νεάνιν ἣν συνέλαβον

1) Quod hoc est, ἐν ταῖς λαγόσι τῆς σώφρονος Ἄννης βρεφουργεῖται Μαρία ἡ Θεόπαις, in Men. die VIII. Sept. pag. 58. col. 1. C. dicitur, ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἐξ ὀσφύος τοῦ Δαυὶδ ἡ Θεόπαις Μαριὰμ τίκτεται σήμερον ἡμῖν.

Digitized by Google

pertinent: « Puellam quam ego concepi fatidicae olim voces praenunciarunt montem et *portam imperviam*, iucunde praesentibus exclamabat Anna. *Nebulam* et paradisum et portam lucis, mensam et vellus te cognoscimus, urnam intus manna ferentem, mundi suavitatem, o innocens Virgo mater. *Portam imperviam*, uni Deo nostro custoditam, sanctam Virginem propheta nuncupavit. Virgo Maria vereque Dei genitrix, tamquam *nebula lucis* hodie nobis effulsit, atque ex iustis in gloriam nostram prodiit. » Haec [a]) rursum: « Ex radice David et Iesse oborta Anna iam nunc proferre incipit *divinam virgam*, quae mysticum edet florem, Christum omnium creatorem. Hodie ex Anna *virga*, *planta divinitus data*, Dei genitrix nata est, hominum salus; ex qua universorum conditor supra rationem genitus, utpote bonus luem omnem Adami sua benignitate expurgavit. » Et ne fastidium prolixitate [1]) creem, haec [b])

ἐγὼ, προφητικαὶ πόῤῥωθεν φωναὶ προκατήγγειλαν ὄρος καὶ πύλην ἀδιόδευτον, περιχαρὴς Ἄννα ἐβόα τοῖς παροῦσι.

Νεφέλην καὶ παράδεισον καὶ πύλην σε φωτὸς, τράπεζαν καὶ πόκον γινώσκομεν, καὶ στάμνον ἔνδον μάννα φέρουσαν, τὸν γλυκασμὸν τῷ κόσμῳ ἀγνὴ παρθενομῆτορ.

Men. die VIII. Septembris Ode γ'. pag. 59. col. 2. C-D. *Πύλην ἀδιόδευτον ὁ προφήτης μόνῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν τηρουμένην, τὴν ἁγίαν παρθένον ἐκάλεσε.*

Ἡ παρθένος Μαριὰμ καὶ Θεοτόκος ἀληθῶς, ὡς νεφέλη τοῦ φωτὸς σήμερον ἔλαμψεν ἡμῖν, καὶ ἐκ δικαίων προέρχεται εἰς δόξαν ἡμῶν.

a) Antholog. die IX. Decembris Ode ε'. pag. 181. col. 2. C. *Ἐκ ῥίζης ἡ βλαστήσασα Δαυὶδ καὶ Ἰεσσαὶ Ἄννα νῦν βλαστάνειν ἀπάρχεται τὴν θείαν ῥάβδον, τὴν βλαστήσασαν τὸ μυστικὸν ἄνθος, Χριστὸν τὸν πάντων κτίστην.*

Men. die VIII. Septembris pag. 55. col. 1. A. *Ἐξ Ἄννης σήμερον ῥάβδος, φυτὸν θεόδοτον, ἡ Θεοτόκος ἔφυ, σωτηρία ἀνθρώπων ἐξ ἧς ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς γεννηθεὶς ὑπὲρ ἔννοιαν, τὴν τοῦ Ἀδὰμ ἐκκαθαίρει ὡς ἀγαθὸς πᾶσαν λύμην ἀγαθότητι.*

b) Antholog. die IX. Decembris pagg. 179. col. 2. E. et 181. col. 1. E. *Καρπογονοῦσα ἡ στεῖρα παρ' ἐλπίδα παρθένον τὴν μέλλουσαν τίκτειν Θεὸν ἐν σαρκὶ, ἀγαλλιάσει φαιδρύνεται· χορεύει, χαίρει μεγαλοφώνως Ἄννα κραυγάζουσα· φυλαί μοι συγχάρητε ἅπασαι τοῦ Ἰσραὴλ· κυοφορῶ, καὶ τὸ ὄνειδος τῆς ἀπαιδίας ἐκπεπότισμαι, ὡς ηὐδόκησεν ὁ εὐεργέτης ἐπακούσας μου τῆς προσευχῆς.*

Τῆς προσευχῆς αὐτῶν ἐπακούσας, δωρεῖται τούτοις τὴν ὄντως πύλην τῆς ζωῆς· ἧς τὴν ἁγίαν τιμήσωμεν σύλληψιν.

Men. die VIII. Septembris Ode ς'. pag. 61. col. 1. E. *Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα ὀνειδισμοῦ ἀτεκνίας, καὶ Ἀδὰμ καὶ Εὔα ἐκ τῆς φθορᾶς τοῦ θανάτου ἠλευθερώθησαν, ἄχραντε, ἐν τῇ ἁγίᾳ γεννήσει σου.*

1) Huc enim praeterea spectant quae in Anthologio pagg. 181. col. 1. B., et 182. col. 1. A., quaeque in Menaeis die VIII. Septembris pagg. 60. col. 1. B., 63. col. 2. E. et 64. col. 2. B. plane simillima de conceptione deque Virginis nativitate frequentantur.

Digitized by Google

tandem quae subiicio: « Proferens sterilis contra spem Virginem edituram Deum in carne, laetitia exsultat, choreas agit, gaudet, magnaque voce Anna exclamat: una mecum gratulamini universae Israelis tribus: in utero gesto, *et sterilitatis opprobrio liberor*, sicuti beneficentissimo placuit Numini quod preces meas exaudivit. Exaudivit ipsorum preces, illisque impertiit veram vitae portam, *cuius sanctam honoremus conceptionem*. Ioachim et Anna infecunditatis dedecore, et Adam atque Eva corruptione mortis liberati sunt, o immaculata, *in tua sancta nativitate*. » Nisi ergo fixum sit compertissimae veritati refragari, concedatur oportet unum atque idem penes Graecos Orientalesque fuisse ac vero esse obiectum iuxta ac motivum festi, quo Deiparae conceptio et nativitas honorantur. Eo dumtaxat nomine prius festum ab altero distat, quod illud ad Virginem in sinu genitam, hoc ad eamdem ex sinu editam referatur. Nemo autem negare ausit, nativitatis festo coli editam ex sinu Deiparam gratia et sanctitate illustrem. Nemo igitur inficias [1]) vicissim eat, eo pertinere conceptionis festum ut genita in sinu Deipara atque in ipsa animatione labis exsors et splendore sanctitatis coruscans pio cultu celebretur.

1682. *Corollarium III. Ex sententia maiorumque fide haberi pro certo debet, festum conceptae Deiparae nulli esse secundum, immo eorum omnium quibus ipsius mysteria recoluntur, originem esse ac principium, cum Unigeniti vero oeconomia nostrique generis reparatione penitissime cohaerere*. Et resancvera animo reputentur monimenta quae hucusque adhibuimus, et quorum ope obiectum motivumque festi conceptae Deiparae, quo fieri accuratius poterat, definivimus. Tum quaeratur quid consequens ex iis sit atque necessario dimanet. Videlicet dimanat, festum conceptionis eo pertinere ut pie primordia celebrentur Deiparae a quovis culpae naevo soluta, victoria in serpentem relata, repressa originalis transgressionis propagatio, origo eius quae natura fuerit non irae sed gratiae Deique filia, ortus aurorae adventantem iustitiae solem praenunciantis, textura purpurae qua rex indueretur, procreatio virgae e qua flos mysticus erumperet, exstructio scalae per quam ad nostra sananda vulnera caelestis medicus descenderet, aedificatio pontis per quem

1) Quod ne Zaccaria quidem negasset, si paullo diligentius ad solemnia orientalis ecclesiae officia animum advertisset. Sed fuisse ab ipso vel penitus neglecta vel inspecta levissime, illud ostendit quod ex iisdem vix unum alterumve incisum promat, illudque non ex fontibus haustum sed ex alienis rivis deductum.

Digitized by Google

homines ad Deum remearent, signum divinae reconciliationis, et pignus quo natura nostra ad pristinum revocanda statum ostenderetur. Nihil autem hisce sanctius praeclariusve, quodque potiori iure censeatur sive cum oeconomia Unigeniti nostraque reparatione coniunctius, sive prae reliquis Deiparae festis dignius, quod illorum basis atque origo videatur.

ARTICULUS II.

De obiecto deque motivo festi conceptae Deiparae in latina ecclesia usque ad Sixtum IV: de eodem obiecto ac motivo ex Sixti IV. institutione: idoneis auctoritatum rationumque momentis efficitur, obiectum festi cultus fuisse ipsam Deiparam primum animatam, motivum vero sanctitatem qua Virginis primordia splenduerunt.

1683. Si nobis de obiecto deque motivo festi conceptae Deiparae quaerentibus, insculptum animis foret quod de maiorum conspiratione, nullo plane Latinorum a Graecis facto discrimine, viri summi Bessario nicaenus [1]) et [2]) Georgius scholarius egregiis orationibus comprobarunt; quavis prorsus difficultate solutum videri non iniuria posset, quod praesenti articulo expendendum dirimendumque suscepimus. Quum enim de obiecto deque motivo festi apud Orientales planissime [3]) constet, unitas ecclesiarumque consensio vix aut ne vix quidem ferunt, ut aliter de iisdem sensisse Occidentales existimentur. Attamen ne qui elabendi aditus iis pateat, qui non raro plus quam par esset ingeniosiores, a necessariis acute secernunt quae optioni permittuntur; dabimus operam ut quod praesensione veluti quadam tenemus, idipsum *historicis rationibus* extra omnem dubitationem positum et quavis exceptione superius ostendamus.

1684. Indubitatis itaque effecimus [4]) testimoniis, ritu usuque Occidentalium fuisse receptum ut a vetustis usque temporibus una eademque *nativitatis* appellatione utraque Deiparae origo tam *in sinu* quam *ex sinu* festis honoribus coleretur. Nemo autem est qui diffiteri ausit, festo virgineae originis ex materno sinu fuisse pro-

1) Orat. dogmat. cap. II. pag. 325. apud Harduinum T. IX.
2) Orat. III. pag. 518. ibidem.
3) nn. 1662. seqq.
4) nn. 1601. seqq.

Digitized by Google

positum, ut Deipara veluti obiectum, eiusque sanctitas gratiaeque decus veluti solemnitatis motivum haberentur. Ecquid igitur ad iudicandum pronius, quam geminum fuisse obiectum ac motivum festi, quo Deiparae in sinu exordia colebantur? Cuius firmitatem iudicii plura sunt quae tuentur valideque propugnant. Atque inprimis propugnat occasio, qua festum penes Anglos institutum perhibetur, quaeque [1]) in epistola Anselmo tributa refertur his verbis ad Helsinum periclitantem caelitus directis: « Promitte Deo et mihi, quod *diem conceptionis et creationis* matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis et celebrandum praedicabis. At ille ut prudentissimus: et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum solemnizandum tenebis. Et quo, inquit abbas, officio utemur in ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium quod dicitur *in eius nativitate*, dicetur *in conceptione*, excepto quod nomen *nativitatis* mutabitur in nomen *conceptionis*. » Propugnant [2]) quae mox vulgatus Anselmus subdit: « Et nos ergo, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis [3]) conceptionem dignis obsequiis et officiis celebrabimus, ut ab eius Filio digna mercede remuneremur. » Propugnant quae [4]) aliquot interiectis addit: « Et nos, fratres carissimi, nostra archiepiscopali auctoritate corroboramus atque praecipimus, ut nullus nostrum ita sit rebus temporalibus aut propriis delictis desperatus, quin beatae Mariae virginis conceptionem celebret annuatim. Sicut enim in sancta ecclesia eius extollitur *nativitas*, ita debet eius extolli *conceptio:* nisi enim conciperetur, numquam nasceretur. Sicut enim ad salvandum genus humanum olim fuit necessaria eius nativitas, sic fuit necessaria [5]) eius conceptio: iussu Dei [6]) concipitur et nascitur. Inde si divina ratio perspiciatur, spiritalis [7]) conceptionis eius dies maior fore approbatur, quam eius nativitatis. » Quod illico [8]) ostendens pergit: « Res enim maior exstitit, Adam a Deo creari, quam filios Adae de matre [9]) nasci: non est mirum si homo a Deo de matre nascitur. » Hinc adversus illos

1) Inter opp. Anselmi pag. 506. col. 1. A-B.

2) Ibid. pag. 506. col. 1. B-C.

3) *Conceptionem* intellige quae fuerat memorata superius et *creatio* nuncupata. Habetur autem creatio ipsa animatione, non iacto receptoque semine.

4) Loc. cit. pag. 506. col. 2. C-D.

5) Ea necessitate, qua decrevit Deus ut nonnisi carne ex Virgine sumpta Unigenitus homo fieret, atque homo factus pro nostro genere moreretur.

6) Quibus non minus una ac eadem, quam singularis innuitur ratio conceptionis et nativitatis.

7) Dicitur conceptio *spiritalis*, non ut naturali opponatur, sed ut distinguatur a conceptione seminis et insignis gratia Spiritus significetur.

8) Loc. cit. pag. 506. col. 2. C.

9) Quae ne funditus a superioribus avulsa vi-

Digitized by Google

qui forte dissiderent [1]) invectus ait: « Erubescant igitur omnino insensati qui tanta sacramenta tantaque mysteria, tenebris ignorantiae excaecati ideo respuunt celebrare, quod viri ac mulieris copulatio in conceptione Virginis exstitit. Si enim eius conceptionem idcirco quod carnalis exstitit, stultis non placet hodie celebrare; tamen diem et noctem illam dignam, quamvis multis sit incognita, et tempus et horam spiritualis conceptionis eius hodie celebrare delectet, qua ipse animarum creator *animam suae matris dignam et sanctissimam* corpori virginali eius, ministrantibus angelis, copulavit; quam etiam diem primam nostrae reparationis et salutis dispositor nostrae salvationis inter ceteros dies fecit, praeelegit et sanctificavit. » Quae ut articulatius [2]) intelligantur, idonea usus distinctione subdit: « Nam duae sunt conceptiones hominis, (hoc omnibus peritis notum est) una quae carnali copula viri ac mulieris agitur, alia qua spiritualis anima nova et pura, Deo operante, corpori divinitus adiungitur. Si non placet illis celebrare dominicae matris carnalem conceptionem, saltem placeat celebrare eius animae spiritualem creationem, corporisque cum anima copulationem. » Post quae [3]) exclamat: « O quanta est dies illa, qua nostrae reparatricis anima digna creatur et sanctificatur [4]) et sanctissimo corpori unitur! Non est enim verus amator Virginis, qui respuit colere diem eius conceptionis. » Difficultati vero occurrens [5]) ex ecclesiae moribus repetitae, inquit: « Erubescant iterum insani, qui hunc diem colere non volunt idcirco quia aliorum sanctorum conceptiones minime colere [6]) sancta consuevit ecclesia. Maxima quippe rusticitas est eam aliis sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem humanam assumpsit, quam etiam super omnes angelos et archangelos in caelis sublimavit: quamvis enim ceteris sanctis dies conceptionis eorum non sit concessum ut celebretur; illi tamen a Spiritu sancto [7]) concessum est, quae maior et excellentior cunctis est. Pulcre et digne dominationem super ceteros sanctos illa debet ha-

deantur, necesse est fateri, passivam Deiparae conceptionem cum Adami creatione conferri; adeo ut non magis haec quam illa munere gratiae claruerit.

1) Loc. cit. pag. 506. col. 2. D-E.

2) Ibid. pag. 506. col. 2. E. Haec autem aperiunt, ne minimum quidem a germana auctoris mente nos discessisse, quum rationem *spiritalis conceptionis* explanavimus.

3) Ibid. pag. 506. col. 2. E.

4) Non deterna labe qua semper caruit, sed accepta gratia qua, quum ex sese sancta non esset, instrui debuit ac divinitus sanctificari.

5) Loc. cit. pagg. 506. col. 2. E. et 507. col. 1. A.

6) Seculo igitur duodecimo non colebatur a Latinis conceptio Praecursoris.

7) Tribuit Deiparae Spiritus ut eius conceptio festis honoribus coleretur, quia eidem tribuit ut in ipsa corporis animatione gratiae fulgoribus emicaret.

Digitized by Google

bere, per quam omnes sancti sanctificantur; dicitur enim Christus sanctorum sanctus, et ipsa sanctorum sancta: et sicut sine more summus rerum dispositor super omnes sanctos et sanctas illam dignitatem illi contulit, ut Verbum carnem factum Virgo conciperet et pareret et post partum Virgo permaneret; sic ipsa prae omnibus absque more hanc dignitatem illi praebuit, ut conceptionis et nativitatis eius solemnia sacrosancta in sancta ecclesia celebrentur. »

1685. Eodem pertinent quae in tractatu de conceptione beatae Mariae virginis Anselmi nomen praeferente accurate disputantur. Sic enim auctor [1]) incipit: « Principium quo salus mundi processit mihi considerari volenti occurrit hodierna solemnitas, quae de conceptione beatae matris Dei Mariae multis in locis festiva recolitur. Et quidem priscis temporibus frequentiori usu celebrabatur ab eis praecipue, in quibus pura simplicitas et humilior in Deum vigebat devotio. At ubi et maior scientia et praepollens examinatio rerum mentes quorumdam imbuit et erexit, eamdem solemnitatem, spreta pauperum simplicitate, de medio [2]) sustulit, et eam quasi ratione vacantem, redegit in nihilum. » Argumenta deinde referens quibus conceptionis festum [3]) impetebatur, subdit: « Et hi quidem ut nulla memoria de conceptione Virginis matris in ecclesia Filii eius fiat, non sine ratione sibi videri affirmant, eo quod in nativitate illius quae ubique festive recolitur, conceptionis eius exordium [4]) satis memoretur. Nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset: et quum in lucem ex materni uteri secreto prodivit, clarum fuit quod in alvo parentis concepta in humanam formam concrevit. Quum itaque corporis eius specificata compositio et in huius mundi latitudinem exhibitio veneretur a cunctis; supervacue illa adhuc informis [5]) materia coleretur, quae in nonnullis saepe, priusquam plena in humanam effigiem transeat, deperit et adnihilatur. Hac animi sui sagacitate perfuncti quod antiquorum simplicitas et perfecta in Domina nostra constituerat caritas, festum scilicet de conceptione ipsius sacratissimae Dominae sua qua se pollere gloriabantur auctoritatis ratione, abolere non timuerunt. » Verum quo

1) Inter opp. Anselmi pag. 499. col. 1. B-C.

2) Haec paullo exaggeratius dicta sunt, commotum ostendunt animum, neque urgeri acrius possunt quin historiae contraria videantur.

3) Loc. cit. pag. 499. col. 1. C-D.

4) Quibus illud confirmatur quod crebro animadvertimus, obtinuisse in ecclesia morem ut utraque Deiparae origo communi festo honoraretur.

5) Quasi vero proprium festi obiectum una seminis conceptione contineretur? Sed ita fert contentionum ratio, ut modis omnibus deterior reddatur causa quae impugnanda suscipitur.

Digitized by Google

exitu ? Narrat auctor de simplicibus [1]) scribens: « Dicunt devota in Domini matrem caritate fundati, non magni ponderis sibi videri omne quod dignitati aut honori eius humana laude defertur, si meritis illius et insignibus comparetur. » De quibus e vestigio [2]) addit: « Verumtamen dum ipsa insignia sua, ut dignum est, devotione mundus ubique veneratur, quid sit quod supremam originem illorum non pio oculo intuetur, nonnihil mirantur. Tantorum enim bonorum consummatio quae per ipsam Domini matrem toti creaturae provenerunt, videtur admonere mentem humanam pietatis affectu exordium suum considerare. » Hinc [3]) pergit: « Abs re et contra fidem [4]) esse non aestimo, si exordium conceptionis ipsius tanti a simplicibus ecclesiae filiis aestimetur, et tam sublime tam divinum tam ineffabile fuerit, ut in illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit. Nec mirum, fundamentum siquidem et quasi quoddam seminarium [5]) civitatis et habitaculi summi boni in eo ponebatur, et mansio lucis aeternae, et templum quod corporaliter inhabitaret ille incorporeus et incircumscriptus parabatur. » Quapropter [6]) « Haec Virgo tanti filii dignissima parens quum in alvo suae parentis naturali lege conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio caelum, terram et omnia quae in eis sunt perfudisse, ac ineffabili iubilatione pro sui reintegratione, quam per illam [7]) sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? Sed quum ipsa conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primae praevaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? » Eiusmodi cogitationem longissime [8]) amandabimus « Quum nemo dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium, ac filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione fuisse destitutum. Testante vero Scriptura, *ubi Spiritus, ibi libertas;* a ser-

1) Loc. cit. pag. 499. col. 2. B.

2) Ibid. pag. 499. col. 2. B-C.

3) Ibid. pag. 499. col. 2. C-D.

4) Quae ad eum loquendi tropum referri debent, quo plus significatum volumus quam verborum cortex exhibeat.

5) His ratio effertur praerogativae, qua Virginem auctam profitemur. Ea autem ratio non aliunde quam ex dignitate divinae maternitatis depromitur. Sciscitaris cur praeter communem legem conceptio Virginis fuerit immaculata? In promptu est responsio eaque decretoria, quod scilicet conceptio fuerit matris Dei.

6) Loc. cit. pag. 500. col. 1. C-D.

7) Non debuit ergo culpae vetustati ea subesse, per quam universa hominum natura ad gratiae novitatem erat revocanda.

8) Loc. cit. pag. 500. col 1. D.

Digitized by Google

vitute igitur omnis peccati libera fuit, quae omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, Spiritus sancti praesentia et operatione construebatur. » Quibus et festi obiectum, et eiusdem motivum praeclarissime designantur. Designatur obiectum, neque aliud esse affirmatur praeter ipsam Virginem in materno sinu conceptam primum ac productam; et designatur motivum, illudque ex illustratione gratiae repetitur, qua Virgo mox in suae conceptionis exordio felicissime enituit, adeo ut [1]) « Si quid originalis peccati in propagatione eius et communis vitii exstitit, illud propagantium et non propagatae prolis fuerit. »

1686. Neque ab his diversa sunt quae ex Bernardi [2]) ad Lugdunenses epistola non perspicue minus quam necessario deducuntur. Ecquid enim abbatem sanctissimum tantopere commovit, ut conceptionis festo acerrime adversaretur? Sepositis argumentis quae ex novitate, quaeque ex romanae suffragationis defectu mutuabatur, duo potissimum erant quae urgebat validius, quibus insistebat confidentius, quaeque non aliter ac ut intentatae a se litis basim ac fundamentum proponebat. Horum alterum erat [3]), activam Deiparae conceptionem sanctam esse non potuisse: « An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta?» Alterum vero eo redibat, nullum [4]) in ecclesia festum recipi nullumque frequentari, cuius obiectum nitore sanctitatis atque gratia Spiritus non commendaretur: « Sed et ortum Virginis didici nihilominus in ecclesia et ab ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum ecclesia sentiens, in utero eam accepisse ut sancta prodiret. » Et [5]) infra: « Fuit procul dubio et mater Domini ante sancta quam nata, nec fallitur omnino sancta ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. » Quae igitur existimabimus ab assertoribus festi vindicata et pro virili defensa? Illa ipsa quae iam toties ingeminata audivimus, celebrari quidem Deiparae conceptionem sed passivam neque ab ipsa animatione diversam: idcirco autem festis honoribus decorari, quod immunis a peccati tenebris, luce iustitiae sanctitatisque refulserit. Quare quum paucis elapsis annis quaestio

1) Ibid. pag. 500. col. 1. E.
2) nn. 1649. seqq.
3) Epist. CLXXIV. n. 7. p. 171. C-D. opp.T.I.
4) Ibid. n. 8. pag. 170. A-B.
5) Ibid. n. 6. pag. 170. E-F.

recruduerit, et [1]) Petro cellensi Bernardi partes tuenti Nicolaus sancti Albani monachus pugnacissime obstiterit; eo tandem controversiae summam revocatam novimus, ut qui festum sancte retinendum esse docerent, conceptionem a culpa solutam et gratiae venustate insignem uno eodemque opere confirmarent. Quare basileensis conventus non antea de iis quae ad conceptionis festum pertinent statuendum quidquam esse existimavit, quam duo praemiserit, et *historice* quidem quae [2]) subdimus: «Hactenus perdifficilis quaestio in diversis partibus et [3]) coram hac sancta synodo super conceptione gloriosae virginis Mariae matris Dei et exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus ipsam Virginem et eius animam per aliquod tempus aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpae, aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suae Deum ipsam diligendo gratiam eidem contulisse, per quam a macula originali illam beatissimam personam liberans et praeservans, sublimiori sanctificationis genere redemit, quum fundaret eam Altissimus ipse, et ipsam fabricaret Filius Dei Patris ut esset mater eius in terris.» Docendo autem et magisterii partes explendo, quae [4]) sequuntur: «Nos vero, diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus quae iam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac sancta synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis et matura consideratione pensatis; doctrinam illam asserentem gloriosam virginem Dei genitricem Mariam, praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse [5]) ab omni originali et actuali culpa, sanctamque

1) nn. 1657. seqq.

2) In decr. edito sess. XXXVI. an. MCDXXXIX.

3) De curis impensisque studiis in basileensi conventu adhibitis ut veritas de conceptione Virginis deprehenderetur, abunde testantur tum *septem allegationes et totidem avisamenta pro informatione patrum concilii basileensis circa sacratissimae virginis Mariae immaculatam conceptionem*, auctore Iohanne segoviensi accademiae salmanticensis ad synodum oratore, tum quae Henricus Spondanus in contin. annal. ecclesiast. ad an. MCDXXXV. n. 12. pag. 835. T. I. litteris consignavit. Quare non possum non suffragari Bellarmino qui de hoc decreto scribit lib. IV. de amiss. gratiae cap. XV: «Tametsi certam fidem non faciat ut concilium oecumenicum; tamen ex eo facile potest intelligi, multos ecclesiae doctores ex variis provinciis congregatos ita sensisse.» Quibus similia antea scripserat Ambrosius Catharinus in disput. pro verit. immac. concept. ad sanctam synodum trident. pag. 70. inquiens: «Etsi non fuerit eo tempore ibi auctoritas synodi, erat tamen auctoritas virorum doctorum ac sapientium. Nec parvi est momenti concilium illud, quod ad hanc determinationem attinet, a nonnullis nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum, non reclamante summo Pontifice et sede apostolica minime reprobante.»

4) Loc. cit.

5) Digna est animadversione ratio loquendi, qua utraque immunitas a peccato originali et actuali coniungitur, eodemque modo tenenda proponitur. Huc certe facit maiorum traditio de Deiparae innocentia: neque aliud patitur quod de nexu inter contractum originis peccatum levesque culpas admissas constanter affirmatum legimus.

Digitized by Google

et [1]) immaculatam; tamquam [2]) piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et Scripturae ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam definimus et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere. » Quibus praestitutis continuo Basileenses [3]) pergunt: « Renovantes praeterea institutionem de celebranda [4]) sancta eius conceptione, quae tam per romanam quam per alias ecclesias sexto idus Decembris antiqua et laudabili consuetudine celebratur; statuimus et ordinamus eamdem celebritatem praefata die in omnibus ecclesiis, monasteriis et conventibus christianae religionis sub nomine conceptionis festivis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus vere poenitentibus et confessis ea die Missarum solemniis, centum, primis autem vel secundis Vesperis, totidem, sermoni vero verbi divini de ea festivitate interessentibus, centum quinquaginta dies concessione perpetuis temporibus duratura de iniunctis sibi poenitentiis haec sancta synodus largitur. »

1687. Quaerentibus igitur quodnam fuerit penes Latinos obiectum festi ad medium usque seculum decimum quintum, respondendum est non aliud fuisse ab ea conceptione qua primum Virgo exstitit, parque fuit ut Deo accepta vel invisa redderetur. Quaerentibus autem quae tandem caussa quaeve ratio ad huius festi cele-

1) Ex his assequimur, *immaculati* appositum adhiberi consuevisse ut Deipara cuiusvis nescia labis tam originalis quam actualis declararetur.

2) Declarat synodus doctrinam de immunitate Deiparae ab originali peccato amplectendam esse *tamquam piam;* atqui non alio quam *piae sententiae* titulo ipsam ornat Alexander VII. Declarat synodus haberi illam oportere *cultui ecclesiastico* consonam; atqui de hoc concentu testes sunt locupletes Alexander VII., Gregorius XV. et Sixtus IV. Declarat synodus illam merito consonam censeri *fidei catholicae, rectae rationi et sacrae Scripturae;* atqui huc redit decretum tridentinum quo patres edicunt suae intentionis non esse amplitudine propagati originalis peccati ipsam quoque comprehendere *beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem:* et huc redeunt quaecumque omnia romani praesules ad Pium usque IX. gesserunt, ut sententiam de immaculatis Deiparae initiis promoverent. Declarat synodus *nulli de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere;* atqui idipsum multo decreverunt solemnius Paulus V., Gregorius XV. et Alexander VII. Tandem iniungit synodus ut festum *sub nomine conceptionis* colatur, et fideles ad eum cultum erogatis indulgentiis inflammat; atqui nihil horum est quod Sixtus IV., Gregorius XV., Alexander VII. et Clemens XI. non multo uberius praestiterint. Quidquid ergo a basileensi conventu declaratum fuit, id deinceps summa auctoritate munitum firmatumque constat.

3) Loc. cit.

4) Nolo hic praetermissa quae habentur *in via pro pace sanctae matris ecclesiae* manifestata Iohanni de Varennis apostolici palatii causarum auditori *die beati Dionysii IX. Octobris, eius durante Missa, et in scriptis illa die redacta, anno Domini MCCCXCV.*, et ab eodem proposita Benedicto XIII. ut quam primum exequutioni mandaretur. In ea namque praeter cetera legimus n. 18. pag. 580. C-E. apud Martenium vett. scriptt. T. VII. « In dubium et ex causa non revoco, quin pacem consequamur ecclesiae ad preces miraculosae praecelsae Dei genitricis Mariae. Idcirco dominus noster una cum suo sacro collegio, ut nostri erga Filium suum gloriosum benignius misereatur, vovere dignetur pro pace habenda, quod ecclesia universaliter festum deinceps *suae sanctissimae* celebrabit *conceptionis* una cum octavis: et votum huiusmodi, si placet, in processione in curia compleat solemni, antequam ad concilium *(pisanum)* accedat memoratum. »

britatem illos impulerit, haec una suppetit responsio, quod iidem existimarint Deiparae conceptum [1]) fuisse *praeclarum, felicem, sanctum, mundo gratum, Deo carum, gloriosum, gloria novi miraculi insignem, super omnes alios magnificentius decoratum, et cum conceptu Filii ea qua decet proportione componendum.* Vel ut idipsum diversis paullo verbis efferamus, quod existimarint [2]) effulsisse Mariam uti *sidus salutare*, germinasse uti *florem de spinis spina carentem*, uti *gloriam spineti*, uti *rosam sine spinis*, quamquam *ex acutis obortam spinis*, atque uti *virgam ex radice vitiata sine vitio prodeuntem*. Quod vetus auctor [3]) commemorata protoparentum transgressione testatur inquiens: « Sic ergo genus humanum, quasi unam arborem adhuc in radice teneram, tamquam in propaginis prole prodiret, auctor mortis vitiavit. Inde est ergo quod radix vitiata quotidie indesinenter frondet, frondesque eius indesinenter per mortem marcescunt: et saepe contingit quod aurum fulgens reperiatur in luto, et ex pungenti spina, pulcra rubens oriatur et rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitiata sine vitio prodiit virga, quae intelligitur beatissima virgo Maria. » Hanc [4]) enim « Per Spiritum sanctum praeparavit sibi Dominus matrem, quae praecessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem. » Etsi vero nolim plura ex superioribus re-

1) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 212.

» O quam felix, quam praeclara,
» Mundo grata, Deo cara
» Fuit haec conceptio:
» Qua salute destitutis
» Redit vere spes salutis,
» Luctus cedit gaudio.

Missal. mozarab. in concept. beatae Mariae virginis T. II. pag. 414., ubi Deiparae conceptio saepius *gloriosa* appellatur. Eodem haec pertinent pag. 415. col. 1. C. « Virgo Dei genitrix Maria, cuius hodie veram conceptionem celebramus, quaesumus indigni et peccatores, ubi est novi miraculi gloria, beatiores quandoque mereamur attolli. Roget, quaesumus, ibidem pro nobis dignitas tui pudoris, quae te de terris ineffabiliter sumpsit in caelos. » Tum haec ibidem pag. 415. col. 1. D. « Domine Iesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque conceptionis eius gratia eam coram te suffragatricem incomparabilem invenimus indigni; quaesumus divinitatis tuae clementiam, quatenus per obtentum illius beatissimae genitricis emundati ab universis contagiis audeamus exclamare et dicere e terris, *Pater noster qui es in caelis.* » Engelbertus abbas in tract. de gratiis et virtutt. beatae Virginis P. IV. cap. I. pag. 697. apud Pezium anecdott. T. I. P. I. Wicboldus autem clarus seculo VIII. in quaestt. in Octateuchum p. 351. col. 1. D-E. apud Martenium vett. scriptt. T. VII. sic habet: « Nam corpus Christi quamvis ex carne feminae sumptum sit, quae de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia sic ex ea conceptus est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. » Verum quid sibi volunt verba, *quia sic ex ea conceptus est, quomodo fuerat illa concepta*? Non hoc certe, Deiparam ex virgine atque Spiritus obumbrantis virtute fuisse conceptam, quemadmodum ex Virgine ac Spiritus virtute conceptum Christum profitemur. Restat itaque ut hoc significent, utriusque tam matris quam filii conceptum fuisse a noxa immunem atque innocentiae candore excelluisse.

2) Thesaur. hymnolog. T. II. pagg. 82-92-211.

» Caeli regem attollamus,
» Et in voces erumpamus
» Laudum per cantica:
» Qui per Annam radiare
» Sidus fecit salutare
» In matre deifica.

Sedulius in carm. pasch. lib. II. §. I. vv. 28-31. pag. 548. col. 1. A-B. apud Gallandium T. IX.

3) Serm. XII. de s. Maria pag. 384. col. 2. D-E. in collect. pp. toiet. T. I.

4) Ibidem serm. XI. in Deiparae nativit. p. 384. col. 1. A-B.

Digitized by Google

censere, neque recensere idcirco velim quae [1]) ex monimentis cremonensibus, quaeque [2]) ex hymno Ambrosii nomine inscripto in medium attuli; non possum tamen quin ex canticis a seculo XII. ad XV. in festo conceptionis adhibitis potiora saltem commemorem. En igitur quae [3]) frequentata legimus:

» Salve mundi domina
» Et caeli regina,
» Mater Dei integra,
» Rosa sine spina.
» Ave cuius conceptio
» *Solemni plena gaudio.*
» Sit tua conceptio
» *Nostra medicina*,
» Et tua nativitas
» Via matutina,
» Caelestia, terrestria
» Nova replet laetitia.

Et [4]) rursum:

» Aurora lucis oritur,
» Conceptio recolitur
» Mariae, quae Verbigenae
» Vas est provisae gratiae.
» Ut femina diluerct
» Quod femina polluerat,
» A labe haec originis
» Praeservabatur criminis.

» Ave decus virginum,
» Ave iubar aethereum,
» Nobis praesens solemnitas
» Adsit perpes iocunditas;
» Tua namque conceptio
» Summis est gratulatio.

» Gaude fidelis concio,
» Adest eius conceptio,
» Quae delet Evae maculam,
» Vitae redonat infulam.
» Cui Eva obedivit,
» Haec serpentis caput trivit,
» Quae nobis fructum attulit,
» Famem qui nostram depulit.

Ad [5]) haec:

» Conceptus hodiernus
» Mariae semper virginis
» Naevum tergit, nexum solvit
» Vetustae originis,
» Maestis reddit laetitiam,
» Dat criminosis veniam.
» O quam larga te perfudit,
» Virgo, benedictio,
» Qua deletur, quam induxit
» Eva, maledictio:
» Intende nostris laudibus
» Beata in mulieribus.

» Gaude mater ecclesia
» Nova frequentans gaudia,
» Lux micat de caligine,
» Rosa de spinae germine.

1) n. 1611.
2) n. 1609.
3) Apud Mone T. II. pagg. 4-5.
4) Ibid. pagg. 7-8.
5) Ibid. pagg. 11-12.

Digitized by Google

Accedunt quae [1]) subdimus :

» Festum originis
» Canat ecclesia
» Beatae Virginis
» Magnaque gaudia,
» Mens et vox concinant,
» Devote iubilent
» Almae matri dignissime.

» Cuius conceptio
» Vitae primordium
» Et generatio
» Castum exordium
» Praebent, clarificant
» Animas, desponsant
» Christo sponso castissime.

» Conceptio Mariae virginis,
» Quae nos lavit a labe criminis,
» Celebratur hodie,
» Dies est laetitiae.
» De radice Iesse propaginis
» Hanc eduxit sol veri luminis
» Manu sapientiae,
» Suae templum gloriae.

» Stella nova noviter oritur,
» Cuius ortu mors nostra moritur,
» Evae lapsus iam restituitur
» In Maria.
» Ut aurora surgens progreditur,
» Velut luna pulcra describitur,
» Super cuncta ut sol erigitur
» Virgo pia.

Quibus haec insigniter [2]) respondent :

» Ave dies fulgentior
» Prae aliis et clarior,
» In qua omnibus purior
» Concipitur mundius.

» Radix Iesse virgula
» Nunc oritur, ut gemmula
» Ex sapphiro, puerula,
» Carbunculo sanctius.

» O Maria sanctissima,
» Creatura purissima
» Ab omni contagio!

» Templum Dei fecisti
» Et naturam contulisti
» Creatoris filio.

1688. Iamvero [3]) Sixtus IV. constitutione edita III. kal. Martii an. MCDLXXI. instituit et suprema apostolicae cathedrae auctoritate ratum esse decrevit illud ipsum conceptionis festum, quod in plurimis Occidentis ecclesiis iampridem usu invaluerat, piaque consuetudine frequentabatur. Quod quidem quum adduci in controversiam nequeat, utpote indubiis [4]) historiae monimentis comprobatum; verbis praeterea ostenditur quibus Pontifex significat *dignum quin potius debitum sibi videri* « Ut universi Christifideles omnipo-

1) Ibid. pagg. 20-23.

2) Ibid. pag. 25.

3) De obiecto deque motivo festi quod Sixtus instituit, agunt praeclare Gregorius de Valentia T. IV. disput. XI. q. I. puncto II., Nierembergius de perpetuo obiecto festi conceptionis cap. XI, Fassarius in app. pro conceptione et Benedictus Plazza op. cit. act. III. art. II. nn. 224. seqq. pagg. 281. seqq.

4) Ad haec historiae monimenta provocat Thyrsus Gonzalez in op. de concept. disputat. II. sect. VI. nn. 50. seqq.

Digitized by Google

tenti Deo de ipsius immaculatae Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei ecclesia missas et alia divina officia dicant et illis intersint. » Nihil autem ex iis quae praestituimus exploratius quam ante Sixtum IV. obtinuisse, ut non alia conceptio celebraretur nisi quae foret [1]) cuiusvis expers labis ac funditus immaculata. Hanc igitur celebrationem atque hoc conceptionis festum Pontifex instituit, summoque auctoritatis pondere communivit. Sane ex historia controversiarum seculi XV. certissime novimus, illos non admodum multos qui a sententia de immaculatis Deiparae primordiis abhorrebant, celebrasse quidem die VIII. Decembris eiusdem festum, sed insigne titulo [2]) *sanctificationis* non *conceptionis*. At cur? Quod viri sagaces probe intelligerent, frequentari *conceptionis* festum non potuisse, quin prima Deiparae origo labis expers celebrata videretur. Atqui Sixtus instituit, erogatisque indulgentiis festum promovit non alio quam titulo *conceptionis* insigne atque distinctum. Voluit ergo ut pia festi celebritate immaculata Deiparae initia colerentur. Profecto in ea constitutione quam edidit pridie nonas Septembris anno MCDLXXXIII. legimus: « Cum sancta romana ecclesia de intemeratae semperque virginis

1) Hoc quod pluribus ostendimus, praeterea liquet tum ex antiquis Breviariis, tum ex eo quod si sola fuisset celebrata sanctificatio, neque Bernardus ecclesiam lugdunensem reprehendisset, neque veteres aliquot scholae theologi animum in eiusmodi festum non satis propensum significassent, quum de sanctificatione Virginis nullus umquam catholicus dubitarit, illamve cultu sacro indignam duxerit.

2) Qua de re praeter antiqua Breviaria testantur abunde Cathariuus et Caietanus, etsi in diversas oppositasque sententias abierint. Prior enim sic habet in disput. pro imm. divae Virginis concept. lib. III. pag. 64: « Nolo tamen latere quemquam, etsi nostri celebrent in Italia *de sanctificatione*, nihil tamen contrarium veritati eos celebrare; quod multi nesciunt. Non enim repugnat conceptioni immaculatae sanctificatio, quae tanto melior in ea fuit quanto fuit conceptio mundior, ut superius declaratum est. Verum est tamen quod celebritas *conceptionis* magis exprimit praeservationis praerogativam, quum sanctam fuisse conceptionem illam significet et sine peccato, eo quod ab ecclesia coram Deo non celebretur nisi res sancta, ut beatus Thomas et alii recte testantur. Hoc autem non exprimit vox ipsa sanctificationis, licet nec repugnet, quod et valide notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendacium et contrarium celebrationi conceptionis. Quod si esset, minime esset ferendum, nec Spiritus sanctus hoc permitteret in cultu Dei: unde recte beatus Thomas docuit, ecclesiarum consuetudines in cultu divino in nullo repugnare veritati, et ideo servandas esse, quas praeterire etiam illicitum esse ostendit. Superflue tamen sanctificatio beatae Virginis celebraretur, nisi sublimius quidpiam haberet quam illa Iohannis baptistae. Nam in ipsa celebratione nativitatis eius subintelligeretur, ut antiqui doctores sapienter interpretabantur, quando non erat festum sanctificationis, quod satis recens est. » Succedit Caietanus qui in opusculo de concept. cap. V. sensum enarrans, quo festum *sanctificationis* a nonnullis frequentaretur, ait: « Constat, quod a quibuscumque catholicis celebretur hoc festum, celebratur ratione sanctificationis beatae Virginis in utero matris, sive illa sanctificatio fuerit praeveniens et quasi praeoccupans peccati originalis actualem incursum, sive fuerit mundans ab originali iam contracto. » Quae quidem post editas Sixti constitutiones accipi sic debent, ut celebrantibus festum sanctificationis licuerit animum revocare a sanctificatione praeservante vel a contracta culpa liberante, nullatenus tamen integrum fuerit sanctificationem *positive* intelligere quae labem in animatione susceptam altaro veluti momento deterserit. Hoc enim, uti Salmeronius notat in epist. ad Rom. V. disput. 52. pag. 478. opp. T. XIII. *esset schisma horrendum et intollerabile.*

Mariae conceptione publice festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit, nonnulli ut accepimus diversorum ordinum praedicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt et quotidie praedicare non cessant, omnes illos qui tenent aut asserunt eamdem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare vel esse haereticos: eiusdem *immaculatae conceptionis* Officium celebrantes, audientesque sermones illorum qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. » Ubi orationis serie ductuque efficitur, memoratas praedicatorum censuras idcirco reiici aperteque damnari, *quod publico solemnique festo de intemeratae semperque virginis Mariae conceptione in sancta romana ecclesia celebrato* adversarentur. Ecquod igitur festum romana ecclesia celebrabat? *Sanctificationis* ne, qua Virgo in materno sinu delitescens ab originali culpa fuerit mundata? Nihil minus, quando hoc *sanctificationis* festum ipsimet praedicatores celebrarent, neque eorumdem praedicatio huic festo ullatenus opponeretur. Celebrabat ergo romana ecclesia [1]) festum *conceptionis*, solemnemque cultum propterea conceptioni deferebat, quod hanc a quavis labe integram solutamque arbitraretur. Quare quum duplex hominis conceptio secerni non incommode queat, altera *propria, naturalis et personalis*, qua primum infusa in corpus anima persona exsistit: et altera *metaphorica, spiritualis et supernaturalis*, qua per iustificantem gratiam homo regeneratur, Deique filius adoptione constituitur; Sixtus IV. constitutione quam tulit anno MCDLXXXII. in eos omnes gravissime animadvertit « Qui affirmare praesumerent, sanctam romanam ecclesiam de spirituali [2]) dumtaxat conceptione et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare. » Quum igitur dempta spiritali supernaturalique conceptione a sanctificatione minime distincta, nulla sit reliqua praeter conceptionem naturalem

1) Si enim romana ecclesia instituto festo non celebrasset personalem Virginis conceptionem sed illius dumtaxat sanctificationem, perperam Pontifex ex festo ab ecclesia romana instituto argumentum sumpsisset quo audaciam concionatorum convinceret ac damnaret. Ipsi enim non improbabant colentes sanctificationem sed personalem conceptionem; atque adeo nisi hanc coluisset romana ecclesia, nihil adversus eius festum iidem pronunciassent. Evidens igitur est, eo spectasse romanam ecclesiam ut personalem coleret Deiparae conceptionem, in cuius cultum tum illi praepostere debachabantur.

2) Scite adhibetur particula *dumtaxat*, siquidem romana ecclesia utramque simul conceptionem, sed tempore cohaerentem ac indivisam veneratur. Sicut enim veneratur conceptionem personalem tamquam obiectum; ita eeu causam rationemque veneratonis habet conceptionem spiritalem cum priore consertam ac penitissime devinctam.

Digitized by Google

et personalem quae animatione continetur; plane consequitur eatenus reprehendi a Pontifice errorisque illos damnari potuisse *qui affirmare praesumerent, sanctam romanam ecclesiam de spirituali dumtaxat conceptione et sanctificatione Virginis gloriosae festum celebrare,* quatenus sancta romana ecclesia conceptionem pariter naturalem personalemque festis obsequiis prosequeretur. Comperto autem obiecto, de motivo festi eoque ex sanctitate personalis conceptionis repetito ambigere nullatenus licet; de hoc enim testantur praecedentia, eaque rursum testantur quae passim occurrunt in officio conceptionis *iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem magistri Leonardi de Nogarolis ordinato,* et Sixti auctoritate recepto. In eo siquidem [1]) legimus: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adae. » Legimus [2]): « Immaculata conceptio est hodie sanctae Mariae virginis, cuius innocentia inclita cunctas illustrat ecclesias.» Itemque [3]) legimus: « In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti.» Et [4]) rursus: « Immaculatam conceptionem virginis Mariae celebremus, Christum eius praeservatorem adoremus Dominum. » Ad [5]) haec: « Dominus custodit te ab omni malo, Maria, custodivit animam tuam, introitum tuum, et exitum tuum in seculum. » Praeterea [6]): « Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa. Quae neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est. Hanc quam tu despicis, Manichaee, mater mea est, et de manu mea fabricata. Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi. Haec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit. » Ac [7]) tandem: « Deus qui per imma-

1) Antiph. ad Vesperas.
2) Post hymnum.
3) Post hymnum, sed per annum.
4) Invitat. ad Matutinum.
5) Antiph. ad Laudes.
6) Antiph. in secundis Vesperis. De argumento autem ex officio desumpto sic habet Bernardinus de Bustis in Mariali P. I. serm. III. P. III. pag. 40: « Cum Papa sit Christi vicarius et gerat vicem Dei in terris, ex quo sequitur quod habet plenitudinem potestatis, et illud quod facit, praesumitur facere auctoritate Dei; ideo ipso approbante aliquid, et nos approbare debemus. Immo ipsius sententiae magis est standum, quam sententiae totius mundi. Cum igitur summus Pontifex approbaverit officium immaculatae conceptionis per me editum, et illud quod edidit dominus Leonardus Nogarolus protonotarius, in quibus officiis sine originali peccato concepta praedicatur; et non solum approbaverit sed etiam dederit illas omnes indulgentias dicentibus vel audientibus celebrari officium conceptionis, quae umquam ab aliquibus summis Pontificibus sunt concessae in officio corporis Christi, ut patet per Bullam authenticam; sequitur concludendum, quod omnes fideles debent praedictum festum conceptionis celebrare. Papa enim approbando officium conceptionis et instituendo festum eiusdem, consequenter ex hoc determinavit ipsam Virginem sine peccato conceptam, quia ut ait Bernardus in epist. ad Lugdunenses, non erit festivitas conceptionis, nisi sanctus asseratur qui conceptus. »
7) Orat. ad Vesperas et ad Laudes, ad quam Catharinus animum advertens scribit in disput. de

culatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas.» E quibus expeditum est ita demum inferendo concludere. De obiecto deque motivo instituti festi argumentum ducitur luculentum iuxta ac peremptorium ex officio, quod ad illud celebrandum selectum fuit, atque institutoris auctoritate nutuque probatum. In eiusmodi autem officio disertis verbis ingeminatisque sententiis declaratur, obiectum festi aliud non esse a naturali personalique Deiparae conceptione, eiusdem vero caussam motivumque ex praerogativa repeti, qua personalis Deiparae conceptus integer ab hereditaria labe, splendore sanctitatis gratiaeque ornamentis eminuit. Suffragio itaque Sixti pontificis, sedisque apostolicae auctoritate comprobatum manet, festum conceptionis ex sua institutione eo spectasse, ut naturalis personalisque Deiparae conceptio propter consertam cohaerentemque sanctitatis praerogativam festis honoribus coleretur.

imm. concept. lib. II. pag. 56: « Quae certe oratio si mendacium contineret, etiam diram precationem haberet; videlicet ut ita nos mundi accedamus ad Deum, sicut illa conceptio sine labe. Sed illa non sine labe, ut volunt; ergo id precatur ecclesia eo die, ut ipsa immunda perveniat ad regnum, quod est blasphemia: quum nihil coinquinatum intrare possit. Quis enim ferat (ut in concilio milevitano dixit Pontifex decernens contra Pelagium) orantem ad Deum mentiri? Quanto autem horribilius orantem dira precari aut blasphemare?» Ceterum de priore Sixti constitutione haec scite notat Antonius Gravois op. cit. art. VI. n. 76: « Primo ad universalem ecclesiam ipsam dirigi. Secundo *miram* ibi vocari a summo Pontifice immaculatae Virginis *conceptionem*, quae *mira* non esset, si cum originali peccato fuisset. Tertio *instituta in Dei ecclesia* pro gratiis et laudibus de eadem conceptione Deo referendis, *missam et divina officia* vocari, in quibus decantatur: *Deus qui per* etc. Quarto tandem non solum *dignum sed* et *debitum* reputari *universos christifideles* invitare, ut eadem officia et missam recitent, aut eis intersint. Ni *debitum* reputavit Sixtus, *fideles invitare* ad recitationem dicti officii, vel ad assistendum eiusdem recitationi; *debitum* viceversa reputaverunt iidem fideles dictae invitationi morem gerere. Sciebant enim quod si iuxta vulgare axioma, preces vel exhortationes principum veluti expressa mandata recipienda sunt; hoc praesertim locum habere debet cum agitur de invitatione a Iesu Christi vicario et eiusdem Christi nomine ac auctoritate peracta *omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confiso*; de invitatione quae respicit gloriosae Virginis Deiparae celebriorem cultum: et de invitatione cui obtemperando, *divinae gratiae fiebant aptiores*, easque lucrabantur indulgentias quas usque tunc in sola corporis Christi festivitate et per eius octavam consequuti fuerant.»

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De obiecto deque motivo festi conceptae Deiparae a Sixto IV. usque ad concilium tridentinum: ostenditur obiectum semper fuisse naturalem personalemque Deiparae conceptionem, motivum vero sanctitatem cum ea cohaerentem: de Pii V. et Gregorii XV. decretis eodem spectantibus: de constitutione Alexandri VII., qua festi obiectum motivumque tanta perspicuitate definiuntur, ut nullus sit reliquus ambigendi locus: de insequutis temporibus ad Pium usque IX: concluditur neque aliud festum in romana ecclesia fuisse umquam receptum, nisi quo personalis Deiparae conceptio propter consertam cum ea sanctitatem coleretur, neque affirmari quidquam verius posse, quam in id romanam ecclesiam incubuisse, ut Virginis conceptionem immaculatae titulo decoraret.

1689. Annales ecclesiastici a Sixto IV. festi institutore ad indictam usque habitamque tridentinam synodum duo perspicue demonstrant, quorum alterum est, nullam hoc annorum spatio inductam fuisse festi mutationem, alterum vero Pontifices qui [1]) Sixto successerunt, sedulam dedisse operam ut lata ab illo decreta sanctissime custodirentur. Haec autem simul iuncta probant, quod sicuti institutum a Sixto festum eo pertinebat, ut personalis Deiparae conceptio propter sanctimoniam qua excelluit, pie coleretur; ita quod constanter eodem pertinuerit festum ad tridentinam usque synodum frequentatum. Cui veritati confirmandae egregie conducit officium immaculatae conceptionis, quod in Breviario monialium conceptionis habetur. Etenim,[2]) Innocentius VIII. ea Bulla qua hunc ordinem adprobavit, nominatim edixit ut moniales *per totum annum horas canonicas maiores et officium divinum de huiusmodi conceptione* recitare deberent, exceptis dumtaxat aliquot diebus in quibus [3]) tamen *horas minores et officium parvum eiusdem beatae Mariae cum antiphonis, versiculis, capitulis et orationibus de eadem conceptione* nullatenus praetermitterent. Porro Iulius II. regulas ordinis [4]) confirmans, tam officii conceptionis quam monia-

1) Hos inter numerari debet Alexander VI. qui constitutione edita VIII. kal. Martii an. MDII. prorsus cavit, ne Sixti decreta ullatenus violarentur.

2) Edidit Innocentius hanc Bullam prid. kal. Maii anno MCDLXXXIX.

3) Statuit igitur Pontifex ut singulis anni diebus quamquam solemnissimis, atque adeo perpetuo, immaculata conceptio in officio divino ab hoc religioso ordine coleretur: rarissimo sane conceptionis privilegio, quum aliquid simile de nullo mysterio, sanctove ab apostolica sede concessum reperiamus.

4) Constitut. quam edidit XV. kal. Octobris anno MDXI.

lium Breviarii meminit his verbis: « Omnibus autem festis simplicibus et dominicis non primo ponendis dicent officium conceptionis cum commemoratione dominicae secundum formam Breviarii ad hoc illis deputati. Minus autem officium conceptionis dicent secundum quod sibi moris est. » Iamvero quum in eiusmodi officio nihil desideretur eorum quae in vetustiore a Leonardo de Nogarolis edito usurpantur, praeterea [1]) Virgo dicitur *in nullo maculata*, de ipsa additur, *sine labe totali est eius generatio et absque originali. Maria ergo etsi communicat aliquibus aerumnis Evae, non communicat contrahendo peccatum. Diligunt praecordia mea sanctam conceptionem tuam. Cuius beatam conceptionem colimus*, et *cuius gloriosam conceptionem veneramur*. Ac postremo sic Deus exoratur: « Deus, qui beatae Mariae genitricis tuae carnem ita praeservasti, ut eius animam sacratissimam nullo prorsus contagio naturae foedaret. » Et rursum: « Ut qui purissimae conceptionis virginis Mariae matris eius commemorationem colimus. » Neque praeteriri silentio debet Breviarium a Quignonio elucubratum et Pauli III. auctoritate [2]) editum, in quo conceptionis officium idem praefert invitatorium eamdemque orationem, quae in officio Sixti IV. continentur, ac hosce praeterea habet versiculos: *tota pulcra es Maria, et macula originalis non est in te*. Constat igitur de obiecto deque motivo festi ad tridentinam usque synodum celebrati: quemadmodum enim illud fuit vera personalisque Deiparae conceptio, ita hoc immunitate ab hereditaria labe et ornamento originalis sanctitatis continebatur.

1690. Quid vero tridentina synodus? Ad calcem decreti [3]) de peccato originali, quo universalem eiusdem propagationem docuerat, haec adiicienda esse [4]) existimavit: « Declarat tamen haec san-

1) Videsis Fer. III. in respons. IV., antiph. III. secundi nocturni, lect. VI., lect. V. Feriae V., antiph. III. ad laudes, antiph. ad *Benedict.* et orationem. De hoc autem Breviario sic habet Alva in regesto authentic. pag. 142: « Breviarium immaculatae conceptionis virginis Mariae adprobatum et confirmatum a quatuor summis Pontificibus, Sixto IV., Innocentio VIII, Alexandro VI. et Iulio II., Toleti anno MDVIII. In oratione, *ut qui purissimae conceptionis virginis Mariae matris eius commemorationem colimus*. Ad laudes antiph. III., *cuius beatam conceptionem colimus*. Ad Benedictus antiph., *virgo Maria cuius gloriosa conceptio*. Feria secunda, *lectio prima desumitur ex concilio basilensi*. Feria sexta respons. III., *cuius immaculata conceptio miraculis coruscat*. »

2) In epist. nuncupatoria ad Paulum III. ita scribit Quignonius: « Breviarium romanum nuper a nobis felic. record. Clementis VII. Pontificis maximi hortatu et mandato confectum, tuaque voluntate, sanctissime Pater, editum. » Neque illud omitti debet, a Paulo III. constitut. edita anno MDXLVIII. *decet romanum Pontificem*, approbatum fuisse Breviarium ordinis humiliatorum, in quo sequens habetur oratio: « Omnipotens sempiterne Deus, qui per conceptionem beatae Mariae virginis mundum per Evam perditum salvare voluisti. »

3) Latum fuit hoc decretum sess. V. anno MDXLVI.

4) De hac vero additione, deque propensis patrum studiis in sententiam qua Virgo a labe origi-

Digitized by Google

cta synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. » Non minus ergo concilium probavit quae in Sixti constitutionibus probantur, quam reiecerit et damnaverit quae in iisdem reiiciuntur atque damnantur. Quemadmodum vero Sixtus probavit institutionem festi, probavit eiusdem officium, ac probavit ut ad piam solemnemque festi celebrationem erogatis indulgentiis fideles cierentur; ita eos damnavit ac reiecit qui affirmarent *spiritalis dumtaxat conceptionis festum a romana ecclesia frequentari, mortaliter peccare et esse haereticos, qui Virginem sine originali peccato conceptam tenerent*, ac tandem *alicuius peccati reatum eos incurrere, qui festum conceptionis celebrarent quique concionibus interessent, in quibus beata Virgo in sua conceptione immaculata praedicaretur*. Haec igitur omnia tridentinum concilium innovans Sixti constitutiones rata habuit, fixaque esse decrevit. Quare nil mirum si festum conceptionis eo ritu pie celebravit, quem Sixtus instituerat: et nil mirum si non antea ad innovandas Sixti constitutiones animum adiecit quam praestruxerit *non esse suae intentionis comprehendere in decreto ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem*. Et qui fieri poterat ut suae intentionis esset illam [1]) comprehendere, quum propositum eidem foret Sixti constitutiones innovare, proindeque festum immaculati conceptus recipere suo-

nali eximitur, iuverit contulisse acta ipsius concilii scripta ab Angelo Massarello concilii secretario, et Iohanne Curtenbroche anglo, qui concilio interfuit, apud Martenium scriptt. vett. T. VIII. pagg. 1096-1097.

1) Non possum non animadvertere verbis concilii dumtaxat dici, *non esse suae intentionis comprehendere*, nullatenus vero addi, *non esse suae intentionis excipere*. Hac enim loquendi ratione innuit non obscure concilium, a sua intentione alienam esse *comprehensionem*, non item *exceptionem*. Profecto si ita decrevisset, *non esse suae intentionis comprehendere in decreto ubi de peccato originali agitur beatam et immaculatam virginem Mariam, aut eam excipere*, ex aequo aneeps esset in utramque partem, in neutram inclinaret, tam negantem quam affirmantem aeque a definitione diuitam ostenderet, nihilque praeterea significaret quam utramque sub iudice relinqui. Quum vero *comprehensionem* tantum non item *exceptionem* a sua intentione abhorrere declaret, animum liquido praefert in sententiam negantem propensum, quamvis illam non definiat, innuitque si decernendum quid esset, *exceptionem* non *comprehensionem* esse decernendam. Diffiteris? Finge itaque concilium ita pronuntiasse, *non esse suae intentionis excipere a decreto de peccato originali immaculatam Virginem*. Fallor, aut continuo clamoreu actum esse de sententia negante, contenderesque parum aut nihil ab invicem distare, *non esse suae intentionis excipere*, et *esse suae intentionis non excipere*. Disce igitur concilium plurimum favere sententiae neganti: disce falsum esse, eo dumtaxat suis verbis spectasse ut utramque partem in medio relinqueret: disce denique non definivisse quidem concilium conceptionem immaculatam, definitioni tamen viam complanasse, et negantem sententiam aienti praetulisse. Sed de his alibi accuratius.

que suffragio tueri ? Eo igitur innovatis Sixti constitutionibus tridentina synodus spectavit, ut quae de obiecto deque motivo festi fuerant stabilita, iterata declaratione [1]) roborarentur.

1691. Porro quum ab anno MCDLXXVI. ad annum MDLXVIII, et a Sixto IV. ad Pium V. invaluerit ut conceptionis festum [2]) ea missa eoque officio celebraretur quae Sixtus probaverat, quaeque Leonardus de Nogarolis composuerat; Pius ut partes a tridentina synodo [3]) romanis pontificibus demandatas expleret, constitutionem [4]) edidit de reformando Breviario romano et missa officioque antiquatis [5])

1) Sua namque declaratione non modo festum conceptionis a Sixto institutum confirmat, sed etiam ostendit festum celebrari conceptionis a labe immunis, atque hac neque alia mente a Sixto fuisse propositum. Secus enim inepte constitutionum Sixti tum meminisset concilium, quum in decreto de peccato originali declarat non esse suae intentionis immaculatam Virginem comprehendere. Fac enim festum non sit de conceptione ab hoc peccato soluta, illius sane mentio neque ad decreti declarationem spectat, neque ullum cum ea vinculum praefert. Mens igitur concilii fuit in decreto de peccato originali augustam Virginem non comprehendere, quin potius festum de immaculata conceptione a Sixto institutum confirmare, propositiones ab ipso damnatas damnare, et inflictas ab ipso poenas ratas velle. Sane dubium esse nequit, concilium ad declarationem edendam vehementer fuisse permotum festo immaculatae conceptionis, quod ab romana ecclesia ex Sixti institutione noverat celebrari.

2) Qua de re praeclare testantur Missalia omnia et Breviaria, quae ad Pium usque quintum fuerunt universali usu recepta. De hisce autem tam Missalibus, quam Breviariis uberrime agit Antonius Gravois op. cit. art. VII. et in summarii n. 7., ac principio n. 94. infert: « Si igitur centum fere annorum spatio in omnibus Missalibus *secundum consuetudinem sanctae romanae ecclesiae*, vel *secundum consuetudinem curiae romanae*, nulla alia pro die VIII. Decembris habeatur Missa nisi ea sola quae a Sixto IV. fuerat instituta, et a Franciscanis fuit deinde usque ad praesens semper recitata; quis prudenter negare poterit, eos omnes qui Missali romano tunc utebantur, a summis Pontificibus usque ad ultimos sacerdotes tam seculares quam regulares, et ipsorum conciliorum tum lateranensis sub Leone X. terminati, tum et tridentini patres toto tempore quo fuerunt congregati, eamdem missam in conceptionis festivitate et per eius octavam recitasse, ut tam ipsi quam missae interessentes sanctas consequerentur indulgentias a Sixto IV. concessas et Leone X. pro Hispaniarum regnis etiam ad interdictorum tempora extensas? » Et infra n. 96. « Revera non videtur quomodo aliud officium a tempore Sixti IV. usque ad Pium V. in romana ecclesia cantari potuisset; cum teste eodem Sixto, istud *ab eadem sancta romana ecclesia* ordinatum fuerat *ut in Dei ecclesia* recitaretur. » Non desunt autem in eiusmodi Missalibus quae nominatim considerentur. Atque horum sane numero veniunt quae in Missali *secundum consuetudinem romanae curiae* edito anno MCDLXXXII. habentur in hymno angelico: « Tu solus sanctus Mariam *praeservasti*, tu solus Dominus Mariam fabricasti. » Haec iterata occurrunt in Missali vulgato Parisiis anno MDLVI., in quo ad graduale praeterea dicitur: « Qui mundum potest facere de immundo conceptum semine, me formavit filius meus ullo sine crimine. » Et ad communionem: « Beata et immaculata conceptio gloriosissimae virginis Mariae, quae a filio suo praeservata nescivit labem originalis peccati. » Accedit Missale ambrosianum editum anno MDLX. et in vallicelliana biblioth. custoditum, in cuius introitu legimus: « De cuius immaculata conceptione gaudent angeli, et collaudant filium Dei. » In praefatione vero canitur: « Quae nobis vitae perennis ianuam quam Eva in paradiso clauserat, reseravit, nosque de tenebris ad lucis antiquae gaudia revocavit. » Sed Missale his omnibus vetustius servatur in archivo basilicae vaticanae, notatum B. 66., scriptum seculo XIV. labente, quod ad Cardinalem Philippum Calandrinium spectavit, et e quo haec nobiscum communicavit eruditus praesul Iosephus Angelinius: « *Communio.* Beata et immaculata fuit conceptio virginis Mariae, per quam meruimus redemptorem vitae suscipere Christum Dominum. »

3) Synodus enim sess. XXV. in decreto *de indice librorum* romanis Pontificibus crediderat, ut romanum Breviarium ipsi refingerent.

4) Constitutio incipit, *Quod a nobis postulat*, editaque fuit VII. Idus Iulii anno MDLXVIII.

5) Censuit Aegidius lusitanus de concept. lib. III. q. V. a. VI. §. V. n. 26. constitutione Pii non fuisse penitus antiquatum usum officii nogarolici, sed dumtaxat praeceptum ut ad formam novi Breviarii, resectis iis quae displicerent, opportune exigeretur. Sed a sententia editae constitutionis Aegidium aberrasse ostendunt I. factum Pii, qui non refinxit officium nogarolicum, reformatumque retinuit, sed funditus e Breviario expunxit: II. Pii declaratio, quae usum Breviarii reformati sic praecipit, ut edicat eos

Digitized by Google

quae toto ferme seculo fuerant adhibita, illorum loco missam officiumque *nativitatis*, immutato dumtaxat nomine, suffecit. Heic ego non repetam quae alibi [1]) de rationibus disserui, quibus sanctissimus Pontifex commotus eiusmodi mutationem inducendam esse existimavit; sed nonnulla potius animadvertam quae caussae penitius cognoscendae illustrandaeque conducunt. *Principio* itaque moneo, quum de ecclesiasticis officiis sermo est, negligi discrimen non posse quo eorumdem *obiectum a forma* externoque habitu secernitur. Quum enim *obiectum* constet tum *re* quae officio colitur, tum *motivo* propter quod colitur; *forma* vicissim antiphonis, lectionibus, responsoriis, orationibus, hymnisque continetur, quae ad externum habitum officiique compositionem pertinent. Quisque vero intelligit, obiectum et formam ita se ad invicem habere, ut illud ab hac nullatenus pendeat, proindeque contingere posse ut illo sibi semper simili nullique mutationi obnoxio, haec contra multiplex sit ac diversa. En celebrabatur immaculata conceptio officio nogarolico, at simul officiis celebrabatur a nogarolico diversis, quae ediderant Bernardinus de Busto, Ambrosius Montesinos et Franciscus Quignonius, quaeque Sixtus IV., Innocentius VIII. et Paulus III. apostolica auctoritate communierant. Scilicet ad rem ipsam quod spectat obiectumque officii non admodum refert quibus verbis, quibus antiphonis et quibus hymnis immaculata conceptio honoretur, dummodo tamen vere pieque honoretur.

1692. Moneo deinde haberi eodem numero non posse hinc *auctoritatem* quae ad aliquod officium forte accesserit, inde vero *eiusdem usum* quo pensum recitandi officii legitime expleatur. Diversi namque sunt fontes, e quibus auctoritas ususque legitimus dimanant. Quum enim illa *adprobationem* comitetur ab eo profectam, penes quem ius sit atque idonea facultas; iste vicissim totus *ex normis* pendet, quibus disciplina temperatur ac regitur. Quapropter nihil impedit quominus officium aliquod *propter adprobationem* auctoritate excellat, sed illius usus *propter mutatam disciplinam* neque iustus sit amplius, neque legitimus videatur. Quibus uti decebat praestitutis, continuo addimus Pii Pontificis decretum, quo

qui alia forma officium recitaverint, obligationi iunctae nullatenus satisfacere: et III. factum totius ecclesiae, quae seposito officio nogarolico, novum a Pio praescriptum concors recepit. Quare quum Franciscalibus in votis esset nogarolicum adhibere, tum ab ipso Pio V., tum a Gregorio XIII. necessariam facultatem impetrarunt.

1) an. 1623. seqq.

nogarolici officii usum antiquavit, eiusdem auctoritati ne minimum quidem nocuisse. Et sane cur Pius « romano Breviario eiusmodi officium expunxit? An ideo, quod festum immaculatae conceptionis eodem celebraretur? Nemo id senserit qui nolit a Pio reiectum quod eiusdem antecessores, initio ducto a Sixto IV., unanimes probaverant, quodque ipsa tridentina synodus suo suffragio communierat. Ea igitur de caussa nogarolicum expunxit officium, quod ab antiqua Breviarii forma, non paucis interiectis, dissideret, quodque Pontifex existimarit conceptionis festum multo celebrari commodius illo ipso adhibito officio, quo Deiparae nativitas honorabatur. Atqui profecta hisce ex caussis abrogatio quum officii auctoritatem non laedat, ad illius usum unice refertur. Praeterea, unde nogarolicum officium universam auctoritatem mutuabatur? Videlicet ex institutione Sixti IV., ex insequentium Pontificum adprobatione, ex suffragio tridentini concilii atque ex usu ecclesiastico per integrum ferme seculum. Auctoritas vero ex eiusmodi oborta fontibus neque tolli neque infringi ullatenus poterat. « Quocirca, *uti* [1]) *Antonius Calderonus scite notat*, longe diversa ratio est de auctoritate officii et de eius recitatione: illa perpetua est et irrevocabilis, haec cessare ex iustis caussis potest, priori prorsus illaesa. Illa enim nascitur ex iudicio ecclesiae, quo iudicavit talem rem dignam esse quae tali officio colatur, quod iudicium semper est verum; usus officii et eius recitatio ad praxim pertinet, quae pro diversitate temporum aliisque occurrentibus potest mutari, invariato manente illo iudicio. »

1693. Quemadmodum vero Pius *usum* nogarolici officii antiquavit, quin illius laederet *auctoritatem;* ita *aliam* induxit officii *formam*, quin eiusdem *obiectum* vel levissime commutarit. Sane ex decreto Pii eodem plane officio, unum si nomen exceperis, colitur festum conceptionis et nativitatis, et tam conceptio quam nativitas geminis ornatur epithetis, geminisque laudibus extollitur. Eadem igitur est mens ecclesiae colentis conceptionem et colentis nativitatem. Sed dum ecclesia nativitatem colit, non aliud est obiectum festi quam naturalis Deiparae origo ex sinu, neque aliud motivum, quam eiusdem originis sanctimonia; dum ergo conceptionem colit, eo spectat ut celebret naturalem Deiparae in utero originem, at-

1) In op. pro titulo immaculatae conceptionis cap. V. §. IX. n. 49. pag. 124.

Digitized by Google

que hanc propterea celebret quod singulari gratiae munere sancta sit ac penitus immaculata. Rursum in officio quod pro Deiparae conceptione Pius praescripsit, haec [1]) habentur: *hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David; conceptio gloriosae virginis Mariae ex semine Abrahae, ortae de tribu Iuda, clara ex stirpe David.* Quae his omnino parallela sunt ex officio nativitatis: *hodie nata est beata virgo Maria ex progenie David; nativitas gloriosae virginis Mariae ex semine Abrahae* ... Sed haec nativitatem Deiparae designant non spiritalem per gratiam, sed naturalem ex utero. Igitur illa etiam quorum primum meminimus, conceptionem efferunt naturalem in utero non spiritalem atque advenienti gratiae tribuendam. Ecquis enim audiens *conceptionem ex semine Abrahae*, non illico naturalem conceptionem animo intelligit, vel praeposterum esse non videt ea referre ad spiritalem conceptionem, ac si *ex semine Abrahae* gratia sanctificans propagaretur? Obiectum igitur quod Pii officio colitur, ipsa est naturalis Deiparae in materno sinu conceptio. Ad motivum vero [2]) haec pertinent: *gloriosae virginis Mariae conceptionem dignissimam recolamus;* et, *sentiant omnes tuum iuvamen quicumque celebrant tuam sanctam conceptionem.* Sed neque cultu et veneratione dignissima haberi potest conceptio originali peccato

1) Respons. I-IV. et Antiph. I. ad Vesperas et ad Laudes.

2) Respons. III-VIII. et Antiph. ad Magnificat in primis Vesperis. Quo spectet appellatio *sanctae conceptionis*, ex iis etiam liquet abunde quae Breviario Praedicatorum edito Venetiis anno MDXLVII. consignata occurrunt. Principio namque in illo legimus: « *In sanctificatione* beatissimae virginis Mariae fiat officium per reverendissimum patrem magistrum Vincentium de Castronovo totius ordinis nostri generalem magistrum editum. » Tum lectione IX. subditur: « *Sanctitatem vero conceptionis* soli Christo sancto sanctorum attribuamus, qui solus, ut sancti asseruere doctores, hac singulari praerogativa gaudet per infinita saecula saeculorum, amen. » Quapropter iure merito Antonius Gravois op. cit. art. VIII. n. 101. scripsit: « Quis igitur stupens ac mirabundus inscrutabilia Dei iudicia non venerabitur, qui suaviter sed simul fortiter disposuit, ut unus Pontifex ordinis Praedicatorum et sanctus universae praeciperet ecclesiae in officiis divinis *sanctitatem conceptionis* beatissimae Virgini attribuere, ac per hoc omnibus declararet, non *Christum solum* sanctum sanctorum hac singulari praerogativa gaudere, *sed etiam purissimam eius matrem?* Neget qui poterit *digitum Dei esse hic.* » Hinc e vestigio addit n. 102: « Hoc idem peragebant Franciscani antequam officium *sicut lilium* instituisset Sixtus IV. Tunc enim die conceptionis festo illud *nativitatis* recitabant, simulque responsorium, *quicumque celebrant tuam sanctam conceptionem*, prout inculcatum legitur in eorum capitulo generali anno MCDLVIII. Romae celebrato. Ibi, *in visitatione et conceptione beatae Virginis fiat officium de nativitate, mutato nomine nativitatis in conceptionem vel visitationem. Lectiones vero leguntur propriae si habentur.* Chronol. seraph. p. Iohann. a Neap. pag. 124. et p. Gubern. ord. seraph. T. III. p. 114. Quod quidem festum solemniter celebrabant, ut resultat ex alio eorum statuto generali anno MCDXVI. Bercorii peracto, in quo praecipitur quod in primis Vesperis conceptionis nulla sancti Ambrosii fiat commemoratio. Ibi, *item Vesperae in vigilia conceptionis beatae Mariae virginis integritate dicantur de beata Virgine sine commemoratione beati Ambrosii.* Apud eumdem Gubern. pag. 81. Et institutum fuerat in capitulo generali eiusdem ordinis a sancto Bonaventura Pisis anno MCCLXIII. celebrato. Ibi, *iussum item ut novae hae festivitates admitterentur in ordine, videlicet conceptionis beatae Mariae virginis, visitationis eiusdem, beatae Annae illius genitricis et Marthae virginis.* Iohann. a Neap. pag. 27., Gubern. p. 19. et Wading. ad dictum annum MCCLXIII. »

Digitized by Google

conspurcata, neque sancta dici quae hereditaria labe sorduerit. Sicuti ergo in Pii officio colitur naturalis Deiparae conceptus, ita non aliud huiusce cultus motivum proponitur, quam quod ex puritate et sanctimonia eiusdem conceptus desumitur. Sed huc redit obiectum, atque huc redit motivum quod in nogarolico officio exstat atque eminet. Quamquam igitur Pius officii formam compositionemque mutarit, rem tamen ipsam non attigit, quin potius integram ac plane eamdem reliquit. Hinc biennio vix elapso ab edito diplomate de reformando Missali romanoque Breviario, novam Pius [1]) constitutionem tulit, qua commemoratis praedicatorum in alterutram partem contentionibus, pergit: «Nos igitur qui praedecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimum illa quae a sacrosancta synodo tridentina denuo sunt confirmata; liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controversiae *(de Virginis conceptione)* quamlibet partem, prout vel magis piam vel magis probabilem esse iudicaverit, praedictorum concionatorum aliorumque contentioni atque temeritati, populorumque scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statutum felicis recordationis Sixti IV. praedecessoris nostri super ea re, quod a praefata synodo innovatum est, illud praesentibus ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plene et sufficienter expresso et inserto habentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus.» Vetat deinde ne in concionibus ad populum vulgarique sermone de conceptione disputetur, quod [2]) academiis dum-

1) Pridie kal. Decembris anno MDLXX. *Super speculam Domini.*

2) Refero verba ipse constitutionis, quibus Pius praeter alia concedit: «Ut in publicis academiae disputationibus, sive generalium aut provincialium capitulorum, vel ubi alias interunt qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, liceret viris eruditis de illa quaestione disserere, et argumentis utramlibet partem vel asserere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea praedicaretur.» Nimirum monet Gravois op. cit. art. VIII. n. 108. «Haec est prima ac fere unica constitutio, in qua favore contrariae opinionis aliquid positive concessum fuerit. Sixtus enim IV. et postea concilium tridentinum eiusdem Sixti constitutiones innovando et exequutioni mandari praecipiendo, nil nisi negativum, ut ita dicam, eidem opinioni concesserant, videlicet quod eam tenentes *haereseos aut peccati mortalis notari non possent.* Tot autem tantaque ex istius Pii V. constitutionis exequutione contra sancti Pontificis expectationem subsequuta sunt inconvenientia, ut Paulus V. die XXXI. Augusti MDCXVII. decretum in congregatione sanctae rom. et univ. inquisitionis confiere et publicare coactus fuerit, in quo relato quod ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, videlicet quod beatissima Virgo cum peccato originali concepta fuerit, *orirentur in populo christiano cum magna Dei offensa scandala, turpia et dissensiones;* omnibus *post longam et maturam discussionem* prohibuit, ne de cetero in quibuscumque actibus publicis asserere auderent, quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.»

Digitized by Google

taxat ordinumque capitulis permittit, dummodo tamen *neutra pars veluti erronea praedicetur*. Ac postremo subdit: « Serventurque illa omnia quae a dicto Sixto praedecessore nostro statuta sunt, quorum singula, ut praefertur, etiam quantum ad alias poenas duximus innovanda et innovamus per praesentes. » Confirmat igitur Pius constitutionem Sixti *grave nimis*, et omnes ac singulas eiusdem partes innovat ratasque esse decernit. Sixtus autem praeter alia declaraverat, *errare* eos qui conceptionis vindices festique cultores haereseos aut peccati insimularent, prolatique iudicii hanc adduxerat caussam, *quod sancta romana ecclesia festum de eadem conceptione solemniter celebret*. Nihil igitur horum est quod Pius non innovarit. Sed ea innovare minime potuisset, si mutata officii forma, eiusdem quoque obiectum festique motivum immutasset. Immutatio igitur Pii lege inducta talis non fuit, quae ad officii festique obiectum rationemque pertineret.

1694. Credi non immerito poterat, Pii lege fuisse abunde prospectum unitati et concordiae, qua Christi ecclesia insigniter fulget, eiusque cultus mirifice commendatur. Quum enim idem ab omnibus recitandum officium, eamdemque ab omnibus adhibendam missam statuisset; nullus amplius dissidiis patere aditus, nullusque iis esse reliquus locus videbatur, quibus conspiratio turbaretur. Non defuerunt [1]) tamen qui seposito *conceptionis* nomine Pii nutu praescripto, nomen *sanctificationis* [2]) usurparent, romanaque ecclesia *festum*

1) Non est cur nominatim huius facti auctores memorentur, neque est cur adductae ab iis caussae plenius aperiantur. Sunt enim haec omnia notissima, et aetate qua vivimus vix digna quae obiter recolantur.

2) Abs re non fuerit paucis innuere quid sentiendum de eo sit, quod Iohannes de Turrecremata in *tractatu de veritate conceptionis beatissimae Virginis pro facienda relatione coram patribus concilii basileensis, anno Domini MCDXXXVII. mandato sedis apostolicae legatorum eidem concilio praesidentium compilato*, P. VI. cap. XXXV. ex Alvaro Pelagio *de planctu ecclesiae* lib. I. cap. LI. narrat, in ecclesia sanctae Mariae maioris obtinuisse ut *festum sanctificationis* celebraretur. Nimirum I. inspectis diligenter antiquis Alvari codicibus innotuit, tributa eidem verba penitus desiderari: II. nihil simile fuisse repertum in antiquis Missalibus et Breviariis ad Basilicam sanctae Mariae maioris pertinentibus, quamquam iussu Pauli V. fuerint summo studio excussa subtiliterque collata: tandem III. auctorem esse Petrum de Alva in opere cui titulus *sol veritatis* pagg. 648. seqq., qui anxie omnia conquisivit quae huc faciunt, nullum sibi occurrisse ecclesiasticum monimentum seculo XV. vetustius, in quo festum *conceptionis* titulo *sanctificationis* insigniretur. Pallerentur vero summopere qui putarent, penes nobilissimum Praedicatorum ordinem invaluisse, ut non alio quam *sanctificationis* titulo festum *conceptionis* honoraretur. Pronum namque est demonstrare I. *festum sanctificationis nunquam universi ordinis suffragio fuisse receptum*: II. *illud in aliquibus dumtaxat ordinis provinciis nonnisi seculo XV. fuisse usitatum*: ac III. *ab ipsis ordinis primordiis cultum conceptionis in eo fuisse solemnem*. Ex his autem tribus capitibus, quod primum est egregie confirmat Catharinus, qui libro primo disputationis pro immaculata conceptione postquam docuit in orbe universo ab omnibus ecclesiis festum agi non alio titulo quam *conceptionis* insigne, pergit: *quem ritum iam communiter omnes ordines, uti par erat, receperunt, nostro dumtaxat excepto, qui etiam in hoc divisus est; nam in toto christianissimo regno sub eo nomine absque ullo scrupulo fratres nostri eam celebrant solemnitatem*. Et in disputatione ad patres concilii tridentini P. II. sic habet:

conceptionis solemniter agente, ipsi contra *sanctificationis festum* celebrarent. Dissidebant nimirum [1]) a capite membra, quod non licet: diversae erant unius corporis voces, nec unum erat omnium labium linguaque una. Quod iampridem aegre ferens [2]) Catharinus, his verbis tridentinos patres compellaverat: « Auctoritatem vestram interponite, ut quemadmodum par est, idipsum praesertim in divino cultu dicamus omnes, quum iuxta ecclesiasticos canones non liceat a capite membra discedere. » Immo ipsemet Pius [3]) reformandi Missalis ac Breviarii inde caussam inprimis duxit, *quod unum in ecclesia Dei psallendi modum, unum missae celebrandae ritum esse, maxime deceat*. Quocirca ut quod omnium votis ambiebatur, ipso tandem opere obtineretur, Gregorius XV. innovatis [4]) Sixti IV., Alexandri VI., Pii V. ac Pauli V. constitutionibus, e vestigio adiecit. « Et insuper eadem sanctitas sua, quum sancta romana ecclesia de beatissimae Virginis conceptione festum solemniter et officium celebret, omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam secularibus quam cuiusvis ordinis et instituti regularibus mandat ac praecipit, ut in sacrosancto missae sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publice quam privatim, non alio [5]) quam *conceptionis* nomine uti debeant.

quin et ipse noster ordo secum minime constat; quum transalpini fratres nostri ordinis sapientissime concedant et morem universalis ecclesiae sequantur sub nomine conceptionis celebrantes, inter quos tamen non desunt doctissimi patres et magistri, qui in lectione beati Thomae Italis non cedunt. Omitto cetera, et ad alterum venio, cuius pariter locuples testis est Catharinus in disputatione ad patres tridentinos P. II. inquiens: *ecclesia nativitatem celebrabat, in qua sanctificatio in utero celebrabatur, sicut testatur sanctus Bernardus. Sic sanctificatio beati Iohannis baptistae honoratur, dum eius celebratur nativitas. Numquam ergo celebravit sub nomine sanctificationis, sed dies ille infestivus olim in ecclesia transibat. Festum autem sanctificationis postmodum superfluo est introductum ad aemulationem adversus ecclesiam, quae sub nomine conceptionis* (Sixto instituente) *celebrabat.* Hinc officium nullum *de festo sanctificationis* apud dominicanos patres occurrit eo vetustius, quod Vincentius Bandellus de Castro novo tum concinnavit, quum generali totius ordinis praefectura fungeretur. Electus autem fuit anno MDI., supremumque obiit diem anno MDVI. De tertio tandem capite egregia sunt quae Martenius refert in opere, *Voyage litteraire de deux religieux benedectins de la congregation de s. Mauris*, p. 146, quaeque ostendunt ordinem Praedicatorum a suis incunabulis *festum conceptionis* hoc neque alio nomine distinctum celebrasse. Atque haec item egregia sunt quae Antonius Calderonus in op. pro titulo de imm. concept. cap. XIII. n. 20. pag. 612. notat inquiens: « Si quis evolvet concionatorios libros, quos vocant sermonarios, a dominicanis qui ante Sixtum IV. floruerunt editos, non inveniet concionem *in festo sanctificationis*, quum non paucae inveniantur *in festo conceptionis*, ut Armandi de Bellovisu qui claruit anno MCCXCVI., sancti Vincentii Ferrerii qui obiit anno MCDXVIII. et Sancii Porta qui obiit anno MCDXXIX. Quod quidem argumento est a Dominicanis ante Sixtum non fuisse celebratum hoc festum sub titulo sanctificationis, sed si quod octavo die Decembris coluerunt, conceptionis fuisse. Ego sane non paucos eiusmodi libros evolvi, neque hactenus concionem de sanctificatione ante Sixtum scriptam reperire potui. »

1) In decreto cap. *Non decet*, dist. XII. haec ex Callixto referuntur: « Non decet a capite membra dissidere, sed iuxta sacrae Scripturae testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli vero dubium est, quod apostolica ecclesia mater est omnium ecclesiarum, a cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. »

2) In conclus. disput. pro veritate imm. conceptionis ad synodum tridentinam.

3) Constitut. edit. anno MDLXX. *Quo primum*.

4) In decreto quod edidit anno MDCXXI.

5) Videtur Gregorius adprobasse Bellarmini

Digitized by Google

Controvenientes autem sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere, et subiecit censuris et poenis contentis in supradictis constitutionibus ac praefato decreto suorum praedecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, decreto praefato Pauli V., consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus et singulis quae praedecessores praedicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. » Compertum habeo non defuisse qui de Gregorii decreto disserentes existimarint, *conceptionis* nomen secus in illo accipi ac vulgo censeatur, eoque non tam significari primam Deiparae [1]) animationem eximio gratiae munere sanctam et immaculatam, sed primam eiusdem sanctificationem, sive haec animationem ipsam occupans, ab originali labe Deiparam praeservarit: sive mox succedens, a lue iam contracta Deiparam abluerit. Verum haec opinio [2]) certissimis disiecta argumentis, ita iampridem obsolevit ut neminem reperire facile liceat qui eidem patrocinetur. Quare omissa prolixiori eaque minus necessaria confutatione, illud potius monebimus, quod Natalis Alexander [3]) verissime scripsit: « Ecclesiam decernendo, ut non amplius sub *sanctificationis* sed sub *conceptionis* nomine illa Deiparae solemnitas celebraretur; in eam se magis propendere partem ostendisse, quae immaculatam opinatur. » Sane animum in eam propensum partem Gregorius ostendit, quam festi titulus praefert, quaeque intime cum officio iungitur quo festum celebratur. Sed festi titulus naturalem praefert conceptionem, quae nequit cum sanctificatione confundi: officium vero eo pertinet, ut naturalis conceptus tamquam festi obiectum, eiusdem autem immaculata puritas

consilium in congregat. generali ss. Inquisit. coram Paulo V. die ult. August. anno MDCXVII. propositum atque his verbis expressum: « Si non placet nunc ulla formalis definitio, saltem deberet fieri praeceptum omnibus ecclesiasticis secularibus et regularibus, ut recitarent officium *de conceptione*, quomodo recitat ecclesia. Sic enim sine definitione haberetur intentum. »

1) Celebres sunt hac de re duo libelli Romae editi seculo XVII., eaque mente compositi ut lectoribus persuadeatur, *diversam esse acceptionem nominis conceptionis ante Gregorium XV. et post illum*. Hisce libellis abusus est Valdesius epistt. VI-X-XIII. pagg. 66-119-168., ut eumdem errorem propagaret.

2) Quae argumenta affatim dabunt Vincentius Fassari in trutina theolog. disput. IX. q. IV. opusc. II. divin. II-III., Theophilus Raynaudus in diss. pro retinendo titulo imm. conceptionis §§. I-IX. pagg. 309. seqq. opp. T. VII., Antonius Calderonus pro titulo immaculatae concept. capp. X-XI-XII. pagg. 493-591., auctores armamentarii seraphici, Antonius Perez apud Thomam Strozzium lib. X. capp. IV. seqq. et Benedictus Plazza op. cit. act. V. art. II. nn. 149. seqq. Mihi animo sponte succurrunt Tertulliani verba de carne Christi cap. XIII. « Certe perversissimum est ut carnem nominantes, animam intelligamus, et animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi et amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, ill aliter quam sunt, cognominantur. Fides nominum salus est proprietatum. »

3) Hist. eccles. sec. II. diss. XVI. §. XXI.

Digitized by Google

tamquam motivum proponatur. Et de obiecto quidem haec sunt praeclara: *hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David*, et *conceptio gloriosae virginis Mariae ex semine Abrahae, ortae de tribu Iuda clara ex stirpe David.* Neque haec praeclara minus ad motivum spectantia: *gloriosae virginis Mariae conceptionem dignissimam recolamus*, et *sentiant omnes tuum iuvamen quicumque celebrant tuam sanctam conceptionem.* Nequit ergo in dubitationem adduci, sive cuiusmodi sit festum quod Gregorius celebrandum [1]) praeceperit, sive quam ipse partem delegerit et cum ipso universa ecclesia praeoptaverit.

1695. Nihilominus constitutione potissimum Alexandri VII. edita VIII. Decembris anno MDCLXI. eo [2]) res omnis adducta est, ut tria solemniter atque infallibiliter declarata existimari debeant: ac principio quidem *unam semper eamdemque fuisse rationem cultus, quo vetus christifidelium pietas, romanaque ecclesia Deiparae*

1) Sed nonne Gregorius permisit, ut origines Virginis peccato infectae censerentur? Sane non prohibuit. Ecqui fieri ergo potuit, ut omnibus celebrandam ediceret conceptionem immaculatam? Cave ne personam publicam cum privata, et ne actus qui fiunt nomine proprio cum actibus confundas qui alterius nomine suscipiuntur. « Privati iuris est, *inquit Calderonus op. cit. cap. XII. n. 6. pagg.* 570-572., opinari circa conceptionem Virginis, et eam aut maculatam originali labe aut immaculatam asserere; at festum conceptionis celebrare, missam, et officium divinum de ea peragere, publici iuris est. Hoc non praestas ut privatus et nomine proprio, sed ut minister ecclesiae et nomine eius. Quare non sensu tuo sed sensu ecclesiae cuius personam geris, facere debes. In hoc nulla tibi fit iniuria, neque privaris iure tuo: diversas personas induis quum sentis Virginem conceptam fuisse in peccato originali, et quum missam et officium de conceptione recitas. Illud tuum est, hoc ecclesiae: illud ut privatus homo praestas, hoc ut minister publicus. Atque hinc tandem disces non esse contraria, privatim sequi affirmativam sententiam, et in officio divino celebrare conceptionem immaculatam; neque tibi praecipi ut contra mentem tuam loquaris aut assensum mentis tuae depromas, sed tantum ne quum alienam personam geris, sensum tuum privatum publicae et sacrae actioni inseras, sed fidelis ministri instar, iuxta mentem eius cuius vicem geris, loquaris, quantumvis tu alias sentias. An ecclesia non gaudebit iure, quo privatus quisque gaudet? At inter privatos certissimi iuris est, ut si quis nomine alterius agat aut ex mandato aut alia ratione, non ex animi sui sententia, sed ex mandatis aut eius cuius vice agit, loquatur et operetur. Quum ergo ecclesia instituerit hoc festum sub nomine et sensu proprio conceptionis, merito iniungit omnibus ut non alio quam conceptionis nomine atque adeo non alio sensu in officio divino utantur. Quicumque enim hoc munere fungitur, nonnisi auctoritate et nomine ecclesiae fungitur, sive utatur missali et breviario romano, sive alio ex concessione sedis apostolicae. Quare aequissimum est ut ecclesiae se conformet, quidquid ipse privatim opinetur; tantumque abest ut ei aliqua in hoc fiat iniuria, ut potius ipse gravissimam irroget ecclesiae si aliter faciat, meritoque veniat puniendus tamquam infidus minister. » Et continuo: « Quod si adhuc insistas, gravamen quoddam esse cogi conceptionem immaculatam celebrare eos qui contra privatim sentiunt; non diffiteor. Sane ego rubore perfunderer, si quum sacrum facio aut officium recito, me in eas angustias redactum ex opinione mea viderem. Tu tibi imputa, qui adhuc persistis. Vel muta sententiam, et eo pudore liberaberis, gaudebisque idipsum te publice colere quod privatim sentis. » Non te turbabunt ecclesiastica verba, *corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate praecelsae genitricis Dei Mariae:* non te anxium habebunt quae Thomas II. II. q. XCIII. a. 1. ex Augustino refert et probat, *mendacium maxime perniciosum est quod fit in his, quae ad religionem christianam pertinent; est autem mendacium, cum aliquid exterius significat contrarium veritati:* neque in te ipse divisus atque tecum ipse pugnans pacis suavitate fraudaberis. Immo benignam iuxta ac efficacem suspicies ecclesiae oeconomiam, qua te a tuis avertens opinionibus, ad ea allicit ac pertrahit quae communi omnium suffragio commendantur.

2) nn. 1624. seqq.

Digitized by Google

conceptionem honoravit: deinde vero, *huius cultus obiectum numquam non fuisse naturalem personalemque Deiparae conceptionem:* ac postremo, *cultus motivum ex ea semper fuisse sanctitate derivatum, qua naturalis Deiparae conceptus singulari gratiae munere excelluit.* Enimvero sic habet constitutionis epigraphe: « Innovatio constitutionum et decretorum in favorem sententiae asserentis, animam beatae Mariae virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali praeservatam fuisse. » Atqui mox recensentur constitutiones et decreta a Sixto IV. ad Gregorium usque XV. edita et omnibus ad custodiendum proposita. Eiusmodi ergo constitutiones et decreta [1]) eo consilio eaque mente Romani Pontifices ediderunt, *ut faverent sententiae asserenti, animam beatae Mariae virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali praeservatam fuisse.* Pergit Alexander: « Sane vetus est christifidelium erga eius beatissimam matrem virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem; atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. » Authentica igitur supremi pastoris declaratione novimus tum veterem christifidelium sensum de praerogativa immaculati conceptus Virgini tributa, tum obiectum ac motivum festi quo eorumdem pietas Deiparae conceptum honoravit. Honoravit nimirum naturalem personalemque conceptum, illumque propterea honoravit quod a culpa peccati originalis praeservatum censuerit. In quem sensum atque profectum ex eo cultum romanam ecclesiam conspirasse, perspicue Alexander significat quum caussas amplificatae solemnitatis enumerans subdit: « Crevitque horum numerus atque huiusmodi cultus, post editas a fel. rec. Sixto Papa IV. praedecessore nostro in eius commendationem apostolicas constitutiones, quas sacrum concilium tridentinum innovavit atque observari mandavit. Aucta rursus et propagata fuit pietas haec et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus romanis Pontificibus, religiosum ordinem et confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias; ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc

1) Quibus praeclare confirmantur quaecumque omnia superius tradidimus, quaeque nominatim de constitutione Pii V., deque decreto Gregorii XV. diximus.

Digitized by Google

sententiam, iam fere omnes catholici eam complectantur.» Ferme diceret, sententia de immaculato Deiparae conceptu, cultusque eidem respondens ac plane consonus vires quotidie acceperunt maiores latiusque patuerunt, Sixto festum instituente [1]) et apostolicis constitutionibus sententiam cultumque commendante: tridentina synodo [2]) Sixti decreta innovante illorumque custodiam praecipiente: insequutis romanis Pontificibus [3]) religiosum ordinem et confraternitates titulo conceptionis approbantibus atque indulgentias munifice erogantibus: postremo plerisque celebrioribus academiis ad sententiam de immaculato conceptu ita accedentibus, ut iam catholici fere omnes illam complectantur. Cum his autem devinctum est, I. Sixti institutionem, lataque ab ipso decreta eo pertinuisse ut sententia de immaculato conceptu commendaretur, cultusque ad hanc sententiam expressus promoveretur: II. eodem pertinuisse tridentinae synodi decretum, quo Sixti constitutiones innovavit suaeque auctoritatis pondere munivit: eodem III. quae romani Pontifices ad Alexandrum usque VII. gesserunt: et eodem IV. tum academiarum suffragia, tum catholici nominis conspirationem.

1696. Possent haec sufficere ut quae nobis proposuimus, demonstrata viderentur; quum tamen evidentiora non desint quae Alexander addit, piaculum foret ea oscitanter praetermittere. Commemoratis itaque illorum technis qui in opposita sententia versabantur, pergit: «Nos considerantes quod sancta romana ecclesia de intemeratae semperque virginis Mariae conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit iuxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni et festo ac cultui secundum illam exhibito, in ecclesia romana post [4]) ipsius cultus institutionem numquam immutato, romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplum favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cu-

1) nn. 1616. seqq.
2) nn. 1690. seqq.
3) nn. 1622. seqq.
4) Solemni igitur pontificioque oraculo constat, in romana ecclesia numquam aliud conceptionis festum fuisse celebratum, nisi quod Sixtus instituit, eamque ob causam cuius gratia Sixtus instituit. Instituit porro Sixtus festum personalis conceptionis, eaque de causa illud instituit quod patrocinari vellet sententiae de Deipara ab originali peccato mirabiliter praeservata.

Digitized by Google

pientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis, amotisque scandalis conservare: constitutiones et decreta a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V., Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam beatae Mariae virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus conceptionis eiusdem virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti; innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus.» Quo romani Pontificis oraculo extra omnem controversiam positum [1]) intelligimus: I. unum semper atque idem fuisse conceptionis festum, quod romana ecclesia ex Sixti institutione celebravit: II. huic festo promovendo tuendoque romanos Praesules, Sixti successores impensam operam dedisse: III. sua cum illis studia Alexandrum VII. coniunxisse: porro IV. neque aliud umquam fuisse festi obiectum, nisi quod personali Deiparae conceptione continetur; neque aliud fuisse motivum, nisi quod ex immunitate eiusdem ab originali noxa repetitur. Nisi ergo deceptum arbitremur Pontificem in constitutione ad universam ecclesiam data et mirifica universae ecclesiae consensione recepta, qua romanae ecclesiae sensum, rationemque festi in ipsa celebrati e cathedra declaravit; fateamur necesse est, inter ea quae indubia sunt ac prorsus infallibilia numerari oportere: I. obiectum motivumque celebratae in romana ecclesia conceptionis numquam fuisse diversum: II. obiectum semper fuisse personalem Deiparae conceptionem, motivum vero piam sententiam de eiusdem primordiis ab originali labe integris ac solutis: et III. romanos Pontifices tam huic sententiae quam festo ad illam exprimendam ordinato, aliquot continenter seculis una mente unoque ore favisse.

1697. Reliquum erat ut disertis verbis rataque formula sensus ecclesiae iam authentice declaratus, et ratio festi iam authentice proposita, ex eadem veritatis cathedra significarentur. Non defuc-

1) Cavendum est ne uno eodemque numero habeantur sive authentica et infallibilis declaratio *de sensu ecclesiae deque ratione festi*, sive authentica et infallibilis declaratio *de ipso conceptionis mysterio*. Decleravit utique Alexander cuiusmodi censeri debeat tum *sensus ecclesiae de conceptione Deiparae*, tum *ratio festi quo conceptio celebratur*; sed non *eodem pacto* declaravit, *quid de conceptionis mysterio in se spectato tenendum sit*. Non eodem pacto, inquam, penitissimum namque vinculum inter utramque declarationem sequenti articulo patefaciemus.

runt sibi romani Antistites, notatisque insistentes vestigiis Gregorius XVI. et Pius IX. non tulerunt, ut quod in omnium erat votis, diutius expeteretur. Itaque [1]) Gregorius copiam fecit facultatemque petentibus, ut in propria de conceptione Missa publice diceretur, *et te in conceptione immaculata*, litaniae vero lauretanae hac prece absolverentur, *regina sine labe originali concepta*. Easdem facultates fecit extenditque Pius [2]), illasque cumulavit probans propriam Missam propriumque conceptionis officium, in quo haec prae ceteris [3]) insignius exstant: *immaculata conceptio est hodie sanctae Mariae virginis: immaculatam conceptionem virginis Mariae celebremus:* et, *Deus qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, eius nobis intercessione concede ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus*. Ceterum non ipsi primum Gregorius et Pius *immaculatam* Deiparae conceptionem solemniter pronunciarunt; iam plures ex romanis Pontificibus hanc veluti palmam praeripuerant, et iam plures hac veluti luce virgineum conceptum illustrarant.

1698. Ut enim de iis taceam qui gestis potius factisque quam verbis *immaculatae* titulum conceptioni vindicarunt, qui utique tot fuerunt quot [4]) suis favoribus conceptionem eiusque cultores prosequuti sunt: ut illos praeteream qui suo nutu [5]) ea *generatim* comprobarunt, quibus conceptio *immaculata, praeservata, ipsaque Virgo sine peccato in suis originibus* perhibetur: et ut nihil de illis dicam qui *speciatim* proprioque nomine [6]) ea confirmarunt,

1) n. 1628.

2) Ibid.

3) In respons. ad Vesperas, invitat. ad Matutinum et in oratione.

4) Cuiusmodi favores existimantur ordinum sub titulo conceptionis institutiones, confraternitatum confirmationes, concessiones indulgentiarum, facultates ecclesiarum erigendarum in conceptionis honorem, et similia, quorum amplissimam segetem inveniet lector in *Regesto pro tuendo titulo immaculatae*. Sicut enim fideles quorum pietatem his favoribus promovent Pontifices, non aliam colunt conceptionem nisi *immaculatam*, ita Pontifices non alii conceptioni nisi *immaculatae* impensis favoribus suffragantur.

5) Hoc censu veniunt Breviarium Quignonii a Paulo III. approbatum, Breviarium franciscanum plurium Pontificum auctoritate munitum, et catechismus cardinalis Bellarmini a Clemente VIII. et Benedicto XIV. impense commendatus. In his enim libris conceptio Deiparae totidem verbis *immaculata, praeservata nulloque tufecta naevo* praedicatur.

6) Talia sunt officium Leonardi de Nogarolis a Sixto IV. et Leone X. *nominatim* approbatum: officium Bernardini de Busto, quod quum idem Sixtus perlegisset, *speciali diplomate* confirmavit: officium monialium conceptionis, quod Innocentius VIII. ratum habuit: Adriani VI. decretum, quo confraternitatem conceptionis Toleti erectam a cardinali Francisco Ximenez confirmavit, approbavitque statuta *omnia et singula in litteris Francisci cardinalis huiusmodi contenta*. In illis autem conceptio audit *immaculata, sancta, sanctissima*. Denique Pauli V. Breve, quo concessit centum dies indulgentiae *omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui antiphonam et orationem conceptionis beatae Mariae virginis approbatam devote recitaverint*. Sic autem habet antiphona: *haec est Virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit*. Oratio vero: *Deus qui per im-*

Digitized by Google

quibus conceptio suo veluti epitheto *mira*, *immaculata*, *sancta*, *sanctissima* extollitur, principio animadvertam romanam ecclesiam, romanosque Pontifices recepto nogarolico officio atque in Breviarium romanum romanosque ritus inserto, centum fere annis a Sixto IV. ad Pium V. *immaculatae* titulo conceptionem honestasse. Hinc duodecim [1]) romani Antistites, qui hoc labente tempore ecclesiae clavum tenuere, pensum divini officii solventes, sacrumque die conceptionis facientes, toties immaculatam salutarunt conceptionem, quoties in Missali romanoque Breviario eiusmodi titulus recurrebat. Animadvertam deinde, a Sixto IV. undecim millium annorum indulgentiam [2]) iis fuisse erogatam, qui hanc orationem ab ipsomet compositam pie recitarent: *ave sanctissima Maria, mater Dei, regina caeli, porta paradisi, domina mundi. Tu es singularis Virgo purissima, tu concepta sine peccato originali et ideo immaculatissima.* Ac postremo animadvertam, plurimas haberi romanorum Pontificum constitutiones, in quibus Deiparae conceptio titulo *immaculatae* distinguitur ac splendidissime ornatur.

1699. Ornatur enim a Sixto IV. in constitutione *Grave nimis*, et cum ipso ornatur tum ab Alexandro VI., Leone X., Pio V., Paulo V. et Gregorio XV., tum a tridentinis patribus, qui eamdem constitutionem confirmarunt. Ornatur [3]) ab Iulio II. qui indulgentias impertit *omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in regno Castellae constitutis, vere poenitentibus et confessis, qui imaginem eiusdem beatae Mariae et unigeniti eius filii, quam dilectae in Christo filiae moniales sanctae* [4]) *conceptionis toletanae in scapulario, et homines in pectore deferre consueverunt, detulerint.* In diplomate autem [5]) quo regulam a monialibus conceptionis *maculatam Virginis conceptionem*. De his geminisque vide laudatum *Regestum*, e quo plura nos esse mutuatos grati fatemur. *Est enim benignum et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris.*

1) Omnes nimirum a Sixto IV. ad Pium V., exceptis Pio III. qui XXII. Septembris creatus, obiit XVIII. Octobris eiusdem anni, et Marcello II. qui electus die IX. Aprilis, vita functus est kalendis Maii proxime sequentis.

2) Cf. Hippolytum Maraccium in Pontificibus marianis cap. LXXIX.

3) Constitut. *Dum praeclara*, edit. X. Iulii anno MDX.

4) Non puto futuros qui negent *immaculatam* conceptionem, quam Pontifex *sanctam* appellat. Nihil enim a macula peccati alienius cogitari potest quam sanctitas.

5) Constitut. *Ad statum prosperum*, edita XV. kal. Octobris anno MDXI. Praeclare hanc quaestionem de titulo *immaculatae* quo Deiparae conceptio insigniatur, versat atque expendit Antonius Gravois op. citato, tum art. IX. *de primis disputationibus circa titulum* immaculatae *tribuendum vel denegandum conceptioni, et de pluribus Brevibus ac decretis post causae decisionem cum eodem titulo emanatis:* tum art. XIV. quo referuntur *novae oppositiones contra titulum* immaculatae *tribuendum* conceptioni: et tum art. XV. qui sic habet. *Omnia Urbis tribunalia*

servandam praefinit, sic habet: « Quaecumque a Deo illustratae et vocatae seculi vanitatem deserere voluerint, et huius regulae habitum assumentes Iesu Christo redemptori nostro desponsari voluerint, eiusdem genitricis *immaculatam* conceptionem venerantes, voveant. » Sequitur professionis formula: « Ego N. ob amorem et servitium Domini nostri et *immaculatae* conceptionis eiusdem genitricis voveo. » De monialium vero habitu dicitur: « Pallium sit hiacintini coloris propter mysticam significationem, videlicet quod *gloriosae Virginis anima a creatione sua tota facta fuit caelestis, et singularis regis aeterni thalamus.* » Ornatur a Leone X., cuius haec sunt [1]) verba: « Pia christifidelium, et praesertim *immaculatae* conceptionis beatae Mariae virginis, redemptoris nostri et humanae salutis auctoris Domini nostri Iesu Christi genitricis honorem tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus et favoribus prosequimur opportunis. » Ornatur a Paulo III., qui [2]) non pauca ex constitutione *Cum praeexcelsa* a Sixto IV. edita decerpens ait: « Dignum et iustum reputamus, ut universi christifideles omnipotenti Deo gratias referant, cuius providentia eam-

in suis decretis, cardinales Urbis vicarii in suis edictis, et summi Pontifices in suis constitutionibus titulum immaculatae conceptionis *admittunt.* Nos contenti erimus duo adiicere, et initio quidem in celebranda Deiparae conceptione ipsum nudum conceptionis nomen penitus suffecisse, ut pia sententia expressa crederetur. Etenim et conceptio non fuisset celebrata nisi labis expers, et qui secus opinabantur, quamdiu ipsis licuit, festum non conceptionis sed *sanctificationis* frequentabant. A qua tamen voce non semper abhorruisse piae sententiae vindices constat, quum ea significent Deiparam in ipsa creatione *Spiritus sancti gratia auctam*, proindeque non aliter *sanctificatam*, ac de Christi anima Thomas scripserit III. p. q. VII. art. IX. ad 2. inquiens: « Anima Christi iustificata est per gratiam operantem, in quantum per eam facta est iusta et sancta a principio suae conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix aut etiam non iusta. » Alterum succedit animadversione dignissimum, quodque Hippolytus Maraccius tradit epist. ad Alexandrum VII. praemissa operi de Caesaribus marianis: « Vix pontificatu inito, ut fragrantissimi amoris tui erga Deiparam virginem signum aliquod explicares, quum nonnulli vi decreti numquam publicati et a sede apostolica numquam approbati, *titulum immaculatae conceptionis* in typis omnino proscriptum esse vellent, et hanc patrum nostrorum vocem in libris edendis exarari deinceps non posse contenderent; tu ne vocis huius *immaculatae* elogium *conceptioni* beatae Virgini posthac in typo denegaretur, ordinatione tua, summa cum omnium gratulatione effecisti, et scandalum quod fideles ex huius tituli ubique ab omnibus decantatissimi denegatione afficiebantur, imperio tuo e medio sublatum esse voluisti. Sustineri enim nullo pacto posse indicasti, a christifidelibus adhiberi amplius non posse titulum illum quem Sixtus IV. pontifex maximus in extravaganti secunda adhibuit, quem concilium tridentinum, quem Alexander VII., quem Paulus V., quem Gregorius XV. eiusdem Sixti constitutiones confirmantes et approbantes retinendum esse censuerunt, et quem innumeri fere scriptores ecclesiastici doctrina et sanctitate illustres in suis operibus, et omnes fere christiani orbis academiae in suis iuramentis iam a multis seculis libere semper usurparunt; praesertim quum prorsus inintelligibile iis qui sapiunt et tibi omnium sapientissimo videretur posse scribi, *beatam Virginem sine originali macula fuisse conceptam*, et quod idem omnino est, scilicet *conceptionem beatae Virginis fuisse immaculatam*, non posse litterarum monumentis consignari. »

1) Constitut. *Pia Christifidelium*, edit. XVIII. Februarii anno MDXVIII. Videsis Regestum pagg. 141-144.

2) Constitut. *Cum devota consideratione*, edit. XXVI. Martii anno MDXXXVII. Videsis regestum pag. 645. et Morenum de concept. cap. IX.

Digitized by Google

dem Virginem ab aeterno praeservavit et recepit pro reconciliandis hominibus lapsu primorum parentum aeternae morti obnoxiis, eam filii sui unigeniti habitaculum constituens, quam praeparavit Spiritus sanctus a puncto *suae* [1]) *purae conceptionis*, manente semper Virgine post partum. Et ut omnes fideles grates Deo referant *de immaculata conceptione* sanctae matris eius, et curent ob merita *conceptionis sine macula* suam et proximorum salutem; visum est nobis iustum elargiri munera, gratias et spiritualia dona, ut per merita conceptionis Virginis gloriosae paratos se inveniant divinae gratiae suscipiendae.» Ornatur tandem a Sixto V., qui fratribus et monialibus seraphici ordinis [2]) concedens ut conceptionis officium per totam eiusdem octavam recitare valeant, ad id se impelli fatetur «Quod omnes dicti ordinis utriusque sexus personae ex ipsius ordinis instituto *purissimam* ipsius Dei genitricis *conceptionem* devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus et honoribus extollere, ac fidelibus praedicare et explanare, ipsiusque festum maxima reverentia venerari consueverint.» Quotquot igitur in votis habent neque aliter loqui ac romana loquatur ecclesia, neque aliter sentire ac romana sentiat ecclesia, neque aliter festum celebrare ac romana celebret ecclesia; necesse est immaculatam proclament Deiparae conceptionem, immaculata censeant Deiparae primordia, festisque honoribus conceptionem prosequantur, quam ore dicunt immaculatam et immaculatam corde profitentur.

1700. *Corollarium I. Ferri nullatenus debent qui forte dixerint, nomine conceptionis festum celebrari non ipsius personalis conceptus qui gratiae privilegio purus fuerit et immaculatus, sed unam Deiparae in materno utero sanctificationem.* Referunt huius interpretationis auctores [3]) Aegidius de Praesentatione, Ferdinandus de

1) Conceptionem quam Sixtus *miram* dixit, Paulus *puram*, *immaculatam* et *sine labe* nuncupavit.

2) Constitut. *Ineffabilis*, edit. XXX. Martii anno MDLXXXVIII.

3) De concept. q. VI. a. I. §. IX., ubi relata interpretatione de qua loquimur, subdit: «Quare opinio Caietani et Medinae et aliorum, qui primam, secundam et tertiam explicationem defendunt, post praecitatam Sixti constitutionem ab omnibus est reprobanda ut falsa, erronea et a veritate aliena, ut bene advertit Cordubensis. Nec contradiceret Bellomontanus, si praecitatam constitutionem videret et legeret. Unde si divus Thomas, Aegidius et ceteri post hanc Sixti constitutionem viverent, talem explicationem non probassent, quin potius idem facerent Caietanus, Medina et alii si illam constitutionem legissent; unde ab excommunicatione propter ignorantiam excusari possunt. Puto tamen talem assertionem aut delendam ab eorum libris, aut in margine annotandam fore. Quod iudicio sedis apostolicae relinquo.» Quae nonnihil acrius inflatiusque dicta conferri cum iis debent quae Iohannes a s. Thoma T. I. disput. II. de approbat. doctrinae s. Thomae art. II. graviter disserit.

Digitized by Google

Salazar [1]), Franciscus de Pitigianis [2]) et [3]) Chrysostomus Trombellius; neque referunt solum, sed praeterea monent, ab illis veluti propriae opionis assertores vindicesque laudari tum [4]) alios, tum nominatim [5]) Thomam, Aegidium romanum [6]) Thomae discipulum, Durandum [7]), aliosque veteris scholae theologos. At vero eiusmodi interpretatio de obiecto deque motivo festi conceptionis spectari potest *vel* ratione habita temporis quo festum in Oriente atque in Occidente ante solemnem romanae ecclesiae institutionem celebrabatur, *vel* ratione habita temporis quod institutam receptamque in romana ecclesia solemnitatem consequutum est. Porro sive prius sive posterius deligatur, proposita interpretatio de festi obiecto motivoque ea est, quae sicuti probari nequit, ita omnino improbetur oportet. Sane I. de obiecto atque motivo festi ante annum MCDLXXVI., quo primum auctoritate Sixti solemniter institutum constat, non aliunde ferre iudicium licet quam ex monimentis Orientis et Occidentis, quae ad utrumque referuntur et utrumque maiori minorive perspicuitate demonstrant. Atqui [8]) ea est monimentorum plane om-

1) De concept. cap. XXXIII. n. 4.

2) In III. dist. III. q. I. a. V.

3) Vit. beatae Mariae P. II. diss. XIII. sect. I. nn. 6. seqq. pagg. 384-385. T. V.

4) Hos inter censendus est Bartholomaeus tridentinus, qui ante medium seculum XIII. sanctorum vitas scripsit, cap. XVIII. de epiphan. Domini.

5) S. III. p. q. XXVII. a II. *Utrum beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.* Pro parte aiente tertio loco argumentatur inquiens: « Non celebratur festum nisi de aliquo sancto: sed quidam celebrant festum conceptionis beatae Virginis; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, et ita quod ante animationem fuerit sanctificata. » Respondet vero: « Ad tertium dicendum, quod licet romana ecclesia conceptionem beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda: nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta, sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potiusquam conceptionis in die conceptionis. » Sepositis autem quae *ad historiam cultus* pertinent, et de quibus iuverit animo superiora reputasse; haec succurrunt quae adnotem. I. Loquitur Thomas de obiecto deque motivo festi ante romanae ecclesiae institutionem et multiplices disertasque ab eadem profectas declarationes. Nimii ergo sunt qui ad Thomam provocant, ut de utroque post romanae ecclesiae institutionem declarationesque multiplices aestimetur. II. Titulus articuli, *utrum beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem:* illatio his comprehensa verbis, *quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta, et ita quod ante animationem fuerit sanctificata:* et vulgatus apud priscos theologos usus ostendunt, nomine conceptionis a Thoma significari conceptum seminis qui animationem praevertit, non ipsam animationem conceptumque personalem. Atqui nihil verius quam intellectum hoc sensu conceptionem non coli, immo neque coli posse. III. Quum in opinione versetur, quando primum anima in corpus infundatur, et quando primum personalis conceptio incipiat; sententia Aquinatis huc redit: conceptio ante animationem est incapax sanctitatis, proindeque cultus. Ignoratur autem quando primum cum foetu anima copuletur; si ergo colitur conceptio, utique non colitur citra habitum ad animationem et sanctificationem. Sed IV. fuit nec ne sanctitas comes animationis? Hanc quaestionem Thomas non dirimit, et unum contendit, non antea fuisse Deiparam sanctam quam animatam. Et anne qui esse ante animationem sancta potuisset, quum nondum exsisteret? Quare V. Thomae doctrina rite accepta ad rationem praesentis cultus apte satis accommodatur. Neque enim foetus colitur animae expers, neque colitur propter sanctitatem quae animationem anteverterit; sed colitur foetus animatus propter sanctitatem non succedentem maculae, sed a contrahenda macula praeservantem.

6) Quodlibet. VI. q. XV.

7) In III. q. I. n. 14.

8) nn. 1661. seqq.

Digitized by Google

nium vis ac ratio quae luculenter persuadet in Oriente pariter et in Occidente fuisse celebratam non conceptionem seminis, sed conceptionem personalem cum animatione cohaerentem, et hanc idcirco fuisse celebratam quod [1]) gratiae munere innoxia sanctaque censeretur. Adducta igitur interpretatio ad tempus relata quod romanam institutionem praevertit, falsa est ac plane digna quae repudietur.

1701. Multo autem a veritate alienior ac reprehensione dignior videbitur, si cum temporibus Sixtum insequutis componatur. Quemadmodum enim solemniter negavit [2]) Sixtus non aliam ab ecclesia romana honorari Deiparae conceptionem nisi spiritualem, quaeque ipsa sit in materno utero sanctificatio; ita tam [3]) idem Sixtus quam [4]) ex successoribus plures editis constitutionibus significarunt, festi obiectum personali conceptione comprehendi, illius autem motivum a sanctitate non distingui quae conceptionem personalem animationemque a labe originalis transgressionis praeservarit. Hinc ne recentiores laudem Pontifices, Alexander VI. anno MDII. innovata [5]) Sixti constitutione, *Grave nimis*, pergit: «Cum autem sicut non sine animi molestia accepimus, nonnulli diversorum ordinum religiosi effectum litterarum praedictarum forsam ignorantes, aut illas temerariis ausibus contemnentes, in sermonibus et praedicationibus ad populum et alias publice per diversas civitates et terras

1) Antonius Calderonus in op. pro titulo imm. conceptionis cap. VII. n. 1. pagg. 417-418. de hac interpretatione, aliisque similibus verba faciens scribit: «Miram tibi prorsus esse confidentiam, qua recentiores nonnulli hasce expositiones ab antiquis scholasticis mutuantur, eorumque auctoritate munitos se volunt; quum tamen constet antiquos non aliam ob causam eas excogitasse, quam quod viderent ab ecclesia romana non celebrari festum conceptionis, atque ideo ne damnarent eos qui sine auctoritate romanae ecclesiae illam colebant, eorum factum et mentem benigne interpretabantur. Quod si post Sixtum IV. scripsissent, et vidissent romanam ecclesiam marianae conceptioni cultum exhibentem, procul dubio rem plane amplecterentur, abstinerentque ab illis expositionibus, in quas reverentia in sedem apostolicam et erga proximos amor et modestia eos induxerant.» Similia repetit n. 2. pagg. 418-419. Sed quamquam ego neque velim neque possim inficiari discrimen quod hac in causa vetustiores theologos ab iis secernit qui post Sixtum floruere; puto tamen excusari quidem priores illos posse, nullatenus vero dignos esse qui impensius laudentur. Excusari possunt tum quod ratio festi pontificia institutione pontificiisque declarationibus nondum plenius innotuerit, tum quod ea ipsa aetate vixerint, quae neque historica eruditione neque librorum copia excelleret; sed laudari idcirco non debent quod interpretationes ad arbitrium satius excogitatas quam ex inspectis rite factis consultisque ecclesiarum monimentis apte deductas protulerint: et quod nescio qua conceptionis specie unice occupati, eum ecclesiis cultum tribuerint qui ab ipsarum mentibus consiliisque semper abhorruit. Verissima namque sunt quae de festi obiecto ac motivo Alexander VII. his verbis complexus est: «Sane *vetus* est Christifidelium erga eius beatissimam matrem virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis redemptoris a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque *in hoc sensu* conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium.»

2) nn. 1639. seqq.

3) nn. 1691. seqq.

4) Ibid.

5) Constitut. edit. VIII. kal. Martii anno MDII. *Illius qui.*

Digitized by Google

varias opiniones circa contenta in ipsis eisdem litteris *contra earum tenorem* in medium proponere, et quidam unum, alii vero reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo variae opiniones imprimuntur et scandala non modica generantur; Nos auctoritate apostolica, tenore praesentium decernimus et declaramus, praeinsertas litteras et singula in eis contenta perpetuis futuris temporibus, donec per sedem apostolicam aliter decisum et ordinatum fuerit, inviolabiliter observari debere. » Prohibet igitur damnatque Pontifex *varias* illas quae spargebantur *opiniones circa contenta in litteris Sixti contra earum tenorem.* Litteris autem Sixti duo potissimum continebantur, initio quidem a romana ecclesia [1]) festum celebrari personalis conceptionis, deinde vero hoc ideo festum celebrari quod personalis Deiparae conceptio eiusque animatio hereditariae exsors labis pie crederetur. Reiicit igitur configitque Pontifex eas litterarum Sixti interpretationes, quae hisce de obiecto deque motivo celebratae conceptionis adversentur. Fuit propterea cur [2]) Antonius Calderonus inferendo concluderet: « Sciant ergo re-

1) Hisce moneor ut obiter nonnulla perstringam, quae ad causae expolitionem non leviter conferunt. Itaque I. ecclesiae numquam mens fuit inanimatum colere foetum, sed tamquam festi obiectum constanter habuit foetum animatum, illumque animatum beatissima Virginis anima, quam Deus praevenit in benedictionibus dulcedinis et a quavis noxa integram puramque servavit. Obtinuit quidem penes veteres theologos, obtinuit et penes Bernardum, ut conceptionis nomine inanimatus foetus exprimeretur; sed ecclesia neque ante neque post Sixtum hoc umquam sensu conceptionem coluit, deque ea festum celebravit. Germanum sensum omnium accuratissime definivit Scotus, ut Vasquius in III. p. disput. CXVII. pluribus ostendit, illumque innuit Thomas scribens III. p. q. XXVII. a. I. ad 4: « Peccatum originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura quam proprie respicit peccatum originale; quod quidem fit, *quando proles concepta animatur.* » Igitur Thoma auctore, rite dicitur *prolis animatae conceptio.* Ad haec II. non est cur minus probetur, quod veteres theologi, Albertus in III. dist. III. a. IV., Bonaventura in III. dist. III. a. I. et q. I. ac Thomas ibid. q. I. aa. I-II. et III. p. q. XXVIII. a. II. passim inculcant, foetum animae expertem neque haberi neque dici *sanctum* posse. Sanctitas enim dos est spiritus, et absonum plane est ut eiusdem subiectum nuda caro videatur. Hinc III. quod Bellarminus de amiss. grat. et statu peccat. lib. IV. cap. XVI., Thyrsus Gonzalez de concept. disput. II. sect. VII. n. 57., aliique ad seminis conceptionem respicientes docent, Deiparam in peccato originali fuisse conceptam, simili de causa nonnisi laxius et improprie intelligi posse. Ut enim Thomam loquentem audivimus, *originale peccatum proprie respicit humanam naturam.* Humana autem natura tum primum existit, *quum proles concepta animatur.* Ante animationem ergo nequit originis culpa nisi laxius atque improprie contracta censeri. Sed quo tandem sensu? Hoc opinor, quod anima in foetum immissa communi lege seminaliterque propagatum, continuo peccati labe inficeretur, nisi per merita Salvatoris gratia adesset, quae tantam perniciem averteret. Tandem IV. nequeunt ad festum conceptionis quod in ecclesia agitur illa referri quae veteres theologi de conceptione disputarunt, quin conceptio inchoata cum perfecta, et conceptio carnis cum conceptione humanae naturae ac personae praepostere confundantur. Ecclesia enim die VIII. Decembris neque solam colit Virginis in materno utero sanctitatem, neque solam materialem inchoatamque conceptionem, sed perfectam personae conceptionem debitis honoribus veneratur. Quum autem perfecta personae conceptio sit, ut in scholis loquimur, *obiectum materiale quod*, huic cen *motivum obiectumque formale* sanctitas gratiaeque dona respondent. Quemadmodum enim ecclesia sanctum plane nullum colit, quod homo ipse fuerit, sed quod in gratia et sanctimonia ad extremum usque perseverarit; ita non colit conceptionem quod per ipsam Deipara humanam naturam acceperit, sed quod humanam naturam in primo instanti sanctam et immaculatam acceperit.

2) Pro titulo imm. concept. cap. VII. n. 3. p. 421.

Digitized by Google

centiores post Sixtum theologi quicumque romanae ecclesiae sensum circa festum conceptionis alio torquent quam ut de immaculata intelligatur, et ad id persuadendum refricant antiquorum expositiones; se non solum illorum auctoritate abuti, quum caussa sit longe diversa, sed explicationes amplecti ab Alexandro VI. damnatas. »

1702. *Corollarium II. Ferri non debent qui licet fateantur naturalem perfectamque Deiparae conceptionem honorari, vim tamen rationemque solemnitatis eo revocant, ut celebretur conceptio non quod in se atque actu fuerit sancta, sed prae sanctitate mox futura, vel ut eadem in gratiarum actionem et tamquam nostrae reparationis initium pio cultu frequentetur.* De Bandello, Caietano, Silvio, aliisque nonnullis, qui hasce interpretationes ab Aegidio romano, Capreolo, Paludano, Iohanne de Neapoli et Antonino mutuo sumptas instaurarunt, videri possunt [1]) Vasquius, Suarius [2]), Thyrsus Gonzalez [3]), Calderonus [4]) Nierembergius [5]), et uno verbo quot-

1) In III. p. disput. CXVII. cap. V.

2) In III. p. disput. III. sect. V. T. II.

3) De concept. sect. VIII.

4) Pro titulo Imm. concept. cap. VIII.

5) De perpetuo obiecto festi conceptionis capp. XXVII-XXVIII. Aegidius Lusitanus de concept. lib. III. q. VI. a. I. de hac interpretatione scribit: « Huic explicationi resistit sensus omnium fidelium, qui conceptionem Iliam ut penitus sanctam et immaculatam celebrant. Deinde evidenter resistunt verba Sixti IV. » Bartholomaeus Medina olari nominis theologus, sed in hoc controversiae genere a privatis placitis non omnino solutus sic habet in III. p. q. XXVII. a. II. « Ut nullus sit error nec speculativus nec practicus in celebrando conceptionis festo, securissimus modus est celebrare illud punctum, in quo sanctificata est beata Virgo et plenitudine gratiae decorata, abstrahendo an sit concepta cum peccato originali nec ne. Nam quod fuerit sanctificata et plena gratia in utero, certissimum est; quod autem fuerit praeservata nec ne, adhuc sub lite est. » Videlicet celebrationis ratio omnium tutissima atque securissima illa est, qua ecclesiae obsequimur, romanisque Pontificibus ad unguem obtemperamus. Sed ecclesia celebrat naturalem Deiparae conceptionem gratiae donis auctam et a peccati labe praeservatam, romani vero Pontifices idem festum indicunt, illosque compescunt qui aut alio quam conceptionis nomine utuntur, aut nonnisi spiritalem conceptionem honorari tuentur. Haec est igitur celebrandi ratio unica tuta atque secura. Sed sub lite est, utrum Deiparae conceptus fuerit immaculatus. Ita ne vero? An sub lite est quod universa confirmat ecclesia? An sub lite est quod romani Pontifices contestantur? An sub lite est, quod impugnari nequit? An sub lite est quod omnium ore decantatur quum in ecclesiasticis officiis solemnique liturgia conceptio *sancta* dicitur et *immaculata*? Multo igitur sapientius eiusdem ordinis theologus Iohannes a sancto Thoma postquam disput. II. de approbat. doctrinae divi Thomae art. II. accurate ostendit, nihil ab Aquinate traditum quod receptae in ecclesia doctrinae de Virginis conceptione adversetur, obiectioni occurrens ait: « Ad secundum in quo obiicitur, divum Thomam dum dicit celebrari potius festum sanctificationis quam conceptionis, contrariari decreto Gregorii XV. iubentis ubique sub nomine conceptionis celebrari; respondeo, omnino insulse et inaipienter id obiici. Primo quidem quia divus Thomas non reddit ibi rationem celebrationis huius festi eo modo quo nunc facit ecclesia romana, sed reddit rationem quare tunc tolerabat romana ecclesia illam celebrationem in aliis ecclesiis, ipsa tamen non celebrabat; et dicit hoc fecisse tunc quia attendebat magis ad sanctificationem quam ad conceptionem. Quae ratio optima est respectu illius tolerantiae quae tempore divi Thomae erat, pro quo casu non loquitur decretum Gregorii. Nunc vero iam ecclesia non solum tolerat, sed et praecipit illud festum, in quo casu non loquitur sanctus Thomas. Unde ergo contrarietas est inter dictum sancti Thomae et decretum Gregorii? Secundo, quia aliud est agere de nomine seu titulo sub quo celebrari debet hoc festum, aliud de ratione celebrandi. De nomine non negat divus Thomas, quin potius admittit non esse reprobandam festivitatem de conceptione (ecce titulus seu nomen sub quo celebratur), de ratione vero celebrationis dixit potius esse sanctificationis festum quam conceptionis. Et hoc verum est, quia non celebrat ecclesia de aliquo nisi ratione sanctitatis, et Gregorius XV.

quot caussam immaculatae conceptionis tuendam vindicandamque susceperunt. Nos in re plana atque expedita erimus omnino brevissimi, et una alterave exceptione infelicia commenta profligabimus. Quum itaque I. de motivo agitur alicuius festi in ecclesia recepti ac solemnis, integrum non est pro voluntate illud comminisci; sed ipsa interroganda est ecclesia, eius conferenda monimenta, eiusque declarationes si quae forte prodierint, morigeris auribus animisque excipiendae. Porro conceptionis festum, quod in Oriente atque in Occidente celeberrimum erat ante Sixtum, longe refulsit post Sixtum celebrius. Aequum igitur fuit ut in quaestione de huius festi motivo non fingerentur hypotheses, non possibilia referrentur, neque praeceptae animo opiniones fixaque in antecessum placita consulerentur; sed interrogaretur ecclesia, atque ex eius veluti labiis quid tenendum esset, candide hauriretur. Atqui ecclesiastica ante Sixtum monimenta, ipsius Sixti constitutiones, et quae a romanis Pontificibus [1]) post Sixtum dimanarunt, omnia et singula ostendunt conceptionem ideo coli non quod Deipara mox sancta futura esset, licet in ipso conceptu labe vitiata, sed quod eiusdem conceptus sanctus primum fuerit atque intemeratus. Praeterea II. quid sibi vult conceptionem honorari non propter sanctitatem praesentem, sed propter sanctitatem Deiparae mox futuram? Semotis ambagibus, verbisque rite explanatis huc totum redit, conceptionem in se utpote labe originali infectam coli non posse, coli tamen in ipsa conceptione Deiparam, utpote sanctam mox futuram. Clamat vero ecclesia ipsam coli conceptionem, quam sanctam, quam puram, quam immaculatam appellat; negatque in conceptione coli Deiparae sanctitatem, qua mox a peccati labe tergenda esset. Ea igitur nobis interpretatio obiicitur, quae ab ecclesiae sententia sic abludit, ut eidem funditus refragetur,

1703. Neque III. potior est altera, aut quae sese felicius commendet. Non negamus conceptionem celebrari [2]) in gratiarum actio-

iubet sub nomine conceptionis celebrari, de ratione vero celebrandi nihil dicit. Tertio, illa restrictiva *potius* celebrat festum sanctificationis quam conceptionis, non negat conceptionem celebrandam (imo ly *potius* supponit etiam de illa celebrari), sed quid potiorem rationem celebrationis obtineat, ostendit: aliud est enim *potius* sanctificationem attendi, aliud est conceptionem excludi. »

1) Quae his prima fronte contraria afferuntur ex Bellarmino de cultu sanctorum lib. III. cap. XVI., egregie explanant Calderonus pro titulo imm. conceptionis cap. V. §. XVIII. pagg. 191. seqq., Thyrsus Gonzalez de concept. sect. VIII. n. 68., Nierembergius de perpetuo obiecto festi conceptionis cap. XXXI. Benedictus Plazza op. cit. act. V. art. II. nn. 223. seqq., pagg. 448. seqq. et Antonius Grevois op. cit. §. XVIII. nn. 221. seqq. Nos ideo nihil addemus, quod doctissimi Cardinalis mens exploratior sit quam ut ambigi de ea possit.

2) Eremitae augustiniani in Breviario anno

Digitized by Google

nem, quum quisquis ultro fateatur primam Deiparae originem singulare fuisse beneficium: neque negamus conceptionem celebrari, quod iacta ea fuerint nostrae reparationis initia; diserta namque sunt quae omnium ore canuntur: *conceptio tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo, ex te enim ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster*. Ecquid igitur negamus? Negamus scilicet his efferri proprium festi obiectum ac motivum, pariterque negamus permitti posse ut quae coniunctim atque altero loco sumi debent, eadem *exclusive*, ut aiunt, usurpentur. Pertinent sane ad conceptionis festum gratiae Deo referendae, pertinet pia inchoatae nostrae salutis recordatio, pertinent et huius generis alia; sed neque haec dumtaxat pertinent, neque sic pertinent ut iisdem festi obiectum et motivum coalescant. Haec enim uni conveniunt Deiparae conceptioni, quae gratiae munere sancta exstiterit, quaeque singulari praerogativa non culpae tenebris inhorruerit, sed gratiae splendoribus emicarit. Scite [1]) Calderonus: «Ecclesia in hoc festo non tantum agit gratias Deo ob iacta fundamenta nostrae reparationis, sed ipsam conceptionem veneratur, ut ex officio ecclesiastico aperte constat. Alioquin festum non esset conceptionis, sed gratiarum actionis; neque cultus aliquis deferretur conceptioni, immo neque ipsi Virgini, sed soli Deo qui unus est tanti beneficii auctor, et cui solum non Virgini grates referuntur. At ecclesia conceptionem ipsam colit, et de ea solemnitatem instituit: *conceptionis*, inquit, *eius votiva solemnitas;* ergo sanctitatem ipsius conceptionis agnoscit.»

1704. *Corollarium III. Duplici certitudine humana et humano-divina novimus, obiectum festi ipsam esse naturalem Deiparae conceptionem, motivum vero sanctitatem eximio Dei per Christum privilegio cum conceptione cohaerentem*. Humanam dico certitudinem, quae industria studioque humano ex authenticis fideque dignis instrumentis citra omnem dubitationem hauritur; certitudinem vero humano-divinam illam voco quae tota innititur ac prope incumbit testificationi ab hominibus quidem profectae, sed quibus Dei Spi-

MCDLXI. a fratre Iacobo de Brixia elucubrato, ita frequentabant festum conceptionis in gratiarum actionem ut simul immaculatae Deiparae originem venerarentur. Quo haec omnino spectant ex responsorio secundi nocturni: *sancta et immaculata fuit conceptio virginis Mariae, per quam meruimus redemptorem vitae suscipere Christum Deum nostrum*. Tum haec ex priore antiphona primi nocturni:

»Ave mater mitis agni, »Qui te fecit sine macula,
»Cuius nomen regis magni; »Nostra peccata diluat.

1) Pro titulo imm. concept cap. VIII. n. 3. pagg. 452-453.

Digitized by Google

ritus ita adest ut ipsos regat neque ab eo sinat quod verum rectumque est aberrare. Iamvero I. quum praesto nobis instrumenta fuerint fide dignissima, sic illa expendimus atque in partes omnes [1]) versavimus ut probe intellexerimus, festum conceptionis ex mente consilioque ecclesiae ad naturalem Deiparae conceptum gratiae praerogativa immaculatum, tamquam ad proprium obiectum motivumque referri. Humana ergo certitudine novimus, obiectum festi ipsam esse naturalem Deiparae conceptionem, eiusdem vero motivum a sanctitate cum ea conserta nullatenus distingui. Ad cumulum II. accessit multiplex romanorum Pontificum eodem spectans [2]) testificatio, illaque inprimis quam Alexander VII. tulit, quamque catholica ecclesia non obsequens modo sed laetitia gestiens excepit. Atqui testificatio haec est quae auctoritatem humano-divinam sibi vindicat, utpote ab iis ecclesia suffragante profecta, quos veritatis Spiritus temperavit ac rexit. Duplex igitur nobis suppetit certitudo, humana et humano-divina qua suffulti affirmemus, receptum in ecclesia conceptionis festum eo spectare, ut naturalis Deiparae conceptus propter praeservantem gratiam immaculatus omnium animis omniumque linguis honoretur.

ARTICULUS IV.

De ratione theoreticae propositionis, qua motivum festi conceptae Deiparae effertur: multiplices eiusdem propositionis notae et characteres explanantur: de illo nominatim agitur quo haberi ipsa debet veluti exceptio ab universali eoque revelato doctrinae capite: colligitur, propositionem de qua quaeritur quaeque huc redit, ut conceptio Deiparae immaculata affirmetur, esse certam, infallibilem et ad depositum divinae revelationis pertinentem.

1705. Quemadmodum festum tempore vetustum, lege indictum et cum ecclesiasticis officiis sacraque liturgia intime consertum, quo Deiparae origines mirifica catholici nominis suffragatione celebrantur, seiungi *a motivo* nequit quod ad illud frequentandum impellit ac movet; ita aliud neque est neque adduci rite potest *eiusmodi motivum*, nisi quod ad assensionem huic theoreticae propositioni adiunctam revocetur: *beatissimam Virginem in suis pri-*

1) nn. 1661. seqq.

2) nn. 1695. seqq.

Digitized by Google

mordiis suaque conceptione singulari privilegio propter merita redemptoris ab originali labe immunem fuisse ac solutam. Ideo namque tot religionis officiis tantaque festi solemnitate conceptam Deiparam colimus, quod illius originem sanctam et conceptionem immaculatam existimamus, quodque cum ecclesia Coptorum unanimes [a]) repetimus: « Tu ex Adam sine seductione creata es, tu ex Eva effecta homo libera a doloribus partus ac morte. » Si hanc e medio persuasionem sustuleris, si infregeris, si infirmaris; ipsum pariter cultum omniaque pietatis officia e medio tollis, infringis, infirmas. Hinc vigiles romanorum Pontificum curae, studiaque in dies maiora [1]) sive declarandi motivi cui festum innititur, et quo ceu anima festum informatur, sive cavendi ne sincerum germanumque motivum cum praeposteris fictisque commisceretur.

1706. Atque haec quidem manifesta sunt, quibus illud mox succedit haud paullo impeditius: *cuiusmodi censeri debeat ratio theoreticae propositionis, qua festi motivum exprimitur, et primordia Virginis immaculata perhibentur.* Ea ne nobis [2]) est probabilis dumtaxat aut probabilior, vel certa potius, infallibilis atque ambitu divinae revelationis comprehensa putari debet? Non prius huic interrogationi licet occurrere, quam fuerit *norma* definita e qua iudicium de ratione propositionis repetatur. Haec autem varia est ac multiplex, neque minus patet quam ea sese porrigant quae u

a) Theotoc. pag. 143. tetrast. III.

ⲁⲕⲥⲱϯ ⲛⲁⲗⲁⲁⲙ ⲉⲃⲟⲗϩⲉⲛ ϯⲁⲡⲁⲧⲏ ⲁⲕⲉⲣ ⲑⲧⲁ ⲛⲣⲉⲙⲉⲉ ϩⲉⲛ ⲡⲓ ⲡⲁⲕⲉⲓ ⲛⲧⲉϥⲙⲟⲩ ⸗

1) nn. 1687. seqq.

2) Gregorius de Valentia T. IV. disput. II. q. I. puncto II., et cum ipso alii plures eiusdem aetatis theologi quos laudat Thyrsus Gonzalez de concept. disput. II. sect. XIV. piam sententiam dicunt *opposita probabiliorem.* Franciscus Suarius T. II. in III. p. disput. III. sect. VI. censet, eamdem *intra fines probabilitatis ad summum veluti fastigium pervenisse.* Granadus de concept. disput. III. cap. XXX., Salazar de concept. cap. XLIII. §. II., pluresque alii affirmant, doctrinam de immaculata conceptione esse *moraliter certam ac moraliter evidentem, et tot tantisque communiri motivis, ut vix praesto aliquid sit quod illi graviter opponatur.* Edita Alexandri VII. constitutione, testibus Cardenas in crisi theologica tract. I. disput. IX. cap. XVIII. a. II. n. 265., Thyrso Gonzalez op. cit. 154., et Cardinali Everardo P. II. examinis theologici, hoc penes theologos iudicium praevaluit; doctrinam de immaculata conceptione esse *adeo certam, ut illi neque physice neque metaphysice error subesse queat.* Idem ante Alexandrum senserant argumentisque propugnarant Aegidius lusitanus de concept. lib. III. q. VI. §. IX., Nierembergius *de sanctitate instituti festi conceptionis*, et ne sim prolixior, Antonius Calderonus in op. pro titulo imm. concept. cap. IX. n. 14. inquiens: « Veritas immaculatae conceptionis quamvis de fide non sit, quia nondum ecclesia illam definivit, tamen postquam ecclesia illam solemni cultu prosequitur, excessit statum opinionis, estque adeo certa ut a parte rei non possit esse falsa; quod plerique theologi satis probabiliter defendunt, et nos libenter amplectimur. » Quod multo libentius esset amplexus, si tot alia in numeratis habuisset quae nos retulimus.

Digitized by Google

praesentis caussae initiis hucusque disseruimus. Nihil enim retulimus, nihil effecimus, nihilque demonstravimus, e quo norma aliqua peti non possit. Peti siquidem potest [1]) ex adumbrata Virginis idea, peti potest [2]) ex eiusdem appositis usu maiorum receptis, peti potest [3]) ex universa quam enarravimus typologia, peti potest [4]) ex accommodatione Scripturarum quam de Virgine usurpatam ostendimus, peti potest [5]) ex Bibliorum oraculis quae ad eiusdem origines referuntur, peti potest [6]) ex maiorum doctrinis a quibus fides de immaculato conceptu seiungi nequit, peti potest [7]) ex disertis inculcatisque veterum suffragiis, ac peti tandem potest [8]) ex festo cuius proprias dotes sedulo inquisivimus diligenterque vindicavimus. Sed quamquam tot nobis praesto sint, e quibus necessariam normam depromamus; nihilominus reliquis omnino omnibus sepositis, quorum sequenti postremaque sectione ratio habebitur, non aliam in praesentia regulam adhibebimus, nisi quam conceptionis cultus festumque suppeditant. Toti igitur in hoc erimus, ut certis indiciis argumentisque aperiamus *cuiusmodi aestimari debeat theoretica propositio de immaculato Deiparae conceptu, si prae festo praeque cultu consideretur, cuius forma ipsa est, ratio ac motivum.*

1707. Principio itaque animo recolatur, propositionem theoreticam de immaculato Deiparae conceptu formam esse, rationem ac motivum non festi cultusque cuiuscumque, sed quemadmodum abunde [9]) effecimus, eius festi eiusque cultus *qui sit tempore antiquissimus, amplitudine universalis, lege praescriptus et cum publicis ecclesiae precibus sacraque liturgia multiplici intimoque nexu devinctus.* Character igitur huiusce propositionis is esse debet qui proportione respondeat antiquitati, catholicae amplitudini, necessitati lege iniunctae et celeberrimae solemnitati, quae veluti dotes religiosum conceptionis festum insigniunt atque ornant. Talis autem neque est neque videri potest *maior minorve probabilitas*, quae nihil impedit quominus [10]) a veritate seiuncta cum errore et men-

1) Sect. I.
2) Sect. II.
3) Sect. III.
4) Sect. IV.
5) Sect. V.
6) Sect. VI.
7) nn. 1580. seqq.
8) nn. 1660. seqq.
9) nn. 1663. seqq.

10) Praeclare Bellarminus in libello quem Nierembergius citat de conceptionis obiecto cap. III., quique exhibitus fuit congregationi Cardinalium coram Paulo V. anno MDCXVII. habitae. Ut enim ostendat fieri non posse, ut aliquando doctrina de immaculata conceptione authentice improbetur, inde argumentum mutuatur: «Quod hoc esset dicere, quod sedes apostolica erraverit in approbando officio conceptionis, et tota ecclesia erraverit in recipiendo; quod certe falsissi-

Digitized by Google

dacio copuletur. An putabimus ecclesiam ab antiquissimis usque temporibus in periculo erroris versatam? Neque hanc illamve particularem ecclesiam, sed omnino universam tam orientalem quam occidentalem? An putabimus non permissum dumtaxat fidelibus sed prorsus mandatum, ut religione ceu sanctum prosequerentur mysterium, cui forte nihil minus quam sanctitas conveniret? Illudque religione prosequerentur non utcumque, sed publicis officiis, precibus solemnibus atque ipsa etiam liturgia? Longissime haec distant ab idea catholicae ecclesiae, neque talia sunt quae ullatenus cum ornamentis cohaereant, quibus corpus suum mysticum a Christo auctum, suamque ditatam sponsam profitemur. Si vere Augustinus ab Ianuario interrogatus [1]) scripsit, *ad haec itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinae Scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat ecclesia. Nam et hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.* Verum ex aequo erit insolentissimae insaniae arbitrari, ab erroris periculo immune integrumque non esse quod ecclesia ab antiquissimis temporibus, ubique terrarum, dicta lege, solemnique cultu praedicavit et praedicat. Eiusmodi porro est theoretica propositio, qua immaculatus Deiparae conceptus veluti festi motivum annunciatur. Insolentissimae igitur insaniae foret non alium roboris firmitatisque gradum huic propositioni tribuere, quam qui maiori minorive probabilitate continetur. Cuiusmodi itaque ipsa habebitur? Omnis plane [2]) expers erroris, atque adeo *certa*.

1708. Enimvero ad ecclesiam pertinere scimus quae [3]) sequun-

mum et erroneum est. Nec potest responderi, quod in officio conceptionis non approbatur conceptio corporalis immaculata, sed sanctificatio in utero post animationem. Nam Sixtus IV. qui approbavit officium, declaravit animum suum in extravaganti *Grave nimis*, quae est in corpore iuris, tum in approbando officio Leonardi Nogarolis, in cuius collecta dicitur Virginem *per merita Christi praevisa praeservatam ab omni macula*. Praeterea in responsorio nono dicitur *sancta conceptio*. At non est conceptio nisi in primo illo instanti, in quo coepit esse in rerum natura persona integra Virginis; alioquin si accipiatur conceptio pro sanctificatione post animationem, etiam Ieremias et Iohannes baptista dicentur concepti sine peccato originali. Denique communis sensus fidelium est celebrari conceptionem solius Virginis, quia ipsa sola vere concepta est sine peccato originali. » Haec Bellarminus, qui multo plura et splendidiora diximset, si insequentium Pontificum gesta decretaque praesagire animo potuisset.

1) Epist. LIV. al. CXVIII. n. 6.

2) Hoc adeo verum est ut Gravina eximius dominicanus theologus anno MDCXXX. T. II. praescriptionum q. VI. a. III., totius scholae nomine scribere non dubitaverit: « Proferant nobis adversarii absoluto cultu tamquam primarium obiectum beatam Virginem proponi immaculatam et praeservatam, et iam causa finita erit. » Nimirum quod erudito theologo in votis fuit, id Alexander VII. abunde praestitit an. MDCLXI.

3) Is. LIX. 21. Ex quo oraculo Hieronymus in commentario infert: *Spiritus Dei in ecclesia usque ad finem seculorum permanebit.*

Digitized by Google

tur : « Hoc foedus meum cum eis dicit Dominus : Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum. » Futurum scilicet numquam est ut ex ore ecclesiae verbum excidat veritatis, ac futurum proinde numquam est ut ex eius labiis erroris mendaciique verba resonent. Si quae igitur propositio ore totius ecclesiae frequentetur, lata lege frequentetur, et in publicis officiis solemnique liturgia frequentetur; nulla eidem cum errore cognatio, nulla cum mendacio esse affinitas poterit, sed puram liquidamque necessario refert veritatem. Apposite de ecclesiae precibus [1]) Augustinus : « Utinam tardi corde et infirmi qui non possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione [2]) disputationes nostras, ut magis intuerentur *orationes suas*, quas semper habuit ecclesia et habebit ab exordiis suis donec finiatur hoc seculum. » Et Vitalem alloquens [3]) carthaginiensem presbyterum qui massiliensium errores praeformaverat, ait : « Exsere *contra orationes ecclesiae* disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis ut eos convertat ad fidem, et pro catechumenis ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus ut in eo quod esse coeperunt, eius munere perseverent; subsanna pias voces, et dic te non facere quod hortatur. » In *auctoritatibus* [4]) vero *praeteritorum sedis apostolicae episcoporum de gratia Dei*, quae epistolae [5]) Caelestini ad Galliarum episcopos subiiciuntur, inter cetera legimus : « Praeter has autem beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres, pestiferae novitatis elatione deiecta, et bonae voluntatis exordia et incrementa probabilium studiorum et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt; *obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta* respiciamus, quae ab apostolis tradita [6]) in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur; *ut legem credendi lex*

1) De dono persev. cap. XXIII. Quibus adiungi debent quae Hieronymus scribit in dialogo adver. luciferianos cap. IV., quaeque cardinalis Bona tradit rer. liturgic. lib. I. cap. VII. §. III.

2) De necessitate interioris gratiae ad salutare fidei initium, salutaremque in fide perseverantiam.

3) Epist. CCXVII. al. CVII. n. 2. Consona repetit n. 26. et passim in libris contra pelagianos et semipelagianos editis.

4) Cap. XI. n. 12. p. 1198. apud Coustantium.

5) Est autem epistola XXI.

6) Et nominatim a Paulo I. Tim. II. 1. seqq., cuius verba refert et insigniter explanat antiquus auctor operis de vocat. omnium gentium lib. I. cap. XII.

Digitized by Google

statuat supplicandi. » Quare omnem prorsus curam magistri ecclesiae adhibuerunt, ne quid in ratas solemnesque preces irreperet, quod cum mysteriorum sanctitate doctrinaeque veritate adamussim non conspiraret. Cuius sollicitudinis argumentum praebent splendidissimum tum [1]) plurimi hac de re canones antiquitus editi, tum quae sequiori etiam aetate [2]) Theodulphus aurelianensis, Riculphus suessionensis [3]) et Capitularium auctores [4]) decreverunt.

1709. Porro universum catholicum nomen, ubique terrarum, stata lege, in publicis officiis tremendaque liturgia nunc Deiparam exorans ait, *regina sine labe originali concepta ora pro nobis*, et *sentiant omnes tuum iuvamen quicumque celebrant tuam sanctam conceptionem:* nunc gaudio gestiens canit, *immaculata conceptio est hodie sanctae Mariae virginis*, et *immaculatam conceptionem virginis Mariae celebremus:* nunc Deum laudat *in conceptione immaculata:* et nunc fusis ad eumdem precibus exclamat, *Deus qui per immaculatae Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, eius nobis intercessione concede, ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus.* Theoretica igitur propositio de conceptu Deiparae hereditariae labis expertis eam praefert veritatem, quam lingua ipsius ecclesiae sibi vindicat, quam sibi vindicat mysticum Christi corpus, et qua publicae solemnesque preces exspoliari citra sacrilegium non possunt. Haec autem veritas est certa non tantum certitudine humana, sed certa etiam certitudine humano-divina [5]) ac prorsus infallibili. Assertorem namque habet Dei Spiritum, qui suo numine ecclesiam sustentans efficit ut si qui ipsam non audierint, ethnicis et publicanis suo merito accenseantur. Infallibilis ergo est certitudo, qua propositio de immaculato conceptu excellit ac fulget.

1710. Ac maiorum quidem auctoritate testatissimum est, neminem pie coli religionisque officiis honorari qui non decoretur sanctimonia, gratiaque Spiritus non sit ad consortium divinae naturae provectus. Huic namque doctrinae unanimes suffragantur pa-

1) Videsis quae statuta leguntur in cod. afric. can. III., in synodo carthag. III. can. XXIII., et in synodo bracarensi III. can. I.

2) In epist. ad clerum cap. IV.

3) In suo capitulari.

4) Apud Baluzium in capitularibus Caroli calvi T. II. pag. 26.

5) Sicut enim certitudine humana et humanodivina constat, motivum festi propositione contineri qua immaculatus Deiparae conceptus exprimitur; ita utroque certitudine de hac propositionis veritate indubii reddimur.

Digitized by Google

tres, suffragantur mediae aetatis scriptores, et universum suffragatur catholicum nomen. Ecquis enim catholicorum patienter ferret ut pietatis obsequia religionisque honores ei tribuerentur, qui sanctus non foret ac dubio procul crederetur? Hinc quae docet [1]) Alexander halensis inquiens: « Non fallitur omnino sancta ecclesia celebrans sanctum natae Virginis diem. Sed statui in peccato non debetur gaudium nec solemnitas, sed luctus; ergo quum nativitati beatae Virginis debeatur gaudium et solemnitas, patet quod eius nativitas fuit sancta; ergo beata Virgo fuit prius sancta quam nata. Quia si esset nata in peccato, potius esset flendum de sua nativitate, quam gaudendum. » Hinc quae Thomas [2]) scribit: « Ecclesia celebrat nativitatem beatae Virginis; non autem celebratur festum in ecclesia nisi de aliquo sancto. Ergo beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta; fuit ergo in utero sanctificata. » Atque hinc, reliquis [3]) omissis, quae Bonaventura [4]) tradit: « Dicendum quod pro indubitanti habet ecclesia, videlicet quod beata Virgo fuerit in utero sanctificata; et illud ex hoc patet, quod eius nativitatem tota ecclesia celebrat, quod non faceret nisi sanctificata esset. » Quare [5]) Bernardus toletanus de eodem festo scite monuerat his verbis: « Inde est quod nativitatem tuam sanctam sancta ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod alias non faceret. Denique nullius

1) S. III. p. membr. II. q. IX. a. IV. Neque secus Albertus super *Missus est*, q. CXXVII. n. 1. « Ecclesia celebrando festivat eius nativitatem; ergo fuit sancta quando fuit nata, ergo fuit sanctificata in utero. » Consentit Durandus a s. Portiano in III. dist. III. q. II. Quare Ambrosius Catharinus in disput. pro immac. concept. ad patres concilii tridentini P. I. pag. 102. in eos invectus qui institutas ab ecclesia celebritates in erroris discrimen adducere videbantur, sic habet: « Vos autem dum in eis ordinandis atque instituendis aberrare romanam et universalem ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate conceptionis aberrare contenditis; incertum nobis omnem divinum cultum redditis et nutantem facitis omnem christianam fidem, quam praecipue in divino cultu profitemur atque protestamur. Minus autem insipienter erraretis nullos penitus cultus admittendo, quos ecclesia instituit absque verbo Dei expresso, ut habet lutheranum dogma, quam illos admittendo, fateri simul eos posse esse mendaces, ut cuique liceat ad libitum vel admittere vel negare absque fidei nostrae praeiudicio et scandalo. Mavult enim penitus non coli Deus qui summa est veritas, quam mendacibus coli cultibus aut incertis. »

2) S. III. p. q. XXVII. a. I. Accedit Petrus de Tarantasia, postea Innocentius V., in III. dist. III. q. I. a. I. inquiens: « Fuit profecto Virgo sancta antequam nata; non enim nascens festis laudibus honoraretur, nisi sancta nasceretur. » Accedit et Richardus de Mediavilla in III. dist. III. a. I. q. II. his verbis: « Ecclesia non solemnizat pro alicuius nativitate, nisi fuerit natus in sanctitate. Sed solemnizat pro beatae Virginis nativitate; ergo. »

3) Cf. Nierembergium de sanctitate instituti festi certa et necessaria ad cultum ecclesiasticum §. III. pagg. 69. seqq.

4) In III. dist. III. a. I. q. III., et dist. I. q. I. a. I. ad 4. « Statuta universalis ecclesiae de sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt supra sanctitatem, ut nullo die pro aliquo solemnizet, in quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur. » Cui innixus principio Gregorius ariminensis ad sanctitatem tuendam natae Deiparae ait in II. dist. XXX. q. II. a. II. « Probatio huius sufficiens est, quod ecclesia universalis celebret eius nativitatem, quod non faceret, si cum peccato nata fuisset. »

5) In antiph. *Salve regina*, serm. IV. p. 731. inter opp. Bernardi T. V. Adde quae prorsus gemina habet Innocentius III. serm. I. de sancto Iohanne baptista, pag. 122.

Digitized by Google

praeter te, nisi Domini filii tui et Iohannis baptistae colit nativitatem. »

1711. Quam fidem constantemque sententiam scholae principes mediaeque aetatis scriptores a maioribus acceperant, atque ex ipsorum haustam fontibus sincerissime custodierant. Ut enim ab Origene ordiar, is relatis [1]) verbis, *nemo mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita eius*, continuo [2]) pergit: « Et ut scias esse in hoc grande nescio quid, et tale quod nulli sanctorum ex sententia venerit, nemo ex omnibus sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egisse in die natalis sui, nemo invenitur habuisse laetitiam in die natalis filii vel filiae suae. Soli peccatores [3]) super huiusmodi nativitate laetantur. Sancti vero non solum non agunt festivitatem in die natalis sui, sed et Spiritu sancto repleti execrantur [4]) hunc diem. » Quod illico confirmans exemplis [5]) subdit: « Si placet audire quid etiam alii sancti de ista nativitate senserint, audi David [6]) dicentem: *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea;* ostendens quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, et propterea dictum esse illud quod iam superius memoravimus, quia *nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita eius.* » Propemodum diceretur: sancti Dei spiritu repleti non gaudio et festis sed lacrymis ac moerore dignos existimarunt dies, in quibus homines peccato obstricti primum existunt. Talis autem est natalis singulorum dies; natales igitur dies non festis celebrandos sed gemitibus excipiendos censuerunt. Quid iamvero sentire, quid arbitrari ecclesia debuit? Ipsa nimirum, utpote prae omnibus Dei spiritu plena, non potuit non summopere abhorrere ab eorum festa celebratione dierum, quibus in lucem prodeunt non filii Dei sed filii irae, non iusti sed peccatores.

1712. Ceterum quod tacite Origenes innuit, aperte Augustinus [7]) expressit inquiens: « Spiritus sanctus doceat nos in hac hora quae oporteat dicere, dicturi enim sumus aliquid de laude Cypriani gloriosissimi martyris, cuius natalem hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat [8]) ecclesia, idest, *natales*, ut natales vo-

1) Iob. XIV. 4.

2) In Levit. hom. VIII. n. 3. pag. 239. B-D. opp. T. II.

3) Quo pertinent quae leguntur Gen. XL. 20. et Marc. VI. 21. de festis, quibus Pharao et Herodes proprios natales dies celebrarunt.

4) Liquet ex Ierem. XX. 14, Iob. III. 2-3.

5) Loc. cit. p. 230. B-D.

6) Ps. L. 7.

7) Serm. CCCX. in nat. Cypriani II. n. 1. pag. 871. opp. T. V.

8) Cf. quae Baronius scribit in notis ad martyrolog. rom. die III. Ianuarii.

Digitized by Google

cet pretiosas martyrum mortes. Sic, inquam, hoc nomen frequentat ecclesia, ut etiam qui non sunt in illa, hoc dicant cum illa. Quid est hoc, fratres? Quando natus sit, ignoramus; et quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus. Sed illum diem *non celebraremus*, etsi nossemus. *Illo enim die traxit originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum.* Illo die ex fastidioso matris utero istam processit in lucem quae oculos carnis illecebrat, illo autem die ex occultissimo naturae sinu illam discessit ad lucem, quae visum mentis feliciter et beate illustrat.» Et [1]) paullo inferius: «Sed quum Carthago habuerit cathedram eius, Carthago habeat memoriam eius; *unde* nos celebraremus natalitia eius, nisi esset [2]) *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius?*» Quare ubi celebrat Stephani natalem, his verbis [3]) auspicatur: « Natalem Domini hesterna die celebravimus, servi hodie natalem celebramus; sed natalem Domini celebravimus quo *nasci* dignatus est, natalem servi celebramus quo *coronatus est.* Celebravimus natalem Domini quo *indumentum nostrae carnis accepit*, natalem servi celebramus quo *suae carnis indumentum abiecit.* Sed Domini nostri Iesu Christi *ideo* nativitatis et passionis diem geminae devotionis obsequio frequentat ecclesia, quoniam utrumque medicina est. Nam et natus est ut renasceremur, mortuus est ut in perpetuum viveremus. Martyres autem ad mala certamina nascendo venerunt trahentes originale peccatum, moriendo autem ad bona certissima transierunt, finientes omne peccatum.» Consonat auctor opusculi de partu Virginis, sive [4]) Hildephonsus toletanus ipse sit sive Paschasius Rathbertus [5]) de eadem Virgine scribens: « Alias autem quomodo Spiritu sancto eam replente non sine originali peccato fuit, cuius etiam nativitas gloriosa, catholica in omni ecclesia Christi ab omnibus felix et beata praedicatur? Enimvero si non beata esset et gloriosa, *nequaquam* eius festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat *ex auctoritate ecclesiae* quod nullis quando nata est subiacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale

1) Ibid. n. 3. pag. 871.

2) Ps. CXV. 15.

3) Serm. CCCXIV. in nat. Stephani I. n. 1. pag. 878. opp. T. V.

4) Hildephonso toletano opusculum tribuendum esse, iis confirmare argumentis nisus est Andruzzius in vindic. serm. V. Hildeph. Rom. MDCCXLII., quae Morcellius in comm. ad kalend. constantinopolitanum die VIII. Septembris pag. 136., neque levia neque spernenda existimavit.

5) De partu Virginis pagg. 296-299. in collect. pp. tolet. T. I.

Digitized by Google

peccatum. Unde etsi Ieremiae [1]) dies atque [2]) Iob maledicta pronuntiatur, dies inquam nativitatis eorum: dies tamen quando inchoata est felix Mariae nativitas, beata pronunciatur et colitur religiose satis. Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur et gemebunda potiusquam benedicta, quando nunciatum est patri eius quod nata esset in seculo. Nunc autem quia universam benedictione sua beata virgo Maria illustrat ecclesiam, non immerito sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda. Nullius igitur nativitas celebratur in mundo nisi Christi et eius atque beati Iohannis, Iohannis autem quia et ipse in utero sanctificatus legitur: sic et beata virgo Maria nisi in utero matris sanctificata esset, minime nativitas eius colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius ecclesiae veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur. » Abstineo ab iis describendis quae prorsus gemina beatus Petrus Damiani [3]) repetit atque inculcat, finemque facio Bernardi [4]) verbis: « Et ortum Virginis didici nihilominus in ecclesia et ab ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, *firmissime cum ecclesia sentiens* in utero eam accepisse ut sancta prodiret. » Et [5]) denuo: « *Non fallitur omnino sancta ecclesia* sanctum reputans ipsum eius nativitatis diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. »

1713. Fixum igitur maneat, veritatibus quae concordi maiorum traditione firmantur, hanc adscribi propositionem oportere: *neminem in Christi ecclesia religione coli, piisque obsequiis honorari nisi propter sanctitatem qua niteat, donaque gratiae quibus cum Deo totius sanctitatis auctore copuletur*. De hac enim propositione testatur ecclesia non minus constanti universalique agendi ratione, qua nemini unquam nisi propter sanctitatem festos honores attribuit, quam apertis suffragiis quibus praeceptam animo fidem luculentissime expressit. Atqui nemo neget certam prorsus esse planeque infallibilem propositionem unanimi maiorum traditione suffultam; certa igitur planeque infallibilis videri propositio debet, qua nonnisi propter sanctitatem gratiaeque decus cultum deferri, religionisque officia impendi posse affirmatur. Sed duplici

1) Ierem. XX. 14.
2) Iob. III. 3.
3) Serm. XXIII. in nativit. s. Ioh. Baptistae I. pag. 56. col. 1. B-E. opp. T. II.
4) Epist. CLXXIV. n. 3. pag. 170. opp. T. I.
5) Ibid. n. 5. pag. 170.

Digitized by Google

certitudine tum humana, tum humano-divina compertum est, solemni universalique cultu naturalem Deiparae conceptionem honorari. Eadem igitur certitudine tam humana quam humano-divina compertum esse debet, naturalem Deiparae conceptionem fuisse sanctam atque ita gratiae donis occupatam, ut hereditariae transgressioni nullus omnino aditus patuerit. Quod his verbis paullo secus efferri declararique potest. Infallibili certitudine novimus solemne atque universale festum ad naturalem Deiparae conceptionem celebrandam pertinere. Atqui eadem infallibili certitudine novimus, nemini ab ecclesia festos honores decerni, qui infectus sit culpa, sanctitatisque nitore non splendeat. Infallibili ergo certitudine novimus, naturalem Deiparae conceptum culpae fuisse expertem, sanctitatisque fulgoribus eminuisse.

1714. Verum sunt ne duo haec synonyma, ut quod *infallibile* est, idipsum *revelatum* sit, et quod *infallibili assensione* tenendum proponitur, idipsum *ad depositum* spectet *divinae revelationis, obiectoque* quod nominant *materiali ac formali fidei comprehendatur?* Profecto nihil eiusmodi est aut esse potest, quod vicissim non sit infallibile; multo tamen latius infallibilitas quam revelatio se porrigit. Tenent haec theologi, e quorum numero Dominicus Bannez [1]) scribit: « Aliud est fides catholica, et aliud doctrina catholica. Sunt enim aliqua quae universaliter docentur in ecclesia catholica, quae non sunt catholica fides. » Hinc illud [2]) Melchioris Cani non minus exploratum quam vulgatissimum: « Ecclesiasticae doctrinae quam amplecti etiam tenemur, non eumdem esse gradum, nec omnia iudiciorum decreta eodem loco habenda esse. » Scilicet quum quidquid fide creditur, sit pariter ac necessario infallibile; haud pauca tamen sunt infallibilia, quae neque ad fidem neque ad revelationem spectant. Indubitatum nobis est ac penitus infallibile, beatum Laurentium aeterna felicitate potiri; neque tamen aut revelatum id est, aut fidei assensione a nobis suscipitur. Indubitatum nobis est ac penitus infallibile, tridentinam synodum fuisse tum legitime coactam, tum legitime celebratam et confirmatam; neque tamen haec aut continentur revelatione, aut fidei obiecto concluduntur. Mitto alia quae nullo negotio congererentur, illudque infero de quo maxime agimus, *consequens haud esse, ut si quae*

1) In II. II. q. XI. a. II.

2) De locis theolog. lib. V. cap. V.

Digitized by Google

propositio certa sit atque infallibilis, eadem ad revelationem obiectumque fidei continuo spectet.

1715. Ecquid igitur de propositione putabimus, qua immaculatus Deiparae conceptus adstruitur, et motivum instituti praeceptique festi continetur? Esse illam certam, esse quoque [1]) infallibilem scimus et tenemus; sed nondum [2]) vel scimus vel tenemus ipsam pariter esse revelatam, et fidei ambitu circumscriptam. Assequor, et finem idcirco nondum feci, sed ulterius progressus exquiro si quae forte suppetant quibus et hoc alterum comprobetur. Ac plura omnino suppeterent, si ad ea me vellem promiscue recipere quae prae manibus habemus, quaeque universa tractatione constituimus; sed quum fixum nobis sit non alia adhibere quam quae ex festo cultuque dimanant, in his haerebimus atque ex his nodi explicationem mutuabimur. Mente igitur animoque recolatur, propositionem de immaculato Deiparae conceptu non exhiberi dumtaxat *ceu motivum cultus solemnisque celebritatis*, sed sisti praeterea diserteque proponi *veluti exceptionem, qua catholica fides christianaque revelatio de universali hereditariae labis propagatione verissime cohibetur.* Atque hoc quidem pacto illam proponit [3]) Alexander VII. inquiens: « Sane vetus est christifidelium erga eius beatissimam matrem virginem Mariam pietas, sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse *speciali Dei gratia et privilegio*, intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis redemptoris *a macula peccati originalis praeservatam immunem*, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. ». Iterumque proponit [4]) subdens: « Nos considerantes quod sancta romana ecclesia de intemeratae semperque virginis Mariae conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium

1) Heic subiungam quae scribit Catharinus in disput. pro immac. concept. divae Virginis lib. II. pag. 61: « Sed aiunt quidam, non sumus haeretici si non sequimur in hoc sensum ecclesiae; cautum est enim ne quis nos haeresis nomine damnet si aliter sapiamus quam illa receperit. Non nego. Sed illa ut pia et suavissima mater non consuevit repente vinculis praeceptorum filios adstringere, ne forte ad contumaciam et rebellionem provocaret. Sic enim, ut Augustinus eleganter dixit, multitudinibus per schismata et haereses pereuntibus plerumque subvenire solet; piorum autem filiorum non est in omnibus expectare praeceptum, et interim eius indulgentia et benignitate abuti, idque ad elationis suae malum convertere quod ipsa tolerat propter pacis bonum. Satis ergo hactenus fuit piae matri facto et exemplo suo monstrare quid et nos facere debeamus, ad quos attinet aemulari illam ut magistram et matrem; sicut et se facere profitebatur Ambrosius, quod et innumera pene decreta Pontificum docent. »

2) Quamquam haec post latam definitionem edantur, integro tamen anno scripta antea erant, quam Pontificis oraculum promulgaretur.

3) Constitut. edit. die VIII. Decembris anno MDCLXI. *Sollicitudo omnium*, §. II.

4) Ibid. §. V.

Digitized by Google

olim [1]) ordinavit iuxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni et festo ac cultui secundum illam exhibito in ecclesia romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia, a peccato originali *praeservatam*, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis, amotisque scandalis conservare: constitutiones et decreta a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V., Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, *animam beatae Mariae virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse*, nec non et in favorem festi et cultus conceptionis eiusdem Virginis Deiparae secundum piam istam [2]) sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus.» Immo ante Alexandrum VII. non aliam ineundam viam tridentina synodus arbitrata est. Sic enim Sixti IV. constitutiones de obiecto deque motivo festi conceptionis innovavit servandasque praecepit, ut principii loco declaraverit *non esse suae intentionis comprehendere in decreto ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem.* Ac si aperte diceret, constare sibi non posse quae Sixtus instituit, quaeque catholica ecclesia de obiecto deque motivo festi conceptionis sentit ac praedicat, nisi ab eiusdem ecclesiae mente dissonum foret ad ipsam quoque Deiparam amplitudinem hereditariae labis extendere; proindeque sanctam Synodum declarare, non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem. Propositio itaque de immaculato Deiparae conceptu duplici veluti tessera distinguitur, quarum prior est ut *motivum* festi cultus praeseferat, posterior vero ut sit habeaturque *exceptio*, qua fides de universali paternae labis diffusione

1) Sicuti rursum ordinavit Pius IX. pridie kalendas Octobris an. MDCCCXLVII.

2) Sententia de immaculato Deiparae conceptu, et cultus festumque conceptionis non aliter iunguntur ac uti *materia* et *forma*; hinc quaecumque omnia romani Pontifices decrevere ut cultum festumque iuvarent, ad ipsam quoque tuendam firmandamque sententiam referuntur.

Digitized by Google

restringitur. Quemadmodum vero ex priori tessera deduximus propositionem eam esse *certam* atque *infallibilem*, ita ex posteriori deducemus censeri illam oportere *revelatam, obiectoque divinae fidei comprehensam.*

1716. Sane unde nobis existentia atque amplitudo propagatae originalis culpae innotuerunt? Tum illa, tum haec non aliunde nobis quam ex divina revelatione innotuerunt. Divina revelatione edocti credimus per unum [1]) hominem peccatum in mundum intrasse, et divina revelatione edocti credimus universam Adami posteritatem illius noxa infici vitioque maculari. Ne igitur rei proditae revelationis videamur, necesse est neminem exceptum, neminem non inclusum ea universali transgressione censeamus, nisi eodem [2]) splendente lumine quo illius diffusionis amplitudinem cognovimus. Nullus heic aditus patet coniecturis, nullus suspicionibus, nullusque humanis illationibus quamquam exquisitis ac semet veri specie commendantibus. Ibi enim ratio conticescit, ubi una regnat fides, unaque revelatio dominatur. Manifestavit Deus in scripturis sanctis, omnes concipi in peccato, omnes nasci filios irae, atque omnes per unius delictum in condemnationem ruere; piaculum igitur foret et gravissimum violatae revelationis scelus [3]) vel unum ex Adami posteris aut hac lege inclusum negare, aut exceptum ab hac velle, nisi eadem praelucente face qua collustrati diffusionem paterni criminis profitemur. Sicut enim una eademque auctoritate lex statuitur, et si quando opus sit, exceptionibus circumscribitur; ita nonnisi uno eodemque lumine amplitudo hereditariae praevaricationis aut si qua forte admitti exceptio debeat, deprehenditur. Atqui romani Pontifices et cum ipsis quotquot sunt catholici gregis pastores unanimes testantur, idcirco coli Deiparae conceptum quod merito pieque sentiatur, fuisse ipsam ab universali damnatione exceptam, neque illi in suis primordiis quidquam fuisse cum hereditaria noxa commune. Iisdem igitur [4]) divina affulsit revelatio, cuius perfusi

1) Profuerit contulisse Scripturarum testimonia, quibus orthodoxi seculo V. usi sunt ut doctrinam de propagata in omnes homines originis culpa adversus pelagianos tuerentur, quaeque Garnerius diss. VII. de ortu et incrementis haeresis pelagianae cap. IV. memorat ac diligenter expendit.

2) Haec enim atque hisce similia ab uno pendent libero Dei decreto, neque aliunde quam ex libera Dei manifestatione cognosci possunt.

3) Praesertim quum editis canonibus nihil ecclesia reliquum fecerit, quo universalem omnium perniciem stabiliret. Cf. Garnerii diss. II. de synodis in causa pelagiana.

4) Ex toto opere multiplex assignari potest modus, quo iisdem divina revelatio affulserit. Affulgere namque ex Scripturis potuit, itemque ex illis affulgere quae christiana seculorum omnium traditione continentur.

Digitized by Google

luce intellexerunt, Scripturarum oracula etsi amplissima ad ipsam tamen Virginem non pertinere, unamque esse Deiparam de qua repeti nequeat, *ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

1717. *Corollarium I. Festum concepti Praecursoris non est eiusmodi quod hucusque praestitutis vel minimum obsit, immo uti decet spectatum eadem non minimum tuetur atque confirmat.* Ex historia controversiae de immaculato Deiparae conceptu nonnullos [1]) fuisse novimus, quibus visum est ad infringendum pro pia sententia argumentum quod ex festo cultuque depromitur, nihil ea solemnitate desiderari posse accomodatius, qua Praecursoris initia honorari a maioribus consueverunt. Quamquam enim eiusmodi honore claruerint, nemo tamen est qui illa vel ab universali labe soluta, vel nitore sanctitatis aucta arbitretur. Sed pauca, ni totus fallor, sufficient ut sumpta ex hisce difficultas labefactetur, atque in suos etiam auctores non inepte convertatur. Principio itaque *utrumque festum* conceptae Deiparae genitique Praecursoris conferatur, et quid illud ab hoc distet, paullo diligentius consideretur. Illud I. commune fuit ac porro est tam occidentali quam orientali ecclesiae; hoc in plerisque [2]) Occidentis ecclesiis numquam viguit, neque Orientis fines [3]) videtur egressum. Illud II. praeceptum lege fuit, insignique solemnitate decoratum; hoc moribus et particularium ecclesiarum consuetudini tribui debet. Illud III. maiora in dies incrementa cepit, novisque locupletatum favoribus adolevit; hoc fuit [4]) vel ex ipsis Martyrologiis summa auctoritate deletum. Illud tandem IV. celebratur officiis, celebratur publicis precibus atque ipsa celebratur liturgia; hoc, si Graecos exceperis, una fausti eventus [5]) recordatione absolvitur. Utcumque ergo *festum ipsum* consideres, quemadmodum nulla inter utrumque iniri comparatio potest, ita fas non est ex festo concepti Praecursoris de iis iudicare quae cum festo conceptae Deiparae copulantur.

1718. Quod multo sane innotescet evidentius, si *ad motivum rationemque festi* animus advertatur. Cuiusmodi sit motivum, et

1) Cf. Plazzam op. cit. sect. III. art. II. nn. 182. seqq. pagg. 272. seqq. et Trombellium in vita Deiparae T. V. P. II. diss. XIII. sect. I. q. I. pag. 283.

2) nn. 1651. seqq.

3) Si pauca forte demas occidentales ecclesias, quae orientalem ritum imitatae sunt. Eiusmodi fuit neapolitana, de qua Mazochium T. III. kalen. neapolit. p. 990.

4) Videsis Bullam Gregorii XIII. praefixam Martyrologio romano.

5) Videsis Mazochium T. I. kalend. neapolit. pagg. 17-19.

Digitized by Google

cuiusmodi ratio festi conceptae Deiparae anceps esse non potest, neque anceps esse potest naturalem Deiparae conceptionem propterea celebrari, *quod ipsa exsors originalis culpae non pie minus quam vere existimetur*. Sed hanc nullatenus fuisse aut esse rationem, quae ad venerandam Praecursoris conceptionem Graecos maxime movit, solemne penes illos [1]) officium luculenter ostendit. Ex eo namque assequimur propterea festos honores conceptioni Praecursoris deferri, I. quod ipsa fuerit [2]) oraculo angelico praenunciata: II. quod [3]) victa sterilitate, devexaeque aetatis imbecillitate superata, praeter ac supra naturae facultatem exstiterit: III. quod utraque de caussa celebris [4]), gloriosa et singularis apparuerit: immo etiam IV. divina [5]) atque sancta, divina quidem utpote divinae virtuti tribuenda, sancta vero utpote precum fructus iustitiaeque corona. Ceterum V. tantum abest ut immunitas ab originali noxa tamquam festi motivum proponatur, ut contra Praecursoris sanctificatio [6]) non obscure memoretur. Quo sane pertinent [a]) angeli verba, *erit enim magnus coram Domino, et Spiritu sancto replebitur* [7]) *adhuc ex utero matris suae*. Sicuti ergo non antea ex utero Ioannes prodiit quam Spi-

a) Luc. I. 15. Ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον κυρίου, καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας (al. ἐν τῇ κοιλίᾳ) μητρὸς αὐτοῦ.

1) Habetur officium in Menaeis die XXIII. Septembris pagg. 141. seqq. Canon est Iohannis damasceni, reliqua sunt Byzantii. De utriusque festi discrimine iuverit praeter alios consuluisse Bollandianos T. I. Maii ad diem IX. Decembris pag. 58. et T. IV. Iunii pagg. 701. seqq., Mazzochium ad diem XXIII. Iunii pag. 714. et in additamentis ad mensem Iunium pagg. 989-990., Antonium Gravois op. cit. art. I. nn. 47. seqq. et Morcellium ad diem XXIV. Iunii pagg. 134-136. et ad diem XXIII. Septembris pagg. 160-161. Neque tamen ab re erit nonnihil pressius declarare, utrumque festum conceptae Deiparae genitique Praecursoris toto caelo ab invicem differre. Enimvero character cuiusque festi proprius *eiusdem obiecto materiali formalique* comprehenditur. Mirum autem quantopere a seipsis discrepent obiectum materiale ac formale tum festi de concepta Deipara, tum festi de concepto Praecursore. Sicut enim materiale illius obiectum continetur *personali Deiparae conceptione*, formale vero obiectum *ipsa est sanctitas cum personali conceptione cohaerens*; ita materiale simul ac formale huius obiectum *mysteriis absolvitur quae in Prodromi conceptione, annuntiante angelo Deoque operante, enituerunt*. Liquet igitur I. utrumque festum appellatione ac nomine tenus convenire: II. quae unius sunt propria transferri ad alterum non posse: III. in festo concepti Iohannis non tam ipsum coli, quam pia solemnitate mysteria celebrari quae in eiusdem conceptione innotuisse credimus: proindeque IV. infectam hereditaria labe personalem Iohannis conceptionem nullatenus impedire quominus verissime affirmetur, *neminem nisi propter inhaerentem sanctitatem religioso cultu honorari*. Non enim in festo concepti Praecursoris ipse conceptus honoratur Praecursor, sed pia recordatione celebrantur quae Deus in eiusdem conceptione patravit.

2) Men. die XXIII. Septembris ad Vesper. pagg. 141. col. 2. E., 142. col. 1. E. col. 2. D. et 143. col. 1. E.

3) Ibid. pagg. 142. col. 2. E., 143. col. 1. A-E. et 144. col. 1. A.

4) Ibid. pagg. 144. col. 2. C-D. et 146. col. 2. C.

5) Ibid. pagg. 142. col. 1. C. et 143. col. 2. C.

6) Passim in toto officio.

7) Videtur particula ἔτι *adhuc*, *etiamnum*, hoc idem valere ac *insuper*, *praeterea*, ut Matth. XVIII. 16., et Luc. XIV. 26., XVIII. 22.

ritu sancto repleretur; ita in utero aliquamdiu fuit Spiritus carens et peccato obnoxius. Tum autem a peccato solutus et Spiritu ditatus apparuit, quum illud contigit quod Lucas [a]) commemorat inquiens: *et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit* [1]) *infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Sensit nimirum Iohannes praesentem Salvatorem, et salutis beneficium obtinuit. Quamquam vero VI. iam *homo* foret Iohannes, non antea tamen fuit πρόδρομος *Praecursor*, quam frugifera Salvatoris praesentia mundatus illum exultatione annunciarit. Quare VII. conceptio et exsistentia Iohannis, non utique hominis sed Praecursoris, simul tempore fuit cum accepta divinitus sanctitate ac totius corporis exultatione, qua ut potuit, *vocis* [2]) munus ac partes explevit. Quum igitur VIII. Graecorum ecclesia [b]) conceptionem celebret non Iohannis hominis sed Iohannis praecursoris, non tam ad illius naturalem generationem qua homo fuit, quam ad spiritalem eiusdem regenerationem qua Praecursor exstitit, animum intendisse videri debet. Hinc illa [c]) Graecorum cantibus frequentata: « In sinu tuo Dominum, in materno sinu, o Deipara innocentissima, gestatum videns Ioannes manifeste exultavit, ut qui eius esset prodromus. Ut qui ex sterili genitus novit Christum in sinu latum Virginis, gestivit gaudium praenuncians terrae impertiendum, quo omnes a moerore liberarentur. » Iamvero IX. spiritalis Prodromi

a) Luc. I. 41. Καὶ ἐγένετο, ὡς ἤκουσεν τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας ἡ Ἐλισάβετ, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς, καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ.

b) Synaxarium sic habet: Ἡ σύλληψις τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου, προφήτου, πρόδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου. Neque aliter officii titulus, in quo non τοῦ ἁγίου sed τοῦ τιμίου legitur.

c) Men. die XXIII. Septembris Ode α'. pag. 143. col. 2. A. et Ode γ'. pag. 143. col. 2. C. Τὸν ἐν γαστρί σου δεσπότην ἐν μητρικῇ, θεοτόκε πάναγνε, βαστάζόμενον γαστρὶ κατιδὼν ἐσκίρτησε σαφῶς Ἰωάννης, ὡς αὐτοῦ ὑπάρχων πρόδρομος. Γαστρὶ φερόμενον Χριστὸν τῆς παρθένου ὡς ἔγνω ὁ ἐκ στείρας, ἐσκίρτα προμηνύων τὴν χαρὰν ἐπιδημήσασαν γῇ, κατηφείας πάντας ἐκλυτρώσασθαι.

1) Scite Ambrosius lib. III. in Lucam n. 23. pag. 1289. opp. T. I. « Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Iohannes prior gratiam sensit; illa naturae ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii; illa Mariae, iste Domini sensit adventum; femina mulieris, et pignus pignoris. Istae gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, repleta est mater. Non prius mater repleta quam filius, sed quum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem. »

2) Marc. I. 3. coll. Luc. III. 4.

Digitized by Google

conceptio nullius conscia labis splendore sanctitatis effulsit. Fuit igitur [1]) cur festis honestata obsequiis et divina et sancta nuncuparetur. Quae quum ita sint, nihil pronius quam tandem hoc pacto rationes subducere. Orientalis atque graeca inprimis ecclesia idcirco Iohannis conceptionem solemni festivitate prosequuta est, quod conceptionem spectavit non qua Iohannes homo fuit sed qua prodromus exstitit, praesentemque Salvatorem annuntiavit. Haec autem conceptio fuit pura, expers maculae, donisque Spiritus cumulata. Festum ergo concepti Praecursoris ea qua decet ratione aestimatum, quin laedat, munit satius et confirmat quod alioqui exploratissimum duci debet, neminem religionis cultusque officiis in ecclesia decorari, qui non vacet culpa sanctitatisque splendoribus excellat.

1719. *Corollarium II. Idem nequit esse de immaculata Deiparae conceptione iudicium ante et post institutum illius festum, rationemque solemniter declaratam.* Nostrorum namque iudiciorum haec vis est ac natura, ut e motivis pendeant quibus innituntur,

1) Heic autem opportunum fuerit alterum expedire nodum, qui suapte sponte *ex celebrata beatae Agnetis naturali nativitate* oboritur. Itaque in libris ecclesiasticis omnino pluribus, iisque vetustis iuxta ac recentioribus legitur: *die XXI. Ianuarii natale s. Agn. de passione*, et *die XXVIII. natale s. Agn. de nativitate*. Hisce autem, adnotante Mazzochio, significare maiores nostri voluerunt, Agnetem die XXI. Ianuarii passam, et die XXVIII. in lucem fuisse editam. Ergo ne ecclesiarum moribus receptum existimabimus, *ut natalis secundum carnem Agnetis dies coleretur?* Negat Castellanus ad diem XXI. Ianuarii, eaque de causa negat, *quod nihil fingi absurdius possit quam carnalem nativitatem coli, qua quis cum peccato nascitur*. Sed I. ea quae apud Bedam reperimus: *die XXVIII. Ianuarii natale s. Agn. de nativitate*. Neque II. Beda primum de Agnete loquens hanc formulam, *Natale de nativitate* usurpavit, sed diu ante in Gelasii et Gregorii Sacramentariis, in Martyrologio Hieronymi, aliisque vetustis monimentis legebatur. Porro III. in eiusmodi monimentis *Natale de nativitate* opponitur *Natali de passione*, e quibus illud die XXVIII., hoc signatur die XXI. Ianuarii, luculenterque edicitur in priorem incidisse *carnalem Agnetis nativitatem*, in posteriorem vero *Agnetis passionem*. Dabo verba ex Gelasiano Thomasii: » In natl. sanctae Agnetis virginis de passione sua XII. kal. Febr. Item natl. eiusdem de nativitate V. kal. Febr. « Concinunt Sacramentarium gregorianum, alterumque vetustius a Blanchinio evulgatum; neque minus concinunt sive Hieronymi Martyrologium in quo legimus *XII. kal. Februarii Romae passio Agnetis virginis*, et *V. kal. Febr. Romae nativitas s. Agnetis virginis*: sive Frontonis kalendarium, in quo ad diem XXI. *natale s. Agnae de passione*, et ad XXVIII. *natale s. Agnae de nativitate*. Neque minus luculenta sunt verba Rabani et Notkeri qui ad XXVIII. Ianuarii sic habent: *V. kal. Febr. Romae s. Agnetis virginis genuinum, hoc est de nativitate*. Ubi *genuinum* intelligitur *natale*, quemadmodum in lib. III. sacram. eccl. rom. cap. LIII. plena loquutione scribitur *natale genuinum* a natali initae dignitatis distinctum. *Genuinus natalis dies* occurrit in cod. theodosiano, occurrit apud Polemium Silvium in kalendario a Bollandianis relato, ac denuo occurrit apud s. Maximum qui hom. III. in nativit. s. Ioh. baptistae ait: *festivitatem praesentis diei genuina nativitas consecravit*. Erat vero cur appositum illud *genuinum* adderetur, quando usu invaluisset ut festa omnia anniversaria *natales* vocarentur. Quapropter ut *natalis* nomen insita potestate acceptum videretur, hoc est, pro die quo quis in lucem venerit, addebatur epithetum *genuinum*, aut *genuinum* absolute dicebatur, nomine *e genere* derivato. Quae quum ita sint, exploratum haberi debet, ecclesiarum consuetudine obtinuisse ut duplex Agnetis natalis dies celebraretur, tam ille quo martyrium gloriose fecit, quam alter quo e materno sinu in hac luce primum apparuit. Verum qui potuit hic dies honorari, quum Agnes in eo non fuerit sancta? Aut si honorari rite potuit, quomodo sibi constat quod omnium ore tritum accepimus, festa non agi nisi de sanctis et propter sanctitatem qua iidem refulgeant? Iniri haud aegre conciliatio poterit si I. ratio celebrati festi apte determinetur: et si II. commune vulgatumque placitum idonea formula circumscribatur. Itaque

minis accessio. Si ergo Bernardus, et si eum consequuti prisci doctores ac theologi post institutum festum eiusque declarationem de conceptione vixissent, dubio procul et multo scripsissent plenius et multo suam mentem significassent accuratius. Sane ne unus quidem [1]) ex iis fuit, cui haec doctrinae capita explorata non essent: I. pium religiosumque cultum nonnisi propter sanctitatem deferri: ecclesiam vero II. non falli, quum tribuendum cultum decernit ac iubet. Quid igitur ex ratis statisque eiusmodi principiis deduxissent, si institutum conceptionis festum et ubique summa celebritate frequentatum propriis oculis usurpassent? Illud ipsum deduxissent quod de Virginis nativitate senserunt; et quemadmodum sanctam habuere nativitatem, ita sanctam praedicassent conceptionem. Opportune [2]) Ludovicus Blosius: « Quod ad munditiam conceptionis Virginis matris Dei attinet, non est quod dubites, licet plerique ex antiquioribus patribus dubitasse [3]) videantur quum nondum festum eiusdem conceptionis in ecclesia romana celebraretur. Modo enim in orbe christiano catholici sequuti ipsam romanam ecclesiam, quae omnium ecclesiarum caput et magistra est festum illud iam olim receptum alacri laetaque devotione celebrant, recolentes exordium nostrae felicitatis, quando scilicet nobilissima anima Mariae a Deo creata et ipsius sanctissimo corpusculo citra originalis culpae contagionem infusa fuit. » Et [4]) mox: « Certe romana eademque catholica ecclesia quae errare non potest, hoc ipso quod festum conceptionis Deiparae Virginis celebrandum assumpsit, satis adstruit atque affirmat eamdem conceptionem fuisse omnis contagionis expertem ac sanctam: profana siquidem festa non novit ecclesia. Precatur autem Deum in ipso incontaminatae conceptionis festo his verbis: *Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, praesta quaesumus, ut sicut eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas.* »

1721. *Corollarium IV. Praepostere agunt, qui veram de conceptione Deiparae sententiam ex iis derivandam putant, qui obortis controversiis antea scripserunt quam festum institueretur, eiusque vis ac ratio authentice declararetur.* Nemo enim illos sibi prudenter

1) nn. 1661. seqq.
2) De dictis patrum cap. V.
3) Prudenter ait Blosius *videantur*; reipsa enim a doctrina de immaculato conceptu nullatenus dissident.
4) Ibidem.

Digitized by Google

sequendos statuat, vel qui de aliqua controversia prius disseruerint quam ea pleniori in lumine collocaretur, vel qui sententiam dicendique formas certissime temperassent, si commodiori aetate suam mentem edidissent. Eiusmodi porro sunt [1]) plerique omnes qui a seculo potissimum XII. ad medium usque seculum XV. de conceptione Deiparae sive data opera sive tantum obiter disputarunt. Agunt ergo praepostere qui ex hisce doctoribus atque theologis normam sumunt, ad quam suam de conceptione Deiparae sententiam exactam velint. Quo quidem verba pertinent Iohannis a sancto Thoma [2]) theologi gravissimi ita scribentis: «Semper divus Thomas [3]) inhaeret sensui romanae ecclesiae, semper eam honorat, semper salvat. Unde quum modo romana ecclesia non solum toleret sed etiam positive praecipiat celebrari tale festum, illudque magnis favoribus prosequatur; loquendo in vi doctrinae divi Thomae, oportet vice versa de his sententiis censere, et divus Thomas sic censeret. Si enim ex sola tolerantia romanae ecclesiae illa festivitas tunc non erat spernenda; ex positivo praecepto et favore quanto magis diceret venerandam? Praesertim quum ex hoc probet beatam Virginem sine peccato fuisse natam, quia eius nativitas celebratur ab ecclesia. Ergo idem de conceptione diceret, si tunc eodem modo celebraretur sicut nativitas. Pro illo ergo tempore sic censuit divus Thomas, sicut ecclesia romana [4]) sentiebat; pro isto vero sentiret id quod illa sentit, et eo modo quo sentit.»

1) nn. 1702. seqq.

2) In I. p. disput. II. a. II.

3) Qui unus ex iis est qui ante institutum festum suam mentem expressit. Ceterum de mente Aquinatis, germanaque eiusdem sententia iuverit praeterea contulisse quae triumviri doctissimi e dominicana familia, Michael Thomas Salzanus in libro in ecclesiasticam historiam, Marianus Spada in opere inscripto, *Esame critico sulla dottrina dell' angelico dottore s. Tommaso d' Aquino circa il peccato originale relativamente alla b. vergine Maria*, et Franciscus Gaude *de immaculato Deiparae conceptu eiusque dogmatica definitione in ordine praesertim ad scholam thomisticam*, nostris hisce temporibus disseruerunt.

4) Vide ne haec ita sumas, ac si quando romana ecclesia de immaculato Deiparae conceptu sinistre existimasset; alia enim mens est prudentissimi theologi qui dumtaxat sibi vult, nondum aetate Thomae ab ea fuisse quidquam institutum, quo sincera ipsius sententia liquido innotesceret.

Digitized by Google

SECTIO OCTAVA

INSTITUTAE PROBATIONIS IUDICIUM

Vis ac ratio institutae probationis: eiusdem materies: multiplex illa est ac diversa: singula eius elementa recensentur, illorumque valor rite aestimatur: de forma probationis: duplex est, explicita ac diserta, implicita et virtute aequipollens: agitur de priore et accurate expolitur: posterior examinatur: insigniora eiusdem capita, et diligens de unoquoque iudicium: quae eodem spectent, et accessionis instar merito habeantur: de consensu universi nominis christiani: insignes eiusdem characteres et idonea inprimis ad probandum auctoritas: accedunt rabbinorum, moslemorum haereticorumque suffragia: quae hisce fidem concilient, quodve pondus tribui non immerito possit: de testificatione apostolicae sedis romanorumque pontificum: quibus veluti notis ea distinguatur ac luminibus splendeat: et quantopere ad manifestandam tuendamque veritatem divinamque eiusdem originem conducat: corollaria atque suscepti operis absolutio.

1722. Duo mihi semper certissima visa sunt, quaeque a nemine in dubium prudenter revocentur, arduum omnino esse in habendis adornandisque probationibus ita versari, ut numquam tibi desis, numquam aberres, numquam dormites et numquam vel minimum veritatem offendas: deinde vero arte studioque opus esse, ut legentium audientiumque assensionem, quam gignere ex sese probatio valet, opere ipso [1]) consequaris. Illud enim probationibus usuvenit quod radiis sonisque, ut mentem non feriant nisi in unum scite collectae, neque sibi animum subdant si dissipatae evagentur. Quare ut utrique incommodo sane maximo pro virili occurram, in eo totus ero ut probationis membra per totum opus late disiecta in quamdam organici veluti corporis unitatem compingam, analysi synthesim addam, supremaque capita ad limam revocans

1) Ut enim cetera silentio premam, sunt non pauci quorum mentes ita fastus et supercilium αὐθάδεια obsident, ut quamvis veris vincantur, oblatrent tamen pertinaciter, et ne succubuisse videantur, litem de lite iugiter nectant. Quem animorum morbum pulchre notavit Phocylides inquiens: ἴρις ἴριν ἀντιφυτεύει, *iis hilem serit.* Et Oppianus:

Αἰεί ἀπειρέσιον νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδ' ἐθέλουσι καὶ ἀτρεκέσσι πιθέσθαι.
Semper imperitorum hominum animus refractarius, neque vincentibus cedere volunt.

Digitized by Google

demonstrem, nihil universa tractatione contineri quod vel improbetur ut falsum, vel ut ab re alienum seiunctumque atra nota configatur.

CAPUT I.

Cuiusvis probationis vis ac ratio ex materia maxime pendet: de materia institutae a nobis probationis: ea non uno genere comprehenditur: distributio in partes, et in eas potissimum quibus materia vel princeps vel obnoxia est: de libris liturgicis et ecclesiasticis ac speciatim de hymnis: de scriptoribus sive ecclesiasticis sive sequioris etiam aetatis, quos identidem laudavimus: infertur usurpatam probationis materiam talem esse, quae nequeat ullo ex capite reprehendi.

1723. Si qui imaginem forte quaerant, qua sibiipsis vim rationemque probationum adumbrent et ad vivum repraesentent, non admodum ab eo quod verum est aberrabunt, si illas cum aedificio non inepte componi posse arbitrentur. Sicut enim aedificium lapidibus, ferramentis lignisque ad architectonicae amussim selectis iunctisque coalescit; ita probationes ex multiplici affirmationum negationumque serie, quae ad dialecticae normam apte ordinentur, exsistunt ac prodeunt. Quare ne dialecticae opus inane sit, artisque conatus [1]) in irritum cedant; nihil esse prius nihilve antiquius debet quam eas dumtaxat affirmationes negationesque adhibere, quae a quavis cum errore affinitate solutae, sua sibi veritate firmissime constent. Spectari enim aliter nequeunt ac instar materiae, quae nisi proba sinceraque sit, numquam fiet ut arte expolita artisque forma recepta, ad perfectum absolutumque opus provehatur. Sed unde

1) Cuiusmodi erant illorum conatus de quibus Gregorius nazianzenus in carmine de vita sua vv. 601-607, pag. 706. opp. T. II. scribit:

Γλῶσσαι δὲ λαβροὶ καὶ πολύστροφοι πλοκαὶ,
Ἐξ ὧν τὸ γ' ἁπλοῦν εἴκαιται τὰς πίστεως
Ἶσταί τ' ἀρέχνας, σαθρὰ διαμπτήρια,
Τὰ κοῦφα συνδέοντες, ἰσχυροῖς λόγοις,
Ῥηγοῖν ἢ λυθεῖαν ἐν στερροῖς λόγοις,
Οἵ τ' ἐμπεσόντες ἐκφύγοιεν τοὺς βρόχους.

Atque ut linguae procaces et tortuosae tricae, ex quibus fidei simplicitas evanescit, telae aranearum, carceres putridi, levibus vinculum, fortibus risus disrumperentur aut solverentur solidis sermonibus, et qui in laqueos inciderent evaderent. Immo quos in praefat. ad apotheosin vv. 17. seqq. pagg. 398-400. opp. T. I. Prudentius ita depingit:

» Quid non libido mentis humanae struat?
Quid non malorum prariat?
» Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus:
» Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior:
» Solvunt, ligantque quaestionum vincula
Per syllogismos plectiles.
» Vae captiosis sycophantarum strophis!
Vae versipelli astutiae!
» Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.
» Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica,
» Deque imbecillis subingavit fortia
Simplex ut esset credere.

Digitized by Google

nobis affirmationes negationesque praesto erunt, quae penitus ab errore seiunctae, indubium veritatis characterem praeseferant? Non aliunde quam ex iis fontibus, quos *locos theologicos sedesque probationum* idcirco nominamus. Perinde igitur est sive materiam institutae probationis examini subiicere deque ipsa periculum facere, sive sedulo diligenterque investigare utrum selectae ad probationem struendam tam affirmationes quam negationes e locis theologicis fuerint rite candideque depromptae.

ARTICULUS I.

De materia universim institutae probationis: eiusdem in materiam principem et materiam obnoxiam distributio, cuius ratio explanatur.

1724. Impeditum non est generatim definire cuiusmodi esse materies debuerit, qua instituta a nobis probatio componeretur. Ad id enim probe dignoscendum abunde sufficit memoria reputasse, quid foret in lucem proferendum, quid vindicandum, firmiterque stabiliendum. Proferri namque in lucem debebat, vindicari, firmiterque stabiliri *propositionem de immaculato Deiparae conceptu veram esse, infallibilem divinaeque revelationis deposito comprehensam*. Sed frustra haec aliunde hausta velis quam ex iis rivis, per quos aquae caelestis revelationis dimanant: frustra in his humanae rationi [1]) fidas: frustra ad philosophorum scita provoces: frustra universam tentes naturam; multo tibi assurgendum est altius, et ad ea usque contendendum quae supernaturalia quum sint, supernaturalem revelationem patefaciunt. Sic [2]) Prudentius:

» Nam quum divinis agimus de rebus, et illum
» Qui vel principio caruit vel fine carebit,
» Quique [3]) chao anterior fuerit, mundumque creavit,
» Coniectare [4]) animo contendimus, exigua est vis
» Humani ingenii, tantoque angusta labori:
» Quippe minor natura aciem si intendere tentet

1) Quum enim omnis ratione percepta cognitio, ut Bernardus de consider. lib. V. cap. III. ait, aut *opinione*, aut *fide*, aut *intellectu* constet; *intellectus rationi innititur*, *fides auctoritati*, *opinio sola verisimilitudine se fultur*.

2) Con. Symmachum lib. II. vv. 94. seqq. pagg. 772-773. opp. T. II.

3) Hymn. XII. oath. v. 40. *Antiquius caelo et chao*.

4) Sunt haec ex iis petita quae leguntur Proverb. XXV. 27. et Eccles. III. 22.

» Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi,
» Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
» Vimque fatigatae mentis sub pectore parvo
» Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?
» Sed facilis fidei via provocat Omnipotentem
» Credere.

Rectus namque ordo postulat ut praevertat fides qua credimus, et cognitio succedat qua intelligimus. Hinc Cyrillus alexandrinus [a]) ubi haec enarrat verba [b]) Iohannis, *et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus filius Dei,* scribit: « Etenim post fidem cognitio sequitur, non illam antecedit, quemadmodum [1]) scriptum est, *si non credideritis, non intelligetis.* Postquam enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex nec curiosa fides, super hac deinceps ac paulatim cognitio struitur, quae nos ad mensuram aetatis, quae in Christo est, attollit et ad virum perfectum ac spiritualem. » Augustinus vero postquam [2]) praemisit, *absit ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit inquam, ut* [3]) *ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, quum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus;* continenti oratione [4]) pergit: « Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et proferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est [5]) per prophetam, *nisi credideritis, non intelligetis.* Ubi procul dubio discrevit haec duo, deditque consilium quo prius credamus ut id quod credimus intelligere valeamus. Proinde ut fides praecedat rationem,

a) Comm. in Iohannem lib. IV. cap. IV. pag. 393. Μετὰ γὰρ τὴν πίστιν ἡ γνῶσις, καὶ οὐ πρὸ τῆς πίστεως, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδ' οὐ μὴ σύνητε· προκατατιθείσης γὰρ ἐν ἡμῖν κρηπίδος τινὸς δίκην τῆς ἀπεριεργάστου πίστεως, ἐποικοδομεῖται λοιπὸν ἡ γνῶσις κατὰ βραχύ, καὶ εἰς μέτρον ἡλικίας ἡμᾶς ἀναφέρουσα τῆς ἐν Χριστῷ, καὶ εἰς ἄνδρα τέλειον καὶ πνευματικόν.

b) Ioh. VI. 69. Καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Al. ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, vel Χριστὸς ἅγιος τοῦ θεοῦ.

1) Is. VII. 9. ex versione alexandrina.

2) Epist. CXX. al. CCXXII. ad Consentium n. 3. pag. 263. C.

3) Ita ex emendatione unius ms. vaticani, quum in aliis legeretur, *absit inquam ne ideo credamus ut rationem* etc.

4) Ibid. n. 3. pag. 263. C-D.

5) Is. VII. 9.

Digitized by Google

rationabiliter [1]) visum est. Nam si hoc praeceptum rationabile non est, ergo irrationabile est: absit. Si igitur rationabile est ut ad magna quaedam quae capi nondum possunt, fides praecedat rationem, procul dubio quantulacumque ratio quae hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem. »

1725. Porro quae fidem gignunt et ad patefaciendam divinam revelationem referuntur, non eodem censentur numero; sed quum alia locum sibi principem vindicent, alia altero obnoxioque gradu succedunt. Ac de illis quidem loquitur Paulus [a]) his verbis: « Itaque, fratres, state et [2]) tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram. » Ut enim [b]) Epiphanius inquit: « Oportet autem et traditione uti. Non enim omnia e divina Scriptura repeti possunt. » Quapropter Augustinus [3]) commemoratis [4]) Cypriani verbis, *admonitos autem nos scias ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur;* continuo subdit: « Quod nos admonet ut ad fontem recurramus, idest ad apostolicam traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus; optimum est, et sine dubitatione faciendum. » Hinc illa [5]) Ambrosii: « Servemus igitur praecepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. » Atque hinc illa quibus [c]) Basilius haereticorum impietatem detestatur scribens: « Contempta sunt patrum dogmata, apostolicae traditiones labefactatae, novorum hominum inventa in ecclesiis regnant. »

a) II. Thessal. II. 15 Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

b) Haeres. LXI. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κιχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύνανται λαμβάνεσθαι.

c) Epist. LXI. ad Occidentis episcopos. Καταπεφρόνηται τὰ τῶν πατέρων δόγματα, ἀποστολικαὶ παραδόσεις ἐξουδενῶνται, νεωτέρων ἀνθρώπων ἐφευρήματα ταῖς ἐκκλησίαις ἐμπολιτεύονται.

1) Qua de re videsis Basilium ampliter disputantem in psalmum CXV.

2) Graece est κρατεῖτε, *idest, constanter tenete, observate et profitemini*, quae est potestas τοῦ κρατεῖν, pro quo alexandrini II. Reg. III. 6. adhibent הֶתְחַזֵּק Interpretis syri versio habita ratione etymi et inspecta vi verborum apte redditur, *constanter tenete traditiones tamquam asylum et refugium.*

3) De baptismo contra donatistas lib. V. cap. XXVI.

4) Ex epist. LXIII. ad Cecilium.

5) De fide lib. III. cap. VII.

Digitized by Google

1726. Princeps igitur locus Scripturis divinisque traditionibus deferendus est: Scripturis quidem, quae, sunt [a]) *eloquia Dei, effataque* [b]) *viventia:* traditionibus vero, quia ut [1]) Irenaeus loquitur « Ibi oportet discere veritatem, apud quos est ea quae ab apostolis est successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile conversationis constat. Hi enim et eam qui est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et Scripturas sine periculo nobis exponunt. » Neque enim teste [2]) Hilario « Ambiguis nos et erraticis indefinitae doctrinae studiis dereliquit, vel incertis opinionibus ingenia humana permisit, statutis per se et oppositis obicibus libertatem intelligentiae voluntatisque concludens: ut sapere nos, nisi ad id tantum quod praedicatum a se fuerat, non sineret, cum per definitam fidei indemutabilis constitutionem credi aliter atque aliter non liceret. » Ad quam praedicationem, inquit [3]) Tertullianus « Duodecim praecipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros. Itaque uno [4]) eorum decusso, reliquos [5]) undecim regrediens ad Patrem post resurrectionem iussit ire et docere nationes tinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum... Statim igitur apostoli, quos haec appellatio missos interpretatur, assumpto [6]) per sortem duodecimo Mathia in locum Iudae ex auctoritate [7]) prophetiae quae est in psalmo David, consequuti [8]) promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo [9]) per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum et ecclesiis institutis, deinch [10]) in orbem profecti eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde [11]) ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant. » Quapropter quid [12]) apostoli « Praedicaverint, idest, quid illis Christus revelaverit, et hic

a) Rom. III. 2. coll. Hebr. V. 12. Τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.
b) Acts. VII. 38. Τὰ λόγια ζῶντα.

1) Con. haeres. lib. IV. cap. XLI.
2) De Trinit. lib. XI. n. 1. pag. 372. A-B. opp. T. II.
3) De praescriptt. cap. XX.
4) Matth. XXVII. 5.
5) Matth. XXVIII. 19.
6) Acts. I. 23-26.
7) Ps. CVIII. 8.
8) Acts. II. 2.
9) Acts. VIII-IX-XI.
10) Acts. XIII.
11) Acts. XIV. 22.
12) De praescriptt. cap. XXI.

Digitized by Google

praescribam, non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva quod aiunt voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam: id sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum, et apostolorum, et Christi et Dei.» Unde Gregorius [1]) cognomento magnus ad Anastasium scripsit: « His diebus, sicut invenio, nova haereticorum bella consurgunt, ita ut prophetias, evangelia et dicta patrum omnia evacuare moliantur; sed in protectoris nostri gratia speramus quod eorum ora citius obmutescant quae contra soliditatem veritatis aperta sunt: quia et quamlibet acuti gladii mittantur, quum saxum feriunt, fracti resiliunt. Hoc autem magna omnipotentis Dei est gratia, quod in ipsis quia a sanctae ecclesiae doctrina divisi sunt, veritas non est: quoniam omne regnum divisum non stabit, et sancta ecclesia [2]) subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum haereticorum quaestionibus impugnatur. »

1727. Quum itaque principe in loco collocari debeant Scripturae, divinaque traditio, quibus Dei verbum et *materiale* quod vocant *fidei obiectum* penitus concluduntur; reliqua deinceps omnia quae theologi [3]) pro ratione suae facultatis enumerant, altero veluti gradu succedunt. Quo sane gradu succedunt gesta synodorum, monimenta liturgica librique ecclesiastici, opera patrum, consuetudines ritusque ecclesiarum, acta martyrum, historia ecclesiastica, christiana archaeologia, haereseologia et theologorum commentarii: quae omnia spectari plane debent ceu totidem instrumenta ac media, quibus aut germanus Scripturarum sensus definiatur, aut divina a Christo et ab apostolis profecta traditio servetur et ad seculorum usque finem intaminata diffundatur. Iamvero si superiora conside-

1) Epistt. lib. VII. epist. III.

2) Quamquam sibi semper similis ecclesia, eius tamen vita in dies sub ductu Spiritus, et institutione pastorum ita explicatur, ut quod obscurum antea erat clarescat, quod confusum articuletur, et quod occlusum semine in flores fructusque evolvatur.

3) E quorum numero conferri possunt Melchior Canus de locis theologicis, Dionysius Petavius in proleg. ad dogmata theologica, Thomassinus in tract. I. de theologiae prolegomenis, Dominicus Gravina de catholicis praescriptionibus, Gautier in prodromo ad theologiam dogmatico-scholasticam, de Moissy in opere de methodo qua patres in versandis mysteriis usi sunt, et Kilber in opere inscripto, principia theologica.

Digitized by Google

rentur, et universa tractatio a suis ducta initiis ad extremum usque expendatur; planum erit nihil in ea affirmari nihilque vicissim negari, quod non fuerit ex praemonstratis fontibus derivatum. Ex Scripturis enim, diverso licet modo, ea desumpta sunt omnia [1]), quae sectionibus tertia, quarta et quinta proponuntur: quae autem [2]) prima, secunda, sexta et septima sectione continentur, ea comparata sic sunt, ut ad unum alterumve ex iisdem fontibus referantur. Quapropter [3]) usurpata a nobis in universa tractatione materies talis est, ut nihil hoc nomine timendum sit probationi, quae eidem innititur eademque sustentatur.

ARTICULUS II.

De libris liturgicis atque ecclesiasticis: de hymnis, deque pretio quod ejusmodi christianae traditionis praesidiis tribui debet: nonnulla opportune animadvertuntur, sumptaque ex hisce locis materies vindicatur.

1728. Quemadmodum e synodorum gestis, patrumque operibus in rem nostram derivavimus quae idonea visa sunt; ita nos tam ad liturgicos et ecclesiasticos libros, quam ad hymnos in ecclesia adhibitos non infrequenter recepimus, ut ex illis opportunam struendo operi materiem duceremus. Neque sane immerito si de liturgicis atque ecclesiasticis libris sermo sit, qui utcumque spectentur, eximiam praeferunt auctoritatem, dignaque apparent quae ad reperiendam ecclesiae fidem traditionemque maiorum inprimis consulantur. Unde enim, quaeso, monimentis vis ad probandum ac pondus existimationis accedunt? Ex eorumdem nimirum auctoribus, ex studio quo custodiri, atque ex solemnitate qua in ecclesiis adhiberi consuevcrint. At vero sepositis quaestionibus [4]) de liturgiis,

1) Sect. III. nn. 451. seqq. Sect. IV. nn. 596. seqq. et Sect. V. nn. 881. seqq.

2) Sect. I. nn. 30. seqq. Sect. II. nn. 65. seqq. Sect. VI. nn. 1600. seqq. et Sect. VII. nn. 1150. seqq.

3) Non deerunt qui forte mirentur, nullam a nobis mentionem initici eorum argumentorum quae ex fidei analogia, harmonia dogmatum, compertisque veritatibus desumpta, *theologicarum rationum* appellatione condecorari solent, et in plurimis omnino libris non modo propriam sibi sedem vindicant, sed utramque ferme paginam replent. Nullus tamen reliquus erit stupori admirationique locus, si I. ob oculos habeatur suscepti a nobis operis ratio, quae non tam disputationis subtilitate, quam *investigatione historico-hermeneutica* continetur: si II. consideretur, vix ullum ex argumentis scholarum usu frequentatis innui posse, quod aut cum Scripturarum commentariis non cohaereat, aut ab antiquis ecclesiae magistris non fuerit occupatum: et si III. animadvertatur, tum ea fuisse a nobis sive obiter perstricta sive uberius exposita quum Scripturas interpretaremur, priscamque ecclesiae traditionem ex omnigenis collectam monimentis in lucem promeremus.

4) In hisce quaestionibus habendis expediendisque diligenter versantur Cardinalis Bona rerum li-

Digitized by Google

quae nominibus apostolorum virorumque apostolicorum insigniuntur; quis neget liturgicos libros clarissimis eisdemque antiquissimis ecclesiae scriptoribus deberi? Quis neget impense illos commendari, qui a Chrysostomo, Basilio, Gregorio theologo, Cyrillo alexandrino, Leone, Pelagio, Gregorio Pontifice titulos mutuantur? Quis neget omnem semper adhibitam curam, ne infidis profanisque manibus violarentur? Aut quis neget illorum usum fuisse in ecclesiis celeberrimum atque solemnem? Neque ab hisce dissimilia admodum sunt, quae de libris ecclesiasticis, de *Responsorialibus*, *Antiphonariis* et *Orationalibus* teneri debent. Praeclare [1]) cardinalis Thomasius de Orationali sive libro orationum et precum ecclesiasticarum: « Post psalmos, cantica et hymnos exhibitos, par erat et ecclesiasticarum orationum et precum libellum, qui a sacris scriptoribus *Orationale* dicitur, non seiungere; quarum ut antiquissimus est usus in ecclesia, ita et summa religione tenendus. Harum sive nitorem spectes dictionis, sive sublimium sententiarum solidam pietatem, omnino comperies post divinas scripturas a Deo ipso inspiratas, nihil ipsis esse praestantius; quibus scilicet christifideles suos affectus rite promant, effundantque corda sua coram Deo, ut psalmista dicit. »

1729. Ex his autem suam duxit originem rata penes eruditos virosque theologos sententia, utroque librorum genere nobilissimum fontem contineri, « quo purissimi christianae doctrinae latices hauriantur: atque ex his repeti debet vulgatissimus [2]) utriusque fontis usus sive ut quae credenda sunt adprobentur, sive ut quae reiicienda sunt, validissime explodantur. Rem itaque acu tetigit [3]) Muratorius scribens: « Inter alias praerogativas, quae veteres Liturgias easque olim pro varietate ecclesiarum varias summopere commendant, illa

turgic. lib. I. cap. VII. seqq., cardinalis Thomasius opp. T. VI., Mabillonius de liturgia gallicana, Muratorius de liturgia rom. veteri in diss. de rebus liturgicis, Benedictus XIV. de sacrificio Missae, Ignatius de Azevedo in exercitt. liturgicis, Grancolas *Les anciennes liturgies*, Le Brun, *Explication litterale, historique et dogmatique des prieres et des ceremonies de la Messe*, Renaudotius in collect. liturg. orientalium, Assemanus in cod. liturgico ecclesiae universae, Alexander Lesleus in praefat. ad Missale mozarabicum et Antonius Zacharia in dissert. de liturgiarum in rebus theologicis usu.

1) Opp. T. II. in praefat. ad lectorem. Confer praeterea quae idem et Venzonius habent in praefationibus ad T. IV., in quibus *de Responsorialibus et Antiphonariis romanae ecclesiae* luculenter disseritur.

2) Cuius usus egregia exhibent specimina Renaudotius, *La perpetuité de la foi de l'eglise catholique sur les sacrements* T. V., Richardus Simonius in notis ad Gabrielem philadelphiensem, Antonius Zacharias in dissert. de liturgiarum in rebus theologicis usu, coroll. X. seqq. et em. Mai in notis quibus Theodori andidensis commentationem liturgicam illustravit pagg. 647. seqq. in nova pp. biblioth. T. VI.

3) Dissert. de rebus liturgicis cap. VIII. pag. 101.

sane plurimi facienda est quod lauta congeries catholicorum dogmatum in eis interspersa deprehenditur. In tot enim orationibus, ritibus ac caeremoniis identidem dignoscitur, quid a tot seculis ecclesia orthodoxa credat de unitate ac trinitate Dei, de divinitate, incarnatione, ceterisque ad Dei filium spectantibus, uti et de divinitate ac potentia Spiritus sancti, de invocatione et intercessione sanctorum, et de aliis ecclesiae catholicae capitulis. Propterea ad hunc ipsum fontem recurrebat sanctus Augustinus quum [1]) de necessitate gratiae caelestis dissereret: quod et alii [2]) ex patribus, prout occasio ferebat, praestitere. Nam quae ibi dogmata occurrunt, non unius privati doctoris sententiae sunt, sed universae illius ecclesiae quae iisdem liturgiis utebatur. »

1730. Sed forte non deerunt qui aliter *de hymnis* existiment, deque illorum auctoritate ac pondere minus dextere opinentur. Quum enim colorem praeferant ingeniumque poeticum, nescio quam ingerunt suspicionem ne forte licentia item poetica sinceram veritatis speciem formamque plus minusve depravarint. Nihilominus in aliam prorsus sententiam ibimus si animo reputemus, quid maiores nostri de hymnis censuerint, quodve illis ad faciendam fidem auctoritatis pondus vindicarint. Edocti nimirum [3]) Iudaeorum exemplo, ac multo edocti plenius exemplo [4]) Christi et apostolorum, quemadmodum seculis omnino omnibus hymnos frequentarunt, ita

1) De dono perseverantiae cap. XXIII. n. 63.

2) Immo ne haereticos quidem ab huius argumenti usu abstinuisse, praeclare ex iis liquet quae de Felice et Elipando *adoptionis* assertoribus ecclesiastici annales testantur. Videsis em. Bona rerum liturgic. lib. I. cap. II., Petrum Le Brun in exposit. Missae T. II. diss. V. art. II. sect. II., Iohannem Pinium in tract. hist. chron. de liturg. antiq. hispan. cap. IV. §. III., Petrum Constantium de vindiciis veterum codicum confirmatis cap. VIII. et Alexandrum Lesleum in praefat. ad Missale mozarabicum cap. VIII.

3) De poesi, hymnisque Hebraeorum praeter Robertum Lowth et Franciscum Hare consulendi sunt Iohannes Martianeus et Antonius Pouget in prolegomenis ad divinam s. Hieronymi bibliothecam, Mazochius in spicilegio biblico T. I. pag. 45. et T. II. p. 171., Alphonsus Nicolai lectt. sacr. T. IX. diss. VII., et Xaverii Matthaei dissertatio de poesi Hebraeorum et Graecorum. His adde quae de Therapeutis scribunt Philo de vita contemplativa, et Eusebius H. E. lib. II. cap. XVII.

4) En quae patres concilii toletani IV. an. 633. habiti, praeside Isidoro hispalensi, decreverint can. XIII: « De hymnis etiam canendis et Salvatoris et apostolorum habemus exemplum; nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthaeo evangelista testante: *et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Et Paulus apostolus ad ephesios scripsit dicens: *implemini spiritu, loquentes vos in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus.* Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidem specialiter reprobant pro eo quod de scripturis sanctorum canonum vel apostolica traditione non existunt; respuant ergo et illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: *gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in secula seculorum amen.* Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt, *gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* reliqua quae ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesia canendus est, quia in scripturarum sacrarum libris non invenitur. Componuntur ergo hymni,

Digitized by Google

illos uno ore adhibuerunt ut christianam pietatem alerent, divinamque veritatem suavius in dies diffunderent, et si quando opus esset, strenue etiam tuerentur. Et de usu quidem universali ac perenni tanta suppetit testimoniorum ubertas, ut aegre admodum sit eruditorum aliquem [1]) reperire, qui illum cum ecclesiae originibus non arctissime copulaverit. Quam penitissimam copulationem ea perspicuitate vel unus Arevalus [2]) comprobavit, ut splendidior ne expeti quidem posse videatur. Quare nihil prorsus succurrit commodius, quam vulgatissimum hymnorum cantum iis verbis repraesentare, quibus [3]) Prudentius laudationem sanctorum Fructuosi, Augurii et Eulogii absolvit inquiens:

» Exultare tribus libet patronis,
» Quorum praesidio fovemur omnes
» Terrarum populi pyrenearum.
» Circumstet chorus ex utroque sexu,
» Heros, virgo, puer, senex, anicla:
» Vestrum psallite rite Fructuosum.
» Laudans Augurium resultet hymnus,
» Mixtis Eulogium modis coaequans,
» Reddamus paribus pares camoenas.
» Hinc aurata sonent in arce texta,
» Blandum litoris extet inde murmur,
» Et carmen freta feriata pangant.

1731. Iam ad pretium quod attinet delatumque hymnis auctoritatis pondus, quum dici [4]) plurima possent, paucis iisdemque perspicuis contentus ero. Itaque Basilius ubi quaestionem versat [5]) sane

sicut componuntur missae, sive preces vel orationes sive commendationes seu manus impositiones; ex quibus si nulla dicantur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Sicut igitur orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet, sed pari modo Gallia, Hispaniaque celebret; excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi.» Praeiverat Augustinus, qui libro secundo ad inquisitiones Ianuarii, sive epist. LV. al. CXIX. n. 34. pag. 107. opp. T. II. his omnino simillima docuit.

1) Hinc communi prope calculo improbata fuit Henrici Valesii opinio contendentis (in notis ad Eusebii H. E. lib. II. cap. XVII.), non fuisse hymnos in Dei laudem a christianis compositos ante Antoninorum tempora, mediumque seculum secundum. Videsis Sebastianum Pauli de poesi sanctorum patrum primorum seculorum.

2) Dissert. de hymnis ecclesiasticis eorumque correctione atque optima constitutione, praemissa hymnodiae hispanicae, quam Romae vir doctus edidit anno 1766.

3) Peristeph. hymn. VI. vv. 145. seqq. pagg. 1038-1039. opp. T. II.

4) Videsis Andreae Schmidii dissertationem *de propagatione religionis per carmina*, cum qua confer Salomonis Ernesti Cypriani contrariam dissertationem *de propagatione haeresum per cantilenas*. Quo plane referuntur quae consignata litteris occurrunt penes Tertullianum de carne Christi capp. XVII-XX., Theodoritum H. E. lib. IV. cap. XXIX., Sozomenum H. E. lib. III. cap. XVI., Epiphanium haeres. LXVII. §. III., et Athanasium in epist. de decretis nic. synodi n. 16. et in epist. de sententia Dionysii n. 6.

5) De Spiritu-sancto cap. XXIX. pag. 59. opp.

Digitized by Google

maximam de glorificando Spiritu una cum Filio atque Patre, insignibus [1]) Clementis romani, Irenaei, utriusque Dionysii romani et alexandrini, Eusebii palaestini, Origenis et Africani suffragiis, haec eodem spectantia e vestigio [2]) subdit: « Visum est patribus nostris vespertini luminis gratiam haudquaquam silentio accipere, sed mox ut apparuit agere gratias. Quis autem fuerit auctor illorum verborum quae dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam umquam visi sunt impietatem committere qui dicunt: *laudamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum Dei*. Quod si quis etiam novit [3]) Athenogenis hymnum, quem [4]) tamquam aliquod amuletum discipulis suis reliquit, festinans iam [5]) ad consummationem per ignem; is novit et martyrum sententiam de Spiritu. » Igitur ad faciendam fidem eodem numero habentur quae sanctissimorum patrum testificationibus, quaeque vulgatis precibus sacrisque hymnis comprehensa legebantur. Hinc Augustinus librum recensens contra epistolam Donati, inter cetera [6]) scribit: « Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Am-

a) Ibid. n. 73. pag. 62. Ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι· ἀλλ' εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν· καὶ ὅς τις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτων ἐκείνων τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν· ὁ μέν τοι λαὸς ἀρχαίαν ἀφίησι τὴν φωνήν, καὶ οὐδενὶ πώποτε ἀσεβεῖν ἐνομίσθησαν οἱ λέγοντες· αἰνοῦμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα θεοῦ· εἰ δέ τις καὶ τὸν ὕμνον Ἀθηνογένους ἴσμεν, ὃν ὥσπερ τι ἀλεξητήριον, τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ καταλείποιεν, ὁρμῶν ἤδη πρὸς τὸν διὰ πυρὸς τελείωσιν, οἶδε καὶ τὴν τῶν μαρτύρων γνώμην ὅπως εἶχον περὶ τοῦ πνεύματος.

T. III: Ἀπαρίθμησις τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διαφανῶν, ὅσοι ἐχρήσαντο ἐν τοῖς συγγράμμασιν ἑαυτῶν τῇ φωνῇ σύν. *Enumeratio virorum in ecclesia illustrium, qui in scriptis suis usi sunt hac voce*, cum.

1) Ibid. nn. 72-73. pagg. 60-62.

2) De Athenogene eiusque hymno disserunt accurate Sollerius T. IV. sanctorum Iunii pagg. 216. seqq., et Zacharia in biblioth. ritual. lib. II. cap. II. art. I.

3) Maranus in subiecta adnotatione scribit: « Habent editi, ὥσπερ τι ἄλλο ἐξιτήριον. Quatuor mss., ὥσπερ ἄλλο τι ἐξιτήριον, *tamquam aliud aliquid valedictionis donum*. Si cui magis arrideat vulgata scriptura, litem non movebo. Sed tamen longe potior videtur scriptura Regii primi, quam in contextum recepimus. Basilius supra cap. I. professionem fidei, quae fit in baptismo, servandam esse docet instar tutissimi praesidii, ὡς ἀσφαλοῦς φυλακτηρίου. Idem dicit de his verbis, *in principio erat Verbum*, hom. XVI. pag. 138. Praeterea Ducaeus, cui lectio codicis regii placet, illud ἐξιτήριον minus commode usurpari observat, nisi addatur δῶρον. Sic Basilius in epist. LXXVII. ait, Christum dedisse discipulis ἐξιτήριον δῶρον, *extremum munus*, nempe pacem suam. »

4) Nolim silentio premere Mazochii coniecturam, qua τὸν διὰ πυρὸς τελείωσιν, *consummationem per ignem* nihil aliud esse statuit in commentario de sancto Athenogene ad diem XVI. Iunii pagg. 638. seqq. quam γενικῶς *generaliter* martyrium, quodcumque tandem illud fuerit.

5) Retractatt. lib. I. cap. XXI. p. 13. opp. T. I.

Digitized by Google

brosii, ubi de gallo gallinaceo ait: *hoc ipsa petra ecclesiae canente, culpam diluit.* » Ubi vero dolorem commemorat quo fuerat propter optimae parentis obitum affectus, aliis recordatione dignissimis haec [1]) subiicit: « Deinde dormivi et evigilavi, et non parva ex parte mitigatum inveni dolorem meum: atque ut eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosii tui: tu es enim

Deus creator omnium, *Artus solutos ut quies*
Polique rector, vestiens *Reddat laboris usui,*
Diem decoro lumine, *Mentesque fessas allevet,*
Noctem [2]) *sopora gratia.* *Luctusque solvat anxios.* »

Contra pelagianos vero, ut gratiae necessitatem confirmet, ad Ambrosium provocans [3]) inquit: « Quem Spiritum memoratus episcopus *(is est Ambrosius)* etiam precibus impetrandum admonet, (ita illi voluntas divinitus non adiuta non sufficit) ubi in hymno suo [4]) dicit:

Votisque [5]) *praestat sedulis*
Sanctum mereri Spiritum. »

1732. Eodem pertinent quae priscus auctor sermonis Augustino [6]) tributi de Christo habet inquiens: « Nostis, quia sic confiteri [7]) soletis, postquam resurrexit, adscendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Hunc nostri gigantis excursum brevissime ac pulcherrime cecinit beatus Ambrosius in hymno quem paulo ante cantastis. Loquens enim de Domino Christo, sic ait:

Egressus ejus a Patre,
Regressus eius ad Patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei. »

Eodem haec pertinent quae Caelestinum pontificem auctorem [8]) ha-

1) Confess. lib. IX. cap. XII. n. 32. pag. 123. opp. T. I.

2) In aliis editionibus, *soporis*. At in multis mss. *sopora*, a verbo *soporo*; melius, siquidem hocce hymno somnus quietus ad recreandas corporis animique vires postulatur.

3) De nat. et grat. cap. LXIII. n. 74. pag. 167. opp. T. X.

4) Ambrosianum hymnum cistercienses monachi canunt ad tertiam dominica palmarum, et diebus proxime sequentibus. Quae mihi in mentem revocant praeclaram Arevali disputationem de monachorum hymnodia, quae habetur diss. cit. §. XVIII. nn. 96. seqq. pagg. 78. seqq.

5) Editio lovaniensis, *perstat*.

6) Serm. CCCLXXII. de nativit. Domini IV: n. 3. pag. 1023. inter opp. Augustini T. V. De quo sermone Maurini ita sentiunt: « Non omnia huic sapiunt Augustinum. Istud in exordio, *de Patre sine sexu, de matre sine usu*, haud satis accurate pronuntiatum videtur. Et prior pars eiusdem sententiae, *natus est de Patre semper*, habetur etiam in superiori sermone. Ante finem citatur hymnus Ambrosii de Christi natali, qui paulo ante fuerat cantatus. Num forte ritus canendi in ecclesia hymnos ambrosianos per Augustinum fuerat in Africam invectus? »

7) In symbolo.

8) In fragmento orationis quam habuit in synodo romana celebrata anno CCCCXXX.

Digitized by Google

bent : « Recordor beatae memoriae Ambrosium in die natalis Domini nostri Iesu Christi omnem populum fecisse una voce Deo canere :

Veni redemptor gentium,
Ostende partum Virginis,
Miretur omne seculum,
Talis decet partus Deum. »

Eodem haec quae Fausto rhegiensi [1]) debentur : « Accipe etiam in hymno sancti antistitis et confessoris Ambrosii, quem in natali dominico per omnes Italiae et Galliae regiones persultat ecclesia : *procede de thalamo tuo.* » Et ne plura [2]) congeram, nemo est qui ignoret acerrimam contentionem quae occasione doxologiae [3]) qua hymnus de communi plurium martyrum ad vesperas absolvebatur, in partes discidit hinc quidem Gothescalcum et Ratramnum corbeiensem, inde vero Hincmarum rhemensem, « quibus illi affirmabant quod alter [4]) inficiabatur, dici [5]) rite posse *trinam deitatem.*

1733. Qua de re nullatenus mirabimur, si ea qua par est diligentia, ex ordine animo reputemus *quinam fuerint hymnorum ecclesiasticorum auctores, a quibus iidem, quibus in locis, quove fine canerentur,* ac tandem *e qua veluti vena defluxerint.* Et quidem si de Latinorum hymnis sermo sit, hi praeclaris commendantur [6]) no-

1) Epist. ad G. diaconum.

2) Paschasius Ratbertus in opusculo de partu Virginis pag. 302. in collect. pp. tolet. T. I., ut intactam Mariae virginitatem in partu et post partum demonstret ait : « Hinc est sane quod ecclesia ex auctoritate sanctorum patrum canit *(praeeunte Sedulio)* de nativitate eius : *et gaudium matris habens cum virginitatis pudore.* Ubi alii quam egregii viri emendarunt, *cum virginitatis honore.* » Et rursum pag. 305. ad Ambrosii hymnos provocans scribit : « Hinc quoque alibi ipse ait : *fit porta Christi pervia, referta plena gratia, transitque rex et permanet clausa.* »

3) Vetus doxologia hymni, *sanctorum meritis inclyta gaudia*, his verbis incipiebat : *te trina deitas, unaque poscimus.*

4) Hincmarus in libro *de non trina deitate*, ubi et hymnum recentem esse affirmat, et rationibus quibus potest omnibus formulam *trinae deitatis* impugnat. Videsis Christianum Lupum qui in dissertatione de vocibus *substantia, essentia, persona, ...* opp. T. II. Hincmarum pluribus refellit, eoque etiam nomine insectatur *quod a multis seculis in hymno de sanctis martyribus cantavit omnis latina ecclesia :* te, trina Deitas, unaque poscimus. Atqui l. ab ipsa propemodum Hincmari aetate romana ecclesia cecinit : *te, summa Deitas, unaque poscimus.* Et II. Urbano VIII. Pontifice, ut metri lex servaretur, ita versus fuit leviter correctus, *te summa o Deitas, unaque poscimus.* Concedi tamen III. Lupo debet, neque monasteria defuisse, quae primam lectionem retinerent. Atque ea sane in Breviario cluniacensi licet emendato reperitur.

5) Quod beatus Thomas primam lectionem adoptarit, et in hymnum officii de sanctissimo Christi corpore transtulerit, *te trina Deitas, unaque poscimus, sic nos tu visita, sicut te colimus ;* lis prorsus omnis dirempta videtur, quum Thomae hymni propter insignem scriptoris auctoritatem, universaeque ecclesiae romanae illos recipientis adprobationem, nullum ambigendi locum relinquant.

6) Quibus ex ipsis romanis pontificibus addi inter alios debent Damasus apud Thomasium in hymnario pagg. 187-382. opp. T. II., Gelasius, quemadmodum testes sunt Gennadius de scriptt. ecclesiast. cap. XCIV., Walafridus de rebus ecclesiast. cap. XXV., et Bollandiani propylaeo ad acta ss. Mai P. I. pag. 74., nec non Gregorius apud Thomasium op. cit. pagg. 360-362-406-410.

Digitized by Google

minibus [1]) Ambrosii, Hilarii pictaviensis [2]), Iuvenci [3]), Victorini afri [4]), Prudentii [5]), Paulini nolani [6]), Caelii Sedulii [7]), Claudiani Mamerci [8]), Magni Felicis Ennodii [9]), Venantii Fortunati [10]), Conantii [11]), Iohannis caesaraugustani [12]), Leandri hispalensis [13]), Eugenii toletani [14]), Hildephonsi eiusdem ecclesiae praesulis [15]), venerabilis Bedae [16]), Pauli diaconi [17]), Paulini aquileiensis [18]), Theodulphi aurelianensis [19]), Servati Lupi [20]), Rhabani Mauri [21]), Odonis cluniacensis [22]), Petri Damiani [23]), Fulberti carnotensis [24]), Anselmi cantuariensis [25]), Petri cluniacensis [26]), et ne sim [27]) nimius, beati [28]) Casimiri. Neque dissimili splendore illorum fulgent nomina, qui Armeniorum, Syrorumque ecclesias hymnorum venustate locupletarunt. An non illustria sunt et ad fidem venerationemque creandam accomodata nomina [29]) Stephani suniensis, Gregorii philomartyris,

1) Cf. eumdem Ambrosium ad Virginem lapsam cap. VII. et serm. con. Auxentium de basilicis tradendis n. 34., Augustinum retractatt. lib. I. cap. XXI., confess. lib. IX. capp. VI-VII-XII., de musica lib. VI. cap. IX. et de nat. et grat. cap. LXIII., Paulinum in vita Ambrosii n. 13., Cassiodorium in Ps. LXXIV. 8. et Thomasium in hymnario.

2) Audiendus est idem Hilarius in Psa. LXIII. n. 4., LXIV. n. 12. et CXVIII. lit. S. n. 14., Hieronymus praefat. in lib. II. comm. in epist. ad Galatas, et Isidorus qui de officiis eccles. lib. I. cap. VI. scribit: «Hilarius autem gallus, episcopus pictaviensis eloquentia conspicuus hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius mediolanensis episcopus vir magnae gloriae in Christo, et clarissimus doctor in ecclesia copiosius in eiusmodi carmine claruisse cognoscitur, atque inde ex eius nomine *Ambrosiani* vocantur.»

3) Apud Hieronymum in epist. ad Magnum et de scriptt. ecclesiast. cap. LXXXIV: De ipso Venantius Fortunatus in vita s. Martini cecinit:

• Primus enim docili distinguens ordine carmen
• Maiestatis opus metri canit ore Iuvencus.

Cf. T. VIII. biblioth. pp. edit. Paris. MDCLXXIV. et Paciaudum de cultu s. Ioh. Baptistae diss. IV. cap. VI.

4) In biblioth. max. pp. T. IV. pag. 294. Georgius Cassander de hym. eccl. refert in quibusdam antiquis breviariis Lactantio Firmiano tribui *tum carmen de passione*, tum *elegiam de resurrectionis dominicae die*.

5) Vide Faustini Arevali *Prudentiana*, opp. Prudentii T. I.

6) Apud Gennadium de scriptt. ecclesiastic. cap. XLVIII.

7) In biblioth. max. pp. T. VI.

8) Ibidem.

9) Apud Sirmondum, qui eiusdem XI. hymnos illustravit.

10) Cf. eiusdem opera, itemque Aloisium Assemanum cod. liturg. P. IV. lib. II. pag. 60. et Zachariam biblioth. ritual. lib. II. cap. II. a. I.

11) Apud s. Hildephonsum de scriptt. ecclesiast. cap. XI.

12) Ibid. cap. VI.

13) Apud Isidorum de scriptoribus ecclesiast. cap. XXVIII.

14) Apud Alcuinum in officiis per ferias, et Thomasium in hymnario.

15) Apud s. Iulianum in vita s. Hildephonsi. Cf. praefat. ad T. I. collect. pp. toletanorum.

16) In indiculo quem ipse texuit suorum operum. Hymni non pauci Bedae nomine insignes occurrunt in hymnis ecclesiasticis Cassandri et in Thomasii hymnario.

17) Apud Labbè de scriptt. ecclesiast.

18) Apud Walafridum de rebus ecclesiastic. cap. XXV.

19) In biblioth. max. pp. T. XIV.

20) Ibidem.

21) Apud Bollandianos T. I. Iunii pag. 176.

22) Apud Mabillonium in annal. benedict. T. III. pag. 712.

23) Opp. eiusdem T. IV.

24) In biblioth. max. pp. T. XVIII.

25) Inter eiusdem opera a Gerberonio edita, et penes Theophilum Raynaudum opp. T. VII.

26) In biblioth. cluniacensi Parisiis edita an. MDCIV.

27) Alios latinos hymnographos dabunt Fabricius in biblioth. latina et Daniel in thesauro hymnologico.

28) Apud Bollandianos T. I. Martii pag. 357. Cf. Pezii dissert. isagog. ad T. I. thesauri anecdott. §. XXVIII.

29) Horum omnium hymni leguntur in Breviario arm. edit. Vindob. P. III. pagg. 173-271-286-

Nersetis claiensis, Iacobi claiensis, et ne plures [1]) memorem, Vartdanis? Hi autem potissimum sunt, quibus Armeniorum ecclesia suos hymnos in acceptis refert.

1734. Quid vero de Syris dicam? Nobilissimi inter ipsos scriptores impensam dederunt operam, ut divinum cultum religionisque ceremonias [2]) editis hymnis decorarent. Eiusmodi sane fuit [3]) Ephraem, cuius opera rhythmica propemodum innumera ita Syri in partes dividunt, ut alia ܡܐܡܪܐ *mimre*, alia ܡܕܪܫܐ *madrosce* appellent. Prioris generis sunt [4]) carmina [5]) septem syllabarum aequalibus versibus constantia, eo fere modo quo heroica Latinorum carmina; posterioris autem sunt versus pluribus strophis conflati, odarum [6]) instar latinarum, qui modo aequalibus et modo inaequalibus pedibus incedunt. Eiusmodi fuit ܒܠܝ *Balai*, celeberrimus apud Syros [7]) pentesyllaborum hymnorum scriptor, quem ad Ephraemi et Isaaci tempora refert [a]) Gregorius Barhebraeus de can-

a) Ethic. P. I. cap. V. sect. IV.

ܩܠܝܠܐ ܗܘ ܕܥܒܕ ܫܡܫܐ ܠܥܡܐ ܚܕܬܐ ܕܒܝܬ ܗܘ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܫܠܡܘܢ ܒܝ ܐܚܐ ܒܝ ܘܥܠ ܐܚܕ ܐܚܪܢ ܕܡܡܪ ܗܘ ܒܠܫܘܢ ܡܐܡܪ ܘܒܠܫܘܢ ܡܕܪܫ ܗܘ ܕܥܒܕ ܒܝ ܡܐܡܪ ܘܒܝ ܡܕܪܫ ܘܒܝ ܫܒܚ ܘܒܝ ܬܫܒܚܬܐ ܘܒܝ ܬܫܒܚ ܘܒܝ ܫܒܚ

ticorum auctoribus inquiens : « Quonam tempore et a quibus in Syrorum ecclesiam cantus introducti. Ex quo nicaenum concilium celebratum est, cepit sanctus Ephraem noster sacros hymnos odasque adversus sui temporis haereses conscribere. Praeterea alii doctores, ut Isaac et quidam nomine Balai ad davidicos versiculos complura cantica accomodavere. Item sub tempus ephesinae synodi inclaruerunt viri [1]) *cuchitae* pietate insignes, qui fervore spiritus rapti plurimos cantus edidere. » Hucusque Barhebraeus vetustiores enumerans hymnorum auctores, quibus addendi sunt tum [2]) Narses qui metrum hexasyllabum praehabuit, tum [3]) Iacobus sarugensis, cognomento *doctor*, Batnarum in Mesopotamia seculo VI. [4]) episcopus, qui plurimos metro dodecasyllabo [5]) hymnos condidit, eamque doctrinae sanctitatisque opinionem [6]) apud Syros obtinuit, ut ipsum [7]) orthodoxi iuxta ac haeretici veluti sanctum venerentur.

1735. Quamquam vero longe sint pauciora, quae de Coptorum hymnis atque theotociis comperta habemus, putamus tamen affirmari non iniuria posse eximiam esse antiquitatem qua praecellunt. Ut enim ab iis ordiamur indiciis quae externa nuncupantur, indubitatum est orthodoxos iuxta ac heterodoxos iisdem in Aegypto uti canticis, eosdemque hymnos atque eadem theotocia frequentare. Immo indubitatum est, non minus heterodoxos ab orthodoxis editos hymnorum libros habere, quam orthodoxos ab heterodoxis manuscriptos eorumdem codices mutuo accepisse. Edidit quidem Romae [8])

ܥܡ ܐܘܡܝ . ܐ ܕ ܒܗ ܡܚܬܢܢ ܘܫܦܪܝܗ ܒ ܘܚܠܦܗ ܗ . ܐܢ ܡ ܕ ܡ ܐ
ܘܚܣܢ ܗ ܒ ܕ ܐ ܘܐ ܚ ܐ ܗ ܐ .

1) Cuchitarum hymnis, teste Assemano in biblioth. orient. T. I. pag. 131., praefigitur in officiis Syrorum titulus iste ܩܘܩܝܐ *cucoio*, ligue passim occurrant sive ad canticum trium puerorum in Matutino, sive in defunctorum officio. Dicti autem fuerunt *cuchitae*, idest, *figlinam* exercentes; nam ܩܘܩܝܬܐ *cuchituio* est *ars figularis*, et ܩܘܩܝܐ *cuchio figulus*. Quare Iohannes Gariri filius presbyter damascenus in cod. echell. XII. Barhebraei verba arabice sic reddidit : وايضا فى عهد المجمع فى افسس نشا اناسا فاخورين حذاق : *item temporibus concilii ephesini inclaruerunt quidam sapientes figuli ;* ubi syriacam vocem ܩܘܩܝܐ *cuchoie* vertit arabice فاخورين *fachurin*, *figulos*.

2) Apud Assemanum in biblioth. orient. T. I. pag. 61.

3) Ibidem pag. 283.

4) Naironum in Evopl. P. I. pag. 48. et P. II. pag. 112., itemque Guillelmum Cave in hist. lit. T. II. pag. 110. existimantes Iacobum sarugensem nonnisi seculo VIII. claruisse, egregie refellit Assemanus l. c. pag. 290.

5) Hos Assemanus recenset l. c. pagg. 305. seqq.

6) Sinceram orthodoxamque Iacobi fidem contra Renaudotium strenue vindicat Assemanus l. c. pagg. 291. seqq.

7) Maronitae eius memoriam agunt die V. Aprilis, Iacobitae vero die XXIX. Octobris, XXIX. Iunii et XXIX. Iulii.

(8) ⲡⲓⲁⲱⲙⲓ ⲛⲓⲧⲉ ⲡⲓⲑⲉⲟⲧⲟⲕⲓⲁ ⲛⲉⲙ ⲕⲁⲧⲁ ⲧⲁⲝⲓⲥ ⲛⲓⲧⲉ ⲡⲓⲁⲃⲃⲁ ⲭⲟⲓⲁⲕ ⲏ

Digitized by Google

Raphael Tukius Coptorum theotocia; sed unde illa sumpsit, vel ad quos codices expressit? Expressit nimirum ad vaticanos codices, quos Assemanus ex Aegypto detulerat, iustoque pretio ex haereticorum monasteriis redemerat. Nihil ergo *historice* evidentius, quam haereticis et catholicis communes esse in Aegypto hymnos, et communes canticorum atque theotociorum libros. Haec autem Coptorum omnium in eadem usurpanda hymnodia societas atque concordia, *externum* praebet idemque validissimum argumentum, quo illa ante euthychianam et monotheleticam divisionem elucubrata iudicetur. Partibus enim scissis atque in diversa abeuntibus, fieri minime potuit sive ut monophysitae et monotheletae aegyptii cantica et hymnos a catholicis, sive ut hi mutuarentur ab illis, a quibus totis animis dissidebant. Reliquum est igitur ut Coptorum theotocia atque cantica seculo sexto vetustiora videantur.

1736. Quae sententia non minori perspicuitate argumentis internis communitur. Fac enim hymnos et theotocia non prius extitisse quam eutychiana haeresis seculo V. in Coptos grassaretur. Profecto nihil in iisdem occurret quod illi refragetur, et nihil quod cum illa non apte componatur. En vero quae [a]) continent: „Iesus Christus Dominus noster, Deus noster ac spes nostra, unus est vere *ex duabus et in duabus naturis;* hoc est ex divinitate sancta et incorrupta, consubstantialis Patri, et in humanitate pura, consubstantialis nobis." Et [b]) rursum: „Factus est *(Christus)* homo perfectus, non fuit confusus, neque mixtus, neque ullatenus divisus post unitionem, sed ὑπόστασις una et πρόσωπον unum et duae naturae Dei Verbi." Atqui sunt haec monophysitis infensissima, luculenterque ostendunt ea litteris fuisse prius consignata, quam eutychianum virus magnam Coptorum partem seculo V. depravasset.

a) Theotoc. pag. 56. tetrast. VII-VIII.

Ιης̄ Πχ̄ς̄ πεπος̄ πεπποτ† οτος ϩεπϩελπις ϯ Οται πε ⲁⲗⲏⲑⲱⲥ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲥⲡⲁⲧ† ⲛⲉⲙ ϧⲉⲛ ⲥⲡⲟⲩ† ⲏⲫⲩⲥⲓⲥ ϯ

Θτε ϕⲁⲓ πε ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲟⲩⲙⲉⲑⲛⲟⲩ† ⲉⲥⲧⲟⲩⲃⲏⲟⲩⲧ ⲉⲥⲟⲓ ⲏⲁⲧⲧⲁⲕⲟ ⲏ ⲟⲙⲟⲟⲩⲥⲓⲟⲥ ⲛⲉⲙ ϕⲓⲱⲧ ϯ

b) Ibid. pag. 84. tetrast. I.

Ⲓ̈ ⲡⲉϥϫⲱⲱ ⲁⲡⲉϥⲑⲱⲣϧ ⲟⲩⲁⲉ ⲁⲡⲉϥϕⲱⲣϧ ⲕⲁⲧⲁϩⲗⲓ ⲏⲥⲙⲟⲩ ⲙⲉ̀ⲡⲉⲛⲥⲁ †ⲙⲉⲧⲟⲩⲁⲓ ϯ

Ⲁⲗⲗⲁ ⲟⲩ ϩⲩⲡⲟⲥⲧⲁⲥⲓⲥ ⲏⲟⲩⲱⲧ ⲟⲩⲡⲣⲟⲥⲱⲡⲟⲛ ⲏⲟⲩⲱⲧ ⲛⲉⲙ ϕⲩⲥⲓⲥ ⲥⲡⲟⲩ† ⲏⲧⲉ ϕ† ⲡⲓⲗⲟⲧⲟⲥ ϯ

Digitized by Google

1737. Accedit *indicium philologicum* eodem spectans, et quod paullo debet expoliri diligentius. Non latet grammaticos, particula ϣⲁ iuncta cum particula ϩⲧⲉ πε tempus ἀορίστου denotante, et instructa suffixis illud ipsum significari quod latine reddimus *donec*. Hoc pacto phrases ϣⲁϯⲱϥ ϣⲁⲧⲉⲕⲓⲣⲓ, ϣⲁⲧⲉϥϣⲉⲛⲁϥ apte reddduntur *donec legam*, *donec facias*, *donec eat*. Porro in utraque dialecto memphitica et thebana nonnisi interiecta littera ⲡ pridem scribebatur ϣⲁⲡⲧⲓ, ϣⲁⲡⲧⲉϥ ··· Labentibus vero annis memphitae pro suae dialecti analogia ac ratione, detrusa littera ⲡ, scribere ceperunt ϣⲁϯ, ϣⲁⲧⲉⲕ, ϣⲁⲧⲉ ··· Quapropter inserta littera ⲡ haud secus spectanda videtur ac uti nota vetustioris linguae, et character vetustioris scriptionis. Apposite in sua grammatica Peyronius, ubi de particula ϣⲁⲡⲧⲉ ait: « Memphitae omisso ⲡ scribunt ϣⲁⲧⲉ, sed vetus orthographia (*qua* scribebatur ϣⲁⲡⲧⲉ) in nonnulis codicibus adhuc superest. » Auctore igitur Peyronio, ex duplici scriptione ϣⲁⲡⲧⲉ et ϣⲁⲧⲉ, illa vetustiorem, haec recentiorem aetatem repraesentat. Verum quo primum seculo ratio invaluit scribendi ϣⲁⲧⲉ? Non admodum a veritate discedemus, si hanc orthographiae formam ad extremum seculum tertium quartumque incipiens revocandam esse arbitrabimur.

1738. Sane hoc temporis intervallo primum apparuit coptica novi testamenti interpretatio. Quisquis autem propriis oculis usurpare potest, usum quidem particulae ϣⲁⲧⲉ esse in ipsa frequentissimum, sed vix aliquando ϣⲁⲡⲧⲉ adhiberi. Mutatio igitur ϣⲁⲡⲧⲉ in ϣⲁⲧⲉ iam tum obtinere ceperat, quum ⲉ graeca in copticam linguam novum testamentum verteretur. Cui opinioni multo facilius ii omnes subscribent, qui ad copticos borgianos codices a Zoega editos animum adverterint. Ex his enim codices decimus nonus, vicesimus et vicesimus quartus recentiores non sunt seculo quarto ineunte. Sed cuiusmodi est horum codicum orthographia, quamque praeferunt scriptionis formam? Praeferunt ne ϣⲁⲡⲧⲉ vel ϣⲁⲧⲉ? Scilicet extrusa littera ⲡ, habent non ϣⲁⲡⲧⲉ sed ϣⲁⲧⲉ. Et ϣⲁⲧⲉ quidem habet codex decimus nonus [a]) his verbis: « Manebat beatus (*Isaac*) in domo militis cui nomen Dionysius, *donec* praeses re-

a) Ⲛⲁϥϣⲟⲡ ⲡⲉ ϩⲛⲧⲉ ⲡⲓⲙⲁⲕⲁⲣⲓⲟⲥ ϩⲉⲛ ⲡⲛⲓ ⲉⲡⲓⲙⲁⲧⲟⲓ, ⲉⲉ Ⲇⲓⲟⲛⲩⲥⲓⲟⲥ, ϣⲁⲧⲉ ⲡⲓϩⲏⲧⲉⲙⲱⲛ ⲧⲁⲥⲟⲟϥ·

Digitized by Google

verteretur.» Habet ϣⲁⲧⲉ codex vicesimus, in quo [a]) legimus « Angelus Domini praecedebat eos, *donec* illos ad Pankoleos adduxit, ad austrum eius loci quem vocant Pgelvah. » Et aliis sepositis, habet ϣⲁⲧⲉ codex vicesimus quartus, in quo ista [b]) reperiuntur: « Profectus est *(Anub)* ad austrum solus super fluvium, *donec* pervenit ad Gemnuti.» Tum [c]) haec: « Traxerunt *(navim)* ad austrum cum eo, *donec* pervenirent ad vicum dictum Scetnufi. » Videtur ergo extra controversiam positum, lectione ϣⲁⲛⲧⲉ notam indiciumque contineri tum linguae tum scriptionis quae ante medium seculum quantum dominaretur.

1739. Iamvero theotocia constanter exhibent ϣⲁⲛⲧⲉ inserta littera ⲛ, et numqnam ea expuncta in ipsis ϣⲁⲛⲧⲉ frequentatur. Ex innumeris quae ad omnem paginam occurrunt exemplis, nonnulla adducam, cuiusmodi haec [d]) sunt: « O tu quae induta es veste caelestium, *ut* vestires Adamum veste gratiae. Inventus est salvator noster Iesus in tuo utero, illum peperisti mundo *ut* nos salvaret. O Magnum portentum! Costam ex Adami latere accepit, *ut* mulier efformetur. . . . Carnem ex te (Virgo) sumpsit *ut* nos secum reconciliaret . . . » Concludendum igitur non iniuria videtur, summam Coptorum theotociis inesse auctoritatem, quum summa orthodoxorum et haereticorum suffragatione comprobentur, et summa sit antiquitas qua insigniter commendantur.

a) Ⲁ ⲟⲩⲁⲅⲅⲉⲗⲟⲥ ⲏⲧⲉ ⲡⲃⲟⲉⲓⲥ ⲃⲓⲱⲱⲓⲧ ⲛⲁⲁⲩⲟⲩ ϣⲁⲧⲉϥⲉⲣⲟⲩ ⲉ̀ Ⲡⲁⲛⲕⲟⲗⲉⲩⲥ ⲥⲁⲣⲝⲥ ⲛⲟⲩⲙⲁ ⲉ̀ⲁⲧⲙⲟⲩⲧ̀ ⲉ̀ⲣⲟϥ ⲛⲉ Ⲡⲅⲉⲗⲃⲁϩ.

b) Ⲁϥⲙⲟⲩⲓ (ⲏⲛⲉ Ⲁⲛⲟⲩⲃ) ⲉ̀ ⲣⲝⲥ ⲙⲙⲁⲧⲁⲧⲩ ⲉⲓⲥⲉⲛ ϕⲓⲁⲣⲟ ϣⲁⲧⲉϥⲓ ⲉ̀ⲛⲉⲙⲛⲟⲩⲧ̀.

c) Ⲁⲧⲥⲱⲕ ⲉ̀ⲣⲝⲥ ⲡⲉⲙⲁϥ ··· ϣⲁⲧⲟⲩϕⲟϩ ⲉⲟⲩⲧ̀ⲙⲓ ⲛⲉ ϣ ⲧⲛⲟⲩϥⲓ.

d) Theotoc. pag. 78. tetrast. 5.

ⲰⲰ ⲟⲛⲉⲧⲁⲥⲧ̀ϩⲓⲱⲧⲥ ⲏⲧϩⲉⲃⲥⲱ ⲙⲡⲁⲡⲓϕⲛⲟⲩⲓ, ϣⲁⲡⲧⲉⲥϩⲉⲃⲥ ⲛⲗⲁⲁⲙ ⲏⲧϩⲉⲃⲥⲱ ⲙⲙⲓϩⲙⲟⲩ·

pag. 91. tetrast. 9.

Ⲁⲧⲉⲙⲉ ⲡⲉⲡⲥⲱⲧⲏⲣ Ⲓ̅ⲏ̅ⲥ ⲛ̀ⲑⲉⲛ ⲧⲉⲡⲉⲉⲓ, ⲁⲣⲉⲭϕⲟϥ ⲉ̀ ⲡⲓⲕⲟⲥⲙⲟⲥ ϣⲁⲡⲧⲉϥⲥⲱϥ ⲙⲙⲟⲛ·

pag. 113. tetrast. 7.

ⲰⲰ ϯⲛⲓϣϯ ⲛϣϕⲏⲣⲓ, ⲟⲛⲧⲁⲥⲃⲓ ⲉ̀ⲭⲱⲥ ⲛⲧϯⲃⲏⲧ ⲉⲃⲟⲗⲛ̀ⲑⲉⲛ ⲡⲓⲥϕⲓⲣ ⲛⲗⲁⲁⲙ ϣⲁⲡⲧⲟⲧⲉⲣⲡⲗⲁⲍⲓⲛ ⲙⲙⲟⲥ ⲉⲧⲥϧⲓⲙⲓ·

pag. 122. tetrast. 5.

··· ⲁϥⲃⲓⲥⲁⲣⲝ ⲉⲃⲟⲗⲛ̀ⲑⲟⲩϯ, ϣⲁⲡⲧⲉϥϣⲱⲡⲉⲛ ⲉ̀ⲣⲟϥ ···

Digitized by Google

1740. Venio ad graecos melodos, e quorum albo [1]) omnium primi memoriae succurrunt [2]) Clemens alexandrinus, Nepos aegyptius [3]), Athenogenes [4]) iique quorum [5]) Eusebius et [6]) Constantinus meminerunt. Illi deinde succurrunt unus et septuaginta quos Leo Allatius [7]) recenset, et quorum catalogum Albertus Fabricius [8]) eo usque auxit, ut « celebrioribus prope centum numerarit. Succedunt quae habet Nicolaus Raiaeus, ubi [9]) interrogationi respondens *quinam fuerint graecorum canonum auctores*, ait: « Infinitum est recensere omnes, neque id nostri ratio instituti postulat. Praecipuos lectori suggeret [a]) Typici caput sextum quod hic praeteriri haud potest. *Hoc quoque sciendum est, si Menaeum habet in memoriam alicuius sancti canones diversorum poetarum, si canon adfuerit*

a) Typ. cap. VI. *Ἰστέον δὲ καὶ τοῦτο, ὡς εἴπτε ἔχει τὸ Μηναῖον ἐν μνήμῃ ἁγίου τινὸς κανόνας τῶν διαφόρων ποιητῶν, εἰ μὲν ἐστὶ κανὼν τοῦ Κῦρ Κοσμᾶ, προκριτίος· εἰ δὲ Κῦρ Ἰωάννου καὶ ἑτέρων, τοῦ Ἰωάννου προκρίνεται· εἰ δὲ τοῦ Κῦρ Θεοφάνους καὶ ἑτέρων, ὁ τοῦ Κῦρ Θεοφάνους προκρίνεται, προτιμητίος γὰρ ἐστὶ τῶν ἄλλων· εἰ δὲ τοῦ Κῦρ Ἰωσὴφ, οὗτος τῶν λοιπῶν προτετίμηται· ποιητῶν τούτων δὲ μὴ ὄντων, οἱ τοῦ Κῦρ Ἰωάννου· αὐτῶν δὲ μὴ τυγχανόντων, οἱ τοῦ Κῦρ Θεοφάνους· ἀπόντων δὲ τούτων, οἱ τοῦ Κῦρ Ἰωσὴφ, τῶν λοιπῶν ἀπόντων προκρίνονται.*

1) Neque enim operae pretium arbitror hymnos diligentius recensere sive quos s. Hierotheo vulgatus Dionysius (de div. nominibus cap. IV.) adscribit, sive quos Plinius (Epistt. lib. X. epist. CI.) his verbis commemorat: « Affirmabant autem *(christiani)* hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. » Sive qui in constitutionibus apostolicis (lib. VII. capp. XLVII-XLVIII.) et in epitome clementina de gestis s. Petri (n. 153.) recolantur; sive quorum in actis s. Ignatii (apud Ruinartium n. 25.) mentio occurrit; sive quos Justinus in oratione ad Antoninum Pium laudat; sive illos tandem ad quos provocans auctor, qui Victore et Zephyrino Pontificibus floruit, inquit (apud Eusebium H. E. lib. V. cap. XXVIII.): « Psalmi quoque et cantica fratrum iampridem a fidelibus conscripta Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. »

2) Orat. ad gentes et paedagog. lib. II. cap. IV. et lib. III. cap. ultimo. Videsis Fabricium biblioth. antiq. cap. XI. n. 13.

3) De cuius hymnis testis est Dionysius non areopagita, ut card. Bona deceptus nominis similitudine scribit in lib. de div. psalmod. cap. XVI., sed alexandrinus penes Eusebium H. E. lib. VII. cap. XIX.

4) Cf. Zachariam in biblioth. rit. lib. II. cap. II. a. 1.

5) H. E. lib. II. cap. XVII.

6) Orat. ad sanctorum coetum cap. XII.

7) Dissert. I. de libris ecclesiast. Graecorum pagg. 81-82. ubi memorat conscriptum a se tractatum de melodis Graecorum, quem pariter memorat in diatriba de Georgiis, ubi quaedam a se praetermissa idcirco monet, *quod ea in tractatu de melodis Graecorum latius peregerit, et non saepius eamdem cantilenam canere videretur*. Sed eiusmodi tractatus numquam in lucem venit.

8) Biblioth. graec. T. V. ubi de edito catalogo in epistola nuncupatoria ad Georgium Serpilium ita habet: « Inprimis vero putavi haud ingratum tibi fore elenchum melodorum graecorum, quem attextum his allatianis diatribis a me vides. Quamquam enim rudis admodum ille est et vix inchoatus, tamen confido post deperditum eheu Allatii unius in editis pariter atque ineditis sequioris Graeciae monimentis versatissimi viri, quem de isthoc argumento promisit, librum; haud improbaturum te hosce primos licet conatus meos in celebrandorum graecae ecclesiae hymnopoeorum studio. » Porro T. VIII. pag. 820. subdit, Godfridum Siberum academiae lipsiensis doctorem in id incubuisse, ut historiam melodorum graecorum concinnaret. Sed utrum susceptum opus explerit, illudque in medium prompserit, mihi plane incompertum est.

9) Dissert. onomastic. ad acoluthiam officii graeci §. III. n. 22. pag. XIX. apud Bolland. T. II. Iunii. Adde quae notat Papebrochius T. III. Aprilis pag. 788.

Digitized by Google

Domni Cosmae, hunc aliis praeferendum; si Domni Iohannis et aliorum, eum qui Iohannis est praeferri; si Domni Theophanis et aliorum, Domni Theophanis praeferri, ille enim ante alios honorandus est; si Domni Iosephi, hunc reliquis poetis anteponi; si ceteri defuerint, Domni Ioannis, si hi quoque defuerint, Domni Theophanis; si hi etiam, Domni Iosephi ceteris omnibus anteponi. » Tum [1]) pergit: « Ex his non tantum colligi, qui quibus in canonum concursu anteponantur; verum etiam quinam sint eorum auctores praecipui. Talium insignem catenam videre est ante Triodium anno MDCI. excusum Venetiis opera et studio Maximi Cytherorum in Cypro episcopi. Ibi spectatur in fronte imago titulum libri complectens, sumpta ex quodam manuscripto duorum aut trium seculorum aetatem habente, in qua imagine ministerium trium geniorum minorum, duorumque maiorum angelorum utrimque stantium, circumducitur quasi torques seu catena annulorum vigintinovem mutuo se complectentium, dependens ex summo uno ornatiorique toreumate Christum Dominum repraesentante, cum hoc [a]) per extimos angelorum lateralium humeros defluente versiculo:

Hymnorum modulos hi composuere sacrorum. »

Spectandam deinde imaginem sistit [2]) aere expressam, tum continuo [3]) subdit: « Vides heic ut cuiuscumque sacri poetae icon dimidia proprio habitus et ordinis schemate distincta intra praedictos annulos repraesentetur. Et ne vaga exerret coniectura, adduntur circum capita nomina ut solent in numis, atque ita ex dextro latere descendunt *Germanus* patriarcha constantinopolitanus qui colitur XII. Maii, fidei caussa sub Leone armeno sede sua eiectus: *Sophronius* patriarcha hierosolymitanus, de cuius opera in restituendis Menaeis cum sancto Iohanne damasceno impensa [4]) egimus XI. Martii: *Philotheus* patriarcha constantinopolitanus ab anno MCCCLXII. usque ad LXXV. eiusdem seculi, quem licet Wagnerechius noster in libro

a) Οἱ τὰ μίλη πλίξαντες ὕμνων ἱερῶν.

1) L. c. n. 23. pag. XX.
2) Ibidem.
3) Ibid. n. 24. pag. XX.
4) Bollandianorum studiis id unice Quirinius in diatriba II. de hymnis quadragesim. Graecorum, eorumque auctoribus pag. 132. tribuit. « Quod nobis dederint nuda fere nomina, quamvis Raiseus *dicta a Papebrochio recognoscere atque corrigere iuxta meliores notitias postea acceptas* profiteatur. Haeret uterque in nomine *Studites*, quo magnum Theodorum designari indubiam fidem faciunt Triodiorum editi et mss. codices inter se comparati, nam alicubi iidemmet hymni nomine *Theodori*, alicubi vero nomine *Studitae* praenotantur. »

Digitized by Google

de mariana Graecorum pietate, ac Leo Allatius merito sugillent non solum schismatis titulo, sed etiam hereresecos in Georgio Palama thaboritici luminis assertore laudatae; ne tamen eius opera omnia in laudem sanctorum variorum et locupletationem sacrorum hymnorum composita exsecranda putemus, facit eiusdem ad unionem romanam accessio anno MCCCLXVII, patriarchatus sui quinto, in eaque (ut opinari licet) perseverantia usque ad finem, idest, usque ad annum MCCCLXXXV. Philotheo in ista catena succedit *Andreas cretensis archiepiscopus*, de quo tamquam magni canonis auctore quaedam diximus II. Aprilis agentes de s. Maria aegyptiaca, et [1]) infra dicemus. Colitur IV. Iulii aut Iunii. Quintus in hoc dextri lateris ordine *Iohannes euchaitarum metropolita* est auctor eius officii quod heic [2]) tractamus. Sequitur *Georgius Nicomediae archiepiscopus*, cui varias panegyres ad Metaphrastem imperite traductas restituit Allatius, pluribus de eo agens in diatriba de Georgiis: quo autem vixerit tempore, necdum [3]) comperimus. Proximi Georgio et inter episcopos ultimi notantur *Methodius*, *Cyprianus*, *Anatolius*, omnes nobis ignoti. Quis enim postremo loco relatum credat esse s. Anatolium sub Theodosio iuniore constantinopolitanum patriarcham? Primum liceret verisimilius credere esse eum, qui sub s. Theodoro orthodoxiam restituit; sed tum debuisset praeponi Philotheo et ceteris intermediis. Claudunt porro hanc seriem scriptores ex ordine seculari quinque, *Leo despotes*, *Leo magister*, *Basilius pegoriotes*, *Iustinus*, *Sergius*, de quibus nihil docere possem. In

1) L. c. nn. 29. seqq. pag. XXI. Pluribus de eodem agit Combefisius, qui in notis ad eius opera scribit pag. 66: «Andream in ecclesiasticis canticis componendis inter primos censendum facile perspexerit, qui attentius legerit quos eius ex variis Graecorum libris ecclesiasticis edimus canones, triodia et troparia.» Hinc pag. 369. de magno canone quo novi et veteris testamenti historiam Andreas complexus est, subdit: «Vix habuerint Graeci augustius avitae pietatis monumentum, vixque se potuerit vir sanctissimus Andreas vivis magis coloribus, eximiamque cum pari eruditione sanctitatem vera cordis humilitate et compunctione solidam depingere.» Et pag. 371. de odis hebdomadae sanctae ab eodem compositis, ait: «Spirant hae odae devotissimum quidpiam, ac plane sacro illi dominicae passionis tempori congruum.» Certe in Menaeis die IV. Iulii legimus: *τί σε τὸν Ἀνδρέα καλέσωμεν; κιθαρᾳδὸν μελῳδοῦντα τὰ τοῦ πνεύματος, κιθάραν πανσθένουσαν τὰ σύμπαντα, νέον Δαυὶδ γεγενημένον; Quidnam te, Andrea, nuncupabimus? Citharam quae spiritus sunt modulantem, lyram universa mulcentem, novum Davidem celebratum?*

2) L. c. nn. 170. seqq. pagg. XLIX. seqq. Qui fuerit Iohannes *μαυρόπους* a nigris pedibus dictus, primum monachus ac deinde euchitarum metropolita, praeter Leonem Allatium de Symeonum scriptis tradunt diligenter Albertus Fabricius biblioth. graec. lib. V. cap. XVI. §. 19., Guilielmus Cave ad annum MLIV. et Matthaeus Bustus qui Altonae eiusdem poemata edidit ex veteri codice, in quo Iohannes hoc ornatur ellogio: *ἀνὴρ δὲ σοφώτατος καὶ ἁγιώτατος ὢν συνέγραψε πλείους τῶν λόγων, καὶ ἐπιστολὰς, καὶ στίχους ἰαμβικοὺς, καὶ ἄλλα πολλὰ λόγου καὶ χάριτος ἄξια, καὶ πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐξεπαίδευσε, πεπληρωμένος ὢν τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος. Vir erat sapientissimus, sanctissimusque, qui plures sermones et epistolas et carmina iambica, aliaque multa pretio et aestimatione digna conscripsit, plurimosque erudivit, ipse sacrosancti Spiritus gratia repletus.*

3) Conferri possunt tum Combefisius qui Auctarii T. I. Georgii nicomediensis opuscula edidit, tum Guilielmus Cave ad an. DCCCLXXX.

sinistro latere catenam implent ex ordine monastico scriptores quatuordecim. In his nobis cogniti sunt [1]) *Iohannes damascenus*, et cum hoc pariter educatus *Cosmas*, postea Maiumae episcopus, de quo agemus XVI. Octobris; *Ioseph* communiter hymnographus dictus, cuius vitam [2]) dedimus III. Aprilis; *Theophanes* cognomento *Graptus* ob frontem contumeliosis versibus ab iconomaco Theophilo exaratam, qui XI. Octobris solus, et rursum cum fratre Theodoro XXVII. Decembris commemoratur. Ceteri nobis ignoti sunt, *Byzantius*, *Stephanus hagiopolites*, *Georgius siceliotes*, *Simeon*, *Philotheus*, *Arsenius*, *Babylas*, *Ephrem Cariae*, *Andreas pyrrhus* sive *rufus* et *Studites*. Quis autem hic per antonomasiam ita dictus? An magnus Theodorus? At inter primos locari merebatur. Infra omnes, et quasi geminae seriei vinculum, pariter *Cassia*, de qua Theodorus prodromus apud Allatium [3]) agens de canone sabbati san-

1) De Iohanne Damasceno quum plures accurate dixerint, ea tantum adnotabo quae em. Mai habet in praefat. ad T. IX. Spicileg. rom. pagg. XXI-XXII: « In *evolvendis* graecis vaticanae bibliothecae codicibus res insperata mihi accidit. Dum enim poeticum volumen inspicerem, in quo non sine multo scholiorum comitatu sunt Pindarus, Hesiodus, partes Homeri, Aeschyli et Theocriti, animadverti paullo differenti charactere scripta folia sex in diversis codicis partibus, ibique totidem deprehendi prosaicos sancti Iohannis damasceni hymnos, quos Graeci κανόνας appellant, inedites prorsus et incognitos Allatio ipsi, Fabricio et Lequinio, qui de sancti viri lucubrationibus tam accurate scripserunt. Ego igitur et tanti auctoris nomine, quod in singulorum hymnorum titulis occurrebat, et ipsa re delectatus, pati non potui ut haec christiana non contemnendi pretii reliquiae in ethnico diutius tumulo dispersae iacerent. Hymnorum ordo in codice hic est, in s. Basilium magnum, in s. Iohannem chrysostomum, in s. Nicolaum myrensem, in s. Petrum apostolorum principem, in s. Georgium martyrem, in s. Blasium aeque martyrem. Porro Damasceni vim hymnographicam cur ego laudem? Iampridem dilaudatam a Iohanne hierosolymitano eius biographo capp. XXXI. et seqq., et a Suida quoque voc. Ἰωάν. δαμασκ. his verbis amplissimis: *συγγράμματα αὐτοῦ καὶ οἱ ᾠσματικοὶ Κανόνες ἰαμβικοί τε καὶ καταλογάδην· οἱ γοῦν ᾠσματικοὶ κανόνες Ἰωάννου τε καὶ Κοσμᾶ σύγκρισιν οὐκ ἐδέξαντο, οὐδὲ δέξονται, μίχρις ἂν ὁ καθ' ἡμᾶς βίος σεσωμάτωται. Inter Iohannis scripta numerantur canticorum canones, tum iambis tum etiam soluta oratione scripti. Hi canticorum canones, tam Iohannis quam Cosmae, nullam cum aliorum paris generis scriptis comparationem umquam admiserunt neque admittent, quamdiu hominum vita durabit.* » Ex his autem Iohannis damasceni hymnis ea pro opportunitate decerpimus, quae susceptae a nobis causae patrocinarentur.

2) Vita Iosephi studitae, Theodori fratris et thessalonicensis archiepiscopi legitur in Menaeis die XV. Iulii. De eiusdem vero hymnis testantur abunde origines constantinopolitanae Codini, anonymus de antiquitt. constantinopolit. a Bandurio editus, et epistol. XXXI. Theodori fratris. Ab hoc seiungi non debet alter eiusdem nominis Iosephus hymnographus, paullo recentior, gente siculus, et de quo agitur tum in Menaeis die III. Aprilis, tum ab Iohanne diacono in ipsius vita quam Maroccius in suo Iosephi mariali latine versam publicavit.

3) De libris eccles. graec. pag. 75. Non pauca ad Cassiam vel Casiam vel Icasiam spectantia memorant Gregorius metropolita, Theodorus prodromus, Leo grammaticus, Codinus in antiquitt. constantinopolitanis et anonymus bandurianus de antiquitt. eiusdem urbis penes Quirinium diatr. cit. pagg. 130-131., Absolvam iambis Nicephori Callixti:

Ἡ λύρα τοῦ πνεύματος Κοσμᾶς ὁ ξένος,
Ὀρφεὺς νεαρὸς ἡ Δαμασκηδὼν χάρις,
Καὶ Θεόδωρος, Ἰωσὴφ οἱ Στουδῖται,
Ὄργανα τὰ κράτιστα τῆς μουσουργίας,
Σὺν δὲ σειρὴν Ἰωσὴφ ὑμνογράφος,
Μέλος πανηδύνουν Ἀνδρέας ἐκφύτευε,
Καὶ Θεοφάνης ἡ μελιχρὰ κίνυρα,
Γεώργιος, Λέων τε, Μάρκος, Κασία.

Lyra spiritus Cosmas peregrinus, novus Orpheus Iohannes damascenus, Theodorus et Ioseph studitae praestantissima musices organa, et nova siren Iosephus hymnographus, Andreas perquam concinnum melos decantare solitus, Theophanes mellifua illa cynira, Georgius, Leo, Marcus, Casia.

Digitized by Google

cti, *opus quidem est*, inquit, *ad quintam ipsam odem Marci episcopi hydruntini, ab ea usque ad nonam magni poetae Cosmae, sed multo ante* (Marcum) *ut ex non scripta traditione discimus, mulier quaedam nobilis, casta et virgo, cui nomen Cassiae, eiusmodi modulationis prima fuit auctor et canonem ipsum absolvit. Qui vero eam subsequuti sunt, melos admirati, indignum nihilominus iudicantes muliebribus sermonibus herois illius Cosmae cantiones coniungere, melos tradentes Marco et hirmos consignantes, tropariorum compositionem illi soli commiserunt.* Idem de Marco Cosmae poema supplente apud eumdem Allatium dicit Nicephorus Callistus, addens quod ille id operis susceperit *ex sapientissimi imperatoris Leonis mandato.* Atqui Leo sapiens sive philosophus imperavit in confiniis noni ac decimi seculi, Cosmas autem cum Iohanne damasceno floruit seculo octavo dimidio; unde consequitur ut *Cassia* inter Cosmam et Marcum media non amplius uno seculo Marcum praecesserit, citra controversiam orthodoxa et sanctiore spiritu afflata, quam illa quondam celeberrima Sappho, ut Graecia christiana [1]) gentili Graeciae ne in hoc quidem cederet. »

1741. Quum vero alia quae huc faciunt, peti ex iis abunde possint quae tradunt [2]) Wangnerechius, Theophilus Raynaudus [3]), Sirmondus [4]), Oudinus [5]), Guillelmus Cave [6]), cardinalis Quirinus [7]), Zacheria [8]), Arevalus [9]) et [10]) Adalbertus Daniel; sat nobis erit postremo animadvertisse, plerosque omnes graecos melodos in Menaeis, Anthologio, Ochtoecho, Triodio, Paraclitice et Pentecostario laudatos, eiusmodi esse in quibus neque dignitatem, neque pie-

1) De Cassiae carminibus sic habet Codinus: Graecorum ad calcem T. II. historiae litterariae.

ὁ μονὰ τῆς Εἰκασίας ἐκτίσθη παρὰ Εἰκασίας μοναχῆς εὐσεβεστάτης, καὶ παρθένου ἁγίας τῷ εἴδει, ἥ τις σοφωτάτη οὖσα, καὶ κανόνας πολλοὺς, καὶ στιχηρὰ, καὶ ἄλλα τινὰ ἀξιοθαύμαστα ἐποίησε, καὶ ἐμελῴδησεν ἐν τοῖς χρόνοις Θεοφίλου βασιλέως. Monasterium Icasiae aedificavit Icasia virgo sanctimonialis pissima atque formosa, quae quum sapientissima foret, multos canones et stichera et alia quaedam admiranda composuit tempore Theophili imperatoris.

2) In prolegomenis ad opus inscriptum, *Pietas mariana Graecorum.*

3) Opp. T. VII. pagg. 355. seqq.

4) Opp. T. V. pagg. 169. seqq. et pagg. 753. seqq.

5) De scriptt. ecclesiasticis. Nemini autem auctor esse velim, ut eidem fidat.

6) Dissert. II. de libris et officiis ecclesiasticis

7) Diatrib. II. de hymnis quadragesim. Graecorum, eorumque auctoribus pagg. 31. seqq., et diatrib. III. de aliis canticis quadragesim. Graecorum, eorumque auctoribus pagg. 140. seqq.

8) Biblioth. ritual. lib. II. cap. II. a. I.

9) Dissert. de hymnis ecclesiastic. §. XXII. pagg. 95. seqq.

10) Thes. hymnolog. T. III. quo continentur delectus carminum ecclesiae graecae, curante Reinholdo Vormbaum, et delectus carminum syriacae ecclesiae, curante Ludovico Splieth. His adde Ioachimum Schröderum in dissert. de antiquitate, fatis, indole atque usu linguae armenicae, cap. II. §. XXVI. pagg. 38. seqq., Augustum Hahn in chrestomathia syriaca, Guillelmum Augusti in diss. de hymnis Syrorum sacris, et I. B. Pitra in proleg. ad T. I. spicilegii solesmensis.

Digitized by Google

tatem, neque antiquitatem admodum desideres. Si enim dignitatem ob oculos habeas, non pauci fuerunt antistites et nobilissimis ecclesiis praefuerunt. Si pictatem consideres, nescio qui ea non inprimis claruerint. Sin autem ad vetustatem attendas, vix aliquot reperias, qui ante photianum dissidium non floruerint.

1742. Praestantiae [1]) quae in ecclesiasticos Graecorum hymnos ex auctoribus dimanat, illa succedit quae tam ex iis qui hymnos adhibuerunt, quam ex locis in quibus hymnos frequentarunt, sua sponte in eosdem refunditur. Sicut enim in ecclesiis potissimum sacrisque conventibus usurpari hymni consueverunt; ita non ab aliis quam a coetu fidelium, clero, ipsisque praesulibus canebantur. Suo igitur merito habentur tamquam solemnis [2]) ecclesiae vox, qua officia cultus explevit, et Deum sanctosque effusis laudibus honoravit. Sed erunt ne qui audeant aut ecclesiae vocem improbare, aut illam non penitus revereri? Si de singulis christifidelibus verissime dicitur, quod [3]) instinctu divini Spiritus clament Abba, Pater: et si de iisdem verissime repetitur quod Paulus [4]) scripsit Spiritum in ipsis atque per ipsos postulare; quanto haec inculcanda erunt vehementius, firmiusque tuenda quum de universo agitur ecclesiae coetu, ad quem indubitanter pertinet Christi [5]) promissio, ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum? Quamquam paullo assurgendum est altius, et difficultas siqua est, ab ipsis radicibus convellenda. Convelletur autem funditusque exstirpabitur si I. ipsa hymni ratio consideretur, et si II. ad summum attendatur discrimen quo ecclesiastica poesis a vulgari profanaque secernitur.

1743. Ecquid igitur penes maiores nostros *hymni* nomen significavit? Una eademque fuit omnium sententia, hymni appellatione nihil praeterea efferri quam *canticum in laudem Dei sanctorumve sive metro, sive rhythmo, sive oratione incisis quibusdam distincta*

1) Apposite Quirinius cit. diatriba II. pag. 139: « Porro quum hactenus recensitos hymnorum ecclesiae graecae veteres auctores sua vetustate, sanctitate atque doctrina maxime venerandos esse constet; quae de gravissimo piaculo, quo graeci schismatici patrum monumenta novis suis deliramentis inspergentes semetipsos obstrinxerunt, sub initium huius diatribae de Theodori studitae lucubrationibus agens edixi, pari iure in singulis reliquorum hymnographorum capitibus inculcari potuissent. » Et insequente diatriba III. pag. 188. subdit: « Quamvis praedicta cantica, quorum nominibus explicandis et auctoribus delegendis praesens instituta est diatriba, tam disuita vetustate quam illis Wangnereckius tribuit, minime (exceptis Anatolicis) glorientur; auctores tamen sanctitate et doctrina eminentes ostentant, eos ipsos scilicet quos secunda diatriba dinumeravit, quibus proinde magna debeatur reverentia. »

2) Neque enim nobis de privatis hymnis sermo est, sed de iis potissimum quos ecclesiarum usu receptos fuisse constat.

3) Rom. VIII. 15.

4) Rom. VIII. 26.

5) Matth. XVIII. 20.

Digitized by Google

neque omnino soluta comprehensum. Huc sane redit quod Augustinus [1]) docet, huc quod Cassiodorius [2]) tradit, et huc quod Isidorus [3]), Rabanus maurus [4]), Amalarius [5]) et [6]) Walafridus Strabo testantur. Sed quid a Dei sanctorumque laudibus mendacio alienius? Aut quae erroris societas cum praeconiis quibus Dei maiestas sanctorumque decora celebrantur? Ea igitur est hymni species ac ratio, quae nullum patitur erroris mendaciique consortium. Quod pariter discrimen excludit, quo ecclesiastica poesis a profana longissime distat. Huius namque principium, origo ac fons est imaginatio, quae humanis concita affectibus neque obiecta aliis oculis quam imagionis contuetur, neque illa aliis coloribus quam ex imaginatione sumptis depingit. At vero ecclesiasticae poeseos radix est pietas, et conserta cum pietate veritas. Incalescunt et ipsi ecclesiastici poetae, rapiuntur et volant; sed quemadmodum flamma incalescunt caelitus immissa, quaeque a superna veritatis luce non seiungitur, ita rapiuntur et volant acti Spiritu qui ex Deo est, quique sanctos [7]) homines inspiravit, et ad nobilissimam quamdam poeseos speciem formamque provexit. Non is utique sum qui affirmem aut contendam, ecclesiasticis poetis eum adfuisse caelestem afflatum quo David et Isaia impulsi suos hymnos cecinerunt; sed illud repeto, quod etiam F. I. Mone scite [8]) animadvertit, eos non tam turbidis naturae motibus quam superni aura muneris actos fuisse, et ad texendas Dei, Deiparae, sanctorumque laudes impulsos. Nemo igitur nobis vitio vertat, quod ad ecclesiasticos hymnos [9]) crebro provocaverimus: et

1) In ps. LXXII. n. 1. « Hymni laudes sunt Dei cum cantico: hymni cantus sunt continentes laudes Dei. Si sit laus, et non sit Dei, non est hymnus; si sit laus et Dei laus, et non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo ut si sit hymnus, habeat haec tria et laudem et Dei et canticum. » Similia tradit in ps. CXLIX. n. 17.

2) In exposit. pss. VI-XXXIX-LXVI.

3) De ecclesiast. offic. lib. I. cap. VI. et origg. lib. VI. cap. XIX.

4) De institut. cleric. lib. II. cap. XLIX.

5) De ecclesiast. officiis lib. IV. cap. III.

6) De rebus ecclesiast. cap. XXV. « Notandum autem hymnos dici non tantum qui metris vel rhythmis decurrunt, qualeo composuerunt Ambrosius, Hilarius et Beda Anglorum pater, et Prudentius Hispaniarum scholasticus, et alii multi; verum etiam ceteras laudationes quae verbis convenientibus et sonis dulcibus proferuntur. » Hinc correctores hymnorum Breviarii romani sub Urbano VIII. in praefat. ad hymnos typis vaticanis editos an. MDCXXIX. sic habent: « Viri sanctissimi si non certis illos pedibus, aliquibus tamen incisis partiti, auribus indulgentes, orationi non omnino soluta scripserunt. »

7) II. Petr. I. 21.

8) Praefat. ad hymnos latinos medii aevi, T. II.

9) Audiatur Gennadius qui in articulo de fruitione sanctorum scribit: Ἁπλῶς ἀδολεσχία ἐστὶ μεγάλη ἐν τοῖς ἁγίοις ὑμῶν· ᾄδετε γὰρ αὐτὰ μεγάλῃ φωνῇ, οὐδὲν δ' ὅμως γινώσκετε, ἀλλὰ μᾶλλον καταγινώσκετε· τὸ γὰρ ἀναγινώσκειν, καὶ μὴ γινώσκειν, καταγινώσκειν ἐστὶ, τῆς τῶν σοφῶν ἐφ' ἡμῶν βίβλου περὶ τούτου διαλαμβάνει, καὶ τοῖς ψυχαῖς τῶν ἁγίων ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναι, Δημοκρινός τε καὶ Θεοφάνης οἱ τούτου ποιηταὶ, διαπρυσίως ἀναβοῶσι· μεγάλης οὖν χάριτος δεῖ ἡμᾶς ὁμολογεῖν ὑμῖν, ὅτι οὐ κατεπαύσατε, οὐδ' ἠφανίσατε ταῦτα, ἢ ἀπελείψατε τέχνῃ τινὶ ἀπὸ τῶν βιβλίων· ὥσπερ καὶ οἱ πρὸ ὑμῶν ἔδρασαν ἐν τοῖς περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως λόγοις τε καὶ βιβλίοις ἅμως οὐδ' ἐκείνοις περιέργου τὸ τοιοῦτον ἀπέβη, ἀλλὰ μένουσιν εἰς ἔτι καὶ

nemo usurpatas a nobis probationes idcirco negligat vel minoris aestimet, quod eae plus semel ex liturgicis ecclesiasticisque monimentis fuerint repetitae.

ARTICULUS III.

De discrimine quo scriptores ecclesiastici a patribus secernuntur: de scriptoribus ecclesiasticis nominatim, eorumque usu: de orthodoxis recentioris aetatis auctoribus: deque eo quod repeti solet, illos consuli atque audiri maxime oportere, qui eximia quadam vetustatis canitie commendentur.

1744. Nemo est catholicorum qui non suspiciat atque ex animo probet Basilii [a]) sententiam: « Patrum fidem prosequor. In hac certitudine etiam ipsi martyres qui heic siti sunt, adepti sunt coronas. Hoc itaque nomine me accusa. » Nemo qui cum Hieronymo [1]) libentissime non repetat: « Doceo quod didici, non a meipso, idest a praesumptione pessimo praeceptore, sed ab illustribus ecclesiae viris. » Et nemo qui sibi non omnino persuaserit, verissimum esse quod [b]) Gregorius nyssenus ait: « Sufficit ad sermonis nostri demonstrationem quod a patribus venientem ad nos traditio-

a) Hom. XXIX. Τὴν τῶν πατέρων πίστιν μεταδιώκω· ἐν τῇ αὐτῇ πληροφορίᾳ καὶ οἱ μάρτυρες ἐνταῦθα κείμενοι τῶν στεφάνων ἠξιώθησαν· τοῦτο τοίνυν ἐγκαλεῖ μοι.

b) Con. Eunom. orat. III. Ἀρκεῖ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν, οἷόν τινα κλῆρον δι' ἀκολουθίας ἐκ τῶν ἀποστόλων διὰ τῶν ἐφεξῆς ἁγίων παραπεμφθέντα· οἱ δὲ πρὸς τὴν καινότητα ταύτην μετατιθέντες τὰ δόγματα, πολλῆς ἂν δέοιντο τῆς ἐκ τῶν λογισμῶν συμμαχίας, οὐ μόλοιεν μὴ τοὺς κονιορτόδεις τῶν ἀνθρώπων καὶ εὐριπίστους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐμβριθεῖς τι καὶ βεβηκότας ταῖς διανοίαις προσάγεσθαι.

βιβλία, καὶ μαρτυροῦσι τῶν κακούργων τὴν τόλμην· ἐν ὑμῖν δὲ καὶ μέλα καλῶς σώζονται, καὶ ᾄδονται μετὰ μελῳδιῶν καθ' ἡμέραν, καὶ Μηναῖα, καὶ Τριῴδια, καὶ Λόγοι, καὶ Μεταφραστής, καὶ Πεντηκοστάρια, καὶ Στιχηρά, καὶ Τροπάρια, καὶ Ἰδιόμελα, καὶ Κοντάκια, καὶ Οἶκοι, καὶ Συναξάρια, καὶ Ἐξαποστειλάρια, καὶ ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον λέγω, πᾶσα σχεδὸν εἰπεῖν ἡ τῆς ἐκκλησίας ὑμῶν συγγραφή, τοιαύτην ἔχει τὴν δόξαν· οἱ γὰρ τῆς ἐκκλησίας θεολόγοι, καὶ διδάσκαλοι, ποιηταί, καὶ μελῳδοὶ ὑψηλῇ διανοίᾳ διασκεψάμενοι, τοῦτ' ἐδογμάτισαν, ὡς ἐξ ἑνὸς κρατῆρος πλήρους ὄντος σοφίας πάντες ἀρδην μεταλαβόντες. *In magnis profecto nugis aures vestrae versantur, magna voce canitis, nihil tamen intelligitis sive potius negligitis: legere enim et non intelligere, dixit quidam ex sapientibus, est negligere. Quoniam libri omnes de precibus id continent, sanctorumque animas in caelo esse Damascenus et Theophanes eius rei auctores clara voce clamant. Magnas igitur gratias habere vobis debemus, quia aut ea non deletis, aut ea fraude aliqua in codicibus obliteratis, ut quidam ante vos in tractatibus et libris de processione Spiritus sancti conscriptis effecerunt, id tamen illis inutiliter cessit, nam adhuc libri manent, qui maleficorum audaciam testantur, et apud vos perbelle servantur, et quotidie cum vocis modulatione concinuntur, Menaea, Triodia, Sermones, Metaphrastes, Pentecostaria, Versus, Troparia, Idiomela, Contacia, Oeci, Synaxaria, Exapostilaria; et ne singula enumerem, omnis fere ecclesiae nostrae scriptura ita sentit. Nam ecclesiae theologi ac doctores, poetae, melodique profunda meditatione perpendentes hoc statuerunt, quasi ex uno craetere sapientia referto affatim hauriendo.*

1) In epitaphio Paulae.

Digitized by Google

nem habeamus, velut hereditatem quamdam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam. Qui autem ad novitatem dogmata trasmutant, multis indigent ratiocinationum auxiliis, si non solum eos qui pulveris aut euripi instar sunt mobiles, sed etiam graves ac propositi tenaces ad suam sententiam adducturi essent. » Quapropter appellatio *patris* earum comprehendi numero debet, quae quum sint vulgatissimae, omnium passim ore teruntur. Neque idcirco me longius a veritate abberraturum crediderim, si forte dicerem non penitus deesse quibus nulla menti affulgeat clara distinctaque notio, quam eidem appellationi subiiciant, eademque expressam velint. Et sane multa sunt, quae ad ideam speciemque *patris* fingendam absolvendamque concurrunt.

1745. Ut enim missam faciam *principem patris significationem*, quae [1]) in apostolos unice quadrat: et ut continuo *ad alteram* veniam quae *propria* [2]) iam evasit, en quae [3]) Mabillonius scribit: « Do-

1) Princeps *patris* significatio *generatione* continetur. Duplex autem secernitur generatio, corporis alia et naturae, mentis alia et spiritus. Sicuti ergo princeps eaque propria significatio ad corporis naturaeque generationem refertur; ita mediata eademque metaphorica significatione patres audiunt, qui animum fingunt, moresque componunt. Scite Irenaeus con. haeres. lib. IV. cap. XLI. n. 2. « Filius enim, quemadmodum et quidam ante nos dixit, dupliciter intelligitur: alius quidem secundum naturam et quod natus sit filius, alius autem secundum id quod factus est, reputatus filius, licet sit differentia inter natum et factum. Quoniam ille quidem ex eo natus est, ille autem ab ipso factus est sive secundum conditionem, sive secundum doctrinae magisterium. Qui enim ab aliquo edoctus est, verbo filius docentis dicitur, et ille eius pater. Secundum igitur naturam, quae est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes filii Dei sumus, propter quod a Deo omnes facti sumus. Secundum autem dicto audientiam et doctrinam, non omnes filii Dei sunt, sed qui credunt ei, et faciunt eius voluntatem. Qui autem non credunt ei, et non faciunt eius voluntatem, filii et angeli sunt diaboli. » Neque minus opportune Clemens alexandrinus in primo stromatum §. 1. pag. 316. de scriptoribus loquens: καλόν δ', οἶμαι, καὶ παῖδας ἀγαθοὺς τοῖς ἔπειτα καταλείπειν· οἱ μὲν γε παῖδες, σωμάτων· ψυχῆς δὲ ἔγγονοι, οἱ λόγοι· αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμέν. *Pulcrum autem esse existimo, iis etiam qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere. Ac filii quidem corporum, animae autem liberi sunt scripta. Iam patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt.* Hinc vulgatissima apud Graecos derivatio, qua a nomine παῖς *filius* oriuntur παιδεύειν *instruere*, παιδεία institutio, et παιδαγωγός *institutor*. Quemadmodum vero Paulus I. Cor. IV. 13-14. scribit, οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ· ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. Et rursum Gal. IV. 19. τέκνα μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. Ita prae omnibus sunt apostoli, qui patris nomen dignitatemque merentur.

2) Ad rem Augustinus con. Iulianum lib. I. cap. VIII. « Non solum filii, sed et patres ecclesiae sunt: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Ex qua filii regenerati sunt ut haec discerent, eius patres facti sunt ut docerent. » Neque aliter Hieronymus epist. CXL. ad Principiam: « O ecclesia! filii tui quos genuisti tibi, vertentur in patres tuos, cum de discipulis eos feceris magistros, et in sacerdotali gradu omnium testimonio collocaveris. » Similia ceterorum patrum testimonia Corderius exhibet in catena ad ps. XLIV., quibus haec, auctore Clemente alexandrino in tertio stromatum §. XV. pag. 555., addi debent: τὸ γὰρ κατὰ λόγου τεκνοποιησαμένῳ καὶ ἀναθρεψαμένῳ, καὶ παιδεύσαντι ἐν κυρίῳ, καθάπερ καὶ τῷ διὰ τῆς ἀληθοῦς κατηχήσεως γεννήσαντι, λείπεταί τις μισθός, ὥσπερ καὶ τῷ ἐκλεκτῷ σπέρματι. *Et enim qui secundum Logon filios procreavit et educavit et erudivit in Domino, sicut etiam ei qui genuit per veram catechesim, merces quaedam est proposita, sicut etiam electo semini.* Hanc porro cogitandi loquendique rationem ex synagoga in ecclesiam defluxisse, probe intelligitur tum ex iis quae habentur Matth. XXIII. 9., tum ex iis quae Maimonides in trac. de studio legis cap. I. pluribus enarrat.

3) Praefat. ad opp. Bernardi §. II. n. XXIII. pag. IX.

ctoris [1]) nomen ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio approbata est, maxime ubi sanctitatis concentus accedit. Patres vocat eos, quos sanctitas, doctrina et antiquitas commendat; doctrina, inquam, scripturae et traditionis potius, quam rationibus philosophicis [2]) inhaerens. Itaque doctores appellari possunt statim a morte viri sancti doctrina illustres: patres vero nonnisi quos recepta iamdudum auctoritas venerabiles fecit, et modus tractandi res a philosophica ratione alienus. » Itaque vitae integritas et sanctimonia, christiana sapientia et eruditio ac postremo antiquitas notae sunt et characteres quibus ii insigniantur oportet, qui patrum nomine cohonestantur. Scite Benedictus XIV. ubi patres doctoresque a reliquis sanctis viris secernens [3]) ait: « Hos vivae tantum vocis officio praesentium sibi populorum saluti consuluisse, patres vero et doctores peculiari sapientiae lumine Spiritus sancti dono ditatos, doctissimis conscriptis libris universam ecclesiam instruere, et omnium seculorum posteritatem in religione erudire. » Sed quoniam non possumus hisce non adquiescere quae [4]) Tertullianus habet: « Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est nisi fidelis, nemo maior nisi christianus, nemo autem christianus nisi qui ad finem usque perseveraverit;* » neque possumus ab hisce dissentire quae [5]) subdit: « Neque enim eos *probabiles* intelligi iuvat, qui in haeresim fidem demutant; » et quoniam his necessario subscribendum est quae [6]) Vincentius lirinensis tradit: « Magna profecto res et ad discendum utilis, et ad recolendum necessaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus, ut omnes fere catholici noverint *se cum ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus ecclesiae fidem deserere debere;* » idcirco cum eodem Lirinensi [7]) addimus: « Itaque cum primum mali cuiusque erroris putredo erum-

1) *Doctoris* nomen pressius adhibuit Bonifacius VIII. in decretali, *Gloriosus Deus in sanctis suis*, qua nonnisi Ambrosium, Hieronymum, Augustinum et Gregorium eo titulo decoravit. Usu tamen factum est ut eo nomine laxius accepto, ii dicerentur *doctores*, quos nemo *patres* appellaret. Qua laxiori acceptione Pius V. Thomam, et Sixtus V. Bonaventuram *in doctorum album* retulerunt.

2) Haec paullo dicuntur invidiosius, neque sumi ita debent, ac si patrem doctoremque unus philosophae rationis dedeceret.

3) In bulla edita an. MDCCLIV. die XV. Octobris.

4) De praescriptt. cap. III.

5) Ibid. cap. IV.

6) Commonit. cap. XXIII.

7) Ibid. cap. XXXIX.

Digitized by Google

pere coeperit, et ad defensionem sui quaedam sacrae legis verba furari, atque fallaciter et fraudulenter exponere; statim interpretando canoni maiorum sententiae congregandae sunt, quibus illud quodcumque exsurgat novitium ideoque profanum, et absque ulla ambage pandatur, et sine ulla retractatione damnetur. Sed *eorum dumtaxat patrum sententiae conferendae sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.* »

1746. Species igitur atque idea patris quatuor prope elementis coalescit, sanctitate, sapientia, antiquitate et perpetua cum catholica ecclesia [1]) conspiratione. Horum vero omnium neque eadem est ratio, neque idem prorsus iudicium. Non eadem omnium est ratio, quum sanctitas, sapientia, antiquitas plures subeant gradus et in quadam veluti amplitudine versentur. Non idem est iudicium, quum hinc quidem omnimoda appareat necessitas perpetuae [2]) cum catholica ecclesia conspirationis; inde vero definiri pressius et resecari ad vivum nequeat cuiusmodi sit vel praestantia sanctitatis, vel eruditionis nobilitas, vel prolixitas antiquitatis, quae ad patris dignitatem efficiendam requiruntur. Ut enim de antiquitate dum-

1) Vel hoc uno defectu etiam doctissimi et antiquissimi, sed ab ecclesiae unitate alieni, e censu patrum ac testium repelluntur. Eiusmodi autem inprimis sunt haeretici. Ergo ne nullus iisdem erit locus, quum de christianis veritatibus tuendis vindicandisque disseritur? Nullus plane, si dicentis spectetur auctoritas, sed plus semel multiplex et opportunissimus, si vel ex ipsis transfugis proprium imperatoris signum deprehendi queat. Hinc illa Stephani in acerrima de baptismo haereticorum contentione: « Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam; *cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* » Hinc illa Prudentii Marani de divinit. Dom. nostri Iesu Christi lib. II. cap. VII. §. I. « Nihil illustrius afferri potest ad plenam defensionem veritatis, quam sectarum cum ecclesiis catholicis consensus. Frigent cavillationes, ubi ad haec argumenta ventum est. Non enim verendum ne errorem ab haereticis catholici, aut a catholicis acceperint haeretici, aut utrique in suscipienda novitate coniuraverint. » Hinc theologorum studia, quibus christianas veritates haereticorum conspiratione adprobandas suscepere. Atque hinc sollertes virorum eruditorum curae in iis edendis, quae ex haereticorum monimentis ad nos usque devenerint.

2) Quare Hieronymus Helvidio Tertulliani auctoritate abutenti lib. I. cap. IX. respondit: « Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam ecclesiae hominem non fuisse. » Et in apologia adversus Ruffinum: « In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus haeresim. » Neque aliter Vincentius lirinensis in comm. cap. XXIV., ubi descriptis Tertulliani dotibus pergit: « Et tamen hic quoque post haec omnia, hic inquam Tertullianus catholici dogmatis, idest, universalis ac vetustae fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco *(in Matth. can. V.)* scribit: *sequenti*, inquit, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* » Ceterum de Tertulliano, deque similibus, Novatiano, Eusebio caesariensi, Didymo alexandrino, Cassiano, Fausto reiensi, Maxentio, Photio, aliisque iuverit idipsum statuere, quod Iosephus Weitzenbachus de eloquent. pp. lib. I. diss. I. cap. II. his verbis tradit: « Ut illos quoscumque demum *laxiore sensu* patres dicamus, qui unam alteramve ex memoratis conditionibus impleverunt, et si sanctitate non praestabant, doctrina certe sana sinceraque vel per tempus aliquod valuerunt, aut antiquitate ipsa venerabiles doctrinae, traditionis et disciplinae ecclesiasticae testes idonei extiterunt. Multum ergo vel sic iuverunt ecclesiam, et patres eius

taxat loquar, sunt [1]) qui aetatem patrum tertio quartove ecclesiae seculo circumscribunt: sunt qui ad sextum usque magnumque Gregorium illam protendunt: et sunt qui patrum ultimum eumdemque seculo XII. clarum [2]) Bernardum numerant. Quapropter ne in re impedita minusque ad rem nostram necessaria diutius immoremur, ultro sinemus ut eam quisque sententiam deligat quam aptiorem existimarit, nobisque illud sumimus quod quum sit exploratissimum, nemo profecto prudens inficias iverit: sin minus patribus, illustribus [3]) certe ecclesiae viris et scriptoribus magistrisque ecclesiasticis eos omnes iure optimo accenseri, qui ad aetatem usque Petri lombardi et praevalentis in Occidente scholasticae theologiae integritate, scientia ac fidei sinceritate floruerunt. Magnam horum vim copiamque singularem exhibent [4]) Conradus Gesnerus, Sixtus senensis [5]) Antonius Possevinus [6]), Iacobus de Breul [7]), Robertus Bellarminus [8]), Henricus Canisius [9]), Balthasar Corderius [10]), Aubertus Miraeus [11]), Iacobus Sirmondus [12]), Fabianus Iustinianus [13]), Philippus Labbeus [14]), Iacobus Homeyus [15]), Casimirus Oudinus [16]), Guillelmus

aliqua saltem ratione dici a nobis possunt. Mercatores mali sunt, et antiquissimas, pretiosissimasque merces offerunt, et qui errores vel vitia sectando offecerunt sibi, lectoribus non possunt non quam plurimum prodesse. Atque hac ratione iterum alia plura velut unico ictu amputantur, quae ex vario genere scriptorum ecclesiasticorum obiici adhuc possunt. Donatistas sequutus est Tyconius? Non nego. Sed regulae eius ab Augustino ipso probatae sunt, aut, quod libris de doctrina christiana eas inseruit, etiam adoptatae. Photius inaudito scelere et foedissimis artibus sedem constantinopolitanam bis invasit, et horrendo schismate distraxit ecclesiam? Ita sane. Verum iam antea quam ambitione corrumperetur, multa non catholice modo sed utiliter quoque ac praeclare scripsit: criticus ac censor est gravissimus, qui libros quos ingenti numero legit, summo ingenio, iudicio nihilo minore diiudicat. Fragmenta vero et excerpta, secus certo peritura, ea nobis servavit, ut magnorum virorum iudicio armamentarium aliquod relinqueret ecclesiae, in quo omnis generis opes, spolia et arma reçondita sunt, pro re nata eripienda illi e manibus, nec raro in eumdem ipsum convertenda. Quid ergo vetat cum personam oderis et scelera exsecrere, scripta habere in pretio, et inter auctores nostros hominem recensere? Iohannes Maxentius ex monachis illis Scythiae, quorum post chalcedonense concilium ad quaestiones et turbas movendas nota pervicacia est, fere praecipuus, superbiam utique et mordacitatem prodit in scriptis suis; at eruditus vir est, et verius catholicus quam eutychianus, nonnullaque habet minime contemnenda, quae proin et ipsa inter patrum libros collata sunt. Sit Leo, *philosophus* dictus, iis moribus qui neminem minus quam imperatorem decerent, fastu ad scribendum appulerit animum, et auram popularem non fructum spectaverit, in ipsa etiam dictione declamatorium quid et vanum sapiat; sed seculi decimi initio cum scripserit, multaque praeclara afferat, quid prohibet, ut praestantissimi viri fecerunt, ex his spinis uvas, ex his tribulis ficus colligere?»

1) Cf. Argonnam de optima legendorum pp. methodo, P. I. cap. I.

2) Cf. Mabillonium in praefat. ad opp. Bernardi §. II. nn. XXIII. seqq.

3) Quibus appellationibus utuntur Hieronymus et Vincentius lirinensis. Hinc Cypriani verba ad notarium de Tertulliano: *da magistrum*.

4) In biblioth. universali.

5) In biblioth. sancta.

6) In apparatu sacro.

7) In collect. opp. variorum auctorum.

8) De scriptoribus ecclesiasticis.

9) In tomis VI. antiq. lectionum cum Stewartii supplem.

10) In catalogo pp., e quibus suam catenam concinnavit.

11) In biblioth. ecclesiastica.

12) In collect. opusc. dogmatic. et veterum.

13) In indice universali.

14) In nova biblioth. mss., et in diss. philolog. et historic. de scriptoribus ecclesiast.

15) In supplem. patrum.

16) In supplem. Bellarmini.

Digitized by Google

Cave [1]), Lucas Acherius [2]), Iohannes Mabillonius [3]), Stephanus Baluzius [4]), Ludovicus Dupinus [5]), Petrus Lambecius [6]), Edmundus Martenius [7]), Iohannes Albertus Fabricius [8]), Bernardus Montfauconius [9]), Antonius Muratorius [10]), Bernardus Pezius [11]), Remigius Ceillierius [12]), Petrus Arcudius [13]), Iohannes Baptista Cotelerius [14]), Simon Assemanus [15]) et ne sim [16]) nimius [17]), Angelus Mai, cuius recentissimum exitum omnes quotquot sunt litterarum studiosi impense lamentantur.

1747. Leviter adumbrato discrimine quod scriptores ecclesiasticos a patribus secernit, ea utpote notissima atque ex communibus [18]) repetenda libris omnino seponam, quae ad legitimum horum usum pertinent, et pauca dumtaxat monebo quae ad illos referuntur. Itaque si fas sit ex praestantissimis theologis normam aliquam mutuari, omnino putabimus, usum scriptorum ecclesiasticorum in theologicis controversiis idoneum in primis esse atque opportunum. Ecquem enim nominare ex illis licet, qui eorumdem suffragium non usurpaverit? Eo utuntur cardinales Osius, Peronius, Bellarminus, Thomasius, Bona, Orsius: eo utuntur nobilissimi antistites Bossuetus, Fenelonius, Languetus, fratresque Wallemburgici: eo utuntur Petavius, Arcudius, Thommasinus, Allatius, Ripalda, Lessius, Gravina: atque in summa, nemo prorsus est paullo eruditior qui non utatur. Accedunt Montfauconius, Acherius, Mabillonius, Durandus, Martenius, Pezius, Maius, aliique plurimi viri clarissimi, qui se non minimum theologicae facultati christianaeque fidei consulere existimarunt, si non patrum dum-

1) In tabula script. ecclesiast. et in hist. litter. scriptt. ecclesiast.

2) In spicileg. tomis XIII. comprehenso.

3) In vett. analectis et in musaeo italico.

4) In tomis VII. miscellaneorum.

5) In nova biblioth.

6) In comm. in biblioth. viennensem una cum Nesselii breviario et supplemento.

7) In thes. anecdott. et in collect. vett. scriptorum.

8) In biblioth. graeca, et in biblioth. lat. mediae et infimae latinitatis.

9) In biblioth. coisliniana, et in biblioth. bibliothecarum.

10) In anecdott. lat. et graecis.

11) In thes. novis. anecdott., et in biblioth. ascetica antiquo-nova.

12) In hist. general. auctt. sacr. et ecclesiast.

13) In opusc. aureis.

14) In eccles. graecae monumentis.

15) In biblioth. orientali.

16) Addi namque facile possent biblioth. hispana vetus Nicolai Antonii, biblioth. cluniacensis, floriacensis, cisterciensis, praemonstratensis, benedictina-cassinensis, et quae Combefisius in auctariis edidit.

17) In scriptt. vett. nova collect., in classic. scriptt., in spicileg. romano et in nov. pp. biblioth.

18) Videsis Petavii prolegomena, atque mente canonem recolito quem Thomas Waldensis in princip. doctrin. fidei sic effert: «Si quid quisquam patrum per se solum in aliqua re opinando decrevit, illo dimisso, solum hoc adstruam quod maior pars patrum à tempore apostolorum successive ad nos usque semit et tradidit: a qua professione nullus sub poena perfidiae potest declinare fidelis.»

Digitized by Google

taxat opera, verum etiam ecclesiasticorum scriptorum libros e tenebris in lucem proferrent, suisque curis expolirent. Accedunt spicilegii solesmensis auctores qui sic [1]) ordiuntur: « Nemini contingit in veterum ecclesiae scriptorum familiaritatem venire, quin ex illa consuetudine facile comperiat, omnibus quidem esse eamdem in multis rebus, maxime in necessariis, concordiam; nec tamen deesse nonnullam pro cuiusque aetatis conditione varietatem, dissimilemque, prout loca vel tempora ferebant, rei christianae exponendae rationem. Unus enimvero est fidei, spei, caritatisque consensus; idem toto in orbe praeconium; mirus in omnibus doctrinarum concentus reperitur. In litteris tamen nostris hospes erit et peregrinus quicumque aliam esse dicendi, scribendique disciplinam in sex primis a Christo nato seculis, aliam in sex inde elapsis, aliamque demum, saltem [2]) apud Latinos, ab introducta severiore scholarum methodo, non deprehendat. Quae quidem aetates nolimus sibi inter se invideant, nec antiquior recentiori aut contemptum moveat, aut admirationem nimiam, neque ob alteram utram media iniquum patiatur fastidium. » Tum [3]) pergunt: « Altera mei consilii ratio aeque insolens videbitur, quod scilicet aestimaverim eodem habenda pretio, eodemque studio conquirenda sive sex priorum, sive proxime sequentium seculorum opera. Non diffitear plerisque eamdem viam ingressis aliam fuisse mentem: quo enim alacrius e primaeva aetate spolia quantulacumque opimo triumpho reportabant, eo fastidiosius delitescentes in sequioris aevi sylva salebrisque praedas omittebant. A septimo enim seculo ultra duodecimum horruisse barbariem et noctem opacam, nonne ratum exploratumque est? Deinde si quid tandem recentiorum fastidia vicit, si qua male tetigerint dente superbo, totum quodcumque esse de re historica aut diplomatica, forsan et grammatica iusserunt. Vix nonnulla durioris venae aut lascivientis carmina, eaque vulgaribus composita plebeculae rhythmis, novam ad lucem admittuntur. Infausta sane, pene dicam iniqua litterarum christianarum fortuna: quibus enim sex aut quinque secula aegre conceduntur aurea, ea tamen innumeris et maximis, ex aevi edacitate, spoliata suis ornamentis; sex vero aut septem sequentia vel eruditorum fastidio opprimuntur, vel non permittun-

1) Spicileg. solesm. proleg. §. I. pag. I.
2) Ibid. §. IV. pag. III.
3) Ibid. §. II. pagg. I-II.

Digitized by Google

tur innotescere, nisi quia exiliore aut horridiore cultu sordescunt. » Quod multis deinde [1]) improbant, atque eo etiam nomine [2]) improbant quod ecclesiastici scriptores « Praeseferunt gentium etiam nunc florentium nativam indolem, quod ad vegetiorem ecclesiae pubescentis adolescientiam pertinent, quod demum quasi unanimi omnium consilio et ingenio antiquiores melioris notae scriptores non solum vestigiis sequuti sunt, sed partim exceperunt, ex optimis descripserunt codicibus, integrosque passim suis inspersere commentariis. » Quare [3]) concludunt: « In eo maxime consistit ineundae collectionis nostrae indoles et ratio, ut religiose servato omnium aerae christianae ad duodecimum usque seculorum ordine et honore, nec maiestati veterum patrum inferentes labem, nec a subsequentium declinantes auctoritate, integram exhibeamus et incolumem novis ex fontibus theologicam catholicae ecclesiae traditionem. »

1748. Accedunt [4]) Eusebius, Hieronymus [5]) Pseudo-Hieronymus [6]), Gennadius massiliensis [7]), Isidorus hispalensis [8]), Hildephonsus toletanus [9]), Iulianus [10]) et Felix toletanus [11]) itemque anonymus [12]), qui Isidorum et Hildephonsum appendicibus auxerunt, Honorius augustodunensis [13]), Sigebertus gembliacensis [14]), Henricus gandavensis [15]), anonymus mellicensis [16]), Petrus casinensis [17]) et [18]) Iohannes

1) Ibid. §. III., pag. II.
2) Ibid. §. IV. p. III.
3) Ibid. §. V. pag. III.
4) In libris hist. ecclesiast.
5) In lib. de viris illustribus, de quo ad Augustinum scribens epist. LXXIV. al. LXXXIX. ait: « Puto intelligere prudentiam tuam, quod ex opere ipso titulum potueris intelligere. Legisti enim et Graecos et Latinos, qui vitas virorum illustrium descripserunt, quod numquam *epitaphium* huic operi inscripserint, sed *de illustribus viris*, verbi gratia ducibus, philosophis, oratoribus, historicis, poetis, epicis, tragicis, comicis. Epitaphium autem proprie scribitur mortuorum, quod quidem in dormitione sanctae memoriae Nepotiani presbyteri olim fecisse me novi. Ergo hic liber vel *de illustribus viris*, vel proprie *de scriptoribus ecclesiasticis* appellandus est: licet a plerisque emendatoribus imperitis *de auctoribus* dicatur inscriptus. » Porro titulum *de illustribus viris* repetit Hieronymus in priore libro adversus Iovinianum, in epist. CLIV. ad Desiderium, et in praefat. comm. ad Ionam prophetam: illumque confirmant Facundus hermianensis pro defens. trium capitulorum lib. IV. cap. II., Cassiodorius institutt. div. litterarum cap. XVII., Marcellinus comes in chronico indict. V. Arcadio et Rufino coss., Iohannes zariberiensis epist. CLXXII. et auctor vitae Hieronymi a Mabillonio editus T. IV. analectorum. In altero libro contra Rufinum hoc ipsum opus vocat Hieronymus *auctorum nostrae religionis indicem*, et Gennadius massiliensis in catalogo illustr. virorum cap. I. illud dicit *catalogum scribarum*.
6) De duodecim doctoribus ad Desiderium pag. 226. apud Fabricium in biblioth. ecclesiast.
7) In lib. de viris illustribus, quem Cassiodorius de div. lect. cap. XVII. vocat *de scriptoribus legis divinae*, pagg. 1. seqq. apud Fabricium ibid.
8) In lib. de scriptt. ecclesiast. pagg. 47. seqq. ibid.
9) In lib. de scriptt. ecclesiast. pagg. 59. seqq. ibid.
10) In app. ad Hildephonsum pag. 65. ibid.
11) In app. ad Iulianum pag. 66. ibid.
12) Anonymus de XII. scriptt. ecclesiast. pagg. 68. seqq. ibid.
13) De luminaribus ecclesiae, sive de scriptt. ecclesiast. pagg. 73. seqq. ibid.
14) De scriptt. ecclesiast. pagg. 93. seqq. ibid.
15) De scriptt. ecclesiast. pagg. 117. seqq. ibid.
16) De scriptt. ecclesiast. pagg. 141. seqq. ibid.
17) De viris illustribus casinensibus pagg. 161. seqq. ibid. Adde supplementum virorum illustrium eiusdem monasterii, auctore Placido monacho, pagg. 192. seqq. ibid.
18) De ecclesiast. scriptt. pagg. 4. seqq. ibid.

Trithemius abbas spanhemensis, quibus cordi ex aequo fuit eos recensere debitisque laudibus prosequi, quos patres aut ecclesiasticos scriptores diceremus. Neque enim viros sapientissimos latebat ad cognoscendam vindicandamque doctrinam fidemque christianam sic priores conferre, ut posteriores neque negligi possint neque insuper haberi. Quare inscriptionem operis [1]), quo plerosque omnes ecclesiasticos scriptores complexus est, his verbis Hieronymus absolvit: « Discant igitur Celsus, Porphyrius, Iulianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos [2]) habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, adornaverint: et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant. » Ac merito sane, quando plurima sunt quae ecclesiasticis scriptoribus fidem auctoritemque conciliant. Ad hanc enim iis conciliandam pertinent, quod in ecclesiastica unitate scripserint, quod eruditione floruerint, quod receptas communesque doctrinas probe norint, quod maiorum vestigiis institerint, quodque antistitum adprobationem suffragiumque retulerint. Quamquam igitur non omnibus niteant dotibus quibus patres splendent, et quamquam cum [3]) minoribus astris non inepte componantur; sunt tamen et ipsi astra, et ipsi quoque fulgent, nobisque viam praemonstrare possunt, quam tuti securique adgrediamur.

1749. Antequam vero de scriptoribus recentioris aevi, quique post seculum XII. nomen sibi famamque compararunt, ea moneam quae mihi alicuius esse ponderis videntur; placet referre quae sanctus Dorotheus [4]) de homine narrat, qui fastidioso supercilio contemporales aspernabatur. Sic enim [5]) habet: « Memini, fratres mei,

a) Doctr. II. de humilit. §. IV. pag. 385. A-C. apud Galland. T. XII. Οὕτως ἀδελφοί μου, οἶδά ποτε ἀλθόντα τινὰ εἰς ταύτην τὴν ἁγιωνὴν κατάστασιν· καὶ παρὰ μὲν τὴν ἀρχὴν εἴ τι ἐλάλησεν αὐτοῦ τις τῶν ἀδελφῶν, κατέφρονεν ἕκαστον καὶ ἔλεγε· τίς ἐστιν ἐκεῖνος; οὐκ ἐστιν εἰ μὴ Ζωσίμας, καὶ οἱ κατ' αὐτόν· εἶτα ἤρξατο καὶ τούτους ἐντελίζειν καὶ λέγειν· οὐδείς ἐστιν εἰ μὴ Μακάριος· καὶ μετ' ὀλίγον ἤρξατο λέγειν· τίς

1) In praefat. ad Dextrum.

2) De qua calumnia praeclare disserit Christianus Kortholtus in obtrectatore pagano cap. XI.

3) Frequens est apud maiores nostros patrum ecclesiaeque doctorum *cum astris* comparatio.

4) Floruit Dorotheus archimandrita palaestinus sub finem seculi VI., deque ipso agunt non modo Bollandiani in act. ss. T. I. Iunii pag. 592. et Fabricius biblioth. graec. T. VI. pag. 145. et T. X. pag. 160.; verum etiam Theodorus studita qui illum inter praestantissimos ascetas recenset in testam. cap. IV. pag. 61. opp. Sirmondi T. V.

Digitized by Google

vidisse me aliquando huiusmodi hominem, qui in hanc miserrimam conditionem incidisset. Et initio quidem si quis e fratribus loquutus quidpiam esset in alterius commendationem et laudem, statim illum spernebat et quasi conspuebat dicens: quis est ille? Non est alius qui aliquid [1]) valeat praeter Zosimam et qui cum eo sunt. Post coepit et illos contemnere ac dicere, neminem alicuius pretii esse praeter Macarium. Et paullo post: quis, ait, Macarius? Nullus est praeter Basilium et Gregorium. Atque etiam non multo post hos quoque coepit pariter spernere, et nullam alium aestimare nisi Petrum et Paulum. Cui ego praedixi quod evenit, fore ut hos quoque tempore contemneret. Quod sane factum est: nam eos sprevit, et nihil esse in pretio habendum praeter Trinitatem asserere coepit. Statimque in Deum quoque factus insolentior intumuit. » Vides recentiorum contemptum cum contemptu antiquiorum cohaerere? Vides pronum esse ab illorum fastidio ad horum fastidium prolabi? Vides infimos catenae annulos dimoveri e loco non posse, quin et supremi, totaque catena periclitentur? Nimirum sequioris aevi auctores quum non omnes sint eiusdem existimationis et auctoritatis, neque omnes uno eodemque numero haberi possunt. Uno eodemque numero haberi nequeunt hinc Thomas et Bonaventura, inde Durandus de s. Portiano et Guillelmus Okam: et uno eodemque numero haberi nequeunt hinc Vincentius Ferrerius et Laurentius Iustinianus, inde Robertus Holkot et Nicolaus de Orbellis. Inspiciendum igitur sedulo est quinam ex illis, quove pacto adhibeantur. Si enim non alii adhibeantur quam qui praeclaram scientiae,

Ἔστι Μακάριος; οὐδείς, εἰ μὴ Βασίλειος καὶ Γρηγόριος· εἶτα μετὰ μικρὸν ἤρξατο καὶ τούτους ἐξουδενίζειν, λέγων· τίς ἐστι Βασίλειος, καὶ τίς ἐστι Γρηγόριος; οὐδείς, εἰ μὴ Παῦλος καὶ Πέτρος· λέγω αὐτῷ, ὄντως ἀδελφὲ, καὶ τούτους ἔχει ἐξουδενῶσαι· πιστεύσατέ μοι, ὅτι μετ' ὀλίγον καιρὸν ἤρξατο λέγειν· τίς ἐστι Πέτρος, καὶ τίς ἐστι Παῦλος; οὐδείς, εἰ μὴ ἡ ἁγία τριάς· οὕτως ὕστερον καὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ ὑπερηφανεύθη, καὶ οὕτω ἐξέστη.

1) Haec mihi in mentem revocant dissidium quod olim inter eruditos Constantinopoli erupit, quia sanctorum patrum Basilii, Gregorii theologi et Chrysostomi primas inter ceteros ferret. Eo namque aestu controversia intumuit ut in partes scissi, quidam basilitae, alii gregoritae, reliqui iohannitae dicerentur: ad quorum insana studia temperanda quidam probatae sanctitatis monachorum antistes auctor fuit, ut fide adhibita visioni quam retulit trium illorum patrum dicentium, ἓν ἑορτὴν παρὰ τῷ Θεῷ, solemnitas veluti aequalis cultus institueretur, quae habetur in Graecorum Menologio die XXX. Ianuarii sub Alexio comneno imperatore. Neminem igitur aliis omnibus invidiose anteferri par est, et quamvis alter alteri lectorum blandius arrideat, universo consensui, tamquam populari turbae, princeps non est imponendus, nec cum eorum contemptu, quasi unus sapiat, reliqui ut umbrae volitent, aestimandus; sed vox universalis synodi repeti debet, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίαν χαράττομεν.

pietatis, sanique iudicii famam obtinuerint; eiusmodi usus quin reprehendi debeat, dignus contra est qui summopere laudetur. Ecquid enim laudabilius quam de aliqua sive arte sive disciplina illos interrogare, illosque audire, qui eam concordi omnium plausu excoluerint? Rursus si tum adhibeantur quum unanimes consentiunt, illorum concordia indicium [1]) veritatis nullatenus spernendum suppeditat; sin vero tum allegentur quum ab invicem dissident atque in oppositas abeunt opiniones, prudentia opus est ut qui praeferri aliis debeant, scite decernatur. Ad normam autem theologicae prudentiae ii ceteris anteponentur, qui plenius cum antiquitate conspirant, qui se divinarum litterarum christianaeque traditionis peritiores ostendunt, qui iudicii bonitate eminent, qui ab opinionibus paradoxis abhorrent, qui mores ecclesiaeque consuetudines reverentur, qui probe tenent dogmatum analogiam, quique nihil docent, nihilque affirmant quod cum iis quae rata fixaque sunt, ad hormoniam concentumque non belle revocetur.

1750. Quae nos breviter adnotata idcirco voluimus, ut omnes probe intelligant, quibus recentioris aevi scriptoribus, quove pacto usi simus, si quando ad illos provocandum esse existimavimus. Enimvero ipsorum nomina veluti testium raro admodum in opere nostro apparent, neque aliorum apparent quam qui in communi existimatione versantur, eaque dumtaxat lege apparent quum antiquitatis semitam terunt, illudque docent explicatius quod erudita antiquitas subobscurius praeformaverat. Ceterum nolo finem praesenti articulo antea imponere, quam illorum excusserim opinionem, qui quum vix non aspernari recentiores quotquot sunt omnes videantur, non alios vel ipsi laudant, vel aequo animo ferunt ut tamquam fide digni laudentur, nisi qui seculorum longaevitate incanuerint. Qui quidem non satis mihi videntur *ad systema continuationis* attendere, quod in Christi ecclesia quae omnibus temporibus una est sibique similis, dominatur: non satis mihi videntur attendere *ad eam profectus* [2]) *rationem*, qua ecclesiastica dogmatum intelligentia iugiter expolitur et luculentior evadit: non satis mihi

1) Quod affirmari pariter debet, etsi antea dissensiones extiterint. Plura enim tempore maturescunt, et quae dubia primum fuerant ac in medio sita, accessione lucis certa deinde evadunt ac fixa.

2) Ex hac autem profectus ratione et indubia prorsus lege repetendum est, nihil suscipi posse accommodatius, quam de Trinitate Athanasium, de gratia Augustinum, de unitate Christi Cyrillum, de distinctione naturarum Leonem, et de duplici voluntate Maximum consulere, etsi horum nemo sit vetustior seculo IV., et ex iis Maximus sit longe recentior.

Digitized by Google

videntur attendere *ad eiusmodi praescriptionis originem*, quae [1]) ex haereticis novatorum placitis dimanavit: non satis mihi videntur attendere *ad sapientissimas omnino regulas* quas Melchior Canus [2]) proposuit, propositasque demonstravit: non satis mihi videntur attendere *ad usum maiorum*, Basilii, Augustini, Cyrilli, Leonis, quibus solemne fuit non ad vetustissimos dumtaxat semet recipere, sed recentiores etiam ac suppares et synchronos in medium proferre: neque mihi satis attendere videntur *ad ipsa oecumenica concilia* e quorum authenticis gestis assequimur, vix aut ne vix quidem antiquissimos adduci, totumque contentionis pondus suffragio recentiorum sustentari.

1751. Quapropter iis penitus adquiesco quae theologorum facile princeps, Dionysius Petavius tum adhibet, quum [3]) religiosum beatorum cultum auctoritate maiorum comprobatum, ab ea vindicat hagiomachorum exceptione qua dicere solebant: « Neminem illorum primo aut sequenti seculo vixisse, tertio nonnisi unum aut alterum: esse autem consentaneum, dogmatum probandorum auctoritatem ab ultimis repeti temporibus et aetati Christi proximis, per quae nondum inventis erat hominum infecta fidei ac disciplinae velut hereditaria possessio. » Sic enim illis [4]) occurrit, vimque omnem exceptionis infringit: « Qui molestiam nobis faciunt, vel imperiti sunt, vel ad circumveniendum fraude potius quam probabili ratione nituntur. Etenim qui caput aliquod fidei christianae patrum testimoniis approbare velit, nulla id alia via melius instituere potest, quam si oecumenicarum synodorum, et eorum ipsorum quos testes adhibet patrum imitatione, exemploque faciat. Quibus igitur auctoritatis praesidiis armata vetus ecclesia in generalibus conciliis vel adversus imminentes subinde novas haereses in controversiam adductum fidei dogma defendit? De iis quorum acta penitus interciderunt, iudicium ex istis facere non possumus. In ceteris quorum plenior ad nos memoria, rerumque inibi gestarum et disputationum commentarii pervenerunt, sic omnino reperies: non illos ab antiquissimis, sed ab citimis potius et recentis memoriae doctoribus probationes et testimonia sumpsisse. Hoc in

1) Vix enim ante novatores acerbissimos indeficientis ecclesiae hostes frigidum illud et insulsum audiri coeperat calumniae genus, ut ad primum ac secundum seculum, aut vero tertium et quartum controversorum capitum disceptatio revocaretur.

2) Loc. theologic. lib. VIII. cap. IV.

3) De incarnat. lib. XIV. cap. XV.

4) Ibid. §. II.

Digitized by Google

ephesina, chalcedonensi, quinta et sexta synodis oecumenicis, ut alias taceam, usurpatum videmus. Harum [1]) in prima, Deum natum esse de Virgine non simplicem hominem probant ex Cypriano, Petro alexandrino, Athanasio, Iulio Papa, Felice item Papa, Theophilo alexandrino, Ambrosio, Gregorio nazianzeno et nysseno, Basilio, Attico et Amphilochio. Ex iis autem qui vetustissimus est Cyprianus non plenis ducentis annis antecessit ephesinae synodi tempus, ceterorum erat memoria recentior. Nunc illud velim mihi respondeant adversarii, utrum existiment synodum illam, quia nullos priorum seculorum suffragatores decreti sui proferre poterat, recentiores et paucis ante se annis mortuos advocasse: an cum alios antiquiores nominare posset, novis istis utpote idoneis fuisse contentam. Horum utrum dixerint, tum caussam nostram adiuvabunt, tum deteriorem facient suam. Nam si nemo fuit ecclesiae doctor primis illis seculis, qui [2]) catholico de Christi divinitate dogmati fidem faceret, ut ex nuperis affirmari illud oportuerit, frustra nobis invidiam ex antiquissimorum illorum temporum silentio comparare student. Quod si extabant aliqui primis illis seculis, sed consulto his antepositi sunt qui proxime praecesserant, nihilo nos magis accusare deberent, si in appellandis novissimis illorum exempla sequeremur. Sed non facimus, siquidem testes eius quod probare volumus, ab seculo ante nos decimo quarto repetitos adducimus; tum, quod etiam atque etiam considerandum est, eosdem illos citavimus patres, quorum auctoritate standum esse synodus ista decrevit. Sic etiam chalcedonense concilium auctores inscribit sibi vix toto seculo anteriores, unum etiam proxime, hoc est ante sex annos vita functum, Cyrillum alexandrinum. Nec deerant, opinor, vetustiores alii quorum uti testimonio poterant, ac tanto plures quam nobis, quanto maior illis suppetebat librorum copia, nondum ad inanitatem redactis aut variis casibus consumptis bibliothecarum forulis. Nos certe

1) Eph. syn. act. I.

2) Ioh. Clericus in subiecta adnotatione scribit: « Accurate heic non loquitur Petavius, nam in ephesino concilio non quaesiti sunt patres, qui fidem facerent *catholico de Christi divinitate dogmati*, sed qui dicerent sanctam Virginem Θεοτόκον, *Dei genitricem*, aut *Deum* ex sancta Virgine esse natum. Divinitatem enim Christi in controversiam non vocabat Nestorius, sed eiusmodi loquutiones improbabat, quae, ut censebat, videbantur miscere humanitatem cum divinitate. Miror etiam Petavio ignotum fuisse iis, contra quos heic disputat, improbari vocem Θεοτόκος et alias similes, ac proinde contra eos non posse satis valide torqueri argumentum desumptum ex ephesina synodo. » Scilicet I. hoc argumentum in illos omnes validissime intorquetur, qui non penitus sint effrontes. Ad haec II. plerique ex protestantibus non improbabant vocem Θεοτόκος, aliasque similes. Illud vero III. ineptum, divinitatem Christi non fuisse a Nestorio in controversiam adductam. Probabat ille quidem *divinitatem Verbi*, sed filio hominis a filio Dei separato ac diviso, illi Christus ὁ ἄνθρωπος erat φίλος ἀνθρωπος.

Digitized by Google

ad duas in Christo naturas affirmandas, antiquissimorum patrum suffragia conquisivimus, et a primo usque seculo, ut Clementis romani et Ignatii martyris, ac deinceps aliorum, Iustini, Irenaei, Clementis alexandrini, Hippolyti martyris, Origenis, quorum nemo in ista synodo est auditus. Similiter [1]) quinta synodus cum patres enumeraret quos se in omnibus sequi profiteretur, Athanasium, Hilarium, Basilium, utrumque Gregorium nazianzenum et nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Iohannem chrysostomum, Leonem, Proclum nominavit, antiquiorem neminem. Non aliter synodus sexta contra monotheletarum haeresim haud illis antiquiores patres advocavit, ut ex octava et decima actione liquet: hoc est, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Iohannem chrysostomum, Leonem Papam, Gregorium nyssenum, Cyrillum, Epiphanium, Ephraemum antiochenum, Anastasium, Iohannem chrysopolitanum. Nam qui omnibus aetate superior est, Iustinus martyr, citatur [2]) ille quidem, sed non est germanus eius liber qui ibi nominatur, fidei scilicet [3]) expositio. »

1752. His quae de synodis verissime monuit, ad patres continuo [4]) progressus, vir magnus subdit: « Non dissimilis est singulorum patrum ratio, qui in refellendis novorum haereticorum erroribus, recentiorum ac pene aequalium suorum patrum testimonia non dubitarunt opponere. Augustinus [5]) adversus Iulianum pelagianae columen haeresis disputans, in libro primo auctores aliquot citat, ex quibus primi nullum seculi, unum secundi martyrem Irenaeum, tertii itidem unum Cyprianum, reliquos eodem quo natus erat seculo mortuos, quarto scilicet, in medium adduxit, Reticium augustodunensem, Olympium hispanum, Hilarium, Ambrosium, Gregorium nazianzenum, Basilium, Iohannem chrysostomum, et qui nuper obierat, Hieronymum. Theodoretus in dialogis tribus Apollinaris haeresim impugnans, et duarum in Christo manentium naturarum discrimen adstruens, e secundo seculo duos laudat, Ignatium et Irenaeum: e tertio, Hippolytum et Methodium: ceteros e quarto et quinto, hoc est proxime ante vita functos, Eustathium, Athanasium, Basilium, ambos Gregorios, Flavianum, Cyrillum hiero-

1) Collat. III.
2) Eph. syn. act. I.
3) De huius expositionis auctore conferendus est praeter alios qui de ea disseruere, Maranus in opp. ad opp. Iustini pagg. 417. seqq.
4) Loc. cit. §. IX.
5) Con. Iulian. lib. I. cap. II.

Digitized by Google

solymitanum, Amphilochium, Ambrosium, Hilarium, Severianum, Antiochum, Chrysostomum, Augustinum, Atticum, Gelasium, Cyrillum alexandrinum, quo cum postremo graves contentiones offensionesque ipse susceperat. Cyrillus item [1]) in libro de recta fide, Nestorii dogma confutans patrum testimoniis aliquot, non illos ex primis seculis tribus, sed ex quarto quintove delectos citat, Athanasium, Amphilochium, Atticum, Chrysostomum, Theophilum avunculum suum, et alios quosdam. Non deerant, opinor, in illa caussa, et tam communi ac trito asseverando fidei capite complures antiquiores testes; cum ac nobis allati passim haud pauci fuerint. Sed hoc recte Cyrillus intellexit, in catholicae fidei testibus non tam aetatem, quam ex doctrina et integritate gravitatem, auctoritatemque esse praestandam. »

CAPUT II.

De forma probationis: multiplex vocabuli acceptio: ea definitur quae nobis in usu erit: de probatione sive explicita ac diserta, sive implicita ac virtute aequipollente: duplex eiusmodi probatio, altera ex instrumentis atque altera ex testibus deprompta: utraque recolitur, iteratoque examini subiicitur: quae eodem spectent atque accessionis instar merito habeantur: cuiusmodi sit veritas de immaculato Deiparae conceptu: veritas est certa, infallibilis, ad depositum revelationis pertinens ac plane digna quae materies ac fidei obiectum existimetur.

1753. Placuit utriusque iuris [2]) peritis *probationem* ita describere, ut *sit eius quod in controversiam adducitur facta legitime demonstratio.* A qua probationis descriptione nullatenus ea differt quae penes theologos ac philosophos recepta est, quaeque ipsis rerum naturis postulatur. Ecquid enim aliud est probare, nisi auctoritatis rationisve praesidio fidem aut scientiam rei antea incompertae gignere? Hoc est quod probationis voce omnes significant, atque huc notio redit quam probationis vocabulum complectitur. Iamvero non una recensetur probationum forma, sed quemadmodum iurisperitis alia est probatio [3]) ex testibus atque alia [4]) ex instrumen-

1) Opp. T. V. P. II. pag. 48.

2) Clem. un. tit. de probatt., decret. can. V. d. XLIV. et c. VI. q. ultim., pandectt. lib. XXII. tit. III. et cod. lib. IV. tit. XIX.

3) In sexto et in clementinis tit. de testibus, in decret. II. q. IV. et IV. q. II., in pandectt. lib. XXII. tit. V., in cod. lib. IV. tit. XX. et in Nov. XC.

4) Lib. I. ff. de fide instrument., lib. XV. eod. eod., et Hermenopulus lib. I. tit. II. cap. XIV.

Digitized by Google

tis; ita philosophis alia est probatio absoluta et alia conditione affecta, alia copulata et alia disiuncta, alia [1]) probabilis et alia certa, alia moralis et alia physica aut metaphysica, alia quam a priori dicunt et alia quam a posteriori appellant. Reliquis in praesentia sepositis, nos illam potissimum partitionem considerabimus quae ex ratione modoque aperiendae detegendaeque veritatis efflorescit, et qua probatio *in explicitam disertamque et in implicitam ac virtute aequipollentem* diribetur. Ad hanc partitionem quaecumque opportuna sunt revocabimus, et formam rationemque institutae de immaculato Deiparae conceptu probationis definiemus.

ARTICULUS I.

De forma probationis explicita ac diserta: multiplex eiusdem ratio commemoratur: cuiusmodi sit probatio immaculati conceptus ex instrumentis deducta: recolitur probatio ex lege: tum probatio ex prophetis: ac probatio tandem ex evangeliis: probationis iudicium, iunctumque cum eo consectarium de praerogativa immaculati conceptus, quae articulis divinitus et immediate revelatis accenseri debeat.

1754. Proprietas et denominatio *explicitae ac disertae* inde probationibus accedunt, quod stabiliendam tuendamque veritatem *immediate* praeseferant, illamque animo *immediate* spectandam obiiciant. Appositis igitur *explicitae ac disertae* non ipsa probationis virtus ac natura efferuntur, sed certus quidam eiusdem modus significatur in eo situs, quod ipsius ope veritas *non in alio ac veluti in semine*, sed *in seipsa ac prope in edito iam fructu* innotescat. Quae sane manifestatio, diserta licet ac immediata, quin una sit, multiplex contra paullo subtiliori examine deprehenditur.

1755. Nimirum quemadmodum plures sunt obiectorum proprietates, quae se penitissime excipientes *in ordine ontologico* seiungi ab invicem nequeunt; ita plures sunt ideae pluresque notae eisdem respondentes atque *in ordine logico* ita devinctae, ut una

1) Cui respondet partitio apud iurisconsultos solemnis in probationem *plenam*, quae evidenter id ostendit quod proponitur, et *semiplenam*, quae fidem aliquam facit et opinionem potius iniicit quam par ex sese sit iudicio absolvendo. Neque idcirco vel hoc ipsum semiplenae probationis genus negligi debet, quum ad acuendam industriam conferat, viam complanet, aliisque suffultum adminiculis non minimum iuvet.

Digitized by Google

cum altera necessario atque immediate cohaereant. Pro hac vero proprietatum, idearum, notarumque varietate et copia, varium quoque ac multiplex est illarum genus probationum, quae immediatae disertaeque nuncupantur. Tam varium istud est ac multiplex, quam variae illae sunt ac multiplices; atque ex hac intra idem genus idearum notarumque multiplici varietate oriuntur I. probationes immediatae, eaeque parallelae ac prope synonymae; et II. probationes tum immediatae ac formales, tum immediatae et acquipollentes. Oriuntur probationes parallelae ac prope synonymae, quae dotibus ideisque parallelis ac prope synonymis innituntur: et oriuntur hinc quidem probationes immediatae simul ac formales, quae ex idea pendent ipsam veritatis formam repraesentante; inde vero probationes immediatae sed aequipollentes, quae ex idea dimanant repraesentante non tam formalem veritatis notam, quam notam cum formali consertam atque immediate copulatam.

1756. Hisce compendio explanatis, ut rite quaestioni occurratur de instituta a nobis probatione, necesse prorsus est cum illius discrimen breviter declarare, tum illam paucis denuo complecti, oculisque subiicere. Itaque ut a discrimine usurpatae probationis ordiamur, alia est quae *ex instrumentis*, et alia quae *ex testibus* hausta a nobis fuit ac deducta. Non me sane fugit *instrumenti* nomine generatim omnia comprehendi quae ad caussam instruendam pertinent; sed neque me praeterit, speciatim instrumentum esse *scripturam* quae fidem facit rei quam continet. Iamvero probatio, quam *tota sectione quinta* expolivimus, non aliunde sumpta a nobis fuit quam ex publicis fidei christianae instrumentis, scripturis scilicet divinis, quas in publico ecclesiae archivo a temporibus apostolorum et evangelistarum habitas, conservatas et hucusque traditas non aliter adhibent christiani, ac ut certissima ad probandam fidem instrumenta. Auctoritas enim publica illas accipiens, auctoritas publica illas conservans, et auctoritas publica illis ceu divinis iugiter utens, nullatenus patitur ut de summo ipsarum pretio, divinaque prorsus origine dubitemus. Hoc autem instrumentum quum tribus veluti eximiis partibus coalescat, *lege, prophetis et evangelio*, earum nullam praetermisimus, ut conceptum Deiparae exsortem culpae probaremus. Quare id unum restat, ut quo brevissime possumus, ductam *ex singulis partibus* probationem recolamus.

Digitized by Google

1757. Ac de probatione quidem quam *ex lege* [1]) sumpsimus, animadverti debet sic illam esse comparatam ut non *ex serie minus ductuque orationis, quam ex apertis disertisque* verbis efflorescat. Sane [2]) historiae gestorumque ratio ostendit, solemnia [3]) verba, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*, a Deo proficisci qui quum hinc [4]) munus expleat *iudicis* atrocissimas poenas draconi infligentis, quod fraude simulataque benevolentia mulierem seduxerit, et una cum ipsa universum eiusdem semen perdiderit; inde partibus fungitur *pientissimi patris* qui hominum generi misericorditer prospiciens, *modum* simul *reparationis* praefinit illi e diametro oppositum, quo fuit invecta pernicies, quique initium propterea ducat ex nova muliere, beatissima virgine Maria, eiusque cum dracone inimicitia. Quod pressius parique evidentia efferri sic potest: quemadmodum Deus duplicem obit oeconomiam tum *iudicis* in scelus *iuste* animadvertentis, tum *patris* subversum ordinem *sapienter* reparantis; ita draconi qui mulierem perque eam virum cum suo semine fraude deiecit, alteram mulierem, augustam θεοτόκον, cum suo semine θεανθρώπῳ inimicam et victricem e regione opponit. Eiusmodi autem rerum habitus, atque haec mutua lapsi restitutique ordinis oppositio non ferunt, ut secunda quoque mulier amicitias cum dracone aliquando inierit: immo prorsus exigunt ut ipsa non aliter invicta constiterit ac prior mulier Eva seducta victaque cecidit. Historiae igitur gestorumque series eo liquido spectat, ut secunda mulier, beatissima virgo Maria, numquam draconi amica et numquam lapsa videatur. Sed contracta semel originis culpa fuisset aliquando amica draconi, et ipsa pariter ac Eva, seducta victaque corruisset. Nullam ergo contraxit originis labem, et ab hereditaria contagione immunis fuit ac soluta.

1758. Verum quo in numero haec haberi probatio debet? Scilicet haberi in numero debet I. probationis non ex uno alterove verbo aut inciso, sed ex serie rerum ductuque sermonis collectae: II. probationis penitissimo vinculo cohaerentis cum oeconomia salutari; petitur namque ex revelato divinitus ordine humanae reparationis, qui non secus ex nova muliere oriatur, ac ordo lapsus

1) Sect. V. nn. 881. seqq.
2) Gen. III. 1. seqq.
3) Gen. III. 15.
4) Gen. III. 14.

Digitized by Google

ex antiqua muliere inceperit: III. probationis *omnino certae*, quum ea nullo constet elemento quod anceps sit aut de quo merito dubitetur: ac tandem IV. probationis *aequipollentis*, quum non reipsa sed significatione dumtaxat modoque repraesentandi discrepent hinc quidem immunitas ab originali praevaricatione, inde vero immunitas ab amicitia cum satana et a primae mulieris seductione ac ruina. Iamvero probatio, quae ex Bibliis hausta, *certa* sit ac *formali aequipolleat*, divinam praefert revelationem. *Divina igitur revelatione praelucente decus novimus, quo Deiparam hereditariae labis exsortem profitemur.*

1759. Qui quidem caelestis revelationis splendor mirifice cumulatus apparebit, si animo probationes [1]) reputentur quae *ex ipsis oraculi verbis* proxime suaque sponte dimanant. Quarum prior sic habet: quemadmodum satanas [2]) pellectam insidiose mulierem amico sibi foedere copulavit; ita sapientissimus aeque ac misericors Deus omnipotenter [3]) decrevit initum foedus abrogare, susceptamque amicitiam radicitus convellere funditusque delere: *inimicitias ponam inter te et mulierem.* Prope diceret: ego tui, o satana, iudex, meique operis per mulierem a te perditi restitutor efficiam, ut in beata temporum plenitudine nova mulier exsistat, quae numquam tecum amicitia coniungatur. Sed amicitiae foedus cum satana seiungi a consortio nequit hereditariae praevaricationis. Huc igitur immediate redit divinum oraculum, caelestisque promissio: *ego tui, o satana, iudex, meique operis per amicitiam cum priori muliere abs te perditi misericors restitutor efficiam, ut in beata temporum plenitudine altera multoque felicior prodeat mulier, quae tibi semper infensa et primordialis expers transgressionis initium sit atque origo ordinis reparati.* Atqui probatio haec est, in qua nihil merito desideres ut illam *formali plane synonymam et omnino parallelam* arbitreris. *Probatione igitur non aliunde quam ex ipsis hausta verbis, eaque formali synonyma ac parallela decus immaculati conceptus perspicue demonstratur.* Quo rursum alia pertinet eiusdem formae probatio, quam *nuda ac simplex oraculi analysis* evidenter suppeditat. En toties ingeminata [4]) oraculi verba: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Nihil autem manifestius

1) nn. 889. seqq.
2) Gen. III. 4. seqq.
3) Gen. III. 15.
4) Gen. III. 15.

Digitized by Google

quam hisce praedici, initio quidem *unam eamdemque fore inimicitiam*, quam mulier eiusque semen a satana atque huius semine dissidebunt; deinde vero *arctissimum fore vinculum* quo mulier cum suo semine cohaerens, satanae atque huius semini adversabitur. Sed neque cum *ea inimicitia*, neque *cum hoc vinculo* componi ullatenus potest, ut promissa divinitus mulier in originalem transgressionem atque satanae captivitatem offenderit. Componi nequit *cum ea inimicitia*, quae utpote *una eademque* cum inimicitia seminis benedicti non potest non esse perpetua atque ad omne omnino tempus extensa: et componi nequit *cum hoc vinculo*, quum mulier numquam fuerit a suo semine divisa, et numquam cum satana eiusque semine hostiles inimicitias non gesserit. *Simplex igitur ac nuda oraculi analysis probationem exhibet formali synonymam, qua promissa divinitus mulier et Emmanuelis mater ab universali pernicie immunis insigniter declaratur.*

1760. Cuius declarationis evidentia, me quidem fugit, an non etiam maior futura sit, si consequens praeterea consideretur oraculi membrum, neque illud secus proponatur ac ferat [1]) *ecclesiastica Occidentis lectio, eaque Bibliis ipsis inhaerens*. Enimvero integrum oraculum [2]) sic erit: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Atqui cum hoc oraculo duplex nectitur decretorium argumentum, alterum *ex postremo inciso* atque alterum *ex tota serie* derivatum. Et illud quidem huc redit: promissa mulier, augusta Virgo *conteret caput serpentis*, idest, satanae robur infringet, imperium subvertet, tyrannidem profligabit. Porro *universali originis praevaricatione* inprimis atque maxime regnat satanas, in homines dominatur, illosque suae tyrannidi obnoxios habet. Igitur promissa mulier, augusta Virgo universalem originis praevaricationem e medio tollet, penitusque delebit. Id autem facinus per promissam mulierem edendum ne cogitari quidem animo posset, si ipsa quoque universali praevaricatione conciperetur obstricta. *Restat ergo ut illius conceptus ab universali praevaricatione integer censeatur*. Succedit posterius argumentum, quod quum *ex integra oraculi serie* dependeat, hisce veluti gressibus incedit. I. Inimicitia mulieris cum serpente est inimicitia κατ' ἐξοχήν, absoluta et omnimoda: *inimicitias*

1) nn. 990. seqq.

2) Gen. III. 15.

Digitized by Google

ponam inter te et mulierem. Est ergo inimicitia nullius patiens amicitiae, suisque numeris expleta. II. Inimicitia mulieris cum serpente gemina illi est, quam benedictum semen cum eodem gessit, gerit ac geret: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Sed inimicitia benedicti seminis cum serpente est omnino perpetua, quaeque omnem semper amicitiae aditum obstruxit. Ergo inimicitia pariter promissae mulieris cum serpente iudicari debet perpetua, quaeque nullum umquam amicitiae locum permiserit. III. Propter perpetuam cum serpente inimicitiam benedictum semen fuit innocens, sanctum, impollutum, segregatum a peccatoribus, et princeps huius mundi in ipso non habuit quidquam. Ergo propter consortium eiusdem inimicitiae promissa mulier fuit innocens, sancta, impolluta, segregata a peccatoribus, et princeps huius mundi in ipsa non habuit quidquam. Denique IV. benedictum semen, utpote innocens, sanctum, impollutum et segregatum a peccatoribus idoneum unice fuit ad delendum quod adversus nos erat chirographum, opusque satanae dissolvendum. Ergo promissa mulier, utpote innocens, sancta, impolluta et segregata a peccatoribus par unice fuit, quae cum suo semine, perque suum semen caput serpentis contereret, nosque omnes pia mediatrix in libertatem vindicaret. His autem etsi luculentis animus tamen est nonnulla adiicere, ut ea, si fieri possit, evidentius etiam refulgeant. Itaque *ordinem seriemque divini iudicii* considerantibus liquet: I. condemnari initio deceptorem serpentem, illumque utpote penitus inexcusabilem nonnisi poena mulctari: II. cum lata in serpentem poenali sententia, tamquam poenae partem, arctissime oraculum iungi de altera muliere, quae praedestinato exstitura tempore illatam iniuriam ulciscatur: tandem III. iudicium describi, quo Deus priori mulieri eidemque reae una cum suo viro qui illi morem peccando gessit, acerbissimas poenas, quamquam spe reparationis lenitas inflixit. Atqui ex huiusmodi rerum nexu sua sponte descendit: I. exstituram praedestinato tempore alteram mulierem ipsamque victricem ἀμισῶς; ac *directe* triumphanti satanae opponi, eiusque victoria partem aliquam poenae, quam satanas subiit, repraesentari. Nisi ergo omnia velimus sus deque versa, fateamur oportet alteram mulierem numquam satanae fuisse obnoxiam ac numquam eiusdem vinculis obligatam. Descendit II. insignem hanc mulierem aeque ac eiusdem semen ab utroque reo sexu

Digitized by Google

quem Eva et Adam originaliter complectebantur, longissime seiungi, et a sententia condemnationis et maledicti in reum sexum lata funditus subduci. Iamvero haec segregatio ac divisio secundae mulieris cum suo semine ab utroque reo sexu eiusque condemnatione et maledicto nullum fert commercium nullamque patitur originalis praevaricationis societatem. Tandem III. dependet promissam cum suo semine mulierem *veluti mediam* exhiberi inter satanam principem peccati auctorem hominumque genus peccato vitiatum atque in perniciem lapsum. Ab hoc autem ordine veluti medio medioque statu incredibile dictu est quantopere abhorreat contracta originis culpa. Secunda ergo promissaque mulier exsors semper fuit hereditariae praevaricationis, originalique puritate semper refulsit. Sed haec mulier non alia est a Deipara, quae mundo nobisque genuit Emmanuelem. *Tribui ergo Deiparae nequit originale peccatum, neque haberi ipsa consors potest universalis ruinae.*

1761. Retulimus *summam probationum*, quae ad dirimendam quaestionem de immaculato Deiparae conceptu *ex lege* depromuntur. Putamus vero multis opus non esse ut omnes intelligant, hasce probationes I. esse perspicuas: II. esse certas: III. esse analyticas et immediatas: et IV. esse sive probationi formali aequipollentes, sive eidem parallelas ac synonymas. Quid igitur est consequens? Hoc profecto, *haberi omnino ceu revelatum oportere, quod biblicis probationibus, iisdemque perspicuis, certis, analyticis, immediatis et probationi formali aequipollentibus sive illi parallelis ac synonymis innotescit. Atqui eiusmodi plane sunt probationes ex lege desumptae quibus immaculatus Deiparae conceptus ostenditur. Praerogativa igitur immaculati conceptus iis connumeranda est veritatibus, quas in Scripturis divinitus revelatas tenemus.*

1762. Suffragantur [1]) *propheticae probationes*, neque eae minus quae *ex Isaiae vaticinio*, quam eae quae *ex typo Estheris* deducuntur. Et [2]) Isaiae quidem vaticinium tria nobis spectanda exhibet, quorum primum est *accisus et emortuus truncus*, quo Isai domus praesignatur: tum vero *virgula vitae plena ex eo trunco erumpens*, qua secunda Eva et mater Emmanuelis ostenditur: ac tandem *cohaerens cum virgula flos*, qui alius non est nisi flos campi, lilium convallium, semen benedictum, et paucis, Iesus humani generis

1) an. 1018. seqq

2) Is. XI. 1.

Digitized by Google

decus ac redemptor. Sed I. oppositio inter virgam vitae plenam et emortuum accisumque truncum e quo ipsa sobolescit: II. penitissima virgae cum flore copulatio: neque III. haec ab ea diversa quae caussam cum effectu vincit, quaeque exsistit inter mulierem promissam eiusque semen benedictum, talia sunt quae sicuti *ex sese ac proxime* virgam ab iis dividunt quae exsiccata aruerunt, ita eidem origines asserunt vitae plenas, eaque omnino primordia quae promissam mulierem matremque Emmanuelis decerent. Eo igitur Isaiae vaticinium *ex sese ac proxime* spectat, ut promissa mulier eademque θεοτόκος in suis initiis vivens, cumque suo semine naturali habitu iuncta censeatur. Horum vero neutrum est quod hereditariae ferat praevaricationis consortium; eo namque et mors gignitur, et quaevis cum Deo societatis amicitiaeque relatio miserrime abrumpitur. Editum igitur ab Isaia vaticinium immunitatem Deiparae ab originali transgressione, atque immaculatum idcirco eiusdem conceptum *ex sese ac proxime* patefacit. Nescio autem an non idipsum paullo secus expoliri queat, si animadvertatur, *imagine virgae quae ex acciso emortuoque trunco florens erumpit*, alterum *physice* significari, et alterum *theologice* adsignificari: physice nimirum significari Virginis origines ex effoetis ac sterilibus lumbis, theologice vero adsignificari origines Virginis pulcras, venustas, gratiisque cumulatas, easdemque ex stipite corrupto peccatisque vitiato. Sicuti porro physica significatio eo pertinet, ut Deiparae ex Anna et Ioachimo conceptus *intra ordinem physicum* supernaturalis habeatur, planeque dignus qui a maioribus tantopere extolleretur; ita theologica adsignificatio quae priore adumbratur, istud sibi vindicat ut eiusdem conceptus *intra ordinem reparationis et gratiae* novus singularisque existimetur, atque adeo conceptus existimetur filiae Dei et inter mulieres benedictae.

1763. Quem in finem ea pariter conducunt, quae *ex habitu inter Estherem typum ac Deiparam antitypum* necessario evidenterque dependent. Quaestionibus namque sepositis quae expediendae antea erant, quaeque [1]) ad psalmum centesimum decimum septimum referebantur, continenter [2]) ostendimus I. factum liberati Israelis a suprema pernicie, quae illi ex astu et Amani crudelitate imminebat, *umbram* fuisse *typumque* liberationis multo excellen-

1) nn. 1046. seqq. 2) nn. 1057. seqq.

Digitized by Google

tioris, qua universum nostrum genus a morte peccati et satanae captivitate eximeretur. Ostendimus II. egregium par, Mardocheum et Estherem, cuius opera israeliticus populus ruinam evasit, selectum fuisse divinitus ut alterum par illudque longe nobilius, Christum θεάνθρωπον et Mariam θεοτόκον, cui communis salus in acceptis refertur, multo ante praesignaret. Ostendimus III. Estherem, Deiparae typum, et ad avertendam ab Israele cladem caelitus destinatam, non modo regi numquam fuisse exosam et inimicam, sed contra numquam non gratam, ac prae omnibus eo usque acceptam ut audire ab ipso [1]) promeruerit: *quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.* Hinc IV. ostendimus Deiparam, Estheris antitypum, et una cum filio et per filium universalis excidii reparatricem, numquam Deo displicuisse, semper illi fuisse gratissimam, planeque dignam quae ipsius imperio nutuque his verbis recrearetur: *ave gratia plena, Dominus tecum: noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.* Atqui tantumdem ista valent ac Deiparam ab ea fuisse lege solutam quam Apostolus [2]) hisce verbis expressit: *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ratio igitur typi et antitypi, qua Esther ac Deipara ad invicem referuntur, omnino efflagitat ut Deipara immunis a promulgata per Paulum lege censeatur. Sed quid aliud hoc est, quam Deiparam non comprehendi verbis, *et ita in omnes homines mors pertransiit?* Quam Deiparam non comprehendi verbis, *in quo omnes peccaverunt?* Et quam propterea vinculis hereditariae transgressionis Deiparam nullatenus obligari? *Sic igitur prophetico Estheris typo adumbrata fuit Deipara, ut originalis eiusdem innocentia, primordiaque a lege peccati et mortis soluta splendide enituerint.*

1764. Ad quem veritatis splendorem ex iis non minima fiet accessio, quae eodem spectantia [3]) *in evangelio* memorantur. Et re sane vera I. si quae eximia, praestantissima, singularia et prorsus unica *intra genus aliquod* divinitus affirmentur, ea censeri debent priva et omnino eiusmodi, quae intra idem genus comparationem

1) Esther. XV. 12-13.
2) Rom. V. 12.
3) nn. 1072. seqq.

Digitized by Google

non ferant, et ipsum prope rei culmen attigerint. Sed quum Deus per angelum [1]) his verbis Mariam compellavit, *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* non alia *intra genus ambitumque gratiae, tutelae, benedictionis* de ipsa affirmavit quam quae sint eximia, praestantissima, singularia et prorsus unica. Ea igitur intra idem genus ambitumque gratiae, tutelae, benedictionis haberi debent priva et omnino eiusmodi quae quum comparationem non ferant, ad ipsum gratiae, tutelae ac benedictionis fastigium et veluti apicem pervenerint. Sed mirum quantopere a tanta celsitudine distarent, si Virginis primordia occupassent non gratia sed culpa, non caelestis tutela sed reiectio, non benedictio sed maledictum. Ea igitur fuerunt Virginis primordia, quae gratia ac Dei tutela et benedictio occuparint. Eiusmodi autem primordia nonnisi absurde videri possunt infecta et originali naevo maculata. *Virginis igitur primordia fuerunt innoxia, et ab hereditario peccato integra funditus ac soluta.* Ad haec II. divinis verbis nihil subest quod non sit verissimum, nihilque iis effertur cui veritas non adamussim respondeat. Est igitur verissimum quod Deiparae dicitur, *ave gratia plena:* et veritati adamussim respondet quod continuo additur, *Dominus tecum.* His autem duo significantur, hinc quidem *omnimoda gratiae plenitudo eaque extensiva et intensiva,* inde vero *iugis perennisque Numinis tutela.* Asseri igitur Virgini debet tum gratia quae ipsi semper adfuerit, tum Numinis tutela quae ipsam semper protexerit. Sed haec vel sensu carent, vel idipsum *affirmando* denotant, quod *negando* efferimus quum dicimus: *Deiparam numquam fuisse peccatricem, et numquam a Deo desertam sive in suis exordiis, sive in reliquo ad extremum usque stadio, quo innocentissimam vitam absolvit.* Praeterea III. si haec simul in unam quasi summam conspirent, ut quis 1. dicatur ac sit ἁπλῶς et ἐξαιρέτως *gratia plenus:* ut quis 2. hac gratiae plenitudine a reliquis omnibus secernatur: ut quis 3. numquam Dei tutela caruerit: ut quis 4. hac perpetua numinis tutela defensus prae omnibus benedictus idcirco celebretur: eaque 5. ratione benedictus, quae illi proportione respondeat qua Christus θεάνθρωπος benedictus audit; fieri profecto nequit ut quolibet tandem tempore sive peccato infectus, sive a Deo repulsus, sive maledicto obnoxius existimetur. Iamvero quae-

1) Luc. I. 28.

Digitized by Google

cumque omnia enumeravimus in Deiparam perfectissime quadrant, quam sicuti angelus [1]) salutavit inquiens, *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* ita [2]) Elisabeth repleta Spiritu sancto illam compellavit his verbis, *benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Fieri ergo non potuit, ut Deipara tot tantisque cumulata donis, *et gemino benedictionis munere* cum suo semine cohaerens vel culpam originis contraxerit, vel maledicti poenam subierit. Denique IV. nemo est qui facile non assequatur, ea in evangelio expleta et ad suum perducta exitum referri, quae Deus in Genesi benignissime spoponderat. Principio namque in evangelio [3]) *manifestatur* mulieris semen, quod peccati regno regnum iustitiae, et regno satanae ac mortis regnum sufficiat Dei, vitae atque salutis. *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Tum vero in evangelio [4]) *manifestatur* promissa divinitus mulier non astu satanae seducta sed ab angelo salutata eique fidem prudenter habens, non infecta culpa sed gratia plena, non a Deo divisa sed penitissime cum Deo copulata, non maledicto obnoxia sed prae omnibus cum suo semine benedicta, non timore perculsa sed superno favore recreata atque erecta. *Et ingressus angelus ad eam dixit, ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei, ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Hoc autem mutuo rerum habitu luculenter efficitur 1. Mariam, quae in evangelio κατ' ἐξοχήν dicitur *plena gratia*, ipsam esse אישה *mulierem* in Genesi praesignatam: 2. *ea gratiae plenitudine* excelluisse Mariam, quam Eva, inita cum satana amicitia et a Deo avulsa, infeliciter perdidit: proindeque 3. excelluisse Mariam *gratia originali*, quam nulla unquam peccati labes excluserit, nullaeque serpentis fraudes labefactarint.

1765. Iam velim a lectoribus sciscitari, quid ipsi petant quidve flagitent, ut aliquod doctrinae caput in Scripturis revelatum arbitrentur. Petent, credo, aut etiam probationes flagitabunt ex Scri-

1) Luc. I. 28.
2) Luc. I. 41-42.
3) Luc. I. 31-34.
4) Luc. I. 28-31.

Digitized by Google

pturis depromptas, illasque cum perspicuas et certas, tum formales vel hisce aequipollentes aut parallelas ac synonymas. Hoc enim probationum genus illud est, quo consignatae Scripturis veritates deteguntur atque innotescunt. Porro I. ex solis Scripturis deprompsimus quae toto hoc articulo in medium adduximus, et ne una quidem designari poterit propositio a nobis adhibita, quae non fuerit ex Scripturis derivata. Fatendum igitur est, *probationes non esse mixtas sed puras atque ex uno Scripturarum fonte manantes*. Et quidem II. manantes non obscure sed perspicue, non dubie sed certe. Unde enim obscuritas atque incertitudo prodirent? Non aliunde quam ex verbis ambiguae potestatis, aut ex hermeneuticis canonibus non uti par foret statis ac fixis. Atqui canones usurpavimus indubitatos, omnemque verborum ambiguitatem, si qua forte exstitit, ad liquidum definitumque perduximus. *Eas igitur dedimus biblicas probationes, quae perspicuae et extra controversiam positae insito merito videri debent*. Immo III. *quae videri pariter debent, nunc quidem formalibus immediate aequipollentes, nunc vero illis immediate parallelae ac synonymae*. Omnes enim nuda simplicique analysi, aptave locorum collatione efflorescunt sive ex dotibus quae cum praerogativa originalis innocentiae proxime devinciuntur, sive ex dotibus quae aliis nequeunt propositionibus efferri, nisi quae synonymae illi sint ac parallelae, qua decus originalis sanctitatis formaliter significatur. Restat igitur ut his postremo verbis concludamus: merito consignatum Scripturis atque iisdem expressum habetur doctrinae caput, quod biblicis ostenditur probationibus, iisque tum perspicuis et certis, tum formalibus, vel hisce saltem proxime aequipollentibus aut etiam parallelis ac synonymis. Atqui hoc ipsissimo probationis genere ostenditur doctrinae caput, quo augustae Virgini defertur originalis innocentia, quove ipsa exsors originalis transgressionis edicitur.

1766. *Corollarium. Doctrina igitur immaculati Deiparae conceptus iis connumerari debet articulis, qui Scripturarum instrumento consignati leguntur, quosque Christi Spiritus actis divinitus auctoribus in utraque oeconomia veteri novaque patefecit.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De probatione ex testibus repetita: non est illa uniusmodi, sed multis variisque partibus ac prope membris coalescit: singula obiter expenduntur, et probatione in summam collecta, articulus de immaculato Deiparae conceptu firmissime stabilitur.

1767. Probationem *ex instrumentis* derivatam altera excipit *ex testium suffragatione* deprompta, eaque nec minus valida, nec minus ad disceptationem omnem dirimendam accommodata. Negotia enim contentionesque [1]) *aequo iure testibus, instrumentisque* expediuntur; et *quae*, ut [2]) Augustinus loquitur, *nec mente assequi valuimus aut valemus, sine ulla dubitatione credenda sunt testibus.* Quamquam vero testium nomen dignitatemque iis primum [3]) deferamus, qui *patrum* titulo exornantur; nihilominus altero veluti gradu illos omnes eodem albo comprehendimus qui *ecclesiastici scriptores* dicuntur, quique litteris plurima consignarunt quae ad perspiciendam christianam testificationem egregie conducunt. Christiana autem testificatio *septem potissimum modis* deprehendi potest, plenoque in lumine collocari. Deprehendi namque I. potest plenoque in lumine collocari, *si ea obiecti in quaestionem adducti species atque idea investigetur quae testium oculis obversabatur.* Deprehendi II. potest plenoque in lumine collocari, *si ad receptum penes testes loquendi usum advertatur, et in numeratis habeantur apposita, quibus iidem efferre obiectum eiusque illustrare dotes consueverunt.* Deprehendi III. potest plenoque in lumine collocari, *si umbrae atque imagines considerentur, quas ad exprimendum depingendumque obiectum authentici testes apprime idoneas existimarunt.* Deprehendi IV. potest plenoque in lumine collocari, *si ea recolantur instrumentorum effata, quorum accommodatione insitas obiecto proprietates explanandas esse censuerunt.* Deprehendi V. potest plenoque in lumine collocari, *si eorum habeatur ratio, quae a testibus instrumenta enarrantibus aut affirmata aut vicissim negata de obiecto novimus.* Deprehendi VI. potest

1) L. I. C. de testibus c. XI. et lib. V. ff. de fide instrument.

2) Enchirid. cap. IV.

3) an. 1150. seqq.

plenoque in lumine collocari, *si memoria reputentur doctrinae capita, quae testibus rata atque solemnia multiplici intimoque nexu cum obiecto devinciuntur*. Ac deprehendi tandem VII. potest plenoque in lumine collocari, *si diserta testium suffragia, apertaeque enunciationes in unum veluti fascem colligantur*. Quemadmodum enim huc redeunt potiores insignioresque modi, qui ad assequendam testium sententiam non viam modo complanant, sed omnino perducunt; ita indubitata plane eorumdem mens ac doctrina videri debet, quae non uno alterove sed simul omnibus confirmetur.

1768. Iamvero ex hisce modis ne unum quidem facile assignes, quo *ecclesiastici testes* insculptam animis fidem de Virginis primordiis non aperuerint. Singulos quosque leviter attingam, et quod sive cum singulis seorsum sive cum omnibus coniunctim aptum nexumque sit, paucis significabo. Ordiar autem *ab ea idea ac specie*, qua testium mentibus Deipara obiiciebatur. Profecto si illius origines putassent infectas et hereditaria transgressione vitiatas, fieri nullatenus potuisset quin Deiparam contemplarentur non antea exstitisse quam ea fuerit [1]) *innocentiae stola privata, flagitii labe immunda, consortio peccati et ipsa peccatrix, morte animae affecta, irae filia, perculsa maledicto, serva culpae, satanae mancipium, mortisque imperio subiecta*. Haec enim vel *formam* praeferunt contractae originalis transgressionis, vel *effectus* designant qui a contracta hereditaria noxa divelli non possunt. Atqui ex eiusmodi prope lineamentis nullum est, quod *ab idea ac specie Deiparae* maiorum animis obversante non undequaque dissideat. Ea namque [2]) idea fuit ac species *creaturae omnium praestantissimae, a reliquis toto caelo secretae, supra communes leges evectae, miraculis portentisque accensendae, in qua nihil exstiterit sordidi, nihil immundi, quaeque ad divinam puritatem pro creaturae modo quam proxime accesserit*. Idea igitur speciesque Deiparae maiorum animis insita et ab ipsis frequenter expressa talis non est, quae cum persuasione contractae hereditariae labis componi queat.

1769. Cum qua persuasione componi pariter nequeunt *vulgatus penes eosdem loquendi usus, eaque apposita quibus Deiparae ornamenta, praeceptamque animo eiusdem speciem articulatius enarrarunt*. Ecquid enim in epithetis spectari maxime debet? Duo

1) Concil. trident. sess. VI. cap. I.

2) Sect. I. an. 30. seqq.

Digitized by Google

nimirum, cuiusmodi sunt *illorum vis significandique potestas*, tum vero *numerus et copia*. At si de copia et epithetorum numero sermo sit, ea tanta est ut ipsa sermonis supellex prope exhausta videatur. Me namque latet utrum maioribus nostris [1]) plura praesto fuerint apposita sive simplicia sive composita, sive propria sive translata quibus decora Virginis eiusque integerrimam sanctimoniam celebrarent. Sin autem de vi ac significandi potestate quaeratur, vel totus fallor, vel ea talis est quali, ubi de creatura agitur, potior esse nequit. Enimvero si arceri a subiecto debeat quidquid labis est, macularum ac sordium, id fieri aliter nequit quam selectis frequentatisque *negantibus* epithetis, quae eo conspirent. Sed quod genus *negantium appositorum* maiores nostri de Deipara loquentes praetermiserunt? Aut quod non unanimes constanter usurparunt? Rursum si vindicari subiecto debeat quidquid est creatae puritatis, sanctitatis et innocentiae, neque aptius neque validius praestare id licet, quam si praeclarus *affirmantium epithetorum* delectus adhibeatur. At vero quaenam epitheta sive gradu positivo, comparato aut superlato expressa, sive divisa sive cumulata, sive absoluta sive relativa, sive concreta sive abstracta subire mentem valent, quae de Deipara in priscis monimentis non saepissime iterata recurrant? Usus igitur loquendi apud maiores receptus, et frequentata ab ipsis de Virgine apposita eo nos sponte ac necessario deducunt ut his tandem verbis concludamus: *puritatem atque Deiparae innocentiam existimari talem oportere, qualis summa epithetorum prope omnium sive negantium sive affirmantium edicitur*. Hac porro summa innocentia et puritas significatur omnibus expleta numeris, quaeque ad ipsum creatae innocentiae puritatisque culmen pervenerit. Talis ergo tantaque est innocentia et puritas, quae *usu epithetorum* apud maiores recepto comprobatur. Atqui puritas et innocentia cui nihil desit, quaeque omnibus absoluta partibus ad apicem creatae sanctitatis pervenerit, nullas omnino patitur labes sive originales sive personales, sive habituales sive actuales. *Usus igitur epithetorum qui tanta constantia penes maiores invaluit, is est quo Deiparae origines innoxiae, eiusque primordia immaculata declarantur.*

1770. Quae declaratio nova luce perfundetur si ob oculos Scripturarum [2]) typi habeantur, quos pia maiorum eruditio ad ef-

1) Sect. II. nn. 65. seqq.
2) Sect. III. nn. 451. seqq. Praetermissa heic nolim quae habet Mone praefat. ad hymnos latinos medii aevi T. II. pagg. IV-V. « Ex historia testamenti

Digitized by Google

ferendam expoliendamque Virginis ideam adhibendos esse existimavit. Ea namque esse oportuit eiusdem idea ac species, quae non typorum modo praestantiae responderet, sed quae hanc ipsam, *utpote antitypi species ac idea*, non minimum superaret. Hunc enim *excessus* habitum postulat ratio typi et antitypi, neque excellentia prae typo ab antitypi dignitate seiungi potest. At vero *quot qualesque typos* suffragio maiorum usurpatos constat? Numero omnino plurimos, eiusque conditionis ut non exquisitam modo sanctimoniam referant, sed originalem quoque puritatem nullo umquam naevo laesam [1]) repraesentent. Necesse igitur fuit ut idea ac specie Virginis maiorum mentibus affulgente non exquisita solum puritas, verum etiam originalis integritas ac ne semel quidem mortifero halitu afflata exhiberetur. Sed originalis puritas, quamque nulla umquam labes corruperit, non minus ab originali noxa distat ac supremum caelum ab ima terra longissime separetur. *Typi igitur tanta veterum consensione frequentati eam Virginis speciem spectandam sistunt, cum qua nequeas, etsi impensissime velis, hereditariae praevaricationis maculam copulare.*

1771. Quam mutuam pugnam intimumque dissidium ea item confirmat [2]) *Scripturarum ad Virginem accommodatio* cuius tot tamque insignia specimina suis opportune locis adduximus. Principio namque considerari debet, *quo haec ex sese accommodatio pertineat*, deinde vero *quae fuerint ad Virginem oracula Scripturarum translata*. Itaque suprema accommodationis lex efferri sic potest,

veteris probatur, Deum ab aeterno constituisse ut homo redimeretur; quod Christi morte factum est. Itaque arcte inter se cohaeret utrumque testamentum, nam in veteri praedictum est novum, et quod in illo quasi sub aenigmate figurabatur, in hoc revera manifestatum est. Tropologia biblica igitur disciplina dicitur, qua instituimur locos prophetarum et exempla historica veteris testamenti ad vitam Christi eiusque ecclesiae referre et parallelismum utriusque foederis recte intelligere. » Quem quum Faustus negaret, dignus fuit qui ab Augustino his verbis lib. XII. 30. carperetur: « Clamat Faustus oculis clausis nihil se in litteris illis invenisse, quod ad praenuntiationem Christi pertineat. Quid autem mirum, si oculos habet ad legendum et cor ad intelligendum non habet? Qui positus ante ostium clausum divini secreti non fide pietatis pulsat, sed elatione impietatis insultat? Plane ita sit, ita fiat: instatum enim est claudatur superbis ianua salutis. » Pergit Mone: « Cum prophetae Deum hominem futurum praedixerint, aliter hoc fieri non potuit nisi et matris huae mentionem facerent; quare scriptores ecclesiastici primo collegerunt quae aperte de matre Domini nostri dicta sunt (Gen. III. 15., Is. VII. 14., XI. 1., XXXV. 1-2., LXVI. 7. Ierem. XXXI. 22.), ut ex his argumentum haberent et reliqua bene interpretandi quae intellectu difficiliora essent. Inde tropologica illa beatae Mariae epitheta multaeque eius denominationes ortae sunt, quae in hymnis, orationibus, aliisque scriptis deprehenduntur, et quae cuncta ad sacram Scripturam, utpote fontem eorum referenda sunt, nec alia ratione iuste exponi et intelligi possunt. Quod fundamentum interpretationis qui reiicit, erroribus maximis involvitur, cum explicationem qualemcumque et undecumque petitam proferat inutili prorsus labore, cum christiana doctrina non aliunde nisi e semetipsa intelligi et probari possit. »

1) Ibid. nn. 553. seqq.

2) Sect. IV. nn. 506. seqq.

Digitized by Google

ut accomodationis subiectum tale sit, cui Scripturarum verba in se spectata et a ductu sermonis avulsa apte conveniant. E qua lege plane consequitur, *eam maioribus nostris visam esse Deiparam, in quam accommodata Scripturarum testimonia scite quadrarent.* Verum quaenam prae ceteris testimonia maiorum consensus ad Virginem accommodando transtulit? Omnino mentiar si negem testimonia [1]) fuisse tum omnium praeclarissima, et ad exprimendam singularem privamque innocentiam inprimis idonea, tum [2]) illa ipsa quibus sempiterna origo increatae Sapientiae designatur. Sed quid propterea? Dubio procul eam maioribus nostris fuisse Deiparam, qua I. nihil ex universis creatis naturis excelsius, nihilque nobilius: quae II. summo innocentiae puritatisque fulgore nituerit: et cuius III. initia quamdam veluti umbram praetulerint mundissimae sempiternaeque originis, qua e sinu Patris genita Sapientia atque ex ipsa carnem sumptura effulsit. *Si ergo de sententia doctrinaque maiorum ex accommodatis ad Virginem Scripturis iudicetur, necesse prorsus est ut ex eorumdem mente conceptus Virginis purus, eiusque exordia immaculata censeantur.*

1772. De qua veterum persuasione certaque sententia eo minus dubitabimus, *quo accuratius commentarios expenderimus, quibus ipsi Scripturarum effata non iam ad Virginem tantum accommodata, sed ad eam proprie spectantia, singulis ferme aetatibus enarrarunt.* Ecquid enim eiusmodi commentariis tenendum credendumque proponitur? Initio quidem [3]) id totum quod exacta ad statas hermeneuticas leges interpretatione [4]) ex oraculis legis, prophetarum atque evangelii nos ipsi deprompsimus: tum vero hoc ipsum, sed multo [5]) explanatum insignius, iisque auctum cumulatumque splendoribus, qui omnem prorsus umbram depellunt. Quae quidem manifesta adeo sunt ac perspicua, ut nemo qui superiora legerit, ea velit aut etiam possit diffiteri. Sed nemo pariter velit aut etiam possit diffiteri, quum plura omnino sint *Virginis propria* quae ex illis *immediate ac necessario* dependent, duo tamen prae ceteris omnibus eminere, *alterum negans* quo ab eiusdem primordiis quaevis culpae labes funditus arcetur, et *alterum affirmans* quo eiusdem initiis originalis innocentia ac puritas vindicatur. *Maiorum*

1) Ibid. nn. 610. seqq.
2) Ibid. nn. 714. seqq.
3) Sect. V. nn. 881. seqq.
4) Ibid. nn. 887. seqq.
5) Ibid.

Digitized by Google

igitur testificatione ac doctrina, quam tum ipsi in medium protulere quum Scripturarum oracula non ad Virginem utcumque accommodata, sed vere ad eam spectantia commentariis enarrarent; prorsus efficitur negative quidem Deiparae exordia nullo peccati naevo sorduisse, positive vero originali puritate excelluisse.

1773. Ad quam veritatem muniendam roborandamque mirifice conferunt *plurima* [1] *omnino doctrinae capita maioribus nostris rata ac solemnia, et cum praerogativa illaesi conceptus penitissime cohaerentia.* Iuverit namque animo reputasse vix aut ne vix quidem aliqua doctrinae capita reperiri *prorsus sterilia, et e quibus alia atque alia multiplici diversaque ratione non intime dependeant.* Modo enim ex illis dependent *immediate et proxime,* et modo dependent *mediate ac remote:* modo ex illis dependent *ceu effectus ex caussa,* et modo dependent *ceu caussa ex effectu:* modo ex illis dependent *veluti hypothesis ex thesi,* et modo dependent *veluti thesis ex hypotesi:* et ne formas omnes enumerem, modo ex illis dependent *synthetice,* et modo dependent *analytice.* Iamvero quum innumera ferme sint eaque insignissima, quae christiana antiquitas de Virgine frequentavit, iteratisque suffragiis professa est; ex iis omnino plurima [2]) invenimus, quorum nexus cum immaculato eiusdem conceptu tanta perspicuitate fulgebat, ut in oculos illico incurreret, mentisque assensionem procrearet. *Immaculata igitur Virginis exordia eorum accenseri numero debent, quae sicuti ex summa traditae constanter doctrinae sua sponte erumpunt ac necessario efflorescunt; ita vocari in dubitationem nequeunt, quin eadem summa distrahi atque e suis mota radicibus periclitari videatur.*

1774. Cuius periculi eo maior videri gravitas debet, quo maiores nostri non ea dumtaxat passim tradiderunt et unanimes inculcarunt quae illaesum Deiparae conceptum *virtute* continerent; sed in id etiam sedulo incubuere ut *perspicuis verbis sententiisque tum numero plurimis, tum evidentia luculentis* eamdem Virginis praerogativam celebrarent. Atque hanc sane *disertis* formulis [3]) celebrarunt *qua propriis et qua translatis, qua absolutis et qua comparatis, qua affirmantibus et qua negantibus,* adeo ut vix non omnia sollerter tentarint quae ad insitam animis doctrinam aperiendam,

1) Sect. VI. nn. 1150. seqq.
2) Ibid. nn. 1554. seqq.
3) Ibid. nn. 1563. seqq.

Digitized by Google

suaque testificatione persuadendam conducere posse viderentur. *Ea est igitur immaculata conceptio, quae non iis dumtaxat stabilitur quae maiorum traditio virtute complectitur, quaeque ex ratis doctrinae capitibus necessario consequuntur; verum iis quoque ostenditur planeque demonstratur, quae totidem verbis formulisque disertis consignata authenticis monimentis reperiuntur.*

1775. Hactenus *membra partesque compegimus*, quibus probatio immaculati conceptus e maiorum traditione petita componitur et efflorescit. Sed heic video aequissimae illorum interrogationi occurri oportere qui a nobis efflagitent, *sive quod existimari debeat huiusce probationis robur, sive quae censenda sit eius veritatis ratio, quae hac probatione demonstratur.* Ad primum itaque quod spectat, respondemus *usurpatae probationis robur esse omnino validissimum, et quod neque aperta vi infringi, neque tectis dolis labefactari queat.* Hoc enim naturam rationemque induit tum auctoritatis ac testificationis quibus innititur, tum accuratae sinceraeque interpretationis qua suffragia dictaque maiorum accepta fuerint atque enarrata. Si enim res ita comparatae sint, ut hinc quidem auctoritas et testificatio nullam ferant exceptionem, inde vero interpretationi nihil merito possit opponi quo vel ipsa improbetur ut falsa, vel ut anceps in dubitationem adducatur; profecto quae inde emergit probatio, omni ex parte communita sic est ut rata ac plane certissima videri debeat. Atqui horum neutrum in praesentia desideratur: non primum, quum auctoritas et testificatio neque gravior esse possit neque splendidior, sive suffragantium numerus sive testium qualitas considerentur: non posterius, quum interpretatio neque verbis sententiisque fuerit imposita, neque fallaci artificio ex illis expressa, sed ex iisdem aut ex sese atque continuo effulserit, aut idonea modo analysi modo synthesi permanarit. Superest igitur *ut probatio immaculati conceptus ex maiorum testificatione desumpta illarum albo accenseatur, quae quum indubiae atque exploratae sint, certissimam gignunt persuasionem, plenamque fidem compertae veritati conciliant.*

1776. Verum ecquae tandem est haec veritas, quave propositionum classe comprehendi debet? Illarum videlicet classe comprehendi debet, quae I. auctoritate concordique testificatione firmantur, et II. eorum quidem auctoritate concordique testificatione, quos Christus in ecclesia posuit pastores ac doctores, quique III. tum

Digitized by Google

suffragium tulerint mentemque suam patefecerint quum Scripturas interpretarentur, quum has ad materiam quam versabant accommodarent, quum oeconomiam divinae incarnationis humanaeque reparationis expenderent, quum rationem divinae maternitatis illustrarent, quumque intimiora christianae revelationis capita aut fidelibus proponerent aut contra haereticos tuerentur. Propositiones autem ac veritates quae testificatione atque auctoritate *hisce praedita characteribus* firmantur, aciem facultatemque rationis praetergressae ad obiectum revelationis [1]) spectant, et fidei ambitu contentae non tam sciuntur quam fide pioque credulitatis affectu tenentur. Veritas igitur immaculati Deiparae conceptus auctoritate maiorumque testificatione certissime comprobata ad depositum pertinet revelationis, illarumque numero continetur quibus fidei obiectum coalescit.

1777. *Corollarium. Quapropter doctrina de immaculato Deiparae conceptu iis connumerari debet articulis, qui Scripturarum instrumento consignati, multiplici suffragatione maiorum perennique ecclesiae traditione ad nos usque incorrupti, pleniorique in dies lumine nitentes pervenerunt.*

ARTICULUS III.

De probatione immaculati Deiparae conceptus quae cum eiusdem cultu devincta est : huiusce cultus internae externaeque proprietates enumerantur : eiusdem character articulatius definitur, et vis probationis ex eo sumptae describitur diligenterque vindicatur.

1778. Insignis est atque omnino verissima [2]) gravissimorum theologorum animadversio, ecclesiasticas definitiones, declarationes et confirmationes sic apte dispesci, ut aliae sint dicanturque *disertae totidemque verbis expressae*, aliae contra *tacitae et reales potius quam verbales* suo merito nuncupentur. Si quid enim aut diuturna ecclesiae consuetudine viguerit, aut legitima institutione ad fidem, pietatem, cultumque spectante fuerit constitutum, aut tacita ecclesiae scientis neque obnitentis consensione communitum; id *aequiva-*

1) Cf. Melchioris Cani locos theolog. lib. VII. cap. II. conclus. V.

2) E quorum numero memorasse sufficiat cardinalem Iohannem Everardum in exam. theolog. P. I. §. VII., Isidorum a Luce in opusc. de eccles. Dei cap. XIV., Augustinum Matthaeuccium contror. VII. cap. III. et Dominicum Lonada in discuss. theolog. de definibilit. immac. concept. diss. I. q. I.

Digitized by Google

lenter ac realiter propositum declaratumque non iniuria existimatur. Hinc illa [1]) tridentini concilii: « *Ecclesiastica autem consuetudo declarat* eam probationem necessariam esse ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. » Hinc illa synodi constantiensis veluti haereticos eos omnes [2]) condemnantis « Qui dixerint ecclesiam errare *in consuetudine* administrandi populo eucharistiam sub una specie tantum. » Hinc examen a Martino V. praescriptum, quo [3]) haeretici aut de haeresi suspecti non antea in ecclesiae gremium reciperentur, quam interrogati respondissent: « Utrum credant, quod illud sacrum concilium constantiense universalem repraesentans ecclesiam approbavit et approbat in favorem fidei et salutem animarum, quod hoc est a cunctis christifidelibus approbandum et tenendum, et quod condemnavit et condemnat esse fidei et bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum et asserendum. Utrum credant, quod consuetudo communicandi personas laicas sub specie panis tantum ab ecclesia universali observata et per sacrum concilium constantiense approbata, sit servanda, sic quod non liceat eam reprobare aut sine ecclesiae auctoritate pro libito immutare; et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum, tamquam haeretici vel sapientes haeresim sint arcendi et puniendi. » Atque hinc Augustini [4]) doctrina, qua universas ecclesiae consuetudines in tres ferme classes partitus ait: « Ad haec [5]) itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum si divinae Scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus, ut iam non quomodo faciendum sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem *frequentat* ecclesia. Nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae [6]) insaniae est. Sed neque hoc neque illud inest in eo, quod tu quaeris. Restat igitur ut de illo tertio genere sit, quod

1) Sess. XIII. c. VII.

2) Sess. XIII.

3) In bulla, *Inter cunctas pastoralis curae.*

4) Epist. LIV. al. CXVIII. ad Ianuarium cap. V. n. 6. pag. 96. opp. T. II.

5) Respicit ad Ianuarii interrogationes, quibus petierat: «Quid per quintam feriam ultimae hebdomadis quadragesimae fieri debeat, an offerendum sit mane et rursus post caenam, propter illud quod dictum est, *similiter postquam coenatum est*: an ieiunandum, et post caenam tantummodo offerendum: an etiam ieiunandum, et post oblationem, sicut facere solemus, caenandum. »

6) Cuius gravissimae sententiae rationem proposuerat n. 1. pag. 93. his verbis: « Illa autem quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata ac statuta retineri. »

Digitized by Google

per loca regionesque variatur. Faciat ergo [1]) quisque quod in ea ecclesia in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit aut contra mores hinc vel inde meliores. His enim caussis, idest aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quae utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. »

1779. Porro ubi de immaculata Deiparae conceptione sermo instituitur, compertum atque extra controversiam omnino positum haberi debet I. ab antiquissimis [2]) usque temporibus invaluisse, ut immaculata eiusdem origo in Annae sinu una cum sancta ex sinu nativitate *communi religione* coleretur: II. labentibus seculis [3]) factum esse, ut *commune festum* in suas veluti partes explicaretur, *proprioque cultu* tam origo culpae expers in sinu, quam insignis sanctitate nativitas ex sinu *nominatim* celebrarentur: III. singulare propriumque festum immaculatae originis in sinu quibusdam prope gradibus [4]) universam Orientis Occidentisque ecclesiam occupasse, et usu factoque ubique gentium fuisse receptum: IV. ad usum factumque authenticam accessisse [5]) romanae ecclesiae institutionem, et quod consuetudine vigebat, lege etiam ac iure fuisse statutum: et V. nihil deinceps [6]) romanorum antistitum studiis fuisse praetermissum, quod ad hunc cultum honestandum amplificandumque conduceret.

1780. Quum vero ea sit ratio cultus [7]) quae *a suo obiecto seiungi nequit*, neque ratus ille maneat ac fixus, si anceps istud sit atque in ambiguitate versetur; omnem idcirco curam ecclesia adhibuit [8]) ut obiectum cultus quo Deiparae conceptus honoratur, certum prorsus foret et undequaque compertissimum. Eiusmodi namque obiectum numquam aliud fuisse neque porro esse quam naturalem Deiparae in materno sinu conceptionem, tum *ipsa conceptionis voce* ecclesia luculenter expressit, tum uberius formulis sententiisque declaravit, quibus in Missa pariter atque Officio [9]) suam mentem, suamque persuasionem aperuit. Quapropter non primum exstitere,

1) Idipsum docuerat n. 2. pag. 94., et n. 3. Ambrosii suffragio communierat.
2) Sect. VII. nn. 1629. seqq.
3) Ibid.
4) Ibid. nn. 1600. seqq.
5) Ibid. nn. 1616. seqq.
6) Ibid.
7) nn. 1661. seqq.
8) nn. 1683. seqq.
9) nn. 1662. seqq.

Digitized by Google

qui conceptionem *non naturalem sed spiritalem, atque adeo in utero sanctificationem*, ab ecclesia coli affirmarent atque contenderent, quod continuo supremi eiusdem ecclesiae [1]) moderatores praeposteram opinionem reiecerunt, amandatoque sanctificationis vocabulo, nomen ipsum conceptionis ab omnibus sancte adhibendum sua auctoritate praeceperunt. *Invecto autem discrimine primum inter alterumque conceptionis momentum, cultuque ad primum instans revocato*, Alexander VII. litem omnem funditus [2]) diremit.

1781. Itaque distinctis opportune *internis externisque proprietatibus*, quae cultum conceptionis comitantur atque insigniunt; *externarum proprietatum summa* huc facile redit: I. quod haberi dicique cultus debeat a priscis usque seculis *una cum cultu nativitatis ex utero* ubique gentium frequentatus: II. quod haberi dicique cultus debeat qui a cultu nativitatis deinde secretus, tum *proprius* evaserit, tum ad universam qua late patet ecclesiam, instar aurorae ad perfectum usque diem crescentis, semet porrexerit: et III. quod haberi dicique cultus debeat non minus *universalis et lege praeceptus*, quam iis omnibus affatim locupletatus, quae ad decus augendum solemnitatemque conciliandam pertinent. Succedunt *proprietates internae*, quae revocari ad illas commode possunt quas subteximus: I. obiectum impensi decretique cultus esse non conceptionem spiritalem sed naturalem, non sanctificationem sed animationem, non conceptionem pro secundo quod comminiscuntur instanti sed pro primo, *proque ipsa animae creatione atque in corpus infusione*. Hinc II. obiectum esse quod intimo nexu refertur sive ad Christi [3]) verba, *quod natum est ex carne, caro est*, sive ad celebratissimum Pauli [4]) testimonium, *in quo omnes peccaverunt, et per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Nisi enim III. pro certo sumatur initia Deiparae ab hac fuisse lege soluta, naturalis eiusdem conceptio atque animatio neque obiectum cultus existimari potest, neque digna quae pietatis obsequiis honoretur. Haec autem IV. a communi lege immunitas, atque haec praerogativa qua Virgo in suis primordiis suaque animatione a contrahenda originis labe exempta fuerit, singularique gratiae munere praeservata, non sunt eiusmodi quae aut humanis indiciis certo

1) nn. 1696. seqq.
2) Constitut. *Sollicitudo omnium ecclesiarum* edit. die VIII. Decembris an. MDCLXI. §. II.
3) Ioh. III. 6.
4) Rom. V. 12-18.

statui, aut promptis e ratione coniecturis firmari valeant. Reliquum est igitur V. ut eodem lumine innotescant, quo perfusi infectam ceterorum omnium conceptionem indubitata fide tenemus. Quare VI. *ad internas obiecti quod colitur proprietates spectat, ut illud nonnisi divina revelatione cognoscatur.*

1782. Praeiecimus quae ad probationem eiusque vim assequendam necessaria aut opportuna visa sunt, nihilque praeterea restat nisi ut de probatione ipsa iudicemus. Hanc autem talem esse, *qua sententia immaculati conceptus extra dubitationem collocetur ac plane infallibilis ostendatur,* multiplici eaque evidenti ratione conficitur. Et primum eo argumenti genere conficitur, quod *ad hominem* appellant. Theologus enim eruditus idemque in contrariam opinionem non obscure propensus Dominicus Gravina litem omnem dirimi posse [1]) censuit hoc epiphonemate: « Proferant adversarii absoluto cultu tamquam ad primarium obiectum propositam immaculatam et praeservatam, *et iam caussa finita erit.* » Atqui quum neque pauca neque dubia sint quae [2]) protulimus ut expertem labis Deiparae conceptionem veluti proprium cultus obiectum ostenderemus, haec inter decretoria prorsus est [3]) Alexandri VII. declaratio. Caussa igitur finita est, et praerogativa immaculati conceptus ad illorum evecta dignitatem, quae negari citra errorem nequeunt. Ac merito sane, Thoma namque [4]) auctore « In ecclesia non potest esse error [5]) damnabilis; sed hic error esset damnabilis si veneraretur tamquam sanctus qui fuit peccator. » Et [6]) rursum: « Superstitio et impietas magna est exhibere cultum cui non debetur, vel eo modo quo non debetur. » Iamvero res est historice explorata, consensione totius christiani nominis certa et solemnibus romanorum pontificum declarationibus munita, conceptionem Deiparae veluti sanctam celebrari, eidemque pium cultum ab universa ecclesia deferri. Nisi ergo sancta foret, *errore damnabili* laboraret ecclesia, et *superstitione magnaque impietate* vitiaretur. Haec autem sunt blasphema, et a symboli professione christianisque auribus tantopere abhorrent, ut ne patienter quidem audiri

1) De catholic. praescriptt. T. II. q. VI. a. III.
2) nn. 1681. seqq.
3) nn. 1695. seqq.
4) Quodlibet. IX. a. XVI.
5) Vulgo thomistae cum Iohanne a sancto Thoma II. II. disput. IX. a. III. *errorem damnabilem* interpretantur doctrinam damnabilem et cum errore coniunctam.
6) S. II. II. q. LXXXI. a. IV.

Digitized by Google

valeant. Non minus ergo certa est immaculata Deiparae conceptio, ac certum et prorsus infallibile sit ecclesiam neque errore damnabili laborare, neque posse superstitione magnaque impietate vitiari. Ad haec, Urbanus VIII. *volens* [1]) *abusibus pro debito officii pastoralis occurrere* non modo publicum omnem cultum prohibuit, sed signa quoque omnia interdixit quibus cultus aliis ac iis tributus videretur, qui in beatorum sanctorumve album non iam essent suprema auctoritate relati. Sed quae tandem caussa Pontificem tantopere commovit, eoque impulit ut hanc disciplinae severitatem praefiniret? Quod [2]) ratum eidem esset, nullam sanctitatem *nisi certam, a quolibet erroris periculo liberam et infallibili auctoritate probatam* posse in ecclesia publico cultu religiosisque officiis honorari. Praeclare. At enimvero ecclesia quin festum conceptae Deiparae prohibuerit, signaque vetuerit quae tributum eidem cultum praeseferrent; nihil, contra [3]) non egit quo solemnitatem augeret, signaque obsequii et cultus modis omnibus amplificaret. *Consequitur ergo sanctitatem conceptionis esse certam, indubitatam, infallibilem, utpote infallibili auctoritate, sin minus verbis certe factis declaratam.* Et re sane vera accidere nullatenus potest, ut in iis ecclesia erret quae ad mores vitamque pertinent. Horum autem ambitu [4]) comprehenduntur instituta festa, publicus cultus, solemniaque officia. Accidere ergo minime potest ut in his ab eo quod

1) Decret. edit. anno MDCLV. quo praeter alia *declaravit, statuit ac decrevit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama, quantacumque illa sit, defunctorum imagines, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, apponantur.*

2) Hae namque sunt caussae, quas ipsemet Pontifex adducit.

3) Hoc autem eo quoque nomine confirmatur, quod nequeat ecclesia *tamquam exemplar sanctitatis puritatisque in nobis exprimendum proponere, quod neque sanctum sit neque purum.* Hoc enim semel admisso, nihil impediret quominus ecclesia in praefiniendis vitae morumque normis ab iusto honestoque discederet. Hinc illa Thomae ex Quodlibeto XIX. cap. IV., ubi recitata iuris formula, *nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicae sedis decreta temerare*, pergit: « Cum ergo per apostolicam sedem religiones aliquae institutae sint ad praedicta *(ut nimirum sint christianae perfectionis typus)*, *manifeste se damnabilem reddit quicumque talem religionem damnare conatur.* » Nihil porro evidentius quam Deiparae conceptionem ab ecclesia proponi veluti exemplar et archetypum innocentiae ac puritatis, quam fideles in seipsis diligenter exprimant. Ita enim proponitur in secreta Missae ordini seraphico unitatae et a romana ecclesia comprobatae, in qua exoratur Deus *ut sicut ipsa, tua gratia praeveniente, mundo hodie immunis apparuit; ita ipsi mundam de tuae matris munere, te concedente, exhibeant gratiarum actionem.* Ita in Officio proponitur auctoritate Sixti IV. ordinato ac recepto: « Deus qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, concede quaesumus, ut sicut ex morte eiusdem Filii qui praevisa eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. » Neque aliter proponitur in simili Officio quod Pius IX. universae ecclesiae concessit. Nihil ergo evidentius quam innocentiam puritatemque conceptae Deiparae eorum numero comprehendi, quae falsa esse non possunt.

4) Est id ex sese atque omnium suffragatione certissimum, iisque praeterea confirmatur quae s. Pius V. in Bulla, *Quod a nobis postulat*, romano Breviario praefixa tradit.

verum sanctumque est, ecclesia deflectat. Sed a vero sanctoque plane deflecteret, si falsa essent quae institutione festorum, publici cultus, solemniumque precum declarat. Accidere ergo nequit ut cum errore iuncta sint, quae hac *reali* ecclesiae declaratione continentur. Sed instituto conceptionis festo, eiusque cultu novis in dies honoribus privilegiisque locupletato, etsi non verbis, *realiter* tamen declaravit ac declarare pergit ecclesia, celebrari conceptionem sanctam, et animationem puram atque hereditariae labis expertem. Accidere ergo nequit ut huic declarationi subsit error, atque accidere proinde nequit ut falsum sit vel conceptionem Deiparae non fuisse sanctam, vel eiusdem animationem non fuisse immaculatam. Porro quod ex infallibili declaratione falsum esse non potest, id insito merito infallibile nuncupatur. *Ad veritates* [1]) *ergo infallibiles pertinet sanctitas conceptae Deiparae, eiusque immunitas ab originali praevaricatione.*

1783. Quod iis anceps nullatenus videbitur, qui ad haec [2]) aurea prorsus Leonis verba animum adverterint: « Verum quia Spiritus sapientiae et intellectus ita apostolos et totius ecclesiae erudivit magistros, ut in christiana observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum; discernendae sunt caussae solemnitatum, et in omnibus institutis patrum principumque nostrorum rationabilis servanda distinctio: quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus [3]) docet, *idipsum dicamus omnes, simus autem perfecti in eodem.sensu et in eadem sententia.* » Supremus ergo atque invisibilis illorum auctor quae ad cultum pertinent, quaeque institutis solemnitatibus declarantur, is est *Spiritus sapientiae et intellectus*, qui uti primum erudivit apostolos, ita deinde erudivit ac erudire continenter pergit totius ecclesiae magistros, *ut in christiana observantia nihil sit inordinatum nihilque confusum, atque ut ex omnibus unus exsistat grex et unus pastor.* Quis vero ausit aut errori obnoxia contendere, aut infallibilia ne-

1) Quod efferri presius sic potest. Propositio rite deducta ex antecedentibus certis et infallibilibus, certa est atque infallibilis. Sed propositio de immaculato Deiparae conceptu ex antecedentibus certis iisdemque infallibilibus rite deducitur. Fluit enim ex hisce antecedentibus: I. quod errare ecclesia nequeat in declaranda sanctitate, quam universim fidelibus cultu publico honorandam proponit ac praecipit: et II. quod universis fidelibus sanctitatem conceptionis Deiparae cultu publico honorandam proposuerit ac praeceperit. Atqui alterum ex antecedentibus constat evidentia historica, et constitutione Alexandri VII. indubitatum redditur: primum vero dogma est orthodoxia theologis solemne, quodque nemo citra gravissimam censuram inficietur.

2) Epist. XVI. al. IV. ad universos episcopos per Siciliam constitutos, cap. II. pag. 718.

3) I. Cor. X. 10.

Digitized by Google

gare quae *a Spiritu sapientiae et intellectus* tamquam ab auctore supremo proficiscuntur?

1784. Quamquam re paullo inspecta penitius, obvium erit intelligere *praerogativam immaculati conceptus ad infallibiles veritates ita spectare, ut ad veritates pariter divinitus revelatas ipsa pertineat.* Et re sane vera expendantur huiusce praerogativae *obiectum et materies.* Illa prorsus continentur hinc quidem derogatione universalis legis, qua omnes Adae posteri hereditaria culpa inficiuntur, inde autem eximio singularique modo [1]) quo fuerit Deipara a Christo servatore redempta. Neque enim tanta cultus solemnitate declarari ab ecclesia infallibiliter potuit, conceptum Deiparae a quavis fuisse labe solutum, quin simul infallibiliter declararetur, ad Deiparam quod attinet, derogatum fuisse legi qua universalis amplitudo hereditariae transgressionis promulgatur, et novum singularemque invectum redemptionis modum, quo ipsa non tam erigeretur a lapsu quam ab eodem misericorditer praeservaretur. Sed quae lux ecclesiae adfuit aut etiam adesse potuit, cuius ductum ipsa sequens infallibiliter cognosceret tam miram universalis legis derogationem, tamque mirum redemptionis modum? Non alia profecto quam divina, quaeque ex superna revelatione emicarit. Quae enim eiusmodi sunt, aut hoc lumine innotescunt, aut aliud frustra quaeritur quo infallibiliter innotescant. Cognitio igitur immaculati conceptus, et iuncta cum eadem cognitio sive derogatae universalis legis de diffusa hereditaria labe in omnem Adami posteritatem, sive eximiae singularisque redemptionis qua Deipara fuerit ab excidio praeservata nonnisi supernae revelationi tribui atque in acceptis referri debet. Infallibilis autem declaratio quam lumine supernae revelationis praelucente ecclesia ediderit, veritatem exhibet quae infallibilis et caelitus revelata iure quam qui optimo existimatur. *Praerogativa igitur conceptionis quam nulla originis culpa deturparit, iis inscribatur veritatibus oportet quae infallibiles sunt divinaque revelatione manifestantur.*

1785. *Corollarium. Itaque doctrinae de immaculato Deiparae conceptu duae ex aequo insunt dotes, ac duo pariter ornamenta*

1) Exploratum namque est quod tradit Thomas in S. I. II. q. LXXXI. a. III: «Dicendum, quod secundum fidem catholicam firmiter tenendum est, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adamo derivati peccatum originale ex Adamo contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione.» Utique contrahunt *actu* vel *debito*, atque adeo redemptione indigent *vel salvante vel praeservante.*

Digitized by Google

conveniunt, quorum primum est ut ipsa habeatur caussa facti in ecclesia solemnis, cuiusmodi est cultus universalis idemque praeceptus: alterum vero ut ex hoc eodem cultu universali praeceptoque vera, infallibilis, caelitusque revelata manifestetur.

ARTICULUS IV.

De probatione quae ex fidelium consensu derivatur: multiplices huiusce consensus proprietates ac dotes quibus eiusdem probandi robur communitur: enumerantur atque expoliuntur: ratio deductae probationis expenditur et theologorum patrumque auctoritate confirmatur: duplex exceptio: utraque refellitur, et probationis fides denuo vindicatur.

1786. De iis loquens [1]) Augustinus quae ad liberam humanae voluntatis facultatem, solutamque a necessitate electionem referuntur, scribit: « Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? » Porro nemo nobis vitio verterit, si haec ipsa aut hisce adamussim germana de ea consensione iterando contenderimus, qua universum orthodoxorum nomen ubivis terrarum immaculatam colit Deiparae conceptionem, primamque eiusdem originem et in materno sinu exsistentiam puram illibatamque profitetur. Si quid enim haberi testatum potest, me quidem fugit [2]) an quidquam hac suffragatione testatius proferri queat.

1787. Cuius suffragationis ratio liquidior erit, eiusque virtus ad gignendam fidem splendidius enitescet, si potiores quibus insignitur dotes, nobilioresque proprietates quibus ferme componitur, cura aliqua perpendantur. Itaque *omnium prima se nobis ea dos offert, quae illorum inhaeret characteri qui conspirant atque in unam eamdemque mentem linguamque conveniunt.* Ecqui enim hi sunt? An forte ii qui in tenebris versentur, qui in suis evanuerint cogitationibus, qui viam veritatis non noverint, quique errori ac fallaciae turpiter famulentur? Immo sunt quibus splendor

1) De duabus animabus contra manichaeos cap. XI.

2) Iam inde a seculo XVII. Alexander VII. in constitutione, *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, affirmare non dubitavit, *fere omnes catholicos piam sententiam complecti.* Incredibile autem dictu est quot quantaque deinceps ea persuasio incrementa ceperit: iam late pervagata est, ut aegre unum alterumve reperias qui animo dissideat.

Digitized by Google

veritatis illuxit, qui vocem Patris audiverunt, qui sunt edocti divinitus, qui Spiritus unctione erudiuntur, qui eum sectantur cui illud competit, *ego sum veritas*, qui Christi corpus efficiunt, qui conspicuum Dei regnum componunt, qui sunt populus acquisitionis et regale sacerdotium, qui veluti lapides vivi in augustum Dei templum consurgunt, et e quibus coalescit ecclesia adversus quam portae inferi non praevalebunt, quum ipsa sit credaturque columna et firmamentum veritatis. *Eximia est igitur conditio et nobilissimus eorum character qui facto verbisque in id unanimes concurrunt, ut conceptionem Deiparae immaculatam testentur.*

1788. Quam praeclaram dotem *altera excipit ex incitamentis profecta, quae ad fidelium consensionem vel gignendam vel mirifice promovendam amplificandamque contulerunt.* Horum namque numero iure censentur I. adprobatae [1]) catecheses, quibus doctrina immaculati conceptus proponitur: II. publicus [2]) cultus ac solemne immaculatae conceptionis festum, illudque non modo permissum, non modo commendatum, sed lege [3]) indictum graviterque praeceptum: III. erogatae [4]) ex ecclesiae thesauro indulgentiae, quibus ii ditescerent qui immaculatum Deiparae conceptum pie venerarentur: IV. publicae stataeque preces, quibus [5]) aut conceptus Deiparae celebratur immaculatus, aut Deus per immaculatum Deiparae conceptum exoratur: V. mira portentaque [6]) divinitus edita, quae

1) Quemadmodum Clemens VIII. in constitut. data Ferrariae XV. Iulii an. MDXCVIII. probavit libellum doctrinae christianae a cardinali Bellarmino elucubratum et in duos partes divisum, praecepitque ut in urbe eiusque districtu ille idem adhiberetur: et quemadmodum Urbanus VIII. in constitut. edit. XXII. Februarii an. MDCXXXIII. Indiarum orientalium missionariis iniunxit, ut christianam doctrinam parvam, magnamque, auctore Bellarmino, frequentarent; ita Benedictus XIV. in constitut. edit. VII. Februarii an. MDCCXLII. universae ecclesiae summopere commendavit, ut eadem doctrinae institutio ubique locorum usurparetur. Quare sacra congregatio de propaganda fide nihil intentatum reliquit, ut Bellarmini catechismus in omnes prope linguas verteretur: plurimae autem synodi in Gallia, Polonia, Italia editis legibus decreverunt, ut hic idem catechismus communi usu receptus invalesceret. In hoc autem catechismo, ut suo loco vidimus, praerogativa immaculati conceptus luculentissime affirmatur.

2) De cultu immaculatae conceptionis recolantur quae diximus nn. 1600. seqq., quaeque ostendunt illum penes Orientales iuxta et Occidentales ab antiquissimis usque temporibus fuisse receptum.

3) Videsis Clementis XI. constitut. dat. VI. Decembris an. MDCCVIII.

4) nn. 1699. seqq.

5) nn. 1697. seqq. Adde quanascribunt Gaspar Astete in libro de modo recitandi rosarii, edit. Salmant. an. MDLXXVIII. pag. 59, Iosephus Stephanus Valentinus in defens. sacri rosarii edit. Romae anno MDLXXXIII. pag. 197., Iohannes Rebellius in op. de rosario ss. Virginis T. II. lib. II. cap. XXIV. pag. 217. edit. Ebora an. MDC., Hippolytus Titi in thesauro quatuor Urbis ecclesiarum edit. Romae MDC., Stephanus Binet in lib. devot. ad b. Virg. edit. Atrebati an. MDCXIX. pag. 296., et Antonius Rosado in laudem ss. rosarii edit. Ulisipp. an. MDCXXII. p. 385., et e quibus innotescit, iampridem in universa ferme catholica ecclesia viguisse ut in litaniis Deus *per immaculatam Virginis conceptionem* exoraretur.

6) Cf. Strozzium in controv. de concept. lib. IX. cap. XXII., Budriolium in opusc. cui titulus, *La madre di Dio preservata dalla peste del peccato originale, convenientissima preservatrice e liberatrice dalla peste si dell' anima che del corpo*, An-

cultum immaculati conceptus caelo gratum ostenderent: VI. vota emissa et ab iis [1]) qui religioni praesunt confirmata eam tuendi Deiparae praerogativam, qua exsors hereditariae labis adstruitur: VII. patrocinium Deiparae sub titulo immaculati conceptus a civitatibus, provinciis regnisque tum instanter [2]) postulatum, tum legitime obtentum: VIII. religiosi ordines [3]) instituti, et [4]) templa altariaque erecta, ut immaculatus Deiparae conceptus honoraretur: IX. theologicarum facultatum praeclara [5]) conspiratio, qua sibi doctrinam de praeservata Deipara ab originali noxa tuendam illustrandamque susceperunt: X. Suffragia [6]) virorum prope omnium ab

tonium Gravois de ortu et progressu cultus ac festi imm. conceptus art. XXI., et omnium primum Iohannem de Segovia ad calcem operis inscripti, *Allegatt. septem.*

1) Insignia hac de re habent Ludovicus Crespi in propugn. theolog. definibil. piae sententiae pag. 329., Antonius a Treio episcopus carthaginen. orat. IX. n. 45., Ignatius Como diss. de certitud. imm. concept. sess. VII. et Dionysius Bernardus de Moraes animad. crit. in Lampridium animad. IX. n. 7. et animad. XXIV. n. 55.

2) Cf. Gravois op. cit. in app. et in summario nn. XXXI-XXXII.

3) nn. 1695. seqq. Legi quoque debet Gravois in summario nn. XV-XXXIV.

4) nn. 1607. seqq.

5) Speciminis gratia statutum referam academiae parisiensis edit. anno MCDXCVII. et iteratum an. MDCCXXXVI., in quo post alia sane gravissima legimus: «Cum proximo seculo quaestio de puritate conceptionis felicissimae Dei et Domini nostri Iesu Christi genitricis Mariae solito frequentius agitari coepisset, Spiritu sancto scilicet eius rei veritatem aliquando propalari volente; diligentius utriusque partis librati rationibus, primum pro tempore (*maiores nostri*) suum prudentissime suspenderunt iudicium. Demum in eam partem inclinatiores quae Virginis gloriae et puritati adstipulari videbatur, ita eorum vanissimam temeritatem disputando confutaverunt qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuisse conceptam obstinate contendebant, ut contrariam quaestionis partem quae Virginem dum conciperetur, speciali Dei munere ab originali macula fuisse immunem affirmat, et pietati et fidei et rectae rationi et Scripturis divinis valde quadrantem decernerent.» Et illico: «Quae sententia paucos post annos in sacro basileensi plenario concilio post longam eius quaestionis disputationem, gravissimamque deliberationem, Spiritu sancto inspirante placuit ut eam tandem doctrinam quae beatissimam Dei genitricem Mariam cum conciperetur, ab omni prorsus peccati originalis labe, speciali singularique Dei gratia fuisse liberam, asseruerit et docuerit, tamquam piam, ecclesiastico cultui, fidei catholicae, rectae rationi et Scripturae sacrae consonam, ab omnibus catholicis approbandam, amplectendam et tenendam definierit, contrariamque assertionem deinceps doceri, defendique sub interminatione divini iudicii vetuerit. Quod sanctum synodi decretum cum omnium ecclesiarum, tum etiam totius populi christiani iudicio, consensu ac religione comprobatum confirmatumque videamus; non possumus quorumdam vanam superbiam, temerariam insanamque obstinationem non admirari, non indigne molesteque ferre, qui hoc nostro adhuc tempore eiusmodi piam et religiosam doctrinam, universalis synodi et ecclesiae (quae iuxta Christi promissionem errare non potest) iudicio auctoritateque probatam, aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verentur, implacabile impiissimumque bellum adversus piissimae Dei genitricis eximiam dignitatem gerentes.» Hinc subditur: «Quorum furori ut alacrius fortiusque occuramus atque resistamus, pro nostra professione, ordine et gradu maiorum nostrorum vestigia sequentes, universi tertio congregati post multam, gravem et maturam deliberationem in eius piissimae doctrinae, quae benedictissimam Dei matrem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse praeservatam affirmat, quamque lampridem veram credidimus et credimus, defensionem ac propugnationem speciali sacramento coniuravimus nosque devovimus. Statuentes ut nemo deinceps sacro huic nostro collegio adscribatur, nisi se huius religiosae doctrinae assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili iuramento profiteatur.»

6) Horum syllogen omnino locupletem dabit Gravois op. cit. in summario n. XXXV. En quae leguntur in officio s. Petri Pascasii adprobato XXIV. Martii an. MDCCXXIX: «Petrus quod sine labe Mariam in sua conceptione defendit, sine macula est ante thronum Dei. Almo repletus lumine Mariam in origine puram sanctamque praedicat, nullo foedatam crimine. Exultans spiritus Petri in Deo magnificavit Mariam matrem Domini Iesu, quam glorificavit dicens: tota pulcra es, amica mea, et macula originalis non est in te.»

Digitized by Google

aliquot seculis pietate florentium et beatorum sanctorumque honoribus insignium, quibus nihil antiquius fuit quam praerogativam immaculati conceptus venerari: XI. universalis quaedam improbatio oppositae doctrinae, quam christianae aures [1]) non ferunt, quaeque mulctari idcirco silentio [2]) debuit. Tandem XII. singularis et constans favor, quo romana inprimis [3]) ecclesia pietatem et immaculatum virginis conceptum auxit sententiamque de eiusdem praeservatione prosequuta est.

1789. Ab his autem vulgatioribus incitamentis seiungi alia nequeunt paullo illa quidem secretiora, attamen neque vera minus neque minus efficacia. Ad quam classem omnino pertinent I. idea [4]) ac species Virginis in ecclesia semper proposita, iisque depicta coloribus qui omnem peccati umbram longissime arcerent: II. loquendi [5]) usus in ecclesiastícis monimentis de Virgine receptus, iisque constans appositis cum quibus nihil non facilius quam cuiusvis peccati labes sordesque componas: III. imagines ac [6]) typi ad innocentiam sanctitatemque Deiparae adumbrandam solemnissime frequentati, et quibus locus plane nullus contagio peccati relinquitur: IV. ea ad Virginem [7]) Scripturarum accommodatio, qua illi puritas et sanctitas quavis creata maior, et cum ipsis conserta originibus defertur: V. eiusmodi Scripturarum [8]) interpretationes ab ecclesiae magistris uno veluti ore constanter propositae, quae Virginem exhibent a peccato, peccati auctore et maledicto semper divisam, ac vicissim cum gratia, gratiae auctore, supernaque benedictione semper coniunctam: VI. doctrinae capita numero plurima [9]) passim iterata et cum gravissimis christianae professionis articulis penitissime cohaerentia, quae nunc evidentius nunc subobscurius, et nunc propius nunc remotius Deiparam ab hereditaria praevaricatione liberam solutamque demonstrant: VII. repetita [10]) saepius et omnibus prope seculis in maiorum libris et in doctorum cathedris testimonia, quibus Deiparae omnimoda innocentia eaque

1) Qua de re testes sunt Pontifices propemodum omnes, qui post Sixtum IV. de cultu, deque sententia immaculati conceptus decernendum aliquid existimarunt: testes sunt civitatum, provinciarum, regnorumque annales: et testes sunt theologi qui causam immaculati conceptus propugnandam susceperunt.

2) Hoc factum praesertim novimus auctoritate atque decretis Pauli V., Gregorii XV. et Alexandri VII.

3) De quo art. seq.

4) nn. 30. seqq.

5) nn. 65. seqq.

6) nn. 451. seqq.

7) nn. 590. seqq.

8) nn. 881. seqq.

9) nn. 1150. seqq.

10) nn. 1580. seqq.

Digitized by Google

originalis asseritur: VIII. multiplices synodorum [1]) declarationes, quae immaculati conceptus praerogativae non leviter patrocinantur: ac tandem IX. instinctus [2]) quidam divinus, caelestisque afflatus quo acti edoctique fideles animum semper praetulerunt ab iis alienissimum, quae a contracta originis culpa penitus indivisa, veluti totidem fidei dogmata essent habenda, si ipsa quoque Deipara in hereditariam praevaricationem offendisset. Atque eiusmodi profecto sunt quae subdimus, *Deiparam quum primum ipsa exstitit, fuisse Deo inimicam, satanae mancipium, peccato corruptam, irae obnoxiam, perculsam maledicto caeloque indignam.*

1790. Consensio hisce nominibus illustris non minorem ex eo lucem mutuatur, *quod antiquitatis nota indicioque praecellat.* Sane eiusmodi consensio *pro duplici eiusdem stadio* considerari potest, pro eo primum quod dicemus *implicitum*, ac pro eo deinde quod *explicitum* nuncupabimus. Si *pro stadio implicito* consideretur, nullae eidem assignari origines possunt, nisi quae *secretioribus incitamentis* conveniunt, quaeque cum ipsis christianismi exordiis [3]) copulantur. Sin vero consideretur *pro altero stadio eodemque explicito*, distinctione rursum opus est: vel enim spectatur consensio

1) De hisce synodorum declarationibus praeter ea quae suis locis dedimus, iuverit consuluisse Antonium Gravois op. cit. art. V. et in summario n. II. Profecto Iohannes de Segovia theologus salmanticensis allegat. VII. basileensi synodo exhibita pag. 345. de immaculata Deiparae conceptione an. MCDXXXVI. scribebat: «Cum eam fere ubique locorum cunctus celebret populus christianus, romana ecclesia et generalia concilia, aitque solemniter et authentice connumerata inter maiores festivitates sanctae ecclesiae catholicae.» Quibus haec respondent ex avisamento VI. ad eamdem synodum pag. 519: «In tantum iam multiplicata est, ut celebretur iam fere in omni provincia aut dioecesi religionis christianae. Quodque tribuit auctoritatem magnam, ecclesia romana eam celebrat; maximam autem, quod generalia concilia; et quod omni plenum validitate, quia celebratur frequenter in divino cultu, nominando eam expresse *sanctam conceptionem.*» Tum haec ex avisamento VII. pag. 524.: «Quantum ad primam partem intelligendum est, quod celebritas huius festivitatis fuerit iam in ecclesia Dei celebrata a plusquam trecentis annis. Et ad hoc quod allegabant celebrari non debere eo quod romana ecclesia non celebrabat, iam a tanto tempore cuius initii memoria hominum non est in contrarium, hanc festivitatem ecclesia romana celebrat sexto idus Decembris. In generalibus conciliis quae celebrata sunt a triginta annis, et permaxime in hac sancta generali synodo basileensi, ipso die ad celebrandam dictam festivitatem solemniter conveniunt patres in vesperis et missa, fitque sermo iuxta condecentiam festivitatis, laudando sanctam fuisse conceptionem, et absque ulla culpabili macula originalis peccati.» Hinc de cardinali arelatensi, qui basileensi conventui praeerat quum an. MCDXXXIX. decretum pro immaculata conceptione ederetur, quique a Clemente VII. beatorum fastis adscriptus fuit, in quinta officii lectione apud Bolland. T. V. Septembris pag. 436. dicitur: «Immaculatae conceptionis virginis Mariae acerrimus defensor festum eiusdem conceptionis sexto idus Decembris in ecclesia *(arelatensi)* summo cum honore celebrandum curavit.»

2) nn. 1705. seqq. Quapropter Iohannes Trithemius exeunte seculo XV. in tract. de laudibus s. Annae cap. VII. scribere non dubitavit: «Ecce conceptionem Dei genitricis sine macula puram veneratur ecclesia, ecce festum celebrat devotione annua; et homines capitosi eam temeraria praesumptione maculare laborant. Omnes diversorum pene ordinum religiones puriesimam semper extitisse confitentur, quos damnare velle tamquam errent, extremae dementiae est.»

3) Haec enim sunt quae sex prioribus sectionibus proposuimus, quaeque a primordiis christianae institutionis divelli nequeunt.

Digitized by Google

nude explicita, vel consensio *explicita simul et facto cultus solemnitatisque expressa*. Iamvero *consensio nude explicita* ad remotissimam assurgit aetatem, et quemadmodum vix ullum suppetit tempus e quo adduci [1]) testimonia nequeunt quibus adprobetur; ita vix ulla adest regio e qua testes apprime idonei evocari non possint. At vero *consensio tam explicita quam cum facto cultus intime sociata* duo praefert exordia, alterum [2]) illi coaevum quo Deiparae natales celebratos novimus, et alterum [3]) quo ipsa nominatim conceptio honorari coepta est. Utrumque porro exordium vetustissimum est, et ad florentissimam patrum aetatem iure optimo revocatur. *Antiquitas ergo consensus de immaculato Virginis conceptu ea seculorum veluti canitie excellit, qua morosiorum etiam vota expleri affatim posse videantur.*

1791. Profecta a remotissimis aetatibus consensio, et iampridem facto cultus validius roborata *sic iugiter* [4]) *crevit, obiectisque difficultatibus* [5]) *in dies profligatis ac devictis ad eam pervenit amplitudinem, ut unanimis tandem atque universalis evaserit.* Qua mirifica progressione relataque de difficultatibus victoria perspicue monemur, ut ad consensum de Virgine hereditariae labis experte ea traducamus quae de ecclesia eiusque incrementis Gamaliel [6]) verissime usurpavit: *si est ex hominibus consilium hoc opus dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis solvere illud.* Ut ea deinde traducamus, quibus [a]) Cyrillus hierosolymitanus divinam ecclesiae indolem patefacit inquiens: « Quae quum prius sterilis fuerit, nunc est numerosae prolis parens. » Et [b]) mox: « Quae quidem *(ecclesia)*

a) Catech. XVIII. §. XXVI. pag. 298. A. Ἡ πρότερον μὲν στεῖρα, νῦν δὲ πολύτεκνος.

b) Ibid. §. XXVII. pag. 298. B-D. Ἡ τις διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν, διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, πρότερον μὲν ἐν διωγμοῖς καὶ θλίψεσι, τοὺς ἁγίους μάρτυρας τοῖς τῆς ὑπομονῆς ποικίλοις καὶ πολυάνθεσιν ἔστεψε στεφάνοις· νυνὶ δὲ ἐν καιροῖς εἰρήνης, θεοῦ χάριτι, τοῦ τῆς ὀφειλομένης ἔχει τιμῆς ὑπὸ βασιλέων καὶ τῶν ἐν ὑπεροχαῖς ὄντων, καὶ παντὸς ἀνθρώπων εἴδους τε καὶ γένους· βασιλέων μὲν τῶν κατὰ τόπον ἐθνῶν τῆς ἐξουσίας ὅρους ἐχόντων, μόνης δὲ τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἀπεριόριστον ἐχούσης τὴν δύναμιν.

1) Sect. VI. nn. 1580. seqq.
2) Sect. VII. nn. 1620. seqq.
3) Ibid. nn. 1600. seqq.
4) Ne de perenni incremento ambigamus faciunt tum Alexandri VII. auctoritas, tum quae oculis ipsis usurpamus.
5) Videsis Grevois op. cit. art. XIII.
6) Actt. V. 38-39.

Digitized by Google

per arma [1]) iustitiae dextra ac sinistra, per gloriam et ignominiam, primum in persequutionibus et angustiis sanctos martyres diversis et multiplici flore nexis patientiae coronis redimivit; nunc vero in pacis temporibus Dei gratia debitos honores recipit a regibus et viris dignitatum sublimitate conspicuis, et ab omni denique hominum genere ac specie. Quumque reges distributarum diversis locis gentium suae potestatis limites habeant, sola est sancta catholica ecclesia quae per orbem totum indeterminata gaudet potestate. » Postremo ut ea traducamus quibus [2]) Chrysostomus et [3]) Augustinus discrimen haereticae vanitatis a catholica veritate inde repetunt, quod illa lapsu temporum et difficultatibus expugnata obliteretur, haec vero diuturnitate seculorum ac hostium impetu firmiores agat radices latiusque protendatur. Ubi nolim silentio praeterire egregiam Iohannis chrysostomi concertationem in rem nostram plenissime accomodatam, et qua de festo loquens natalis dominici die XXV. Decembris celebrando, primum [a]) sic habet: « Nondum decimus annus est, ex quo hic ipse diès manifeste nobis innotuit. Attamen perinde ac si iam olim a multis annis nobis traditus esset, ita opera vestra *(Antiochenorum)* inclaruit. Quare non erraverit qui eumdem novum simul et antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum illius notitia ad nos pervenerit: antiquum vero et vetustum, quod celériter vetustioribus aetate velut suppar redditus sit, et ad eamdem cum ipsis aetatis mensuram pervenerit. Ut

a) Hom. in diem nat. Domini n. 1. pag. 355. A-C. opp. T. II. *Καίτοιγε οὕπω δέκατόν ἐστιν ἐτὸς, ἐξ οὗ δῆλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται· ἀλλ' ὅμως, ὡς ἄνωθεν καὶ πρὸ πολλῶν ἡμῖν παραδοθεῖσα ἐτῶν, οὕτως ἤνθησε διὰ τῆς ὑμετέρας σπουδῆς· ὅθεν οὐκ ἂν τις ἁμάρτοι καὶ νέαν αὐτὴν ὁμοῦ καὶ ἀρχαίαν προσειπών· (omnes mss. εἰπών) νέαν μὲν, διὰ τὸ προσφάτως ἡμῖν γνωρισθῆναι· παλαιὰν δὲ καὶ ἀρχαίαν, διὰ τὸ ταῖς πρεσβυτέραις ταχέως ὁμήλικα γενέσθαι, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ τῆς ἡλικίας αὐταῖς φθάσαι μέτρον· καθάπερ γὰρ τὰ γενναῖα καὶ εὐγενῆ τῶν φυτῶν· καὶ γὰρ ἐκεῖνα ὁμοῦ τε εἰς τὴν γῆν κατατίθεται, καὶ πρὸς ὕψος εὐθὺς ἀνατρέχει μέγα, καὶ τῷ καρπῷ βρίθεται· οὕτω καὶ αὕτη, παρὰ μὲν τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν, ἄνωθεν γνωριζομένη, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομισθεῖσαν νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν, ἀθρόον οὕτως ἀνέδραμε, καὶ τοσοῦτον ἤνεγκε τὸν καρπὸν, ὅσον παρίστησι νῦν ὁρᾶν, τῶν περιβόλων ἡμῖν πεπληρωμένων, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης στενοχωρουμένης τῷ πλήθει τῶν συνδραμόντων.*

1) II. Cor. VI. 7-8.

2) In actt. apost. hom. XII. n. 1. pag. 90. et hom. XIV. nn. 1. seqq. pag. 111. seqq. opp. T. IX.

3) De vera relig. cap. III. nn. 3. seqq. pagg. 558-559. opp. T. I. et de catech. rud. lib. IV. cap. V. n. 5. pag. 426. opp. T. VI.

Digitized by Google

enim generosae et nobiles stirpes simul atque terrae inseruntur, etiam celeriter in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur; non aliter hic dies cum ab exordio iis qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus repente ita increvit, talemque tulit fructum qualem nunc cernere licet, septis nostris ubique refertis, temploque universo prae multitudine concurrentium angustato. » Tum aliquot interiectis [a]) subdit: « Quid igitur hodierno die audire cupitis? Quid aliud quam de hoc ipso die? Nam multos etiam nunc inter se de ipso disceptare probe novi: et hos quidem illum reprehendere, alios defendere: multus ubique de hoc die sermo, partim incusantium quasi novus sit et nunc recens invectus, partim eumdem propugnantium tamquam antiquum et vetustum, quum et olim nativitatem eius prophetae praedixerint, et iam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestus et celebris fuerit. Agedum igitur, de hisce sermonem exordiamur. » Quem exorsus continuo [b]) pergit: « Habeo porro tres ad probandum demonstrationes, per quas omnino intelligimus hoc ipsum esse tempus, quo Iesus Christus Dominus noster ac Dei Verbum in lucem est editus. » Et proirem illico [c]) expediens ait: « Quarum haec prima est, quod tanta celeritate quaquaversus hoc festum denunciatum sit, et ad tantum

a) Ibid. pag. 355. C-E. Τί οὖν ἐπιθυμεῖτε ἀκοῦσαι σήμερον; τί δὲ ἄλλο, ἢ περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης; εὖ γὰρ οἶδα, ὅτι πολλοὶ ἔτι καὶ νῦν πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητοῦσιν, οἱ μὲν ἐγκαλοῦντες, οἱ δὲ ἀπολογούμενοι· καὶ πολὺς περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης πανταχοῦ γίνεται λόγος· τῶν μὲν αἰτιωμένων, ὅτι νέα τίς ἐστι καὶ πρόσφατος, καὶ νῦν εἰσηνήνεκται· τῶν δὲ ἀπολογουμένων, ὅτι παλαιὰ καὶ ἀρχαία ἐστί· τῶν προφητῶν ἤδη προειπόντων περὶ τῆς γεννήσεως αὐτοῦ· καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θράκης μέχρι Γαδείρων οἰκοῦσι κατάδηλος καὶ ἐπίσημος γέγονε· φέρε οὖν, τὸν περὶ τούτων κινήσωμεν λόγον.

b) Ibid. pag. 355. D-E. Ἔχω τοίνυν τρεῖς ἀποδείξεις εἰπεῖν, δι' ὧν εἰσόμεθα πάντως, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ καιρὸς, καθ' ὃν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Θεὸς λόγος ἐτέχθη.

c) Ibid. pag. 355. E. Καὶ τῶν τριῶν τούτων μία μὲν ἐστὶν ἀπόδειξις, τὸ ταχέως οὕτω πανταχοῦ περιαγγελθῆναι, καὶ πρὸς ὕψος ἐπιδοῦναι τοσοῦτον, καὶ ἀνθῆσαι τὴν ἑορτήν· καὶ ὅπερ ὁ Γαμαλιὴλ ἔλεγε περὶ τοῦ κηρύγματος· ὅτι εἰ ἔστιν ἐξ ἀνθρώπων, καταλυθήσεται· εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτὸ, μήποτε καὶ Θεομάχοι εὑρεθῆτε· τοῦτο κἀγὼ περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης εἴποιμι ἂν θαῤῥῶν· ὅτι, ἐπειδὴ ἐκ Θεοῦ Θεὸς λόγος ἐστὶ, διὰ τοῦτο οὐ μόνον οὐ κατελύθη, ἀλλὰ καὶ καθ' ἑκάστου ἔτους ἐπιδίδωσι, καὶ λαμπροτέρα γίνεται· ἐπεὶ καὶ τὸ κήρυγμα ἐν ὀλίγοις ἔτεσι τὴν πᾶσαν κατέλαβεν οἰκουμένην, καίτοι σκηνοποιῶν, ἁλιέων, ἀγραμμάτων, ἰδιωτῶν πανταχοῦ διακομιζόντων αὐτὸ ἀλλ' οὐδὲν ἔβλαπτεν ἡ τῶν διακονούντων εὐτέλεια, τῆς τοῦ κηρυττομένου δυνάμεως πάντα προκαταλαμβανούσης, τὰ κωλύματα ἀναιρούσης, καὶ τὴν οἰκείαν ἐπιδεικνυμένης ἰσχύν.

Digitized by Google

fastigium excreverit adeoque inclaruerit. Et quod Gamaliel de praedicatione dixit, quoniam si est ex hominibus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non potestis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini: hoc et ego fidenter de die hoc pronunciaverim. Quoniam ex Deo Deus Verbum est, idcirco non solum non dissolutum esse, quin potius per annos singulos maius incrementum sumere, clarioremque evadere. Quoniam et illa praedicatio paucorum annorum spatio universum terrarum orbem occupavit, quamquam tentoriorum opifices, piscatores, litterarum rudes et imperiti homines essent, qui illam quoquoversus perferrent: neque quidquam ministrorum vilitas nocuit, cum potentia eius qui praedicabatur, omnia anticiparet, impedimenta submoveret, vimque suam exsereret. »

1792. Quae quidem omnia de eo consensu animadversa, quo christianum nomen praerogativam immaculati conceptus animo fovet verbisque profitetur, aptissima inprimis sunt ut quod propositum nobis est, firmissime stabiliamus. Et re sane vera nequit non videri certissimum quod eiusmodi consensione firmatur quae I. ab auctoribus dimanet fide dignissimis: quae II. loco atque amplitudine sit universalis: quae III. tempore non modo antiquissima, verum etiam iugis merito censeatur: quae IV. sententiarum verborumque conspiratione sit unanimis: quae V. vires ex obiectis difficultatibus sumpserit et eo usque creverit, ut tandem sola regnarit: et quae VI. tum initia, tum progressus atque culmen iis debeat incitamentis, quae nullum cum errore consortium et intimam cum veritate societatem praeseferunt. Hae porro sunt notae quae distinguunt, atque hi sunt characteres qui eum ornant consensum quo christianum nomen immaculatam Deiparae conceptionem probat ac fatetur. Opus igitur est ut sententia hoc firmata consensu certissima videatur. Videri autem certissima nequit quin simul certissima habeatur cognitio eius praerogativae, qua huius sententiae obiectum ac materies continetur. *Opus igitur est, ut cognitio praerogativae immaculati conceptus certissima existimetur.* Huius autem praerogativae cognitio insitum rationis lumen longe praetergressa hauriri aliunde tuto non potest, quam ex nobiliori revelationis lumine. *Restat igitur ut christifidelibus affulserit ac porro affulgeat supernae revelationis lumen, quo edocti praerogativam immaculati conceptus certissime noverint.* Sed praerogativa superno revelationis lumine certissime cognita non modo est vera, sed ad ipsum perti-

Digitized by Google

net fidei obiectum, caelestique deposito comprehenditur. *Consensione igitur christiani nominis efficitur, doctrinam de immaculato Deiparae conceptu ad eam veritatum classem spectare, quibus superna revelatio coalescit.* Cui deductioni expoliendae nonnihil conferre posse videtur, quod Scoto [1]) praeeunte, Bernardinus senensis [2]) advertit, *in rebus non evidentibus ex terminis, nec ex principiis evidentiam habentibus, non consonare firmiter et infallibiliter multos diversimode dispositos, nisi a caussa superiori ipsorum intellectus inclinentur ad assensum.* Immo ea quoque, etsi leviter inflexa, conducere posse videntur quae Tullius de consensione, quaeque Petrus venerabilis idemque cluniacensis abbas de novitate scripserunt. Prior enim argumento ducto ex consensione, supremi Numinis existentiam [3]) demonstrans ait: « Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. » Alter vero propriam novitatis indolem depingit [4]) his verbis: « Ita omnium rerum novarum immoderatus modus se habet, ut ipsa sui novitate sibi et aliis admirandus inprimis ferveat, citiusque sperato tepescat. Praestringit oculos corusci instar splendoris, qui sicut se repentinus ingerit, sic vix visus recedit: itaque noctem illustrat, ut densiores tenebras recedens relinquat. » Si ergo consensus de immaculatis Deiparae primordiis fuisset plane novus, vix conflatus recessisset, densioresque tenebras recedens reliquisset: quod si eiusdem ornamenti veritas non fuisset cognita, animisque comprehensa, neque stabilis de illa opinio permansisset, neque fuisset diuturnitate temporis confirmata, neque una cum seculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Atqui consensus de immaculatis Deiparae primordiis quin vix conflatus recesserit, densioresque tenebras recedendo reliquerit, stabilis permansit, amplioremque in dies lucem emisit: et quin diuturnitate extabuerit, una cum seculis aetatibusque hominum altiores egit radices, validiusque effloruit. Ergo neque

1) Prolog. q. II.

2) T. I. serm. I. cap. II. Adde Velazquium de concept. lib. V. dis. III. adnot. VIII.

3) De nat. deorum lib. II.

4) Epistt. lib. III. epist. XXXIII. ad Attonem trecensem episcopum, pag. 888. H. in max. pp. biblioth. T. XXII.

Digitized by Google

eiusmodi consensum plane novum, neque illum a veritate seiunctum existimare licet. Sed quaenam novitas eidem officeret, aut quaenam veritas cognita animisque comprehensa eidem tribuenda est? Profecto I. officere eidem nequit [1]) *novitas explicationis*, sed *novitas* dumtaxat *originis*, quamque *novitatem seminalem* [2]) appellabo: tum II. alia eidem veritas tribui non debet, nisi *quae fuerit caelitus manifestata*. Humanus namque animus sibi permissus penitus haeret, nihilque in promptu habet quod de praerogativa immaculati conceptus ratum fixumque arbitretur. Consensioni igitur de immaculato Deiparae conceptu licet *forte* novitas insit explicationis, haud tamen novitas inest [3]) originis et seminalis: ac praeterea censeri eadem coniuncta debet cum veritate quae superna revelatione innotuerit. Iamvero consensio quae hinc nova non sit seminali origine sed potius seminali origine vetusta sit atque [4]) apostolica, quaeque inde cum veritate caelitus patefacta copuletur, doctrinam praefert non quamvis, sed ambitu revelationis comprehensam, quaeque splendidius iugiter emicarit. *Consensione igitur de immaculatis Deiparae primordiis eiusmodi exhibetur doctrina, quae merito suo apostolica et ad depositum spectans divinae revelationis iudicatur.*

1793. Sed probe intelligo plurimum omnino ponderis ad hanc deductionem accessurum, si theologorum atque patrum inprimis veterumque doctorum sententia de vi ac firmitate christiani consensus innotuerit. Itaque iis ultro sepositis quamquam insignibus quae tradunt [5]) Melchior Canus, Iohannes Fischerus [6]), Gabriel Vas-

1) Hoc enim genere novitatis pleraque omnino fidei dogmata suis quaeque saeculis apparuerunt.

2) Ea solum hac novitate originis et seminali laborant, quae a summa divinae revelationis aliena, ex eadem erui atque colligi rite non possunt.

3) Quod novum non est novitate originis et seminali, necessario vetus est antiquitate originis et seminali. Quidquid autem non est apostolicum, novum est novitate originis ac seminali, et ad doctrinam fidei mentisque captum praetergredientem nullatenus spectat. Quidquid ergo ad doctrinam fidei pertinet estque ratione superius, non est novum novitate originis et seminali, sed est apostolicum. Atqui veritas de immaculato conceptu sicuti ad doctrinam fidei pertinet et ratione superior est; ita haberi nullatenus nova potest novitate originis et seminali. Est igitur veritas apostolica, proindeque vetus antiquitate originis et seminali.

4) Eiusmodi nexus perspicue ex iis deprehenditur quae modo animadvertimus, quaeque in dubium nonnisi iniuria revocantur.

5) De locis theolog. lib. V. cap. ultimo, ubi postquam ex fidelium consensione probavit, *corpus Christi in eucharistia ratione sacramentalium specierum vere dici tractari et tangi*; obicientibus, *a fidelium vulgo ista sumis? Christiani rudes dixerunt isto modo?* occurrit scribens: « Bene profecto narras. Nam in quaestione fidei communis fidelis populi sensus haud levem facit fidem. Quaero enim ex te, quando de rebus christianae fidei inter nos contendimus, non de philosophiae decretis; utrum potius quaerendum est quid philosophi atque ethnici, an quid homines christiani, et doctrina et fide instituti sentiant? »

6) In libro pro Henrico VIII., contra Lutherum cap. III. nn. 7-8., ubi haec leguntur observatione dignissima: « Apud eum populum haec consuetudo *(ministrandi laicis eucharistiam sub una tantum*

Digitized by Google

quius [1]), Franciscus Suarius [2]), Dionysius Petavius [3]), Honoratus a sancta Maria [4]) et [5]) Benedictus Plazza ; non alia referam nisi quae Gregorius de Valentia limatissimi iudicii theologus his verbis [6]) complectitur : « Est enim in definitionibus fidei habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium; quoniam et ii sane quatenus ex ipsis constat ecclesia, sic Spiritu sancto assistente divinas revelationes integre ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint. » Et [7]) mox : « Illud solum contendo, si quando de re aliqua in materia religionis controversa constaret fidelium omnium concordem esse sententiam, (solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud christianos populos recepta, vel ex scandalo et offensione communi quae ex opinione aliqua oritur) merito posse ac debere Pontificem illa uti, ut quae esset ecclesiae sententia infallibilis. » Praeiverant patres ecclesiaeque scriptores, « quorum albo Hieronymus haec initio promit [8]) Vigilantii dicteria : « Quid necesse est te tanto honore non solum honorare sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid pulverem linteamine circumdatum adorando osculaṛis? Prope ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesiis, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. » Tum his verbis [9]) profligata calumnia, *quis, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis homines putavit Deum?* E vestigio [10]) subdit : « Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus [11]) fuit Constantius imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est et nunc augustus

specie) nata est, qui Spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est ecclesiam Spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit evangelio. »

1) In III. p. disput. CXVII. cap. VI.

2) In III. p. disput. III. sect. T. II.

3) De incarnat. lib. XIV. cap. III. nn. 10-11.

4) Animadvers. in reg. et unum criticos dis. VII. art. VIII. §. II.

5) Causs. imm. concept. act. III. art. III. §. II. nn. 467. seqq. pagg. 326. seqq.

6) De rebus fidei lib. VIII. cap. IX.

7) Ibidem.

8) Con. Vigilantium n. 4. pag. 390. opp. T. II.

9) Ibid. n. 5. pag. 391.

10) Ibidem.

11) De quo facto consulendi sunt idem Hieronymus tum in chronico ad an. XIX. et XX., tum in catalogo cap. VIII. Philostorgius H. E. lib. III. cap. II. et Idacius in *Fastis*.

Digitized by Google

Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudaea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi sed et fatui iudicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium ecclesiarum populi qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta laetitia quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem iungerentur populorum examina et in Christi laudes una voce resonarent?»

1794. Probat lirinensis Vincentius vitandas esse profanas vocum novitates, *idest dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quae sunt vetustati, atque antiquitati contrariae;* hoc autem ut efficiat, de iisdem [1]) scribit: «Quae si recipiuntur, necesse est ut fides beatorum patrum aut tota, aut certe magna ex parte violetur: necesse est ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo iam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus tanto seculorum tractu ignorasse, blasphemasse, nescisse quid crederet pronuntietur.» Eiusdem cum Vincentio aetatis Cassianus in aureo opere de Domini incarnatione pondus gravitatemque christianae consensionis explanat [2]) inquiens: «Sufficere ergo solus nunc ad confutandam haeresim deberet consensus omnium, quia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas universorum, et perfecta ratio facta est ubi nemo dissentit; ita ut qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio quam damnanda perversitas: quia praeiudicium secum damnationis exhibuit qui iudicium universitatis impugnat, et audientiae locum non habet qui a cunctis statuta convellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quidquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quod a veritate dissentit; ac per hoc sufficere ei etiam id solum convenit ad sententiam damnationis, quod discrepat a iudicio veritatis.»

1795. Sed unus prae omnibus audiendus est Augustinus, qui christianae consensionis vim auctoritatemque firmissime asseruit ac

1) Commonit. cap. XXXIII.

2) De incarnat. Domini lib. I. cap. VI. pag. 8.

Digitized by Google

mirifice illustravit. De consensione namque disserens publico solemnique facto expressa, cuiusmodi erat commune omnium studium in fideles vita functos, principio refert Paulini nolani antistitis verba sic eum [1]) alloquens: « Dicis videri tibi non esse inanes motus religiosorum atque fidelium pro suis *(vita functis)* ista curantium. Adiungis etiam vacare non posse, quod universa pro defunctis ecclesia supplicare consuevit; ut hinc et illud coniici possit, homini prodesse post mortem si fide suorum humando eius corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quaesita sanctorum. » Tum difficultate [2]) soluta ex Apostoli [3]) testimonio deprompta, qua nonnihil Paulinus commoveri videbatur, illico [4]) pergit: « In Machabaeorum libris [5]) legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae ecclesiae quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. » Ubi autem Donatianos refellit, catholicum dogma de baptismi unitate tuetur [6]) inquiens: « Quamvis huius rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus quod universae iam placuit ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestionis, eamdem ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate [7]) sancta Scriptura demonstrat. »

1796. Ab hac ratione consensus ad eam progressus quae nullis moribus, nulloque communi facto exprimitur, sic habet [8]) ubi manichaeos refutat: « In catholica ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam ad cuius cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut

1) De cura pro mortuis gerenda cap. I. n. 1. pag. 375. opp. T. VI.
2) Ibid. n. 2. pag. 376.
3) II. Cor. V. 10.
4) L. c. n. 3. pag. 377.
5) II. Maccab. XII. 43.
6) Con. Cresconium donat. lib. I. cap. XXXIII. n. 39. pag. 277. opp. T. IX.
7) Ab his ne minimum quidem distant quae Ianuarii quaestionibus respondens scribit epist. LIV. al. CXVIII. ad quaestt. Ianuarii cap. V. n. 6. pag. 95. opp. T. II.
8) Con. epist. fundamenti cap. IV. n. 5. p. 110. opp. T. VIII.

ergo hanc omittam sapientiam quam in ecclesia esse catholica non creditis; multa sunt alia quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum *Catholicae* nomen, quod non sine caussa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut quum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui ubi ad *Catholicam* conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani [1]) carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quae quidem si tam manifesta monstratur ut in dubium venire non possit, praeponenda est omnibus illis rebus quibus in *Catholica* teneor: si autem tantummodo promittitur et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide quae animum meum tot et tantis nexibus christianae [2]) religioni adstringit. »

1797. Quum itaque de iis sermo est quae ad Scripturarum doctrinam, fidei depositum, bonamque vitam referuntur, fidelium consensus et christianorum suffragatio vel implicita factisque contenta, vel explicita et communi professione declarata, pluribus iisque praeclaris *tam negantibus quam affirmantibus notis* distinguitur. Negantes enim illius notae censeri debent, I. *inanes non esse fidelium motus, neque omnium consensionem vacare:* II. *parvam non esse auctoritatem, quae ex receptis ubique moribus sententiisque dimanat:* III. *non frustra credi quod universi statuunt:* IV. *absonum vehementer esse quod omnes fideles errent, idque nesciant quod uno ore confirmant:* et V. *insolentissimae insaniae esse disputare, an id agendum tenendumque sit quod omnes agunt et tenent.* Sequuntur affirmantes notae, ad quarum classem spectat I. *consensionem populorum gentiumque fidelium merito haberi instar carissimi*

1) Al. *clarissima.*

2) Al. *religionis.* Eodem pertinent quae haereticum alloquens scribit de utilit. credendi cap. XIV. n. 31. pag. 48. opp. T. VIII. atque eodem plane pertinent quibus Evodii dubitationibus occurrit ep. CLXIV. al. XCIX. ad Evod. c. III. n. 6. pag. 437.

Digitized by Google

vinculi et arctissimi nexus, quo devinciamur: II. *in omnium consensu sitam esse perfectam rationem:* III. *iudicium omnium esse iudicium veritatis:* IV. *auctoritate universorum manifestationem contineri indubitatae veritatis:* V. *veritatem praesto nobis esse, quum illud facimus illudque sentimus quod universa facit et sentit fidelium concio:* VI. *inhaerere nos Scripturis dum universalem sequimur ecclesiae conspirationem:* adeoque VII. *praeiudicium damnationis illis inesse, qui iudicium universitatis impugnant.* Quemadmodum vero integrum non est dubitare, utrum consensio christiani nominis de immaculato Deiparae conceptu sit universalis, omniumque suffragatione firmata; ita neminem latet illius obiectum ad Scripturarum doctrinam ac fidei depositum intime referri. Talis enim non est quae divelli possit sive ab ea doctrina quae pluribus Scripturarum oraculis [1]) effertur, sive ab eo fidei articulo quo in universum hominum genus hereditariam labem transfusam profitemur. De hac igitur consensione *negari* quidem principio debet, *illam esse inanem, auctoritate vacare, cum errore coniungi et frustra veluti normam haberi;* deinde vero *affirmetur* vicissim oportet, *illam esse carissimum vinculum nexumque penitissimum, ea contineri perfectam rationem, indicium et manifestationem indubitatae veritatis, quam dum amplectimur, ipsas sequimur Scripturas, et a qua si forte discesserimus, in praeiudicium damnationis incurrimus.* Porro quod consensione stabilitur hisce cum negantibus tum affirmantibus praedita characteribus, id non ab errore dumtaxat seiunctissimum, verum etiam cum veritate tam intime cohaerens putari debet, ut plane certum et undequaque exploratum iudicetur. Quum igitur decus immaculati conceptus hac prorsus consensione firmetur, *nihil est praeterea reliquum nisi ut illud certis exploratisque veritatibus accenseatur.* Sed quibusnam veritatibus? Non iis utique quae ex penu rationis promuntur, quum indubia immaculati conceptus notitia omnem humanae mentis facultatem excedat. Quibusnam igitur veritatibus? Illis omnino quae ad universum christianum nomen ex venis modo occultioribus et angustioribus, ac modo manifestioribus et amplioribus supernae revelationis defluxerint. *Consensione igitur christiani nominis certissime* [2]) *manifestatur,*

1) Ps. L. 7., Iob. XIV. 4., Rom. V. 12. seqq. et Ephes. II. 3.

2) De hac siquidem consensione, eo quo decet modo, non iniuria affirmantur quae Augustinus epist. CXLIII. al. VII. ad Marcellinum n. 11. pag. 364. opp. T. II. scribit: « Neque enim ut videamus quam

Digitized by Google

praerogativam immaculati conceptus ad eas veritates pertinere, quae ex fonte divinae revelationis exsiliunt, quaeque caelesti iubare innotescunt.

1798. Neque tamen defuerunt [1]) qui abnuerent, quippe dissidendi caussam afferrent, *quod indigna sit populorum turba cui credatur*, et *quod in quaestionibus impeditioribus, cuiusmodi illa est quae de conceptu Virginis agitatur, non vulgus consuli sed sapientium arbitrium exspectari debeat.* Audio, sed ex superioribus animadverto I. fidelium concionem [2]) haberi non posse ceu inconditam turbam, cuius suffragatio de rebus ad doctrinam fidei cultusque sanctitatem pertinentibus negligi spernique possit. Tum II. animadverto, eam a nobis [3]) fuisse propositam totius christiani nominis consensionem, quam suis descripta locis incitamenta pepererint ac porro iugiter aluerint. Eiusmodi autem consensio talis tantaque est, ut non tam humana, quam humano-divina iure optimo videatur. Ad haec III. animadverto nihil impedire quominus ea repetamus, quibus caussa patrum testimoniis iam constituta, Augustinus utitur ubi Iulianum [4]) ita compellat: « Non tibi sicut calumniaris, *solum populi murmur opponimus*, quamquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quaestio quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi, docti et indocti, mares et feminae noverunt, quid cuique aetati in baptismum remittatur. Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum, idest ad unctum, sed ad Christum Iesum, idest etiam Salvatorem cum parvulis currunt. » Et [5]) mox: « Quid est quod vos gaudere iactas, quod ista veritas quam tu errorem putas vel putari cupis, de tanta multitudine assertorem non potest invenire? Quasi parva sit eius assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo. Si autem assertores eos flagitas, quorum aliquid etiam litterarum inveniri potest, illustrisque doctrina est; en adest assertorum eius memorabilis

hoc sit verum, Scripturarum auctoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis ita verum esse perspicua ratione proclamat, ut quisquis contradixerit, dementissimus habeatur. »

1) Videsis Dominicum Gravinam in apologet. pro sacro deposito fidei catholicae cap. IX. pagg. 74. seqq., et Waddingum in legat. de concept. sect. II. orat. VIII. §. VII. n. 32. pag. 231.

2) n. 1791.

3) nn. 1787. seqq.

4) Con. Iulian. lib. I. cap. VII. n. 31. pag. 340. opp. T. X.

5) Ibid. n. 32. pag. 340.

Digitized by Google

et venerabilis consessus atque consensus.» Tandem IV. animadverto in rem nostram apte cadere quae [a]) Eunomio ita exordienti, *quum autem haec nobis de Unigenito sufficiant, consequens fuerit ut iam de Paracleto quoque dicamus, non vulgi opiniones temerarias sequuti, sed sanctorum in omnibus doctrinam servantes*, Basilius [b]) reponit inquiens: « Quod quidem non putet oportere in simplici ac nuda multorum fide permanere, sed artificiosis quibusdam et captiosis rationibus veritatem rursus ad id quod sibi videtur detrudere, satis ex iis quae protulit verbis ostendit. Nam multorum opinione contempta qua Spiritum sanctum glorificant, simulat [1]) tenere se sanctorum doctrinam. »

1799. Sed nonne quaestio de Virginis primordiis ea est quae ingenium facultatemque multitudinis longe praetergressa, ex eiusdem arbitrio aestimari nequit? Ecquid enim multitudo novit *de conceptione activa et passiva?* Quid *de primo atque altero instanti? Quid de sanctificatione a labe mundante, vel labem ipsam impediente?* Aut quid *de duplici redemptionis modo, altero praeservante et altero reparante?* Ad eiusmodi disputationum genus omnino referuntur [2]) Scripturae verba, *ne sequaris turbam ad faciendum iudicium:* referuntur [3]) Caelestini dicta, *ducendum esse populum non sequendum:* et referuntur quae [4]) Thomas valdensis Wicleffo in subtilioribus dogmatis ad populi suffragium provocanti respondit, *non ego dedignor laicos petere quasi viles, sed in subtilitatibus fidei desero sicut incautos.* Non me latet quo haec pertineant, sed neque me latet inania esse et nonnisi ad fucum faciendum accommodata. Si enim ad hanc normam quaestiones exigantur, peto an quidquam

a) Adver. Eunom. lib. III. n. 1. pag. 271. opp. T. I. Ἀρκούντων δὲ ἡμῖν τοσούτων περὶ τοῦ μονογενοῦς, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ περὶ τοῦ παρακλήτου λοιπὸν εἰπεῖν· οὐ ταῖς ἀνιξιτάστοις τῶν πολλῶν ἀκολουθοῦντας δόξαις, τὴν δὲ τῶν ἁγίων ἐν ἅπασι φυλάσσοντας διδασκαλίαν.

b) Ibidem. Ὅτι μὲν γὰρ οὐκ οἴεται δεῖν τῇ ἁπλῇ καὶ ἀπερίτμητῳ πίστει τῶν πολλῶν ἐμμένειν, ἀλλὰ τεχνικοῖς τισι καὶ σεσοφισμένοις λόγοις, πάλιν πρὸς τὸ δοκοῦν ἑαυτῷ παρακρούεσθαι τὴν ἀλήθειαν, ἱκανῶς ἐξ ὧν εἶπεν ἐδήλωσεν· ἀτιμάζων γὰρ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, ἣ δοξάζουσι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, προσποιεῖται τὴν τῶν ἁγίων φυλάσσειν διδασκαλίαν.

1) Praeclare, προσποιεῖται *simulat:* neque enim fieri potest ut sanctorum doctrinia candide adhaereat, qui in fidei rebus ab universali consensione discedit: neque fieri potest ut de rebus fidei pietatisque christianae alia sit sanctorum institutio, et alia catholici nominis suffragatio.

2) Ex. XXIII.

3) Epist. III. cap. III.

4) T. II. cap. XLIV.

Digitized by Google

multitudo noverit *de relationibus originis, de processionibus sempiternis, de hypostaticis oppositionibus, deque discrimine generationis a spiratione.* Itemque peto an quidquam multitudo noverit *de distinctione substantiae ab accidentibus, modorum inhaerentium a modis absolutis, mutationis a transubstantiatione, formaeque speculativae a forma practica.* Dubio procul vix quidquam horum est, quod populi multitudo mente praecipiat animoque comprehendat. Fas igitur non erit christianae multitudinis consensione pugnare, ut Trinitas consubstantialis et veritas dominici corporis in eucharistia evincantur. Absurde, et ideo absurde quod uti par est, schola non secernatur a foro, et caput ac summa doctrinae ab eiusdem intelligentia modoque illam pro scientiae habitu enarrandi. Utique non satis multitudo assequitur quo ab invicem distent *conceptio activa et passiva, sanctificatio mundans a labe, ipsamque labem avertens, et redemptio quae aut praeveniendo servet, aut reparando liberet.* Sed quamquam haec aliaque plura hisce cognata non satis assequatur, probe tamen novit atque articulate intelligit aliud funditus esse *primum exsistere hominem irae filium et mortis, aut filium gratiae et vitae: primum exsistere obnoxium maledicto, aut caelesti benedictione praeventum: primum exsistere mancipium satanae, aut ab eius captivitate immunem: primum exsistere a Deo inimicitia separatum, aut cum Deo amicitia coniunctum: et primum exsistere culpa sordidum, aut donis Spiritus insignem ac splendidum.* Atqui huc substantia, atque huc eius doctrinae caput redit, quo conceptus Deiparae insons immaculatusque perhibetur. *Novit igitur fidelium concio quod dicit, et novit quod testatur, dum unam prae omnibus Deiparam ab hereditaria labe immunem concors profitetur.* Quapropter integrum nobis est hac consensione non aliter uti, ac commune suffragium Augustinus contra pelagianos [1]) usurpaverit inquiens: «Optime punici christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem, et sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant. Unde nisi ex antiqua, ut existimo, et apostolica traditione, qua ecclesia Christi insitum

1) De peccat. merit. et remiss. lib. I. cap. XXIV. n. 34. pag. 13. opp. T. X. Ubi autem disserit *de adventu Eliae ante iudicium, cuius praedicatione Scripturarum secreta reserante Iudaei convertentur ad Christum*, relatis Malachiae verbis cap. IV. 5-6., continuo pergit de civ. Dei lib. XX. cap. XXIX. pag. 463. opp. T. VII. «Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante iudicium Iudaeos in Christum verum, idest, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.»

Digitized by Google

tenent, praeter baptismum et participationem mensae dominicae non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam aeternam posse quemquam hominem pervenire? » Immo integrum nobis est regulis inniti quas ex patrum operibus collectas Dominicus Gravina proposuit, et a theologis tum servandas edixit, quum iidem ex consensione fidelium argumenta mutuantur. Sunt vero [1]) quae sequuntur: « *Prima regula.* In rebus fidei quas etiam populus tenetur credere, ex consensu populorum firmum sumitur argumentum. *Secunda regula.* Ad notissima pervia omnibus dogmata comprobanda, eiusdem populi quoque plurimum valet testimonium. *Tertia regula.* Quando nihil certi statuit divina Scriptura, tunc, ut recte ait Augustinus, *mos populi Dei et instituta maiorum pro lege habenda sunt.* » Quamquam enim prior regula in rem nostram non quadret, in ipsam tamen perspicue quadrat secunda, et nihil admodum obest quo minus et tertia eodem referatur.

1800. Est tamen cur alia eaque postrema retundatur exceptio, ne quod hactenus operose exstruximus, periclitari videatur. Quaenam vero? Quod is a nobis urgeatur consensus qui non sit [2]) unanimis, quando numquam defuerint qui doctrinam de immaculato Deiparae conceptu improbarint. Verum I. fuerunt ne in orientali ecclesia qui hanc doctrinam aliquando reiecerint? Omnino nulli. Et in occidentali ecclesia fuerunt ne qui ante seculum XII. eidem obstiterint? Hos ego non novi, et si qui opponantur, obvium est ostendere, illorum dicta sinistre accipi, falsaque interpretatione vitiari. *Praecessit ergo regnavitque unanimis consensus nulla penitus dissensione turbatus.* Sed II. turbatus mox fuit. Ita sane, sed [3])

1) Catholic. praescriptt. lib. IV. artic. X. pagg. 80-81.

2) Nemo prudens consensum postulet *arithmetice* unanimem. Id enim tum a civili, tum ab ecclesiastica consuetudine penitus abhorret, et praeterea comparatum sic est, ut nullum permittat locum probationi quae ex consensu repetatur. Historia namque novimus vix aut ne vix quidem contentionem aliquando exarsisse, cui consensus *arithmetice* unanimis opponeretur.

3) Si qui paucos plurimis ac ferme omnibus anteferrent, digni prorsus forent qui hisce Hieronymi verbis in dialogo adv. luciferianos n. 15. pag. 186. opp. T. II. compellarentur: « Si ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est. Et si Britanniam, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes, et totum semel mundum possidet satanas; quomodo ad angulum universae terrae crucis trophaea collata sunt? Nimirum adversarius potens concessit Christo Iberam exoetram, luridos homines et inopem provinciam dedignatus est possidere. » Et digni forent qui hisce ab Augustino in donatianos adhibitis lib. III. con. Cresconium cap. III. n. 3. pag. 297. opp. T. IX. monerentur. « Si omnino iam credendum sit quinquaginta episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum iudicium correxisse dicamus, non ut tu loqueris rescidisse? » Tandem nequeo missa facere quae luciferianus habet, quoque orthodoxus probat op. cit. n. 8. pag. 180. « Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. »

a paucis, et quorum numerus quotidie angustior evaserit. Quare summus pontifex Alexander VII. testari [1]) sanctissime potuit, *iam omnes fere catholicos piae sententiae adhaesisse*. Quid quod III. hac nostra qua vivimus aetate monstri instar sit, si unus forte alterve reperiatur, qui animo et cogitatione dissideat? Nam ii etiam profecto non multi qui prae ceteris refragari videbantur, splendore veritatis undequaque emicante, communi tandem subscripsere doctrinae, iamque una omnium mente unoque ore conceptus Deiparae immaculatus celebratur. Sic ergo IV. res habet, *praevertit unanimis omnium consensus, quem nonnulla deinde exceperunt dissidia, quibus postremo compositis, prisca atque universalis suffragatio, eaque multo explicatior refloruit*. Quapropter nemo nobis iure vitio dederit, si hisce absolvamus quibus [2]) Bernardus caussam quidem dissimilem [3]), eodem tamen argumenti genere expedivit inquiens: « Caeterum iam Deus iudicavit quod sero repetit homo, iudicavit autem operis evidentia, non decreti sententia. Numquid Dei iudicium audeat humana temeritas retractare? Quid si causetur et clamet [4]) per prophetam Deus, *tulerunt homines a me iudicium?* Non est consilium contra consilium Domini, velociter currit sermo eius in conveniendo populos in unum et reges, ut domino papae Innocentio serviant et obediant *(ut immaculatum Deiparae conceptum teneant ac profiteantur)*. Quis revocabit? Dei esse iudicium senserunt et consenserunt Gualterius ravennas, Hildegarius tarraconensis, Norbertus magdeburgensis, Conradus salseburgensis, archiepiscopi. Dei esse iudicium cognoverunt et acquieverunt episcopi, Equipertus monasteriensis, Hildebrandus pistoriensis, Bernardus papiensis, Landulfus astensis, Hugo gratianopolitanus, Bernardus parmensis. Horum gloria specialis et praecipua sanctitas et auctoritas etiam hostibus reverenda, facile nobis qui minorem et meriti et officii tenemus locum, aut errare secum aut sapere persuasit. Taceo multitudinem ceterorum, Tusciae, Campaniae, Longobardiae, Germaniae et Aquitaniae, Galliarum denique et Hispaniarum omnium, nec non et universae orientalis ecclesiae, tam

1) Constitut. *Sollicitudo omnium eccles.* §. III.

2) Epist. CXXVI. ad episcopos Aquitaniae n. 9. pag. 135. opp. T. I.

3) Versat enim Bernardus caussam Innocentii quem legitimum pontificem egregie ostendit adversus Gerardum engolismensem, qui schismaticorum partes agebat.

4) Haec nullibi in Scripturis occurrunt, sed habentur in doctrina sanctorum patrum lib. con. iudic. temerar. n. 7.

Digitized by Google

archiepiscoporum quam episcoporum, quorum nomina sunt in libro vitae, sed epistolae brevitas non admittit. » Et [1]) continuo: « Hi omnes unanimes non inducti pecunia, non seducti fallacia, non illiciti privato carnis vel cognationis amore, non timore compulsi potentiae secularis, sed Dei procul dubio voluntatem sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes, Petrum Leonis *(opinionem de noxio Virginis conceptu)* ingenue refutaverunt, ac secure Gregorium in papam Innocentium *(doctrinam de conceptu labis inscio)* susceperunt. Nostratum sane nemo ex nomine in his expressus est litteris, quia et omnes compendium non fert, et aliquorum invidiosa designatio adulationis notam non effugit. Non autem debeo praetermittere sanctos, qui mundo religiose mortui, Deo melius vivunt: quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt et non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei. Itaque camaldulienses, vallambrosani, cartusienses, cluniacenses, et qui de maiori monasterio sunt mei quoque cistercienses, cadumenses, tironenses et sacriniacenses; universitas denique et unanimitas fratrum tam clericorum quam monachorum regularis vitae probataeque conversationis, sequentes episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio *(sententiae de immaculato conceptu)* firmiter adhaerent, sincere favent, humiliter parent, verum apostolorum successorem *(veram ex apostolis profectam doctrinam)* fideliter recognoscunt. » His autem e vestigio [2]) subdit: « Quid reges et principes terrae? Nonne in eodem spiritu cum subiectis sibi plebibus Innocentium *(immaculatum conceptum)* pariter amplectuntur, confitentes et ipsi papam et episcopum *(alteram secundum Deum tutelam)* animarum suarum? Quis postremo in quocumque ordine vitae illustris et boni nominis homo idipsum non sapit? Et tamen adhuc isti *(qui in nostra caussa nulli iam sunt)*, nescio qua contentiosa importunitate et importuna contentione reclamant. Vocant in caussam orbem, et cum sua paucitate *(quae jam desiit)* universitatem flagitant iudicari. Quis tantos, quaeso, in unum cogere queat exercitus utriusque ordinis

1) L. c. n. 10. pag. 138. Quibus haec addi debent ex epist. CXXVII. ad Guillelmum ducem Aquitaniae n. 2. pag. 138: « Tutius vobis est ut in susceptione universalis Papae *(universalis doctrinae)* ab universitatis consensu et consilio non recedatis. Quem omnis religio, quem regum universitas receperunt, vobis quoque et honorificum et salutiferum est ut recipiatis. »

2) L. c. n. 11. p. 136.

Digitized by Google

principum ne dicam plebium, et adducere in examinationem? Quis tot sanctorum millibus persuadere sufficiat, quod prius aedificaverunt, iterum destruere, et abducere semetipsos in praevaricationem? Quis deinde locus omnibus tantus, omnibus tutus? Universae quippe ecclesiae negotium est, non unius causa personae. »

1801. *Corollarium I. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu ad eas pertinet veritates, de quibus intra ipsum ecclesiae sinum neque idem semper consensus extitit, neque eadem semper penes omnes sententia viguit.* De huiusmodi namque doctrinae capite repeti non iniuria potest, quod de valore baptismi ab haereticis collati ex historiae monimentis novimus, quodque ex iisdem novimus sive de probatione quae participationi eucharistiae praemitti debet, sive de beatifica Dei visione post praesentem mortalitatem iustis sanctisque viris citius seriusve repraesentanda.

1802. *Corollarium II. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu illarum albo inscribi debet, de quibus quum consensio anteverterit, nonnisi labentibus seculis oborta dissensio est.* Quapropter referri ad illam non incommode possunt Tertulliani verba ex capite quinto libri quarti contra Marcionem, *id verius quod prius*, et rursus eiusdem effatum ex capite trigesimo primo de praescriptionibus, *illud esse dominicum et verum quod prius sit traditum, id autem extraneum et falsum quod sit posterius immissum.*

1803. *Corollarium III. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu iis connumeretur oportet, quibus oborto dissidio plenior in dies conspiratio suffragata est, adeo ut collectae nubes aucto iugiter luminis fulgore, paullatim evanuerint.*

1804. *Corollarium IV. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu eam sedatis turbis perspicuitatem evidentiamque consequuta est, ut omnium sibi suffragia adprobationemque conciliarit.* E re igitur fuerit cum Tertulliano in libro de praescriptionibus capite vigesimo octavo de ecclesiis repetere: « Age nunc omnes erraverint, nullam respexerit Spiritus sanctus ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre ut esset doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quam quod ipse per apostolos praedicabat. Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unius est exitus. Variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum

Digitized by Google

quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse qui tradiderunt. »

1805. *Scholion I.* Quamquam talis non sit catholicorum fides ac doctrina quae haereticorum dissidiis quati commoverique debeat, diffiteri tamen non possumus ad eam sin minus stabiliendam, illustrandam tamen communiendamque illorum suffragium nonnihil conducere. Eiusmodi namque suffragio indicium proponitur argumentumque continetur tum eximii splendoris, quo doctrina fulgens ipsos quoque haereticorum animos perculerit, tum eius antiquitatis quae divisionem praeiverit separationemque antecesserit. Probabitur ergo lectoribus consilium nostrum investigandi quo fieri brevissime poterit, quid de immaculato Deiparae conceptu *prisci haeretici* censuerint, quidve de eiusdem innocentia ac puritate existimarint.

1806. Ut itaque initium sumam a collyridianis quos suam pestem seculo IV. sparsisse constat, en quibus verbis eosdem [a]) Epiphanius compellet: « Sanctum erat Mariae corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem et virgo exstitit, minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum qui e sua carne genitus, e caelo paternoque sinu descenderat. Quare sanctum quoque nos evangelium praemunire voluit, in quo ita Christus [1]) loquitur, *quid mihi*, inquit, *et tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Ubi idcirco mulierem appellavit, ne quis beatam Virginem excellentioris alicuius esse naturae crederet. » Iisdem porro vestigiis insistens [b]) subdit: « Quamquam enim selectum quoddam vas atque eximium sit *(Deipara)*, nihilominus mulier est eiusdemque cum ceteris naturae, licet animo atque sensu amplissimis honoribus affecta sit, perinde ac reliquorum sanctorum corpora, aut si quid

a) Haeres. LIX. al. LXXIX. §. IV. pag. 1061. C-D. Καὶ μὲν ἅγιον ἦν τὸ σῶμα τῆς Μαρίας, οὐ μὲν θεός· ναὶ δὴ παρθένος ἦν, ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα, ἀλλὰ προσκυνοῦσα τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκὶ γεγεννημένον, ἀπὸ οὐρανῶν δὲ ἐκ κόλπων πατρῴων παραγενόμενον· καὶ διὰ τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον ἀσφαλίζεται ἡμᾶς λέγον, αὐτοῦ τοῦ κυρίου φήσαντος· ὅτι τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; οὔπω ἥκει ὥρα μου· ἵνα μή τινες νομίσωσι περισσότερον εἶναι τὴν ἁγίαν παρθένον, γυναῖκα ταύτην κέκληκεν.

b) Loc. cit. §. V. pag. 1062. A-B. Ἐξαίρετον μὲν γάρ ἐστι τὸ σκεῦος, ἀλλὰ γυνὴ, καὶ οὐδὲν τὴν φύσιν παρηλλαγμένη, τὴν δὲ γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν ἐν τιμῇ τετιμημένη, ὥσπερ τὰ σώματα τῶν ἁγίων, καὶ εἴ τι περισσότερον πρὸς δοξολογίαν εἵποιμι.

1) Ioh. II. 4.

Digitized by Google

ad gloriam et splendorem illustrius attulero. » Tum pergit, Deiparam superna bonitate Ioachimi et Annae precibus fuisse concessam, *ita* [a]) *tamen ut non aliam quam ceteri mortales nascendi conditionem habuerit, sed ut illi e virili satu matrisque utero prodierit.* Atque hanc postremo regulam [b]) figit: « Honoretur sane Maria, Pater vero, Filius et Spiritus sanctus adorentur: Mariam adorare nemo velit. » Et [c]) mox, comparatione instituta Deiparam inter et arborem medio in paradiso satam, concludit: « Licet enim pulcherrima arbor esset, non tamen ad cibum constituta. Ita quamvis Maria vel optima fuerit ac sancta et honore dignissima, non idcirco tamen adoratione prosequenda. »

1807. Quae si apte simul componantur, pronum erit definire quid haeretici quidve vicissim catholici seculo IV. de Virgine iudicarint. Nimirum illis auctoribus, non creaturis dumtaxat reliquis praeferenda erat Deipara, sed divinis plane honoribus cumulanda adeo ut debita Deo adoratione afficeretur, eiusdemque consors censeretur supernaturalis originis, qua eiusdem Unigenitus praecelluit. Quum vero hisce errorum monstris haeretici in transversum raperentur, Epiphanius orthodoxorum nomine illis repugnans, illosque ad mentis sanitatem impense revocans, principio quidem eximia Deiparae tribuit, nihil ipsi infra Deum positum non defert, et eiusdem [d]) *uterum veluti templum ac domicilium ad divini Verbi incarnationem singulari Dei benignitate magno stupendoque mysterio praeparatum* extollit. Deinde vero etsi pro reliquorum hominum conditione Deiparam ex viro ac muliere progenitam natamque affirmet; attamen, quod caussae fuisset opportunissimum, neque verbum promit neque apicem scribit quo eiusdem primordia peccato infecta testetur. Ecquid igitur sin minus decretoria luculentaque ratione, probabili saltem coniectura ex hisce deducimus?

a) Ibid. §. V. pag. 1062. C-D. Οὐ μὴν ἑτέρως γεγεννημένην παρὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν, ἀλλὰ καθὼς πάντες ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ μήτρας γυναικός.

b) Ibid. §. VII. pag. 1064. D. Ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω, τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω.

c) Ibid. §. VII. pag. 1065. B-C. Καὶ γὰρ εἰ καὶ ὡραῖον τὸ ξύλον, ἀλλ' οὐκ εἰς βρῶμα· καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία καὶ ἁγία καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι.

d) Ibid. §. III. pag. 1059. D. Ἧς ἡ μήτρα ναὸς γενομένη, καὶ κατοικητήριον εἰς τὴν τοῦ κυρίου ἔνσαρκον οἰκονομίαν κατὰ φιλανθρωπίαν θεοῦ, καὶ ἔκπλυτον μυστήριον ἑτοιμάσθη.

Digitized by Google

Dubio procul talem fuisse Deiparae speciem [1]) christianorum animis obversantem, quae ceterarum creaturarum perfectionem longe supergressa nullatenus siverit ut de hereditaria eiusdem labe vitioque cum originibus innexo cogitaretur.

1808. Atque huic quidem sententiae multo tenacius inhaerebimus, si quae *de pelagianis* consignata litteris legimus, memoria diligenter recolamus. Acriter defendebat Pelagius non paucos singulis aetatibus probos sanctosque viros claruisse, qui nullum omnino peccatum admiserint; ut vero splendore exemplorum quod vindicandum susceperat propugnaret, reliquis veluti apicem fastigiumque [2]) adiecit *ipsam etiam Domini salvatoris nostri matrem, quam* dicebat *sine peccato confiteri necesse esse pietati*. Quae profecto luculenta sunt, et ad aperiendam pelagianorum mentem de innocentia Deiparae nullo umquam turpata naevo accommodatissima. Neque enim fas est aut Pelagii verba corripere, aut sic ea interpretari ut *necessarium pietati* dumtaxat existimetur, Virginem ab actuali peccato solutam confiteri. Hoc enim ita ille docebat, ut multo etiam doceret vehementius *necessarium esse pietati Deiparam* ab originali transgressione subducere, cui omnino neminem haberi obnoxium posse arbitrabatur. Sed quid contra catholicorum nomine Augustinus? Consentit de Virgine cum Pelagio, atque e vestigio [3]) subdit: « Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. » Communem ergo universalemque christianorum fidem Pelagius expressit inquiens, *necesse esse pietati Deiparam sine peccato confiteri*.

1) Haud puto futurum lectoribus molestum paucis *comparationem* innuisse, quae animo succurrit. Comparatio vero haec est, *ut collyridianis nestoriani, et tam his quam illis catholici opponantur*. Itaque I. quum collyridiani Virginem ultra fas extollerent, ipsam vicissim contra fidei praescriptum nestoriani deiiciebant, quod vere θεοτόκον inficiarentur. Rursum II. quod subversa unitate Christi, de eo adorando impie nestoriani comminiscebantur, idipsum de Virgine collyridiani tradebant. Quare III. a recto veroque nullatenus deflexerint qui censeant, eam Virginis speciem sibi collyridianos finxisse, quam sibi de Christo nestoriani procuderant. At vero quae mens orthodoxis insedit quaeve fides? Ab utrisque ex aequo recedentes veritatem in medio sitam complexi sunt. Recesserunt a collyridianis, damnata Virginis adoratione: recesserunt a nestorianis, asserta Virginis τῆς θεοτόκου dignitate: sitamque in medio veritatem complexi sunt, in omnibus Deiparae tributis quae quum divina non sint, *apicem* finitae creataeque praestantiae repraesentant. E quibus pronum est intelligere, an maiores nostri in eam venire umquam potuerint sententiam, qua exordia Virginis labe infecta censentur, ipsoque Virgo satanae mancipium affirmatur.

2) Penes Augustin. de nat. et grat. cap. XXXVI. n. 42. pag. 97. A-C.

3) Ibidem et nn. 1549. seqq.

1809. Quamquam communem hanc universalemque seculo V. christianorum fidem haud paullo manifestant liquidius quae contra Augustinum Iulianus pelagianae factionis princeps, quaeque contra Iulianum Augustinus strenuus catholicarum partium vindex disputavit. Ferre Iulianus nequibat quae ad normam revelatae doctrinae Augustinus tuebatur de originis culpa in universos homines propagata, de fractis naturae viribus, deque omnimoda gratiae ad pie volendum sancteque operandum necessitate. Quocirca ut in catholicum athletam odium invidiamque conflaret, opportunum esse censuit Augustinum cum Iloviniano componere, neque solum componere, verum etiam illo longe deteriorem calumniari. Referam eiusdem [1]) verba: « Verum ut illi *(Ambrosio)* infensus Iovinianus arguitur, ita vobis comparatus absolvitur. Quando enim tibi tantum prudentium censura donabit, ut te cum Ioviniani merito componat? Ille quippe dixit boni esse necessitatem, tu mali: ille ait per mysteria homines ab errore cohiberi, tu vero nec per gratiam liberari: *ille virginitatem Mariae partus conditione dissolvit, tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transscribis.* » Iuliano igitur multo erat perniciosius multoque a regula veritatis alienius *Mariam diabolo transscribere conditione nascendi quam illius virginitatem partus conditione dissolvere.* Sed fieri ne potuit ut tanta id confidentia Iulianus praeseferret, tantaque securitate Augustino opponeret, nisi omnium sententia fuisset receptum, *Mariam diabolo nascendi conditione transscribi non posse?* Abhorrent haec ab inductione, abhorrent ab humano concertandi modo, et nonnisi contra omnem veri speciem praesumi affirmarique possunt. *Omnibus ergo seculo V. persuasum erat, fas non esse Mariam diabolo transscribere conditione nascendi.*

1810. At vero quaenam subest potestas formulis, *diabolo Mariam transscribere*, idque *conditione nascendi?* Ut a posteriore exordiar propria illius vis *triplici canone* luculenter definitur. Principio namque definitur *inspecto scopo* qui Iuliano praefixus erat subvertendi dogmatis, quo universalem hereditariae labis propagationem Augustinus defendebat. Iuliani namque inferendi ratio huc perspicue redit: universale hereditariae luis contagium statui nequit, quin Maria conditione nascendi diabolo transscribatur. Istud autem chri-

1) Op. imp. lib. IV. §. CXXII. pag. 890-891. F-A.

Digitized by Google

stianorum nemo dixerit aut etiam tulerit. Damnari igitur doctrina debet, qua universum hominum genus hereditaria noxa obstrictum perhibetur. Atqui haec inferendi ratio eo nos ducit, ut nascendi conditionem interpretemur *de conditione propagationis ex protoparentibus, naturaeque ab ipsis per communem conceptum recipiendae*. Conditio igitur nascendi est *ratio ipsa naturalis propagationis communisque conceptus*. Quae significatio iis communitur quae Iulianus [1]) subdit: « Cum itaque tanta disparatio sit inter te et Iovinianum, quanta coniunctio inter te et Manichaeum, tanto te tolerabilior Iovinianus probatur, quanto Ioviniano horridior Manichaeus. » Ideo ergo, auctore Iuliano, Mariam diabolo conditione nascendi Augustinus transscribebat, quod Manichaei placita sectatus mali necessitatem propugnaret. Sed Manichaei placita et cum iisdem vincta mali necessitas ad originem primam nativitatemque pertinebat. Opus igitur est ut *nascendi conditionem* ab Iuliano usurpatam *de origine prima hominisque conceptu* intelligamus. Cui notioni pressius definiendae postremo conducit *mutuus habitus inter partus conditionem, conditionemque nascendi*. Ecquid enim sibi vult conditione partus virginitatem dissolvi? Non aliud profecto quam communem partus rationem ita ex sese suaque natura esse comparatam, ut per ipsam physica laedatur perdaturque virginitas. Mariam ergo transscribi diabolo conditione nascendi tantumdem erit ac eiusmodi habendas esse illius origines, ut ipsa idcirco transscripta diabolo censeatur. Norunt porro eruditi, aliquem alicui transscribere, idem crebro notare ac *in alienum transferre dominium atque alteri addicere*. Formula igitur qua Maria perhibetur transscripta diabolo conditione nascendi, hunc fundit sensum: *Mariae origines duci tales oportere, propter quas ipsa in diaboli translata dominium eiusque servituti addicta* existimetur. Hoc autem Iulianus non aliter Augustino opponit ac si Ioviniani perfidiam superaret, parque idcirco esset labefactando dogmati quo sanctissimus praesul universalem hereditariae culpae propagationem defendebat. Nihil ergo expeditius quam arguendo colligere, christiano nomini exosam fuisse opinionem qua Deipara in suis originibus transscripta diabolo, atque in suo conceptu diaboli mancipium affirmatur.

1811. Sed forte Augustinus dissensit, illudque probavit quod

1) Ibid. §. CXXII. pag. 891. B-C.

Iulianus tamquam christianis auribus intolerabile venditabat? Accipiantur verba, quibus Iuliani confutationem [1]) auspicatur: « Quam bellus tibi videris, cum me Ioviniano comparans, peiorem conaris ostendere. Verum hanc quoque contumeliam mendacissimam cum Ambrosio me a te accipere gaudeo, sed te sic insanire contristor. Ea quippe caussa me Ioviniano dicis esse peiorem, qua me dicis etiam manichaeum. Et quid est hoc? Illud scilicet *originale peccatum* quod vos negatis cum Pelagio, nos vero cum Ambrosio confitemur. » Et [2]) mox: « Non dico nec per gratiam homines liberari, quod absit ut dicat Ambrosius; sed quod non vis dicimus, non nisi per gratiam liberari non solum ut eis debita dimittantur, verum etiam ne in tentationem inferantur. *Non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* »

1812. In qua Augustini responsione quum duo considerari possint, alterum perspicuum est nullaque controversia impeditum, alterum vero eiusmodi quod ne praepostere detorqueatur, illustrari debet solerterque muniri. Itaque manifestum est ac plane luculentum quod Augustinus primum reponit inquiens: *non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi.* Atqui transscribunt Mariam diabolo conditione nascendi quotquot illam in suo conceptu vitiatam docent originali praevaricatione, illamque propterea in peccati et satanae ditionem traducunt. *Catholici igitur aeque ac pelagiani pro certo habebant unoque ore fatebantur, Deiparam in suo conceptu non fuisse hereditaria labe pollutam, neque satanae mancipium iraeque filiam in suis primordiis exstitisse.* Verum cum hac sententiarum concordia, dissidium illudque acerbissimum cohaerebat quod iam paucis enarrandum adgredior.

1813. Iulianus itaque et cum eo pelagiani in animum sibi induxerant, neque admitti posse sine nota manichaeismi hereditariae labis propagationem, neque a dominio diaboli Mariam eximi conditione nascendi, nisi eiusmodi propagatio funditus negaretur. Quum igitur omnibus invisam Manichaei haeresim scirent, quumque omnibus invisum pariter nossent Mariam diabolo transscribere conditione nascendi; eo propterea devenerunt ut dogma de propagata per generationem originis culpa obfirmatis animis inficiarentur. At vero ca-

1) Ibid. §. CXXII. pag. 891. B-C.

2) Ibid. pag. 891. C-D.

Digitized by Google

tholici quamquam infensi ex aequo essent tum manichaeismo, tum opinioni quae Mariam diabolo transscribit conditione nascendi; aliam tamen iniere viam ut utramque accusationem repellerent. Iis enim silentio praetermissis quae ad profligandam manichaeismi calumniam referuntur, alteram querelam brevissime Augustinus confutat inquiens: *non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Propemodum diceret, non credimus Mariam in suo conceptu culpa infectam, neque in suis primordiis irae filiam ac satanae tyrannidi obnoxiam; haec autem idcirco non credimus, quamquam hereditariae labis propagationem cum usitata hominum generatione coniunctam credamus, quod conditionem legemque nascendi, ad Mariam quod attinet, renascendi gratia solutam profitemur. Sed quam nominat Augustinus *gratiam renascendi?* Illam ipsam de qua [1]) scriptum est, *oportet vos nasci denuo*, et [2]) rursum, *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ergo ne praecessit in Maria nativitas irae, et successit nativitas gratiae? Ergo ne in ipsa praecessit satanae servitus, et successit caelestis adoptio? Si semel haec concederentur, tum falsum foret quod praemittitur, *non transscribimus Mariam diabolo conditione nascendi,* tum integra Augustini responsio membris constaret repugnantibus. Ecquem igitur sensum adiiciemus verbis, *sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi?* Non alium nisi obvium, quemque verba ipsa rite accepta suppeditant.

1814. Animadvertatur itaque I. *conditionem* penes Latinos *de pacto deque lege* [3]) non infrequenter usurpari. Animadvertatur II. verbum *solvere* ad pacta legesque relatum idem crebro esse ac [4]) *irritum reddere, tollere atque abrogare.* Animadvertatur III. integrum incisum, *quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi* huic alteri respondere, *quia ipsa lex offendendi in satanae captivitatem irritatur tolliturque gratia renascendi.* Animadvertatur IV. *gratiam renascendi* spectari posse vel *prae eiusdem essentia,* qua est gratia sanctificans filiorumque adoptionem impertiens, vel *prae usitata distributionis oeconomia* sive qua confertur [5]) non modo post na-

1) Ioh. III. 7.

2) Ibid. v. 3.

3) Videsis Donatum ad Terent. Andr. I. 1. 52. Accipi etiam conditio possit *de ratione, via, modo* quo sensu Lucretius lib. II. v. 300. scripsit: *et quae consuerunt gigni, gignentur eadem conditione,* hoc est, simili ratione, ut paulo ante dixerat.

4) Exempla notiora sunt quam ut commemorari debeant.

5) Qua de re consulendus Augustinus epist.

tivitatem *in utero* sed etiam post nativitatem *ex utero*, sive qua operatur mundans simul et ornans, captivitatis vincula frangens simulque libertatem tribuens filiorum Dei. Animadvertatur V. *gratiam renascendi* sumi de Virgine non posse, *nisi spectata* dumtaxat eiusdem *essentia*. Quemadmodum enim *alter sensus* universam subvertit Augustini orationem, illamque contrariis constantem notionibus repraesentat; ita prior a loquendi usu penes Augustinum [1]) recepto nullatenus discedit. Quare caussa suppetit eaque decretoria cur tandem VI. animadvertatur, hanc unam probari posse augustinianae responsionis paraphrasim: *non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, neque illam ex lege suae conceptionis peccato infectam ac satanae obnoxiam affirmamus, sed ideo quia ipsa conditio et communis lex humanae conceptionis solvitur suoque privatur effectu gratia renascendi, quae ipsam imbuens animam in sua creatione et in corpus infusione effecit ut Maria numquam esset transscripta diabolo sed semper gratia adoptivae filiationis niteret.* Sicuti vero haec omnia concordem ostendunt catholicorum pelagianorumque fidem de Virgine diabolo numquam transscripta et peccati vinculis numquam obligata; ita huius praerogativae [2]) fontem aperiunt, illumque derivandum ex eo docent quod gratia renascendi meritis parta redemptoris quum reliquos Adami filios *liberando* solvat, beatissimam Virginem *a ruina praeservando felicius* exemerit. Comperta est igitur tam catholicorum quam pelagianorum fides de praerogativa Deiparae, quae insons semper fuerit, gratiaque originali sola inter mulieres benedicta faustissime emicarit.

1815. De hac autem praerogativa christianique nominis suffragatione iuverit postremo loco in medium adduxisse quae de albigensibus relata legimus. Seposita igitur [3]) controversia de germano

CLXXXVII. al. LVII. ad Dardanum, et qui Augustinum rite enarrat Alexander halensis in S. th. p. III. q. IX. membr. II. art. IV.

1) Is enim est Augustinus qui in Ps. LXXXV. n. 18., de nat. et grat. cap. LXVII. et confess. lib. II. cap. VII. n. 11. uno eodemque *redimendi* verbo beneficium effert sive quo *praeservamur a malo* in quod incideremus, sive quo *a malo eripimur* in quod offendimus. Cf. Thomam in IV. dist. XLIII, q. 1. art. IV. quaestiunc. 1. ad 3. et in S. II. II. q. CVI. art. II.

2) Eum vero fontem aperiunt, quo reserato incolumis manet tum doctrina de hereditariae labis propagatione, tum praerogativa qua unus Christus excellit.

3) De hac controversia sic habent Bollandiani ad diem IV. Augusti de s. Dominico §. XLV. n. 851. pag. 524: « Maior controversia est circa librum *de corpore Christi*, quem Bernardinus de Bustis, Pelbartus de Temeswar, aliique, et ex nostris Petrus Canisius, Alphonsus Salmeron, Franciscus Suarez, Gabriel Vasquez s. Dominico adscripserunt. Contra vero Iohannes de Turre-cremata, Bartholomaeus de Pisis, Thomas Malvenda, Theophilus Rainaudus noster et Nicolaus Antonius eumdem s. Dominico plane abiu-

Digitized by Google

auctore operis inscripti *de corpore Christi*, et utrum tribui illud debeat vel sancto Dominico qui supremum obiit diem anno Christi MCCXXI., vel Dominico de Pantaleonibus qui claruit anno MCCLXII., ad rem nostram apprime facit duo recolere doctrinae capita albigensibus solemnia et quibus in vulgus iidem spargebant I. haberi Iesum non posse illum in divinis litteris promissum Christum Dei humanique genus redemptorem: idcirco autem II. haberi talem non posse quod Iesus conceptus fuerit ex Virgine originali labe corrupta, quum Christus Dei verusque nostri generis redemptor gigni ex Virgine debuerit penitus immaculata, hereditariae labis inscia, neque aliter pura ac mundum fuerit lutum e quo protoparentem effectum cognovimus. Quid autem ex hisce evidentius quam persuasum fuisse albigensibus penitusque constitutum, non aliam virginem esse potuisse Christi Dei genitricem, nisi quae exsors hereditariae praevaricationis originali puritate splenduerit? Quid porro catholicus vindex, idemque auctor operis *de corpore Christi?* Obstitit ne albigensibus, illudque negavit quod ipsi tamquam perfidiae fundamentum praestruebant? Iudicium feratur ex eiusdem verbis quae sic [1]) habent: « Sicut primus Adam fuit ex terra virgine et numquam maledicta formatus; ita decuit in secundo Adamo fieri. » Concessit ergo in unam eamdemque cum albigensibus sententiam, illud ipsum fassus est quod albigenses contendebant, eorumque subruit blasphemiam non negata doctrina de immaculato Deiparae conceptu, sed hac praerogativa asserta Mariae quae concepit Emmanuelem. Reliquum est igitur ut inferendo concludamus I. doctrinam de immaculato Deiparae conceptu haereticis iuxta atque orthodoxis fuisse communem, proindeque II. talem iure merito existimari, quae totius christiani nominis suffragio comprobetur.

1816. *Scholion II.* Explanata christiani nominis persuasione de immaculato Deiparae conceptu, neque viris eruditis molestum, neque caussae accidet intempestivum, si de sententia pariter tum rab-

dicant. Altamura autem et Antonius senensis opus illud cuidam Dominico de Pantaleonibus qui sec. XIII. floruit in ordine praedicatorum diserte attribuunt. Hinc Echardus T. I. pag. 89. de priori plurium auctorum opinione sic asseveranter pronuntiat: *his omnibus et siqui sunt alii qui idem adstruant, hallucinandi occasio fuit quod noster Dominicus de Pantaleonibus florentinus librum scripsit hoc titulo* de corpore Christi, *et quod erat discipuli ob nominis cognationem magistro tribuerunt.* Nos non dirimimus hanc controversiam, quae ex diligenti operis istius perquisitione et oculata mss. codicum inspectione decidenda esset. »

1) Videsis Natalis Alexandri H. E. saec. XIII-XIV. cap. VII. art. V. §. V. pag. 187.

Digitized by Google

binorum tum mahumetanorum compendio disseruerimus. Itaque Petrus Galatinus ubi rabbinorum placita sedulo colligit atque in classes studiose diribet, haec statuit [1]) ad rem nostram inprimis pertinentia: « Quod mater Messiae ab aeterno fuerit a Deo praevisa filium eius conceptura, atque Messiam verum Deum et hominem paritura. Quod amore matris regis Messiae filii eius Deus mundum creaverit, quia praeviderat ipsos a peccato Adae immunes futuros. Quod mater Messiae non fuit in peccato originali concepta, et quod ipsa fuit ante peccatum Adae secundum materiam creata, et caro ipsius semper ab omni macula peccati praeservata. Quod mater Messiae fuit prima in genere humano creatura, estque omnium hominum mater atque cunctis angelis superior secundum priscorum talmudistarum sententiam. Quod opinio de immaculata gloriosae Virginis conceptione vetustissima est. Quod intemerata mater Messiae absque libidine et concupiscentia genita sit, et quod merito passionis Christi exhibendae, fuerit Virgo gloriosa a peccato originali modo nobilissimo redempta. » Porro quod de vulgata penes rabbinos sententia Galatino visum est, idipsum Raymundus Martinius et Ludovicus Marraccius de mahumetanis repeti oportere existimarunt. Prior enim veluti indubium [2]) sumit, *Christum et matrem eius secundum saracenos sine peccato fuisse conceptos*; alter vero eisdem gemina tribuit tum [3]) in prodromo ad Alcorani refutationem, tum [4]) ubi tertiam suram, quae [5]) inscribitur *familia Amram*, expendit ac profligat. Quoniam vero longe plura atque accommodatiora ex mahumetanorum libris afferri posse arbitror ac ex iis uterque deprompserit; sermonem idcirco ita moderabor, ut iis quae ad Deiparae biographiam, insignesque eiusdem dotes generatim spectant, illa mox subiiciam quae ad ipsius conceptum speciatim revocantur.

1817. Itaque I. solemne moslemis est, Deiparae origines miraculo adscribere, illamque ex effoeta iam matre progenitam arbitrari. Ubi enim in Alcorano quem vocant [6]) *librum Dei*, haec

1) De arcanis catholicae veritatis lib. VII. capp. I-II-III-IV-V-VIII-IX. pagg. 209-288.

2) Pug. fidei P. II. dist. III. cap. VII. §. XV.

3) Prodrom. ad Alcor. refutat. P. IV. pagg. 86-87.

4) Refut. in suram III. Alcorani pagg. 111 seqq.

5) Verba arabica sunt سُورَةُ آلِ عِمْرَانَ

6) De hac appellatione كِتَابُ اللهِ eiusque potestate videas Marraccium in Mahumeti vita cap. VI. pag. 42.

Digitized by Google

verba [a]) occurrunt, *memento cum dixit uxor Amram, Domine mi, certe ego vovi tibi quod est in utero meo liberum: suscipe ergo a me, tu quippe es auditor, cognitor;* eiusdem interpres Gelal [b]) subdit: « Anna haec appellabatur, quae iam senuerat prolemque desiderabat. Oravit Deum, et se gravidam esse persuasit. » Solemne II. eisdem est profiteri, Deiparam ab ipso iam materno sinu uni Deo fuisse sacratam. Alcorani verba quae modo adduximus, nequeunt esse luculentiora, neque minus luculenta videri ea debent quibus Gelal [c]) explanat appositum *liberum*, inquiens: « Liberum ab occupationibus et negotiis mundanis administrandum in domo sancta tua. » Neque minus III. solemnia eisdem sunt quae docent sive de Deipara quae in templo degerit, sive de modo prorsus singulari quo illam angeli fovendam alendamque susceperint. Huc enim faciunt ista [d]) ex Alcorano: « Suscepit ergo eam *(Mariam)* Dominus eius *(in templo)* susceptione pulcra, et germinare fecit eam germine pulcro: et suscepit eam in curam Zacharias. Quotiescumque ingrediebatur ad eam Zacharias in adytum, inveniebat apud eam cibum. Dixit, o Maria, undenam tibi hoc? Respondit, hoc est a Deo: nam Deus praebet alimenta cui vult sine computatione.» Quem locum Gelal [f]) hoc commentario enarrat: « Suscepit eam *(Deus)* a matre eius, et crescere fecit eam indole pulcra, et crescebat in una die quantum crescit infans in uno anno. Attulit autem eam mater ad pontifices praesides templi, et ait: offero vobis hanc votivam oblationem. Illi vero laetati sunt de ea, eo quod esset filia Amram antistitis ipsorum. Dixit autem Zacharias, mihi haec iustius debetur

a) Sur. III. v. 35. pag. 109.

• إِذْ قَالَتِ ٱمْرَأَةُ عِمْرَانَ رَبِّ إِنِّي نَذَرْتُ لَكَ مَا فِي بَطْنِي مُحَرَّرًا فَتَقَبَّلْ مِنِّي إِنَّكَ أَنْتَ ٱلسَّمِيعُ ٱلْعَلِيمُ

b) Apud Marraccium pag. 111.

حَتَّىٰ لَمَّا سَنَتْ وَٱشْتَافَتْ لِلْوَلَدِ فَدَعَتْ لَهُ وَأَحَسَّتْ بِٱلْحَمْلِ

c) Apud Marraccium pag. 111-112.

خَالِصَةً مِنْ شَوَاغِلِ ٱلدُّنْيَا لِخِدْمَةِ بَيْتِكَ ٱلْمُقَدَّسِ

d) Sur. III. v. 37. pag. 109.

فَتَقَبَّلَهَا رَبُّهَا بِقَبُولٍ حَسَنٍ وَأَنْبَتَهَا نَبَاتًا حَسَنًا وَكَفَّلَهَا زَكَرِيَّا كُلَّمَا دَخَلَ عَلَيْهَا زَكَرِيَّا ٱلْمِحْرَابَ وَجَدَ عِنْدَهَا رِزْقًا قَالَ يَا مَرْيَمُ أَنَّىٰ لَكِ هَٰذَا قَالَتْ هُوَ مِنْ عِنْدِ ٱللَّهِ إِنَّ ٱللَّهَ يَرْزُقُ مَنْ يَشَاءُ بِغَيْرِ حِسَابٍ •

f) Apud Marraccium pag. 112.

quam ceteris: qui accepta puella aedificavit ei coenaculum, et afferebat ei cibum et potum et unguenta. Invenit, autem apud eam fructus hyemales in aestate, et aestivos in hyeme.»

1818. His autem plane miris et supra communem hominum sortem evectis addi IV. laudes debent, quibus angeli ex moslemorum sententia Mariam celebrarunt, quaeque ipsam unice electam ostendunt. Eiusmodi namque sunt quae in Alcorano his verbis [a]) efferuntur: «Dixerunt angeli, o Maria, certe Deus elegit te, et puram fecit te, et super mulieres mundorum.» Ne vero V. tanta Deiparae ellogia ex animis umquam exciderent, en praemia quae Mahumetus, testibus [b]) Beidavio et Zamchascesio, iis spopondit qui illa recolerent: «Qui legerit suram, in qua commemoratur familia Amram, die Veneris, Deus et angeli orabunt super eum donec sol occubuerit.» Neque haec [c]) minora: «Qui legerit suram familiae Amram, pro unoquoque versiculo illius dabitur ei immunitas a carcere gehennae.» Et [d]) rursum: «Qui legerit suram Mariae donabitur decem bonis iuxta numerum eorum qui mendacii arguerunt Zachariam, et veracem praedicaverunt eum et Iohannem et Mariam et Iesum et ceteros prophetas in illa commemoratos: et iuxta numerum eorum qui Deum in hoc mundo invocaverunt et qui non invocaverunt.» Porro VI. non aliunde quam ex hac unica singularique electionis puritatisque excellentia repeti debet arctissima Virginis cum filio copulatio, quae tum alibi passim in Alcorano, tum his etiam Gabrielis verbis [e]) proponitur: «O Maria,

a) Sur. III. v. 42. pag. 109.

• قَالَتِ ٱلْمَلَائِكَةُ يَا مَرْيَمُ إِنَّ ٱصْطَفَيكِ ٱللَّهُ وَطَهَّرَكِ وَٱصْطَفَيكِ عَلَى نِسَآءِ ٱلْعَالَمِينَ •

b) Apud Marraccium pag. 106.

• مَنْ قَرَأَ سُورَةَ ٱلَّتِي تُذْكَرُ فِيهَا آلُ عِمْرَانَ يَوْمَ ٱلْجُمُعَةِ صَلَّى ٱللَّهُ عَلَيْهِ وَٱلْمَلَائِكَةُ حَتَّى تَغِيبَ ٱلشَّمْسُ •

c) Ibid. pag. 106.

• مَنْ قَرَاءَ سُورَةَ آلِ عِمْرَانَ أُعْطِيَ بِكُلِّ آيَةٍ مِنْهَا أَمَانًا عَلَى جِسْرِ جَهَنَّمَ •

d) Ibid. pag. 433.

• مَنْ قَرَأَ سُورَةَ مَرْيَمَ أُعْطِيَ عَشْرَ حَسَنَاتٍ بِعَدَدِ مَنْ كَذَّبَ زَكَرِيَّا وَصَدَّقَ بِهِ وَيَحْيَى وَمَرْيَمَ وَعِيسَى وَسَائِرَ ٱلْأَنْبِيَاءِ ٱلْمَذْكُورِينَ فِيهَا وَبِعَدَدِ مَنْ دَعَا ٱللَّهَ فِي ٱلدُّنْيَا وَمَنْ لَا يَدْعُو ٱللَّهَ •

e) Sur. III. v. 45. pag. 109.

• يَا مَرْيَمُ إِنَّ ٱللَّهَ يُبَشِّرُكِ بِكَلِمَةٍ مِنْهُ ٱسْمُهُ ٱلْمَسِيحُ عِيسَى ٱبْنُ مَرْيَمَ وَجِيهًا فِي ٱلدُّنْيَا وَٱلْآخِرَةِ وَمِنَ ٱلْمُقَرَّبِينَ •

Digitized by Google

certe Deus annunciat tibi Verbum ex se: nomen eius erit Christus Iesus filius Mariae, conspicuum [1]) in hoc mundo et in futuro seculo, et ex approximatis *Deo*. » Apposite Gelal [2]) in commentario: « Alloquitur eam referendo ortum eius *(Christi)* ad ipsam, ut eam magis honoraret, quia paritura erat eum sine patre; quum ortus seu prosapia hominum soleat ad eorum patres referri. »

1819. Ab his autem miris plane eximiisque ne lato quidem ungue discedunt quae de reliqua post annuntiationem Deiparae vita moslemi unanimes testantur. Concors namque VII. vox omnium [3]) est atque sententia, ipsam perpetuo virginitati studuisse, eiusque fulgoribus perenniter emicasse. Audiantur [a]) Alcorani verba in sura cui epigraphe est [4]) *prohibitio:* « Et proposuit Deus in exemplar iis qui crediderunt, Mariam filiam Amram quae custodivit virginitatem suam, et insuflavimus in eam de spiritu nostro. » Et [b]) in sura, cui titulus est [5]) *prophetae*, legimus: « Et illa [6]) quae custodivit virginitatem suam, et insuflavimus in eam de spiritu nostro, et posuimus eam et filium eius in miraculum omnibus seculis. » In utraque vero sura tam [7]) in ea quae inscribitur [8]) *familia Amran*, quam [9]) in altera cui titulus est [10]) *Maria*, totidem prope verbis referuntur hinc Gabrielis ad Deiparam legatio, inde Deiparae ad Gabrielem responsio. Quare in vulgatissimo penes indos mahumetanos libro qui [11]) *bestiae et homines* dicitur, et quo communes gentis tradi-

a) Sur. LXVI. v. 13. pag. 733.

وَضَرَبَ ٱللَّهُ مَثَلًا لِّلَّذِينَ ءَامَنُوا۟ مَرْيَمَ ٱبْنَتَ عِمْرَانَ ٱلَّتِىٓ أَحْصَنَتْ فَرْجَهَا فَنَفَخْنَا فِيهِ مِن رُّوحِنَا ●

b) Sur. XXI. v. 91. pag. 451.

وَٱلَّتِىٓ أَحْصَنَتْ فَرْجَهَا فَنَفَخْنَا فِيهَا مِن رُّوحِنَا وَجَعَلْنَٰهَا وَٱبْنَهَآ ءَايَةً لِّلْعَٰلَمِينَ ●

1) Videsis suram XIX. v. 32. pag. 429.

وَٱلسَّلَٰمُ عَلَىَّ يَوْمَ وُلِدتُّ وَيَوْمَ أَمُوتُ وَيَوْمَ أُبْعَثُ حَيًّا ●

2) Apud Marraccium pag. 112.

خَاطَبَهَا بِنِسْبَتِهِ إِلَيْهَا تَنْبِيهًا عَلَى أَنَّهَا تَلِدُهُ بِلَا أَبٍ عَادَةَ ٱلرِّجَالِ تَنْسِبَتُهُمْ إِلَى آبَائِهِمْ ●

3) Arabes omnes et sonnitae integerrimam Deiparae virginitatem profitentur, et una est latulenta schiaitarum factio quae secus opinatur.

4) Ea surae titulum سُورَةُ ٱلتَّحْرِيمِ

5) Arabice سُورَةُ ٱلْأَنْبِيَآءِ

6) Antonomastice Maria dicitur virgo et custos virginitatis.

7) Sur. III. v. 47. pag. 109.

8) Idest سُورَةُ آلِ عِمْرَانَ

9) Sur. XIX. v. 20. pag. 428.

10) Idest سُورَةُ مَرْيَمَ

11) Arabice ٱلْوُحُوشُ وَٱلْأَنَاسِىُّ

tiones continentur, haec inter alia [a]) occurrunt: « Laus Deo, qui oriri fecit Iesum ex utero Mariae virginis intactae. » Praeterea VIII. concors omnium vox est atque sententia, Deum [1]) singulari prorsus cura Virgini consuluisse, atque in eiusdem calumniatores acerbissimis poenis animadvertisse. Nullum vero IX. finem faciunt sive [2]) laudandae constantiae, qua Deipara iuxta crucem immota constitit, sive [3]) celebrandi doloris quo dominicam mortem prosequuta est, sive extollendae pietatis quam filius in ipsam praesetulit. Hinc eiusdem verba, quibus [b]) beneficia commemorans in se a Patre collata, postremo loco ait: « Et fecit me Deus pium erga genitricem meam, et non insolentem et infelicem. » E qua filii in matrem pietate duo prae ceteris repetenda sunt, quorum alterum ad genitricis exitum atque gloriam, et alterum ad eiusdem cum filio in praeclarissimis quibusque donis, ea ratione qua decet, consortium revocatur. Et X. de priori quidem capite insignia sunt quae in sura inscripta [4]) *fideles*, his verbis [c]) proponuntur: « Et posuimus filium Mariae et matrem eius in miraculum, et recepimus utrumque in locum sublimem, habentem quietem et fontem aquae purae. » Neque XI. minus insignia sunt quae in sura cui titulus [5]) *mensa*, Deus Christum alloquens [d]) ait: « O Iesu fili Mariae, memento beneficentiae meae erga

a) Sec. II. pag. 89.

• سُبْحَانَ لِلّٰهِ جو عِيسى مَرْيَم اَلْبَتُول كِى بَطْن سى بَيْدا كِيًا •

b) Sur. XIX. v. 30. pag. 429.

• سُورَةُ مَرْيَم • وَيَجْعَلْنِي مُبَارَكًا أَيْنَمَا كُنْتُ . . . (v. 31.) وَبَرًّا بِوَالِدَتِي وَلَمْ يَجْعَلْنِي جَبَّارًا شَقِيًّا •

c) Sur. XXIII. v. 52. pag. 470.

• وَجَعَلْنَا اَبْنَ مَرْيَمَ وَأُمَّهُ آيَةً وَآوَيْنَاهُمَا اِلَى رَبْوَةٍ ذَاتِ قَرَارٍ وَمَعِينٍ •

d) Sur. V. v. 119. pag. 234.

• يَا عِيسَى اَبْنَ مَرْيَمَ اُذْكُرْ نِعْمَتِي عَلَيْكَ وَعَلَى وَالِدَتِكَ •

1) Sur. IV. v. 155. et Sur. XIX. vv. 26-27.

• وَبِكُفْرِهِمْ وَقَوْلِهِمْ عَلَى مَرْيَمَ بُهْتَانًا عَظِيمًا • فَاَتَتْ بِهِ قَوْمَهَا تَحْمِلُهُ قَالُوا يَا مَرْيَمُ لَقَدْ جِئْتِ شَيْئًا فَرِيًّا يَا أُخْتَ هَارُونَ مَا كَانَ أَبُوكِ اِمْرَءَ سَوْءٍ وَمَا كَانَتْ أُمُّكِ بَغِيًّا •

2) Videsis Marraccium ad refutat. in sur. III. pagg. 113-114.

3) Cf. eumdem in prodrom. P. III. cap. XIX. pag. 68.

4) Arabice اَلْمُؤْمِنِين

5) Arabice سُورَةُ اَلْمَائِدَة

Digitized by Google

te et erga genitricem tuam. » Quibus explicandis illustrandisque egregie conferunt quae Deus mox [a]) subdit: « O Iesu fili Mariae, tu ne dixisti hominibus, accipite me et matrem meam in duos deos praeter Deum? » Iamvero XII. prudenter notat [b]) *Srinathel Hindi* in Alcorani doctrina versatissimus, *futurum numquam ut Mahumetus haec litteris consignaret, si qua vixit aetate, marianus cultus non fuisset celeberrimus.* Cui ostendendae celebritati ea pariter faciunt, quibus Mahumetus [c]) in sura [1]) *mulieres* dicta christianos compellat: « O scripturales, ne limitem excedatis in religione vestra, neque dicatis de Deo nisi veritatem, neque dicatis tres: abstinete ab hoc, nam melius erit vobis, quippe Deus est unus. » Apposite [d]) Gelaleddimus: « Ne dicatis esse tres deos, nempe Deum, Iesum et matrem eius. Et hi qui haec dicebant, erant [2]) secta quaedam christianorum. » Neque aliter [e]) Iahias filius Salami et Mohammedus filius Abdallahi ex auctoritate Cottadae: « Sunt infideles qui dicunt, Deus est tertius trium. Dixit Cottada, hi sunt qui dicebant, Iesus est Deus, et mater eius est Deus, et Deus est Deus. » Paullo

a) Ibid. v. 125. pag. 234.

يَا عِيسَى ٱبْنَ مَرْيَمَ أَنتَ قُلْتَ لِلنَّاسِ ٱتَّخِذُونِي وَأُمِّيَ إِلَٰهَيْنِ مِن دُونِ ٱللَّهِ •

b) Refero eiusdem verba quae ita se habent:

فَٱفْتَكَرْ فِي أَيِّ مَكَانٍ ٱلْخَلَائِقِ وَٱلسَّعَةِ كَانَتْ عِبَادَةُ سَيِّدَتِنَا مَرْيَمَ ٱلْعَذْرَاءِ فِي زَمَانِ مُحَمَّدٍ لَعَنَهُ ٱللَّهُ وَلَوْلَا ذَالِكَ لَمَا كَانَ يَضُمُّ ذَالِكَ ٱلْوَصْفَ ٱلْمُكَرَّمَ بِكِتَابِهِ أَبَدًا •

c) Sur. IV. v. 169. pag. 176.

يَا أَهْلَ ٱلْكِتَابِ لَا تَغْلُوا فِي دِينِكُمْ وَلَا تَقُولُوا عَلَى ٱللَّهِ إِلَّا ٱلْحَقَّ وَلَا تَقُولُوا ثَلَاثَةٌ ٱنتَهُوا خَيْرًا لَّكُمْ إِنَّمَا ٱللَّهُ إِلَٰهٌ وَاحِدٌ •

d) Apud Marraccium pag. 178.

يَعْنِي ٱللَّهُ وَعِيسَى وَأُمُّهُ

e) Apud Marraccium pagg. 178–179.

لَقَدْ كَفَرَ ٱلَّذِينَ قَالُوا إِنَّ ٱللَّهَ ثَالِثُ ثَلَاثَةٍ قَالَ قُتَادَةُ قَالُوا عِيسَى إِلَٰهٌ وَأُمُّهُ إِلَٰهٌ وَٱللَّهُ إِلَٰهٌ •

1) Arabice سُورَةُ ٱلنِّسَاءِ

2) Collyridianos intellige, de quibus praeter Epiphanium disserunt ex christianis quidem Georgius Almacinus et Eutychius alexandrinus, ex moslemis vero Abu-nasar et Ahmedus filius Abdalhalimi, qui apud Marraccium pag. 179. addit وَهَذِهِ ٱلْفِرْقَةُ قَدْ بَادَتْ *Haec vero secta iam prorsus abolita est.*

plenius [a]) Bedavius: « Ne dicatis tres, idest tres Deos, nempe Deum, Christum et Mariam. Nam constat ipsos christianos dicere, Deum esse tres personas, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Intelligunt autem [1]) per Patrem essentiam, per Filium scientiam, et per Spiritum sanctum vitam. »

1820. Quare huc redit mahumetanorum de Virgine consensus: I. eam fuisse mirifice conceptam: II. mirifice ab ipsis incunabulis uni Deo dicatam, in templi deinde adytis custoditam atque ab angelis in tutelam susceptam: III. dignam fuisse quae angelicis vocibus a Deo eximie electa et universis praehabita celebraretur: IV. dignam quae Christi mater exsisteret: V. dignam quae inter virgines tamquam κατ' ἐξοχήν Virgo emineret: VI. dignam cuius eximiae virtutes summis laudibus extollerentur: VII. dignam quae instar miraculi proposita diceretur: et VIII. dignam quae cum filio penitissime coniuncta et simillimis aucta donis ad Deum quam proxime accederet. Quum vero talis sit Deiparae species quae mahumetanorum animis obversatur, quaenam fuisse eiusdem primordia, iis auctoribus, existimabimus? Ne diu haereamus ancipites, Tacit Annae oratio ad Deum fusa, quam his verbis [b]) Alcoranus complectitur: « Domine mi, en peperi eam, eamque nominavi Mariam; et ego facio eam ad te in refugium confugere, eam eiusque prolem a facie satanae fulmine percussi. Suscepit ergo illam Dominus eius susceptione pulcra, illamque germinare fecit germine pulcro. » Quibus rite intelligendis non minimum conducit ad eam traditionem advertere quae ex ipso profecta Mahumeto ad Gelal uddin pervenit, atque ita [c]) se habet: « Traditum est neminem nasci inter

a) Ibid. pag. 179.

لَا تَقُولُوا ثَلَاثَةٌ أَيْ الِهَةٌ ثَلٰثَةٌ ٱللّٰهُ وَٱلْمَسِيحُ وَمَرْيَمُ أَنْ مَعَ أَنَّهُمْ يَقُولُونَ ٱللّٰهُ ثَلٰثَةُ أَقَانِيمَ ٱلْأَبُ وَٱلِابْنُ وَٱلرُّوحُ ٱلْقُدُسُ وَيُرِيدُونَ بِٱلْأَبِ ٱلذَّاتَ وَبِٱلِابْنِ ٱلْعِلْمَ وَٱلْقُدُسِ ٱلْحَيَاةَ •

b) Sur. III. v. 36. pag. 109.

رَبِّ إِنِّي وَضَعْتُهَا ... وَإِنِّي سَمَّيْتُهَا مَرْيَمَ وَإِنِّي أُعِيذُهَا بِكَ وَذُرِّيَّتَهَا مِنَ ٱلشَّيْطَانِ ٱلرَّجِيمِ (37) فَتَقَبَّلَهَا رَبُّهَا بِقَبُولٍ حَسَنٍ وَأَنْبَتَهَا نَبَاتًا حَسَنًا •

c) Apud Marraccium pag. 112.

وَفِي ٱلْحَدِيثِ مَا مِنْ مَوْلُودٍ يُولَدُ إِلَّا مَسَّهُ ٱلشَّيْطَانُ حِينَ يُولَدُ فَيَسْتَهِلُّ صَارِخًا إِلَّا مَرْيَمُ وَٱبْنَهَا •

1) His autem non expositio christianae doctrinae, sed eiusdem corruptela perhibetur.

Digitized by Google

nascentes *(hoc est, neminem prorsus)*, quin illum tangat satanas dum nascitur, et idcirco in vagitus erumpit, praeter Mariam et filium eius.» Huic autem traditioni perspicue suffragantur [1]) Abuhoreira et Thalabiensis, et post utrumque [a]) Cottada inquiens: «Omnis natus ex Adam confoditur in latere suo tactu maligno satanae quando nascitur, praeter Iesum et matrem eius: posuit enim Deus inter eos et satanam velamen *(septum)*, et constitit tactus ille malignus in velamine, et nihil ex ipso usque ad eos ullatenus pertigit. Haec dixit *(Mahumetus)*, et narratum nobis praeterea est, quod uterque nullum umquam admiserit peccatum, sicuti committunt reliqui filii Adam.»

1821. Itaque ad peccatum quod attinet, una eademque exhibetur tum Iesu tum matris eius conditio, proindeque sicuti ille a satana semper seiunctus, ita haec ab eodem semper divisa perhibetur: et sicuti ille in nativitate iuxta ac in reliqua vita cuiusvis exsors labis praedicatur, ita huic eadem praerogativa [2]) defertur. At vero cuiusmodi censeri peccatum debet, quod neque Iesu neque Mariae natales polluerit? Non aliud quam quod christiani originale nominamus, ipsaque generatione transfusum profitemur. Quod quidem I. liquet ex perpetua Iesu et Mariae a quovis cum satana consortio separatione. Liquet II. ex moslemorum anthropologia qua docent hominem in materno sinu neque bonum dici posse neque malum, sed in media quadam conditione versari, et tum primum evadere malum quum ex sinu in lucem prodiens contactu halituque satanae inficitur, eiusque tyrannica ditione tenetur. Liquet III. ex verbo طَعْنَة quo contactus afflatusque mortiferus significatur, cuius quis antea expers, malus primum efficitur. Ac denuo IV. liquet ex verbo مَسّ quod nonnisi de primo contactu, quemque nul-

a) Ibid. pag. 112.

كُلُّ آدَمِيٍّ يُطْعَنُ بِطَعْنَةِ ٱلشَّيْطَانِ فِي جَنْبِهِ حِينَ يُولَدُ غَيْرُ عِيسَى وَأُمِّهِ جُعِلَ بَيْنَهُمَا حِجَابٌ فَأَصَابَتِ ٱلطَّعْنَةُ ٱلْحِجَابَ وَلَمْ يَنْفُذْ إِلَيْهِمَا مِنْهُ شَيْءٌ : قَالَ وَذُكِرَ لَنَا أَنَّهُمَا كَانَا لَمْ يَصِيبَانِ مِنَ ٱلذُّنُوبِ كَمَا يُصِيبُهُ سَائِرُ بَنِي آدَمَ •

1) Ibid. pag. 112.

2) Si sermo sit de immunitate a quavis actuali noxa, Iohannes quoque prodromus ea auctus perhibetur sur. XIX. v. 13. pag. 428. Hinc quod Gelal de ipso scribit apud Marraccium pag. 434. *Habetur ex traditione, illum (Iohannem) nullum fecisse peccatum, et ne de illo quidem faciendo deliberasse.*

رُوِيَ أَنَّهُ لَمْ يَعْمَلْ خَطِيئَةً وَلَمْ يَهُمَّ بِهَا •

lus praeverterit, constanter frequentatur. *Omnia igitur eo pertinent ut Mahumeto pariter ac mahumetanis ratum fixumque ostendatur, Iesu et Mariae vitam nullo umquam peccati naevo fuisse infectam, sed originali actualique puritate semper nituisse.*

1822. Verum quam fidem huic sententiae adiungemus, quodve pretium huic persuasioni deferendum existimabimus? Omnino nullum, si auctor sententiae Mahumetus, et persuasionis testes mahumetani considerentur. Homines namque improbitate atque imperitia insignes eiusmodi videri nequeunt, quorum vel adhibeatur auctoritas vel suffragium proponatur. Duo tamen suppetunt, *alterum infinite patens et alterum proprium privumque*, quae moslemorum doctrinam traditionemque in praesentia commendant, eiusque usum apprime utilem patefaciunt. Sane quum de iis sermo est quae ad christianorum placita et ad Iesum eiusque genitricem Mariam spectant, nemo est [1]) paullo eruditiorum quem fugiat, pleraque omnia in Coranum ex iis dimanasse quae in christianis instrumentis monimentisque sive genuinis sive apocryphis continentur. Praeclare Ludovicus Marraccius [2]) de Mahumeto: « Nihil fere sacrarum Scripturarum intactum relinquit, de Adam et Eva, de Cain et Abel, de Noe, de Henoc, de Abraham, de Isaac et Iacob et Ismael, de Moyse et Pharaone, de Saul, David, Salomone, Ezra, Iesu Christo, beata virgine Maria, Zacharia, Iohanne baptista, et aliis fere omnibus, qui in sacris libris recensentur. Praeterea de septem dormientibus, de martyribus sub Dunaam tyranno, et aliis nonnullis historiis ecclesiasticis. » Et [3]) mox: « Quaedam etiam habent ad virtutes morales et theologicas spectantia, quae ex christianorum libris vel colloquiis hausisse non est dubitandum. » Quibus haec [4]) subiungit: « Porro ea fuit antiqui hostis versutia, ut ad novae sectae fidem facilius conciliandam transfigurans se in angelum lucis inter absurda plurima, falsa, impia ac ridicula, multa etiam pia, sana, vera et omnino catholica permisceret. Voluit scilicet inimicus homo zizania bono semini superseminare, quod seductores ac novarum sectarum auctores pene omnes facere consueverunt, quo simpliciores homines facilius in errores suos attraherent. Recte monet [5]) sanctus Au-

1) Legi possunt Hinckelmannus ad suram III. Corani, Henricus Sikius in notis ad arabicum infantiae evangelium, Schwarzius in comm. ad idem evangelium et Tischendorfius in disquisit. de evangeliorum apocryph. usu et origine.

2) De vita Mahumeti cap. III. pag. 35.
3) Ibidem.
4) Ibidem.
5) Quaest. evang. lib. II. cap. XL.

Digitized by Google

gustinus, *nulla falsa doctrina est, quae non aliqua vera permisceat.*» Alibi vero statuit [1]): « Mahumetum nihil aliud fecisse quam veram et prope universalem in orbe religionem corrupisse, novamque ac perversam superstitionem invexisse a qua si ea quae a christiana desumpsit, auferantur, *moveat cornicula risum furtivis nudata coloribus.* » Quamquam igitur nulla Corano insit auctoritas, et quamquam pondus omnino nullum sive Corani interpretibus, sive moslemorum dogmatis iure merito vindicetur; ne tamen ex hisce derivata lacunis penitus seponantur, illud facit quod non infrequenter illorum ectypum atque imaginem praeferant quae christiana institutione comprehenduntur.

1823. In quorum album referri illa oportere quae de Virgine eiusque immaculata origine commemoravimus, alterum persuadet quod *proprium privumque* diximus, quodque iam paullo diligentius enarrabimus. Itaque si mutuo comparentur hinc quidem quae de primordiis Deiparae eiusque universim biographia in Corano et in Corani commentariis habentur, inde vero quae eodem pertinentia traduntur sive [2]) in historia Iosephi fabri lignarii, in evangelio infantiae Servatoris, in protevangelio Iacobi, in evangelio de nativitate sanctae Mariae et in historia de nativitate Mariae et de infantia Salvatoris, sive in libris scriptorum ecclesiasticorum, Gregorii nysseni [3]), Pseudo-Epiphanii [4]), Epiphanii [5]), Gregorii antiocheni [6]), Pseudo-Evodii [7]), Epiphanii monachi [8]), Glycae [9]), Nicephori [10]), Phocae [11]), Cedreni [11]), aliorumque; in oculos continuo suaque veluti sponte incurret, vix quidquam priore monimentorum genere efferri quod posterius non contineat, eiusque auctoritate non comprobetur. Doctrina igitur ac traditio tam Corani quam moslemorum de singulari Deiparae innocentia, deque immaculato eiusdem conceptu qui tanto puritatis splendori respondeat, eorum numero haberi debent quae penes christianos vulgatissima, ipsi quoque Mahumeto eiusque asseclis innotuerint. Quae vero ita se habent, suis ex fontibus aucto-

1) In praefat. ad Coranum pag. 9.

2) Videsis cod. apocryph. novi testamenti, auctore Carolo Thilo, pagg. 1. seqq.

3) In diem nat. Christi pag. 346. opp. T. III.

4) Orat. de laudibus Mariae pagg. 292. seqq.

5) Ancorat. n. 60., et haeres. LI. n. 10., LXXVIII. n. 8., LXXIX. n. 5.

6) Trag. de Christo pat. vv. 1356. seqq.

7) Cf. Thilo pag. 349., ubi alios quoque testes enumerat.

8) In vita Mariae.

9) Cf. Tischendorfium diequisit. cit. pag. 89.

10) H. E. lib. I. cap. VII.

11) Apud Allatium in Συμμικτ. pag. 11.

12) Cf. Tischendorfium l. c. pag. 88. Adde tum Hippolytum thebanum in chron. apud Fabricium I. 47. et Nicetam paphlagonem in biblioth. max. pp. T. XXVII. pag. 423.

Digitized by Google

ritatem mutuantur, eoque pertinent ut priscam christianorum fidem aperiant luculenterque declarent. Suffragio igitur Corani receptaque apud moslemos traditione efficitur, praerogativam immaculati Deiparae conceptus prisca christianorum fide sententiaque communiri.

1824. *Corollarium. Infidelium et haereticorum conspiratione indicium continetur illudque splendidum, quo traditio de immaculato Deiparae conceptu antiqua et omnino authentica censeatur.*

ARTICULUS V.

Quid romanae ecclesiae visum sit de immaculato Deiparae conceptu, quaeque ad illius mentem assequendam conducant: recensentur accurate, eaque primum quae Sixti IV. pontificatum antecessere: tum ea quae deinceps ad nostram usque aetatem consequuta sunt: probatio eaque decretoria quae ex hisce dimanat: haec iis confirmatur quae tridentini patres vel unanimes definierunt, vel numero omnino plures tenendum esse existimarunt: conclusio, institutaeque probationis expolitio.

1825. Licet vulgatissima sint, numquam tamen repeti satis possunt Irenaei verba quibus de romana ecclesia [1]) scripsit: « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per [2]) sibiplacentiam vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sententiam praeter quam oportet [3])

1) Contr. haeres. lib. III. cap. III. n. 2. pagg. 428-431.

2) Adolphus Stieren in subiecta adnotatione ad v. *sibiplacentiam* ait: « Sic omnes codd. praeter claromontanum, in quo *sibiplacentia* legitur, quum abbreviationis nota supra *a* extremum sit expuncta. At editt. Erasm. Gall. Fevard. Grab. *sui placentiam malam*; Massuetus vero cum clarom. legit *sibi placentia*. Quod habent pleraeque editt. *malam* expunximus cum Massueto, quum absit ista vox in omnibus codicibus. Nostram lectionem comprobarunt Rothius in *Anfange der christl. Kirche pag.* 357. et Thierschius in *Theol. Studien u. Kritiken*, Iahrg. MDXLII. Fasc. II. pagg. 512. seqq. » Porro *sibiplacentia* vocabulum est recens fictum, quo exprimatur substantivum αὐταρέσκεια formatum ab adiectivo αὐτάρεσκος, et nullatenus ab ingenio interpretis Irenaei abhorret. Eiusdem namque ista sunt, *mysterialiter* μυστηριωδῶς, *intimorate* ἀδιῶς, *impudorate* ἀναισχύντως, *verbosari* φλυαρεῖν, *requietio* ἀνάπαυσις et *coinfantatum est Verbum* συνηνεπλάγη ὁ λόγος.

3) Ea Billii verba observatt. sacr. lib. II. cap. V: « Nescio an quisquam graecae linguae ignarus, quid sit *praeterquam oportet colligere*, intellectu assequi possit. His enim verbis non dubito quin interpres graecam vocem παρασυνάγειν reddere studuerit, quam tamen dilucidius vertisset *praeter ius fasque conventus agere*. Socrates in H. E. lib. V. cap. XXI. Sabbatium

Digitized by Google

colliguntur. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire [1]) ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis traditio. » Neque umquam satis repeti possunt quae Tertullianus de eadem loquens ecclesia litteris consignavit [2]) inquiens: « Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Statu felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Iohannis exitu coronatur, ubi apostolus Iohannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesserarit. » Refert igitur quam quod maxime probe enucleateque novisse, quae huius nobilissimae ecclesiae omnium matris ac magistrae de immaculato Deiparae conceptu mens fuerit, quidve de ipso senserit ac pro temporum adiunctorumque opportunitate sapientissime declararit.

1826. Itaque ut ab eo ordiar prolixo seculorum spatio, quod a romanae ecclesiae incunabulis ad Sixtum IV. defluxit, duo sunt quae prae ceteris habenda ob oculos videntur. Et principio quidem a vetustissimis omnino temporibus obtinuisse, ut in romana non minus ecclesia quam in reliquis Occidentis atque Orientis ecclesiis nativitas Deiparae insigni cultu honoraretur. Omitto eorum commemorationem [3]) quae *hoc factum* extra dubitationem situm ostendunt, illudque e vestigio colligo quod penitissime cum eodem devinctum deprehenditur. Scilicet deprehenditur romanam ecclesiam tanto seculorum intervallo *sin minus verbis ac distincte, factis saltem atque confuse* significasse, utramque Virginis *in sinu* atque *ex sinu* originem sanctam sibi fuisse ac labis prorsus omnis expertem. Sed unde huius consequutionis firmitas et evidentia? Quod certis [4]) probatum argumentis dederimus, festum cultumque natae Deiparae

novatianum, quum relictis suis 'privatos conventus agere coepisset, παρασυναξεις dicit. Quid autem inter haeresim, schisma et παρασυναγωγην vel παρασυναξιν intersit, vide Basilium in epist. canonica ad Amphilochium can. I. » Verum quum Irenaei oratio illos feriat non qui clandestinos et vetitos conventus agerent, sed qui christianam doctrinam perverterent; multo satius arbitror eiusdem verba sic interpretari, *praeterquam oportet ac fas est ratiocinantur et colligunt.*

1) Miror Neandrum (*Kirchengesch. I.* 210.) instaurare potuisse grabianam enarrationem toties profligatam et ab ipso quoque Thierschio reiectam de legatis ex omnibus ecclesiis Romam convenientibus.

2) Praescriptt. cap. XXXVI.

3) Legi autem haec possunt apud Baronium in notis ad martyrolog. rom. die VIII. Septembris, Martenium de antiqua ecclesia disciplina in divinis celebrandis officiis cap. XXXIV. et Plazzam in apparatu ad causam imm. concept. nn. 128. seqq.

4) nn. 1629. seqq.

eiusmodi fuisse, quo *indiscriminatim atque communiter* eiusdem origo sive in sinu sive ex sinu tamquam pura sanctaque [1]) celebraretur. Huc igitur redit quod de romana ecclesia *primum* novimus, *vix ullum designari tempus etsi remotissimum posse, quo ipsa solemni facto pioque cultu immaculatum Deiparae conceptum non asseruerit.*

1827. Obortis autem seculo XII. contentionibus, iisque acriter gliscentibus, pristinam retinuit consuetudinem; et quum plura in utramque partem [2]) dicerentur atque scriberentur, ipsa se *silentio* munivit. *Cuius silentii vim eximiamque prope dixerim facundiam* haud aegre intelligent qui secum animo recoluerint, viros sanctissimos summaeque in ecclesia existimationis ad ipsam provocasse, eiusque sententiam iudiciumque vehementer exquisiisse. Ad ipsam enim Bernardus [3]) decus atque columen seculi XII. provocavit. Neque ad ipsam minus provocavit Petrus abbas cellensis et episcopus deinde carnotensis, qui Nicolao s. Albani monacho [4]) ita disputanti, *non erat ab initio nativitas Virginis in ecclesia solemnis, sed crescente fidelium devotione addita est praeclaris ecclesiae solemnitatibus. Quare igitur non similiter et diem conceptionis obtineat sedulitas christianae devotionis?* Occurrit [5]) inquiens: « Licuit semperque licebit sponsam Christi ecclesiam quae in terris peregrinatur, secundum mutationes rerum, personarum et temporum variare rationes decretorum, et statuere sanctis adeptione gloriae frequentiam solemnitatum. Est tamen [6]) auro locus in quo conflatur, et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam quae claves caeli principaliter tenet. » Et [7]) alibi eundem alloquens Nicolaum scribit: « Virginem laudas, et ego laudo; praedicas sanctam, et ego; extollis super choros angelorum, dicis immunem ab omni peccato, et ego. Versa et reversa, in quolibet

1) Et de nativitate quidem *ex sinu* sunt haec praeclara quae Paschasius Ratbertus in opusc. de partu Virginis pag. 7. apud Acherium spicileg. T. XII. scribit: « Quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate ecclesiae *quod nullis quando nata est, subtacuit delictis.* » Quod autem ad originem quoque *in sinu* respiceretur, ex iis etiam eruitur quae Wasumburgius antiquitt. Galliae belgicae lib. II. apud Bollandianos T. III. Februarii pag. 12. et Andreas de Suassai in Martyrolog. gallic. ad diem IV. Maii referunt de s. Pulchronio episcopo virdunensi, qui seculo V. florens in sua dioecesi praecepit ut natalis Deiparae dies festus haberetur, eiusque simulacrum *serpentem pede conculcantis* spectandum proponeretur.

2) Videsis Thomae Stronzii controvers. de imm. concept. historice descript. lib. III. capp. XI. seqq.

3) Epist. CLXXIV. ad canonicos lugdunenses n. 9. pag. 172. opp. T. I.

4) Inter epistt. Petri Cellensis lib. VI. epist. XXIII. pag. 879. in max. pp. biblioth. T. XXIII.

5) Ibidem.

6) Iob. XXVIII. 1.

7) L. c. lib. IX. epist. X. pag. 906.

Digitized by Google

statu venerationis et glorificationis tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis monetae formam vis fabricare aliam, quam non approbavit sedes Petri, cuius est approbare vel improbare ordinem universalis ecclesiae; *pedem sisto et terminos constitutos non transgredior.* »

1828. Sed quid consilii romana ecclesia, quique eidem praeerant romani antistites ineundum esse existimarunt? Ferme nihil ageretur, nullae audirentur voces, omnia pacata forent ac tranquilla, constanter tacuerunt. Sed qui clamabant, viri erant spectatissimi: quae ciebantur turbae, ad percellendos animos inprimis factae videbantur: de cultu disputabatur, deque sententia lis erat cum gravissimis christianae professionis capitibus devincta: et quum pauci aliquot [1]) non defuerint qui ab honorando Deiparae conceptu abstinendum idcirco esse iudicarint, plerique tamen omnes [2]) in sententia firmius perstitere, et vigens iam celebritas maiora ubique incrementa [3]) habuit. Ita plane, et nihilominus romana ecclesia siluit, *ecclesiasticae magistra rationis* ne verbum quidem emisit, quae confirmare fratres debuit, suam auctoritatem non adhibuit, et quae vocum religionumque novitatibus semper obstitit, nullam omnino operam impendit ut cultum sententiamque quotidie invalescentem cohiberet. Ea siluit ecclesia, de qua nihil hisce verius quae magnus Leo [4]) scripsit: « Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac siquid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, celeri sollicitudine aut ab ignorantiae imperitia, aut a praesumptionis usurpatione revocemus. Manente [5]) enim dominicae vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves qui Christum diligit, pascat; ipsius sedis cui per abundantiam divinae gratiae praesumus, reverentia coarctamur, ut periculum desidiae quantum possumus declinemus: ne professio summi apostoli qua se amatorem Domini esse testatus est,

1) Hos inter numerandus videtur Mauritius Lombardi successor in parisiensi episcopatu, quemadmodum de eo testatur lib. III. summae tract. I. cap. III. Guillelmus altissiodorensis, qui anno MCCXL. claruit.

2) Cf. Strozzium op. cit. lib. III. capp. XIV. seqq., atque ea item cf. quae nos dedimus n. 1616.

3) Hinc illa Richardi victorini, quibus in sermone de b. Virgine enarrans Scripturae verba, *flos de radice eius ascendet*, monet dicta ea fuisse, *ut in beatae Virginis conceptione nullius intelligas originem culpae, sed sicut singulariter Deum concepit, sic singulariter concipi a Deo sibi datum fuit.*

4) Epist. XVI. ad univ. episcopos per Siciliam constitutos n. 1. pagg. 715-716.

5) Al. *monente* vel *admonente*.

non inveniatur in nobis: quia negligenter pascens toties commendatum gregem, convincitur summum non amare pastorem.» Nimirum propterea siluit quod duo probe nosset compertaque haberet, hinc quidem festum conceptionis, sententiamque cum hoc festo cohaerentem ne minimum quidem ab iis dissidere, quae ipsa constanter tenuit usuque frequentavit; inde vero nihil fuisse sive festo sive iunctae cum eo sententiae timendum, quum illud iugiter propagaretur, haec autem altiores quotidie radices ageret laetiusque virescret. *Silentium igitur quo tamdiu romana ecclesia usa est, si rite suisque vestitum adiunctis consideretur, nequit non videri facundum, sicque omnino comparatum ut tacito suffragio tacitaeque adprobationi tam cultus quam sententiae originalem Deiparae praevaricationem negantis respondeat.*

1829. Quibus non inanem exprimi coniecturam, sed sinceram germanamque illius oeconomiae interpretationem, quam romana ecclesia adhibendam putavit; quae ab aetate Sixti IV. ad nostra usque tempora insequuta sunt, liquido splendideque demonstrant. Incaluerant rursum [1]), Sixto pontifice, contentiones atque imminere periculum videbatur ne turbis ac seditionibus agitata ecclesia in scopulos syrtesque corrueret. Sensit periculum Pontifex, rem omnem diligentissime [2]) expendit, ratusque advenisse tempus quo apostolica Petri cathedra suam mentem promeret, facundoque silentio apertas voces adiungeret; festum conceptionis iam amplissime diffusum in romana quoque ecclesia [3]) instituit, Missa proprioque Officio auxit, erogatis indulgentiis nobilitavit, *sententiamque negantem* [4]) in patrocinium tutelamque recepit. Quo autem pacto tum ipse, tum reliqui deinde Pontifices maximi hanc tutelam exercuerint, id continuo explanabimus, atque perspicuitati consulentes, ea principio dabimus *quae pro negante sententia praestiterunt*, quibus ea succedent *quae adversus affirmantem declararunt.*

1830. Mens itaque ac voluntas fuit romanae sedis antistitum certissimis [5]) consignata monimentis, ne sententia negans origina-

1) Cf. Petrum Montium de unius legis veritate lib. I. cap. XLIX, Spondanum ad an. MCDLXXVI. nn. 1. seqq. et Wadingum in ann. Minorum ad annum MCDLXXVII.

2) Cf. Strozzium op. cit. lib. VII. capp. IV. seqq.

3) an. 1620. seqq.

4) Hoc formulae compendio eam significamus sententiam, qua Deipara in suis primordiis suaque animatione originali exors labis defenditur. Quare dum *affirmantem* nominamus *sententiam*, illam intelligimus qua Deipara communi sorte concepta perhibetur.

5) an. 1625. seqq.

Digitized by Google

lem Deiparae culpam sive haereseos, sive erroris, sive alterius cuiuspiam censurae acerbitate afficeretur. Tum II. mens eorumdem fuit ac voluntas neque minus perspicue neque minus solemniter [1]) patefacta, ut ea ipsa negans sententia ab omnibus haberetur cum ecclesiastico cultu inprimis [2]) consona, pia, vetus, propemodum universalis, academiarum conspiratione defensa nullis Scripturarum oraculis, nullisque traditionis testimoniis ad fidem faciendam idoneis contraria, ab ecclesia romana eo usque praehabita ut illam sibi fovendam tuendamque sclegerit, dignaque tandem quae [3]) in publicis officiis, precibus ipsaque liturgiae actione recepta ad eximium quemdam firmitatis evidentiaeque gradum proveheretur. Ne autem III. tot tantaque in favorem atque praesidium negantis sententiae sedulo adhibita suo fructu suoque robore privarentur, quae romani Pontifices *auctoritate docendi* disposuerant, eodem *iure ligandi* confirmarunt. Cuius iuris multiplex exercitium unus prae ceteris ostendit atque amplificavit [4]) Alexander VII.

1831. Huic autem oeconomiae illa e diametro opponitur, quam in sententiam affirmantem originalem Deiparae culpam Petri successores usurpandam esse censuerunt. Diffiteri sane neque possumus neque volumus, illam primum singulorum fuisse libertati permissam: immo diffiteri neque possumus neque volumus cordi semper supremis ecclesiae moderatoribus fuisse, ne illa a quovis privata auctoritate theologicis censuris inureretur. Sed dissimulare vicissim neque possumus neque volumus I. oculatissimos fuisse romanos antistites ne quid dicendo agendove innuerent, quo illam sibi utcumque probatam significarent: et II. tot ictus propria ipsorum manu in eam fuisse contortos, ut nihil sibi fecisse reliqui videantur quam ut illam proscribendo damnandoque conficerent. Ictus namque fuerunt quaecumque omnia [5]) ad cultum festumque conceptionis instituendum decorandumque praestitere: ictus fuerunt quae de obiecto festi cultusque [6]) nunquam immutati definita ab iisdem legimus: ictus fuerunt splendidissimae declarationes quibus negantem sententiam iugiter [7]) ornarunt: ictus fuerunt ellogia, quibus toties

1) nn. 1689. seqq.

2) In festis namque omnibus ab ecclesia colitur *sanctitas*; hinc illud Aquinatis sane tritum in S. III. p. q. XXVII. a. 1. et in III. dist. 1. q. 1. a. 1: *non celebratur festum in ecclesia nisi pro aliquo sancto.*

3) nn. 1620. seqq.

4) Constitut. *Sollicitudo omnium ecclesiarum* §§. VI-VII.

5) Est enim sicuti intimus ita evidens atque testatissimus nexus, quo cum obiecti sanctitate eiusdem cultus sociatur.

6) nn. 1695. seqq.

7) nn. 1622. seqq.

Digitized by Google

conceptionem Deiparae [1]) immaculatam proclamarunt: ictus fuerunt decreta, quibus hanc Baii thesim [2]) confixerunt, *nemo praeter Christum est conceptus sine peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* Ictus fuerunt repetitae plus semel constitutiones, quibus e publica luce publicisque conventibus affirmantem sententiam deturbarunt: ictus fuerunt dictae crebrius leges, quibus illam mentis cogitationumque penetralibus concluserunt: atque ictus fuerunt tum copia ab ea recedendi illis etiam [3]) facta, qui ad eiusdem defensionem religione iuramenti se quocumque tandem modo obstrictos arbitrarentur, tum facultas iis ipsis tributa, ut una cum universo catholicorum nomine conceptum Deiparae in precibus augustaque liturgia immaculatum profiterentur.

1832. Quibus omnibus sectione septima diligenter comprobatis atque nunc breviter compendioque perstrictis non sponte minus quam necessario ad hanc inferendi colligendique rationem perducimur. Fieri minime potest ut non sit verissima, extra quamvis falsitatis errorisque aleam sita ac prorsus infallibilis ea sententia cum publico praeceptoque cultu intime nexa, et cum gravissimis catholicae professionis capitibus ex sese penitissime cohaerens, quam I. romana sedes romanique Pontifices pluribus continenter seculis a quavis censura notaque theologica vigilantissime subduxerint; quam II. plurimis exquisitisque modis defenderint, ornarint atque unice sibi cordi esse probarique patefecerint; et prae qua III. adversus oppositam sententiam sese ita gesserint, ut hanc quin vel semel utcumque commendarint, iteratis contra vulneribus ad ipsam prope necem interitumque confixerint. Atqui [4]) talis omnino est ea

1) nn. 1698. seqq. His adde alias romanorum Pontificum constitutiones numero plurimas, quibus aut Deipara *immaculate concepta*, aut eius conceptio dicitur *immaculata*, *immaculatissima*, *sancta*, *sanctissima*, *purissima*, quasque sedulo referunt diligenterque perpendunt Carolus Latius de concept. cap. III., Vincentius Fassarius in idea theolog. trutinae disput. IX. decis. III. §§. 12. seqq. et Dominicus Lossada in discuss. theolog. super definibilit. immac. concept. disput. II. sect. IV.

2) Est propositio LXXIII. ex iis, quas Pius V., Gregorius XIII. et Urbanus VIII. condemnarunt. Quid autem ex hac damnatione sit consequens, egregie illustrant Plazza op. cit. act. V. art. II. nn. 107. seqq., et Iacobus Fontana in propugnata Clementis XI. constitutione contra errores Quesnelli, quorum septuagesimus ad baianam thesim expressus est.

3) Cf. I. Perrone S. I. disquis. theolog. de imm. B. V. Mariae conceptu app. II. pagg. 385. seqq.

4) Quod plurimi faciendum esse ii omnes dabunt qui haec animo reputaverint a Tertulliano in priore libro ad uxorem cap. III. sapienter scripta: *non propterea appetenda sunt quaedam quia non vetantur, etsi quodammodo vetantur dum alia illis praeferuntur: praelatio enim superior, dissuasio est infirmiorum.* Tum vero haec ex apologet. adversus gentes cap. XIII: *praelatio alterius sine contumelia alterius non potest procedere.*

Digitized by Google

sententia qua testamur, animam gloriosissimae Deiparae in sui creatione atque in corpus infusione, Spiritus sancti gratia auctam et ab originali peccato fuisse praeservatam; *haec igitur sententia nonnisi verissima, extra erroris aleam sita ac prorsus infallibilis, ex romanae ecclesiae declaratione habeatur ac depraedicetur oportet.* Iamvero eiusmodi est huiusce sententiae *materies et obiectum*, ut eiusdem veritas uno supernae revelationis lumine citra quodvis erroris periculum et omnino infallibiliter cognosci potuerit ac declarari. *Haec igitur sententia ex declaratione romanae ecclesiae, cui supernum divinae revelationis lumen praeluxerit, verissima atque infallibilis habenda est.* Sed sententia non citra praelucentem divinae revelationis facem infallibiliter declarata, ad ipsam spectat revelationem, atque fidei amplitudine comprehenditur. *Sententia igitur qua tenemus beatissimae Virginis animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio a macula peccati originalis praeservatam immunem, ea inter numerari debet quibus revelationis depositum et fidei obiectum coalescunt.*

1833. His ex oeconomia deductis romanae ecclesiae, ea continuo subteximus quae *ex gestis decretisque tridentinae synodi* pari evidentia consequuntur. Ne autem quae dicenda a nobis sunt, impedita obscuraque videantur, quatuor paucis expendemus, ac I. utrum quaestio de conceptu Deiparae in tridentina synodo fuerit agitata: II. quae patres impulerint ne ad peremptoriam sententiam devenirent: III. quam plerique omnes mentem sententiamque prodiderint: et IV. quid sive obscura declarando, sive vetera confirmando docuerint. Porro in tridentina synodo de conceptione fuisse pluries acriterque disputatum, non ea testantur solum quae [1]) Pallavicinius narrat, verum etiam multoque enucleatius quae aliis consignata authenticis monimentis ob oculos [2]) habemus, et ad operis calcem ea inter quae nondum sunt edita vulgabimus. Quamquam vero habita fuerit controversia, synodo tamen visum non est su-

1) Hist. concil. trident. lib. VII. cap. VII.

2) Eiusmodi sunt mss. quae praesto fuerunt Terentio Alciato, ut iis in concinnanda tridentini historia uteretur: eiusmodi non pauca ab eodem Alciato scripta: eiusmodi diarium concilii ab Angelo Massarello qui a secretis erat, exaratum: eiusmodi litterae legatorum ad cardinalem Farnesium datae die XXVIIII. Maii an. MDXLVI: eiusmodi quae narrantur in libro cui titulus est, *rerum in sacra et oecumenica tridentina synodo feliciter gestarum epilogus per Laurentium Pratanum nervicum illustrissimo p. Othoni Truchses S. R. E. cardinalem episc. augustanum:* et ne omnia persequar, eiusmodi acta concilii quae in castro s. Angeli asservata Terentius Alciatus propria manu descripsit.

premo atque irretractabili iudicio ad illius definitionem devenire. Sed quibus de caussis? Ideo ne quod sapientissimi patres censuerint, aut eam non esse disceptationis materiem quae ad fidem referretur, aut praecisam spem esse ea ex Scripturis maiorumque traditione derivandi, quibus implexus diu nodus feliciter tandem solveretur? Recolantur monimenta concilii quotquot suppetunt omnia, eaque numero plurima tantaque subtilitate conscripta, ut ne tenuissima quidem neglecta videantur; illico apparebit, nihil eiusmodi fuisse in medium adductum quo seponenda decisio comprobaretur. Immo apparebit patribus omnino multis id consilii insedisse, ut sin minus in praesentia, opportuniore certe tempore ea lis dirimeretur.

1834. Falsis igitur rationibus caussisque ablegatis, has potissimum reperimus inculcatas frequenter et plurium tandem suffragatione probatas: quod I. Pontificis legati, ut ordinis ratio postulabat, edendam de Virginis conceptu definitionem nullatenus proposuissent: quod II. patres in synodum convenissent non ad domesticas lites finiendas, sed ad communes hostes repellendos: quod III. ea controversiae decisio plurimum omnino temporis exigeret, quum nonnisi auditis hinc inde partibus, complanatisque difficultatibus ferri oporteret: et quod IV. cavendum esset, ne aut aliquot catholicorum fama laesa videretur, aut ipsos inter catholicos dissidia sererentur, aut protestantibus occasio adesset catholicis eo nomine insultandi, quod concordiae unitatisque auctores secumipsis pugnarent atque in partes sibi mutuo infensas discinderentur.

1835. Eiusmodi autem caussae licet gravissimae impedire tamen nullatenus potuerunt, quominus maior synodi pars suam mentem aperiret, praeceptamque animo persuasionem semel iterumque patefaceret. Indubitatis namque testificationibus [1]) compertum est: I. numerum longe copiosiorem episcoporum existimasse, sententiam de immaculato Deiparae conceptu earum propositionum classe contineri, quae ad articulorum fidei dignitatem provehi possunt: II. duas tertias synodi partes in congregatione ad adornandum fidei decretum habita in hanc formulam [2]) conspirasse, *de beata Virgine sancta synodus nihil definire intendit, quamvis pie credatur ipsam*

1) Hoc enim iis omnibus traditur monimentis quae paullo superius recensuimus.

2) Est id omnino testatissimum, et non a Pallavicinio solum, sed ab omnibus harum rerum scriptoribus litteris consignatum.

Digitized by Google

absque peccato originali conceptam fuisse. Tandem III. non sine plurimorum admiratione auditum fuisse suffragium antistitis bituntini e sacro Franciscanorum ordine, quo auctor fuit ut synodus a quavis declaratione in alterutram partem abstineret. Is quidem hoc argumento suum suffragium munivit, *quod immunitas Virginis ab hereditaria labe totius ecclesiae consensu recepta non posset esse testatior*. « Verum, *inquit Terentius Alciatus qui Urbani VIII. nutu tridentini concilii historiam conscribendam adgressus est*, non arbitror gloriosa hac praedicatione bituntinum fecisse suis et gienensi satis. Neque enim consilium est, ubi copiis tantopere superior et loco sis, detrectata pugna, certae spem victoriae corrumpere; aut ubi iudices habeas non aequos tantum sed etiam faventes, disturbare iudicium. »

1836. E quibus quum alia possint opportune colligi, haec tamen sua ferme sponte prae ceteris eruuntur: I. universam prope ecclesiam, maioremque tridentinae synodi partem in eam sententiam fuisse propensam, qua Virgo ab originali labe immunis celebratur: neque II. fuisse quovis tandem modo propensam, verum ita ut eam ipsam sententiam illarum numero complecteretur quae piae tenentur atque creduntur: proindeque III. quantum satis est significasse nihil ex Scripturis, nihilque promi ex traditione graviter posse, quod eidem sententiae refragetur: immo IV. summam complexionemque christianae revelationis eo pertinere, ut cum ipsa decus immaculati conceptus iungatur atque cohaereat: neque enim V. aliunde indicia argumentaque suppetunt, quibus tam insignis praerogativa iis accensenda ostendatur, quorum professio pia sit, dignaque cui ecclesia tanta consensione patrocinetur.

1837. Sed ad ea veniendum iam est, quae tridentina synodus aut declaranda aut disertis efferenda verbis existimavit. Utraque vero his omnino verbis [1]) proponuntur: « Declarat tamen haec sancta synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et *immaculatam* virginem Mariam; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. » His autem paullo intimius spectatis, illico assequimur *tria esse quae a synodo declarantur, unum vero quod ab*

1) Sess. V. in decreto de peccato originali.

Digitized by Google

eisdem diserte exprimitur. Et principio quidem declaratur, *synodi intentionis non esse in decreto de peccato originali Deiparam comprehendere:* tum declaratur, *observandas esse Sixti IV. constitutiones sub poenis in eis constitutionibus contentis:* ac postremo declaratur *easdem constitutiones synodi auctoritate innovari.* Sequitur quod diserte effertur, quodque redit ad appositum *immaculatae* Deiparae tributum. Hactenus praeclare. Verum quid cum singulis nexum est, aut quid ex universis dependet? De his continuo quo per nos fieri accuratius poterit, dicemus.

1838. Itaque ut a priori ordiamur declarationis capite, animadverti debet decretum de peccato originali [1]) his verbis inchoari:

1) Ibidem. Antonius Gravois in op. de ortu ac progressu cultus ac festi imm. conceptus art. VII. n. 87. relatis synodi verbis quibus decretum de peccato originali auspicatur, continuo subdit: « Ex quibus pro certo habemus, sanctam synodum *declarando* non esse suae intentionis comprehendere in suo decreto beatissimam Virginem, et innovando ac observari super hoc puncto praecipiendo Sixti IV. constitutiones, sequutam fuisse *ecclesiae iudicium et consensum, nec non et testimonia probatissimorum conciliorum, sanctorum patrum et sacrarum Scripturarum.* Haec enim omnia prae oculis habuit non solum dum *statuit et fassa est* aliqua peccatum originale concernentia, sed etiam dum aliquid super eodem *declaravit.* » Tum pergit n. 88. « Fateatur propheta (Ps. L.) in iniquitatibus se conceptum fuisse, *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Maledicat Ieremias (XX.14.) diei nativitatis suae, *maledictus dies in quo natus sum.* Detestetur Iob (III. 2.) dies quibus natus est et conceptus, *pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Iure ac merito hoc fecerunt, ut enim ait (II. II. q. LXXIV. a. II.) doctor angelicus, *maledixit Iob diei nativitatis suae propter culpam originalem, quam nascendo contraxit.* Nascendo scilicet in utero. Ego vero quotiescumque sermo erit de die qua concepta est beatissima Virgo cum propheta Balaam (Num. XXIII. 8.) constanter respondebo, *quomodo maledicam cui non maledixit Dominus? Qua ratione detester quam non detestatur Dominus?* Loquutus est Spiritus sanctus per os tridentinae synodi, et expresse declaravit se nolle maledicere diei, se nolle illam detestari diem qua concepta est beata et *immaculata* virgo Maria. Dicat Balac quaecumque voluerit, eadem semper erit responsio: *quidquid Dominus dixerit, haec loquar.* Et sicuti Christus Dominus mulieri licet adulterae et a solis hominibus non condemnatae olim dixit, *nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo.* A fortiori beatissimae Virgini omnium reginae et matri benignissimae, quam Spiritus sanctus tractando de peccato originali *immaculatam* vocavit, dicam et millies inculcabo: *Spiritus sanctus non te condemnavit? Noluit te in ea lege comprehendere quae pro omnibus facta fuit? Nec ego te condemnabo, nec ego te in eadem lege comprehendam;* praesertim quum nullum adhuc sanae mentis inverierim qui maledixerit diei conceptionis beatissimae Virginis; quod tamen iuxta doctrinam divi Thomae mox relatam fieri posset si originale contraxisset peccatum, nec non et iuxta divum Augustinum qui (con. Iulianum lib. VI. cap. XXIV. n. 78.) super illa Apostoli verba, *fuimus et nos aliquando filii irae,* ait: *de hac ira dicit Ieremias,* maledictus dies in quo natus sum. *De hac ira dicit sanctus Iob,* pereat dies in quo natus sum. Non solum autem nullum invenio qui diei conceptionis beatissimae Virginis usque ad praesens maledixerit, sed universalem video ecclesiam de summorum Pontificum mandato hilariter ac festive eamdem diem celebrantem. » Denique commemoratis Sixti constitutionibus quas synodus innovavit, hanc exhibet n. 91. declarationis ab eadem synodo editae paraphrasim: « Nos in Spiritu sancto legitime congregati decernimus, Adamum in omne genus humanum peccatum originale transfudisse, omnesque et singulos homines in primo instanti creationis suae animae et infusionis in corpus illud contrahere. Declaramus tamen nostras intentionis non esse nec Spiritus sancti per os nostrum loquentis, comprehendere in isto decreto immaculatam Deiparam virginem Mariam. Imo praecipimus quod omnimode observentur constitutiones in *commendationem cultus,* qui sacro conceptionis mysterio secundum piam sententiam in ecclesia exhibetur, a Sixto IV. editae, easque innovamus; ac proinde iterum declaramus sicut in eis olim declaravit idem Pontifex, quod missa *Egredimini* et officium *sicut lilium,* in quibus *immaculata colitur conceptio,* et Christus ut beatissimae Virginis *praeservator* adoratur, a sancta romana ecclesia ordinata fuerunt pro eiusdem conceptionis festo *in eadem Dei ecclesia* celebrando; pariterque de novo statuimus quod omnes et singuli christifideles qui dictam mis-

Digitized by Google

« Sacrosancta, oecumenica et generalis tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, *sacrarum scripturarum et sanctorum patrum ac probatissimorum conciliorum testimonia, et ipsius ecclesiae iudicium et consensum sequuta*, haec de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat. » Tum animadverti debet, professionem synodi de peccato originali hisce potissimum definitionibus [1]) absolvi: *ex Adami praevaricatione mortem etiam animae et peccatum in omne genus humanum fuisse transfusa: peccatum originis propagatione non imitatione transfusum omnibus inesse unicuique proprium: et parvulos recentes ab uteris matrum* [2]) *ex Adamo trahere originale peccatum, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam.* Quo igitur *necessario* spectat declaratio, *synodi intentionis non esse in decreto ubi de peccato originali agitur, comprehendere beatam et immaculatam virginem Mariam Deigenitricem?* Huc profecto, synodi intentionis non esse Deiparam comprehendere iis Scripturarum traditionisque universalibus propositionibus, quibus ex Adami praevaricatione omnes homines culpae obnoxii, peccato infecti atque ab aeterna vita exclusi perhibentur. Porro ex duobus alterutrum, vel certum compertumque est eiusmodi propositiones nulla rite posse exceptione circumscribi, vel anceps id est atque in dubitatione positum. Illud si dixeris, neges oportet licuisse synodo declarare suae intentionis non esse in decreto de peccato originali atque in earum propositionum amplitudine beatam immaculatamque Deigenitricem comprehendere. Neque enim synodo licebat illud non intendere, quod certum foret atque compertum. Hoc igitur ex priori declaratione primum [3]) eruitur, *anceps esse atque ambiguum, utrum universales de propagata originis labe propositiones eae sint quae nullam ferant exceptionem, nullaque limitatione coerceantur.*

nam et memoratum officium in festo conceptionis et per eius octavam dixerint aut illis interfuerint, indulgentias in eisdem constitutionibus concessas lucrentur, prout septuaginta abhinc annis in sancta romana ecclesia quolibet anno acquiri solent, et sicuti nos ipsi eas consequi nitimur et pro viribus conamur. Declaramus tandem quod sicuti Sixtus IV. in dictis suis constitutionibus nil aliud sententiae contrariae concessit, nisi prohibere *ne haeresis crimen* vel *peccatum mortale* ii incurrere dicantur qui eam tenent; ita nec nos nil aliud penitus ei concedere volumus. »

1) Huc enim redit summa canonum II-III-IV., quos tridentina synodus promulgavit.

2) Quibus ostenditur, pro statuta lege simul cohaerere conceptionem infectam in utero et infectam ex utero nativitatem. Quemadmodum ergo nemo est qui Deiparae neget privilegium purae ex utero nativitatis; ita non est cur eidem, argumento ex communi stataque lege desumpto, privilegium purae in utero conceptionis denegetur.

3) Iacent ergo argumenta prorsus omnia, quae ex universalibus Scripturae traditionisque propositionibus de peccato originali in cunctos homines transfuso adversus praerogativam immaculati conceptus depromantur.

1839. Quamquam non hoc eruitur tantum, sed et alia multo splendidiora momentique longe gravioris pari evidentia deducuntur. Sane I. supremis Scripturae traditionisque interpretibus nisi gravissimis de caussis [1]) fas non est propositiones ceteroqui universales ad omnes non extendere, illarumque ambitu non omnes complecti. At vero Scripturae traditionisque propositiones quae ad transfusum originis peccatum referuntur, ex sese universales sunt ac latissime patent. Fas igitur nisi gravissimis de caussis non fuit tridentinis patribus, iisdemque supremis Scripturae ac traditionis interpretibus illas non ad omnes extendere, neque omnes illarum ambitu complecti. Atqui tamen ipsi sunt qui perspicue declararunt, suae intentionis non esse, eiusmodi Scripturae traditionisque propositionibus Dei matrem comprehendere. *Gravissimae igitur caussae praesto ipsis fuerunt, quibus commoti declararent suae intentionis non esse ad conceptum quoque Deiparae eas propositiones ceteroqui universales extendere.* Quod II. luculentius patebit animadvertentibus, ex aequo revelationis depositum violari, sive illud ultra quam oportet amplificetur, sive illud infra quam oportet cohibeatur, sive illud non ad id omne et solum ad quod oportet porrigatur. Atqui synodus declaravit, suae intentionis non esse ad beatissimam Virginem protendere quae christiana revelatione de transfusa in omnes homines hereditaria labe continentur. *Ne igitur violati depositi accusari synodus queat, fatendum est christianam revelationem de transfusa in omnes homines hereditaria labe ad ipsam quoque Deiparam non se protendere; atque fatendum idcirco est declarationem tridentinam non tam praecisioni, ut loquuntur, quae in neutram partem fertur, quam verissimae exceptioni respondere.* Enimvero III. non primum [2]) synodi declaratio audita ab illis fuit qui numero longe pauciores in opinione immaculato conceptui

1) Videsis quae Eusebius Nierembergius in theoria de solida veritate conceptae Deiparae absque peccato originali, post exordium quo synodus decretum auspicatur de originali peccato, subdit §. I. pagg. 266-267. quaeque praeoccupaverat Lezana in apologet. pro concept. cap. XIII. inquiens: «Si rex aut princeps publico legis edicto statueret, omnes sibi subditos cuiuscumque honoris et honestatis sint alicui oneri, vectigali, tributo, impositionive adstrictos esse: cum hoc tamen expresse declararet non esse suae intentionis reginam sibi desponsatam sub hoc edicto comprehendere; quis tam improbus exactor existeret ut a regina tale vectigal exigeret, aut quis non putaret regiam voluntatem esse ut regina omnino libera immunisque a tali solvendo tributo permaneret? Hoc igitur pariter in praesenti accidit eventu. Spiritus namque sanctus qui per patres tridentinae synodi loquitur, omnes homines sub originalis iugo mansisse declarat; sub hoc tamen decreto Deigenitricem, consociam et sponsam sibi comprehendi penitus prohibet. Qualiter ergo licebit alicui aut tali reginae tale crimen impingere, aut eam non omnino liberam et immunem putare?»

2) Videsis Pallavicinium l. c., et Antonium Velasquium in op. de Maria immaculate concepta lib. V. diss. III. a. IV.

Digitized by Google

infensa versabantur, quod unanimes e vestigio obstitere, atque in eius vicem sufficiendam esse contenderunt vel hanc *nuda praeteritione* contentam, *de qua re nihil in praesentia intendit synodus decernere*, vel hanc *omnino mediam* ac prope *aequilibrem, mentem synodi non esse Deiparam comprehendere aut a communi lege segregare*. Sed quorsum iidem intercessissent ac tantopere [1]) reclamassent, si lata declaratio non foret nisi arguta quaedam praecisio, quaeque cum exceptione nihil societatis praeseferret? *Gesta igitur synodi postulant, ut editae declarationi vis et ratio exemptionis subiiciantur*.

1840. Ad quam *exceptionis* potestatem confirmandam egregie faciunt IV. series ductusque verborum, quibus ita edicitur *synodi intentionis non esse in decreto de peccato originali beatissimam Virginem comprehendere*, ut *adversative* subiiciatur, *sed observandas esse constitutiones Sixti IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis quas synodus innovat*. Hac enim adversativa partium copulatione efficitur, germanum declarationis sensum omnino esse quem subdimus: *eatenus non esse synodi intentionis sanctissimam Deiparam in decreto de peccato originali comprehendere, quatenus tamen fiat satis Sixti IV. constitutionibus, quae custodiri plenissime debent*. Sixti vero constitutionibus [2]) haec inter cetera proponuntur: *institutum fuisse in romana ecclesia festum conceptionis, nullatenus vero spiritalis regenerationis aut sanctificationis: de hoc autem festo ordinatam fuisse missam propriam, propriumque officium elucubratum, quo Deiparae conceptio saepius immaculata nuncupatur, quo ellogio ab ipso etiam Pontifice insignitur*. Hinc illa [3]) Alexandri VII.,

1) Causam aperit Didacus Alvarez dominicanus idemque tranensis episcopus, qui in l. II. disput. CLXXVIII. hac praestituta thesi, *temerarium est et erroneum asserere, aliquem praeter beatam Virginem non incurrisse ex privilegio de facto originale peccatum*; post alia subdit: *beata Virgo excipitur ex privilegio a concilio tridentino*. Et causam aperit Eusebius Nierembergius in excerpt. concilii trident. cap. VII. pag. 117. inquiens: « Spiritus sanctus qui concilio assistebat, non reliquit Virginem in statu neutro et indifferenti, sed vel eam exemit aut inclusit. Quod non incluserit, certum est ex declaratione concilii; ergo concedendum videtur fuisse exemptam.»

2) nn. 1620. seqq.

3) In constitut. saepius laudata, *Sollicitudo omnium ecclesiarum*. Nolim autem hoc praetermittere quae Nierembergius adducto nuper loco his verbis complectitur: « In structura verborum concilii maxime observari debet adversativa illa *sed* priori sententiae opposita, dicente concilio *non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam Virginem, sed observandas esse constitutiones Sixti papae IV*. Nimirum cum una ex parte adversativa *sed* inferat sensum immediatae loquutioni oppositum, ut quum dico, nolo loqui sed tacere; ex alia vero constitutiones Sixti omnino in favorem immaculatae conceptionis editae fuerint: perinde dictum videtur a concilio *non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam Virginem, sed observandas esse constitutiones Sixti*, ac si diceret suam mentem non esse Deiparam peccato originali subiicere, sed potius cum Sixto pontifice piae opinioni de eius immunitate quam ipse tantopere probavit et promovit,

Digitized by Google

cultum fuisse delatum conceptioni iuxta piam sententiam, neque alium ab eo qui exprimitur in officio proprio ac speciali iuxta piam, devotam ac laudabilem institutionem quae a Sixto IV. emanavit: eumdem cultum in ecclesia romana numquam fuisse post ipsius institutionem immutatum: editas vero Sixti IV. constitutiones in commendationem huius cultus ac favorem piae sententiae a tridentino concilio fuisse innovatas. Sic ergo declaravit synodus suae intentionis non esse augustam Virginem in decreto de peccato originali comprehendere, ut simul innovaverit atque observandas edixerit Sixti IV. constitutiones in commendationem cultus conceptionis atque in favorem piae sententiae promulgatas. Nihil autem manifestius quam ex hoc mutuo declarationum habitu in priorem partem vim potestatemque exceptionis refundi. *Omnia ergo persuadent tridentinae synodi declarationem ita esse comparatam, ut virtute exceptioni aequipolleat, et cultui pariter ac piae sententiae non minimum patrocinetur.*

1841. Cuius patrocinii ex eo quoque indicium petitur, quod Deipara *immaculatae* encomio perspicue honestetur. Hoc namque encomio tum illam synodus honestat, quum fidei doctrinam explanans declarat *non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam Dei genitricem.* Sed quam potuit synodus huic apposito si-

velle favere. Etenim si mens concilii non esset ista, quid opus fuisset et constitutionum Sixti meminisse, et poenas in transgressores quae minime respiciunt aut attingunt auctores piae opinionis sed adversarios ut constat, signate innovare?" » Quae non minori perspicuitate ex decreto tridentino inferuntur in legat. ad Paulum V. et Gregorium XV. de definienda controversia immaculatae conceptionis, orat. VII. §. V. n. 14. pagg. 186-187. « Cum statuisset concilium pro fidei articulo ab omnibus credendo, nullum ex Adam per naturalem propagationem descendere qui in primo instanti suae animationis originale non contrahat, tunc meminit beatae Virginis, illamque sub gravi illo iugo et miseria protoplasti parentis non audet comprehendere, sed observare in hac re iubet Sixti constitutiones, in quarum una festum conceptionis iam in ecclesia antiqua consuetudine receptum promovet, et officium in quo sensus festi exprimatur instituit: in altera graviter invehitur in eos, qui festum hoc vel officium condemnant. Unde cum illo eodem tempore quo de necessaria contractione originalis in primo instanti conceptionis agit, circa controversiam de virginis Mariae conceptione recurrendum dicat ad Sixti constitutiones, eas voluit proprie et in terminis difficultates quam dirimebat intelligendas, et per eas declarari quid circa eamdem Virginis conceptionem erat censendum. Quasi dicat, quando omnes homines in ipsa sui animatione et vera conceptione peccato infici decerno, nolo Mariam sub hac universali regula comprehendere. Recurrendum erit ad Sixti constitutiones, quae quid in Mariae conceptione vel animae infusione, de qua modo tractatur, acciderit non obscure docebunt, dum ad immaculatae conceptionis festum et officium omnes invitant. Alias enim impropria esset declaratio generalis regulae; si quaestio de Virgine in illis extravagantibus diversi temporis casum contineret ab eo quem universalis continebat regula, maxime dum accepta occasione ex illo universali decreto istas innovat atque observari praecipit sub poenis in eis contentis; quod nihil aliud est quam idem ipsum quod Sixtus in hac re statuerat denuo praecipere. At quid Sixtus ordinaverit et decreverit, iam satis superque vidimus ex verbis eius, in quibus proprium et speciale sub manifesto sensu officium toti proposuit et ordinavit ecclesiae recitandum in festo conceptionis Mariae, et sub gravissimis poenis prohibuit huic festo vel officio contradicere, vel opinionem eorum qui eam ab universali decreto excipiunt, condemnare; satis certe expressum, si intimius penetretur, pro expresso isto sensu concilium protulit iudicium. »

Digitized by Google

gnificationem inditam velle tum illud usurpans quum declaravit, *non esse suae intentionis in decreto de peccato originali immaculatam Deigenitricem comprehendere?* Idearum cognatio, ipsaque verborum iunctura demonstrant non aliam significationem synodi oculis obversari potuisse, nisi qua originalis labes excluderetur et quam longissime amandaretur. *Appellatio ergo immaculatae hisce in adiunctis atque in hoc declarationis genere facta Deiparae, quantum satis est synodi mentem patefacit, eoque pertinet ut Deipara exsors originalis culpae non obscure significata videatur.* Quapropter si simul omnia collegerimus quae vel tridentina synodus authentice declaravit, vel maior synodi pars sibi rata fixaque ostendit; pronum erit ceu totidem theoremata stabilire: I. *universam prope ecclesiam seculo XVI. in eam ivisse piam sententiam, qua Deiparae praerogativa immaculati conceptus asseritur:* II. *quaecumque omnia ad propagationem hereditariae labis pertinentia in Scripturis atque in traditione continentur, ea non esse quae vel ad ipsam quoque Deiparam extendi necessario debeant, vel suam tueri veritatem non possint, si Deipara iis nullatenus comprehensa iudicetur:* III. *gravissimas suppetere caussas, propter quas ab amplitudine decreti de transfuso in omnes homines originali peccato, excepta Deipara censeatur:* et IV. *ubi agitur de amplitudine originalis maculae unam esse Deiparam, quae prae reliquis omnibus immaculata iure merito salutatur.*

1842. Verum fieri ne potuit, ut haec atque hisce similia vel tanta consensione reciperentur, vel tanto auctoritatis pondere declararentur, nisi ecclesiae praesulibus institutisque divinitus doctoribus aliquo tandem modo superna affulsisset revelatio qua certissime intelligerent, Deiparam iis non comprehendi quae Scripturae ac traditio de transfusa in omnes homines originali culpa testantur, atque ab iis proinde excludi, solamque immunem ab universali contagio perhiberi? Fieri nullatenus potuit si vera sint quae [1]) Augustinus gravissime docet his verbis: „Omnia itaque talia quae neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter varjantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint caussae quas in eis instituendis homines sequuti sunt,

1) Epist. LV. al. CXIX. ad inquisitiones Ianuarii cap. XIX. n. 35. pag. 107. opp. T. II.

ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis non humanis praesumptionibus subiiciuntur. Sed *ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.*» Affulsit igitur aliquo tandem modo ecclesiae praesulibus institutisque divinitus doctoribus superna revelatio, qua citra quodvis erroris periculum intelligerent, iis Deiparam non comprehendi atque ab iis proinde excludi, quae de transfuso in omnes originali peccato Scripturarum traditionisque auctoritas confirmat.

1843. *Corollarium I. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu iis veritatibus continetur, quae licet revelatae divinitus atque adeo ex sese verae ac materiali fidei obiecto comprehensae, non eodem tamen pacto in ecclesia et ab ecclesia fuerunt semper propositae, neque eodem pacto semper atque ubivis omnibus innotuerunt.* Scilicet nihil est vero propius quam hanc de immaculato Deiparae conceptu doctrinam cum ea contendere, quam tridentina synodus de canone librorum sacrorum definivit, quamque catholici unanimes profitemur.

1844. *Corollarium II. Doctrina de immaculato Deiparae conceptu iis veritatibus continetur, quibus institutum divinitus in ecclesia magisterium multipliciter consuluit, et quibus tuendis, expoliendis, maiorique luce perfundendis impensiorem iugiter operam navavit.*

1845. *Corollarium III. Fuit cur summi Pontifices in opinionem de primordiis Deiparae culpa infectis suprema auctoritate animadverterent.* Opportunum namque inprimis est, ne gravioribus utar verbis, eas silentio opiniones addicere, quae certis veritatibus, eisdemque cum cultu religionisque doctrina cohaerentibus adversantur. Eiusmodi vero habendam esse opinionem, qua primordia Deiparae peccato infecta perhibentur, ii omnes ultro dabunt, qui immaculatum eiusdem conceptum exploratis certisque veritatibus cum cultu religionisque doctrina intime nexis connumerandum esse [1]) intel-

1) nn. 1705. seqq.

Digitized by Google

lexerunt. Fuit igitur [1]) cur opinio de vitiatis Deiparae originibus auctoritate Pontificum [2]) silentio obrueretur. Quo pariter obrutam illam voluerunt ecclesiae [3]) synodi, quibuscum civiles quoque [4]) principes suffragium adiecere.

1846. *Corollarium IV. Fuit cur opinio de Virginis conceptu hereditaria labe vitiato censeretur piarum aurium offensiva, scandalosa et funditus antiquata.* Enimvero de priori nota quum innumeri adsint testes iidemque gravissimi, speciminis gratia iuverit contulisse quae docent [5]) Arnaldus Albertinus, Dominicus Sotus [6]), Iohannes Maior [7]), Benedictus Iustinianus [8]), Laurentius Surius [9]),

1) an. 1624. seqq. De silentio quo mulctata fuit opinio immaculatis Deiparae originibus infensa, deque argumento quod ex hac ecclesiae oeconomia sua sponte consequitur, accurate disputant Antonius Velasquez de imm. concept. lib. II. diss. VII. adnotat. unica, Iohannes Merinerus episcopus vallisoletanus in lib. pro definibilit. imm. conceptionis pag. 58., Alphonsus de Villalobos in consultat. ad Iohannem Martinez de Prado, Antonius Palaus in defens. dominican. pro imm. concept. cap. VI. n. 12., auctores armament. seraphici pro imm. concept. pag. 85., Iosephus de Aranio T. 1. disput. VIII. art. VIII. q. I. n. 364., Dominicus Viva theolog. P. VIII. disput. I. q. II. art. II. n. 7., Paulus Mezger in II. p. tract. VII. disput. XIX. art. II. §. I. n. 2., Petrus a s. Ioseph e congregat. fuliensi in idea theol. lib. III. cap. I. resol. IV., Thomas Comptonus in III. p. disp. XLVI. sect. VI. n. 2., Antonius de Bugis de incarnat. lib. IV. cap. V. n. 10., Gregorius de Rhodes de incarnat. disput. IV. §. IV., Iohannes Maria Zamorus de eminenti Deiparae perfect. lib. II. cap. XXV. n. 3., Ludovicus Bail in summa concil. T. I. ad concil. basileense pag. 512. Ambrosius de Pennaloza in vindiciis Deiparae a peccat. orig. disput. XIII. cap. I. n. 3., Andreas Eudaemon Iohannes in dissert. anno MDCXIX. edita de probabilitate opinionis qua beata Virgo consors originalis culpae perhibetur, Gerardus Van Heudegem de b. Virgine candida lib. III. cap. II., Franciscus Bonae spei de imm. concept. definibilit. disput. VII. dub. VII. probat. IV. n. 608., Iohannes Baptista Poza in elucidario Deiparae lib. IV. cap. IV., et ne sim nimius, Aurelius Piette qq. theologic. P. II. de peccat. orig. q. I.

2) E quibus commemorandi prae ceteris sunt Paulus V. in decreto edito die XXXI. Aug. an. MDCXVII, Gregorius XV. in decret. XXIV. Maii MDCXXII. et Alexander VII. in constitut. VIII. Dec. MDCLXI.

3) Huc spectant decreta synodi basileensis sess. XXXVI. habit. XV. kal. Octobris MCDXXXIX. et synodi avenionensis, quae praesidibus legatis apostolicis celebrata fuit VII. Septembr. MCDLVII.

4) Digna sunt quae consulantur diplomata pro imm. conceptione a Iohanne I. et Martino I. Aragoniae regibus vulgata II. Febr. MCCCXCIV. et XVII. Ianuar. MCCCXCVIII. Ex priori diplomate nonnulla describam, atque haec primum: «Quid de tantae Virginis gloriosa conceptione ambigitur, de qua nisi magnalia et mirabilia magna fides catholica non recipit? Taceant vociferatores inutiles, disputatores stolidi erubescant de tam praeclara, immaculata et pura conceptione Virginis violenta producere argumenta: decuit enim ut ea puritate niteret, quae sub Deo nequit maior intelligi.» Haec deinde: «Et nos qui licet immeriti dona tanta et beneficia gratiarum ab ipsa matre misericordiae inter ceteros mundi catholicos reges suscepimus, firmiter credimus et tenemus, quod praefatae huius sanctissimae Virginis sancta fuit penitus et electa conceptio, in cuius tabernaculo unigenitus Dei filius habitare dignatus est, et benignus sumere quoque corporis nostri formam. Huius itaque beatae conceptionis beatissimae Virginis colimus puro corde mysterium, et eius festivitatem solemnizamus quam regia domus nostra quolibet anno devota exultatione concelebrat.» Tum haec: «Nec amodo liceat, imo fortiter prohibemus quibuslibet evangelizantibus sive praedicantibus verbum Dei quidquam exponere vel proferre in aliquam puritatis ipsius benedictae conceptionis iacturam; sed potius dicti praedicatores et qui aliud voluerunt sentire aut voluerint, stricte digitum ori suo apponant, cum nulla id exigat fidei orthodoxae necessitas confiteri. Ceteri vero sanctam huiusmodi et salutarem nostram opinionem, habentes illam in corde, in ore et sermonibus suis magnopere venerentur et publicent, colant et celebrent, magnificent et extollant ad laudem Altissimi et honorem et gloriam matris eius, reginae caelestis, portae paradisi, animarum custodiae, salutis portus et anchorae firmae spei omnium in se sperantium peccatorum.» Quibus simillima statuit Henricus lantgravius Hassiae comes edicto quod tulit XXXI. Decembris MCDLXXIX.

5) De assertt. catholic. q. XVII.

6) Comm. in epist. ad Rom. cap. V. §. II.

7) Comm. in Luc. I. pagg. 167-168.

8) Comm. in I. Ioh. I. nn. 32-33.

9) Comm. rerum in orbe gestarum ad annum MDIX.

Digitized by Google

Gregorius de Valentia [1]) Petrus Canisius [2]), Dionysius Carthusianus [3]), Cornelius Mussus [4]), Alphonsus Salmeron [5]), ceterisque [6]) omissis, sanctus Bernardinus senensis [7]) et [8]) parisiensis universitas. Quod autem eadem opinio accenseri iis debeat quae *scandalosae* nuncupantur, non solum plerique omnes affirmant theologi, Aloisius Lippomanus [9]), Aegidius de Praesentatione [10]), Ambrosius Catharinus [11]), Ernestus archiepiscopus coloniensis [12]), Iohannes Everardus Nidhardus [13]), Ludovicus Crespi Borgia [14]), Iohannes Pineda [15]), Iohannes Lorinus [16]), Franciscus Suarius [17]), Thomas Campanella [18]), aliique sexcenti; sed quod momenti est longe potioris, testantur [19]) Pontifices, Sixtus IV., Alexander VI., Paulus V., Gregorius XV. et Alexander VII., testantur [20]) Uni-

1) In III. p. disput. II. q. I. punct. II.

2) De Maria Deipara lib. I. cap. VII. « Qui secus modo sentiunt, eorum sane rarus est numerus, hique pudore impediti quod in animo gerunt et secumipsi taciti loquuntur ac sentiunt, palam efferre ac pronuntiare non satis tutum arbitrantur: tum si id facere quidam audent, haud sine publica contradictione, vulgique offensione audiuntur; usque adeo et invisa et debilitata et quodammodo ejecta est nunc opinio adversariorum, et contra pia sententia cunctorum fere mentes occupat. »

3) In III. dist. III. q. I. et de laudibus Mariae lib. I. art. VIII.

4) Comm. ad Rom. V. 12. et conc. in sabbat. quadragesimae.

5) Comm. in Rom. V. disputatt. XLIX-LI-LII.

6) Laudari namque facile possent Andradius in l. II. tract. de peccat. q. ultima art. III., Ludovicus Blosius in sacello animae cap. V., Iohannes de Segovia allegat. VII. pagg. 371-387. et Ernestus e Bavariae ducibus archiepiscopus coloniensis in epist. ad Urbanum VIII. die XXI. Febr. MDCXXIV: « Sanctitati vestrae cum debita reverentia et submissione supplico, ut controversiam inter theologos de immaculata sanctissimae Virginis conceptione non sine scandalo et piorum horrore ac gemitu tot annis agitatam, auctoritate sibi divinitus concessa terminare, et pro immaculata conceptione cum consueto anathematis fulmine in contrarium docentes aut sentientes sententiam dicere dignetur. Supplicant haud dubie mecum calidis gemitibus in aure Dei sonantibus omnes imperatores, reges, principes catholici, ecclesiastici et seculares, omnes religiosi ordines, dempto uno eoque forte non integro, omnes academiae quae partim hanc sententiam ita receperunt ut nullum ad gradum theologiae admittant nisi ante in eam iurarit, partim publice profitentur et docent, omnes utriusque sexus christifideles qui tot locis disiti, moribus, studiis, linguis discrepantes, uno sensu, concordi pietate, instinctu utique eius qui gentes in unitatem fidei congregavit, eam devotionem sic amplexantur, ut contrarium sine gravi horrore, scandalo et indignatione audire non sustineant. »

7) Tract. de conceptione.

8) De gestis decretisque parisienais universitatis agunt praeclare Bulaeus in eiusdem historia ad annos MCCCLXXXIX-MCDLVII-MCDXCVII., Carolus Duplessis D'Argentré de novis erroribus ad annos MCXL-MCCCLXXXIV-MCDXCVII-MDLXXIV. et Franciscus Feu doctor parisiensis in tract. de peccatis q. IV. art. II.

9) Comm. in Cantic. IV.

10) De imm. concept. lib. III. q. VI. art. III. §. VI. n. 89.

11) Tract. de concept. ad concil. tridentinum: « Ordo noster quum in ceteris gloriose incedat, hoc unum retinet quo plurimi scandalum merito patiuntur; quoniam multi nostrum illam Virginem maculis adspergunt, quam omnis ecclesia sponsi vocem audiens concinit penitus immaculatam. »

12) In litteris ad Urbanum VIII. datis die XXI. Februarii MDCXXIV.

13) Exam. theol. pro imm. concept. pagg. 125. seqq.

14) Propugnac. theolog. definibilit. piae sententiae pag. 386.

15) In privileg. Iohannis I. Aragoniae regis adnotat. XV.

16) Comm. in epist. ad Rom. V. 12.

17) In III. p. q. XXVII. art. II. disput. III. sect. VI.

18) De imm. concept. ad Gabrielem cardinalem de Treio cap. XVII.

19) Constitut. *Grave nimis*, pridie Nonas Septemb. MCDLXXXIII., Constitut. *Illius qui*, VIII. kal. Mart. MDII., Constit. *Regis pacifici*, VI. Iul. MDCXVI., decret. edit. XXXI. August. MDCXVII., Decret. edit. XXIV. Maii. MDCXXII. et Constitut. *Sollicitudo omnium*, VIII. Decembr. MDCLXI.

20) Videsis quae de parisiensi universitate su-

Digitized by Google

versitates, coloniensis et parisiensis, atque ipsi etiam confirmant civilis reipublicae moderatores, Sigismundus III. Poloniae rex [1]), Carolus VI. imperator [2]), Iohannes I. rex Navarrae [3]), Martinus I. rex Aragoniae [4]), Ferdinandus cardinalis infans Hispaniae [5]), Leopoldus archidux Austriae [6]), Maximilianus dux Bavariae [7]), Wolfangus palatinus [8]) et [9]) Ferdinandus II. imperator. Reliqua est nota qua eadem opinio antiquata perhibetur, et de qua Natalis Alexander [10]) scribit: « Auctor sum fratribus meis praedicatoribus, ut depositis antiquae et iam antiquatae opinionis praeiudiciis, cuius tenebras Spiritus sanctus dispulit, etsi nondum ita plane ac perfecte ut quaestio ista sit in fidei luce per divinam revelationem ecclesiae factam constituta; communem, piam et ecclesiasticam sententiam ac devotionem erga immaculatam Deiparae virginis conceptionem amplectantur, praedicent et propagare studeant. » Si quis autem, subdit [11]) Antonius Gravois, ignoret « Quid sit *opinio antiquata*, adeat bibliothecam [12]) Lucii Ferraris, ubi recensens idem auctor praecipua censurarum genera quibus notari possunt propositiones, sequentia habet: *antiquata est illa quae antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed iam licet non sit expresse damnata, est tamen incompossibilis cum novo decreto romanae cathedrae.* Et [13]) Cardenas discrimen assignat inter propositionem *damnatam et antiquatam*, quod illa sit *quam expresse damnat Pontifex romanus vel per verbum*

perius monuimus, atque iis sede decretum quod coloniensis theologica facultas tulit an. MCDXCIX., et quo tum aliis de causis, tum etiam *propter maxima christiani populi scandala* praecipit, ut quotquot e facultatis albo nollent expungi, praedicarent et docerent, *beatam Christiferam Virginem Mariam esse et fuisse a peccato originali ex speciali privilegio praeservatam.*

1) In annalibus Poloniae.

2) Penes anonymum scriptorem qui eius vitam litteris consignavit.

3) In diplomate edito an. MCDLI.

4) In diplomate edito an. MCCCXCVIII. et in in altero diplomate edito an. MCDVIII.

5) In litteris ad Gregorium XV. datis die V. Nov. MDCXXI. « Adeo antiqua et recepta est in his regnis pia devotio erga mundam et puram virginis Mariae dominae nostrae conceptionem, ut quicumque velit contrarium etiam per modum disputationis tueri, notorium excitet scandalum. Propterea toties et tam instanter supplicatum est, ut vellet sedes apostolica infallibili sua determinatione tollere omnem libertatem contra immaculatam conceptionem sentiendi. »

6) In epist. ad Urbanum VIII. die III. Ianuar. MDCXXIV.

7) In epist. ad Urbanum VIII. die X. Ianuar. MDCXXIV.

8) In epist. ad Urbanum VIII. die I. Ianuar. MDCXXIV. « Hoc ut tantopere contendam, stimulat me inprimis Deiparae honorem promovendi desiderium, tum etiam ingentia scandala et haereticorum ludibria, quae ne in Germania praesertim nostra cum magna et gloriosissimae Dei matris et sanctae ecclesiae catholicae ignominia ex hac inter nos discordia succrescere pergant, omni studio allaborandum. »

9) In epist. ad Urbanum VIII. die XIII. Ianuar. MDCXXIV.

10) H.E.saecc. XIII-XIV.cap.XIII.art. XXIII. schol. IV.

11) Op. cit. art. XII. n. 166.

12) T. VI. pag. 343.

13) Apud Iob. Antonium de Panormo, scrutin. doctr. cap. VII. art. X. n. 1.

Digitized by Google

damnamus vel per aequivalens; propositio vero antiquata est, quae licet non inveniatur damnata expresse et formaliter, est tamen incompossibilis cum aliquo decreto pontificio aut alio principio certo denuo invento. Addit etiam [1]) de Panormo, *quod antiquata reddi potest aliqua opinio vel per positivam aliquam legem aut decretum illam expresse damnans, vel per illationem quae fieri queat ex aliquo huiusmodi decreto et altero simili principio certo, vel etiam ab extrinseco, quod ab ea iam fere omnes theologi recesserint unanimiter illam reiicientes et improbantes.* Cum igitur Natalis *antiquatam* vocat *conceptionis maculatae opinionem*, idem est ac si diceret, quod licet tamquam [2]) *probabilis* sustineri olim potuerit, cum tamen *Spiritus sanctus tenebras* quibus offundebatur haec quaestio, *hodie dispulerit*, cum romana cathedra favore oppositae sententiae *piae* videlicet, toties et adeo clare loquuta fuerit, cumque omnes fere non solum theologi sed et cuiuscumque generis catholici illam reiecerint et improbaverint; incompossibilis est eadem *maculatae conceptionis* sententia cum novis sanctae sedis decretis, et probabilis amplius nec est nec vocari potest. E contra vero *immaculatae conceptionis* sententia *licet in fidei luce constituta adhuc non sit*, est tamen *communis, pia et ecclesiae sententia.* Quid enim significare potest *ecclesiastica sententia*, nisi ipsius ecclesiae sententiam? Haec iam sentiebat, haec scribebat Natalis Alexander antequam Clemens XI. nostri mysterii festivitatem ab universali ecclesia celebrari praecepisset, antequam Benedictus XIV. cappellam pontificiam pro eadem festivitate in perpetuum instituisset, et antequam tot constitutiones apostolicae, totque sacrarum congregationum decreta favore eiusdem sacri mysterii emanassent. »

1847. Eodem vero pertinent suffragia [3]) Iohannis Trithemii, Friderici Nausea [4]), Dionysii carthusiani [5]), Alphonsi Salmeronis [6]), Marsilii ab Inghen [7]), Eusebii Nierembergii [8]), Ambrosii Catharini [9]), Iohannis Malderi [10]), Gabrielis Vasquii [11]), Thyrsi Gonzalez [12]) Iohan-

1) Loc. cit. n. 5.

2) *Probabilis* non quidem probabilitate *interna*, sed dumtaxat externa, atque ex maiori minorive numero et auctoritate eorum repetenda, qui eam opinionem tuebantur.

3) De laudibus s. Annae cap. IV.

4) Homilia LXXXI.

5) Dialog. inter ecclesiam matrem et filium cap. XXXI. apud Martenium vett. scriptt. T. VI.

6) Comm. in epist. ad Rom. cap. V. disp. XLIX.

7) In II. q. XX. art. III. Concinit Thomas de Argentina in III. dist. III. q. I. art. I.

8) De sanctit. institut. festi concept. §. XXVIII. et epist. XII. ad amicum.

9) Disput. pro imm. concept. P. II. pag. 94.

10) In I. II. q. LXXXI. art. III.

11) In III. p. q. XXVII. art. II. disp. CXVII.

12) De imm. concept. disput. II. an. 18. seqq.

Digitized by Google

nis Pici [1]), Lucae Wadingi [2]), Iohannis Gersonis [3]), immo eodem quoque pertinent iudicia, tum [4]) universitatum parisiensis et moguntinae, tum denique [5]) Sigismundi III. Poloniae regis et [6]) Leopoldi Austriae archiducis. Cum quo gravissimo auctoritatis pondere manifesta ratio evidenter conspirat. Iure namque optimo *piarum* aurium *offensiva, scandalosa et antiquata* ducitur opinio quae I. communi omnium religioni sententiaeque adversatur, quae II. legitimum Deiparae cultum, iniecto veluti obice, retardat, quaeque III. ne ingratiis quidem cum solemnibus ecclesiae declarationibus, certisque christianae institutionis principiis revocari ad harmoniam potest. Ex hisce porro vitiis nullum esse, quo non corrumpatur opinio de primordiis Deiparae noxa infectis, abunde demonstravimus. Postulabat igitur rei veritas ut eiusmodi opinio piarum aurium offensiva, scandalosa ac penitus antiquata diceretur.

1848. *Corollarium V. Fuit cur opinio de vitiato Deiparae conceptu una cum Michaelis Baii propositionibus improbata censeretur.* Inter damnatas [7]) a Pio V., Gregorio XIII. et Urbano VIII. Michaelis Baii propositiones septuagesima tertia his omnino verbis effertur: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali: hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. » Hac porro romanorum antistitum condemnatione aliquod prope vulnus opinioni fuisse inflictum, quo Deiparae exordia peccato infecta dicebantur, gravissimi theologi docuere, iisque rationum momentis confirmarunt quibus haud facile refrageris. Et docuerunt quidem [8]) Franciscus Bonae spei, Petrus de Alva [9]), Thomas Strozzius [10]), Antonius Mendo [11]), Gregorius Gengel [12]), Robertus Bellarminus [13]), Antonius

1) In cantic. capp. VII-VIII-IX.

2) Opusc. II. de numism. imm. conceptionis.

3) Apud Bulaeum in hist. universit. parisiensis T. V. pag. 82.

4) Cf. Arnaldum Albertinum de assert. catholic. q. XVII.

5) In litteris ad Urbanum VIII.

6) In litteris ad eumdem Urbanum die V. Ianuarii MDCXXIV.

7) Constitut. *Ex omnibus afflictionibus*, quam edidit confirmavitque tum Gregorius XIII. constitut. *Provisionis nostrae*, edita IV. kal. Febr. MDLXXIX., tum Urbanus VIII. constitut. *In eminenti* pridie nonas Mart. MDCXLI. In hac autem constitutione defensae a Baio propositiones: « In rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento tamquam haereticae, erroneae, suspectae, temerariae, scandalosae et in pias aures offensionem immittentes, respective damnantur, circumscribuntur et abolentur. »

8) De imm. concept. proxime definib. disput. III. dub. VII. prob. III. n. 484.

9) In radiis solis n. 360.

10) Hist. de imm. concept. lib. VII. cap. IX.

11) Epilog. pro imm. concept. cap. IV.

12) Vindic. innocent. Mariae propos. XXXVI.

13) In litteris die VII. Aprilis MDCXVIII. datis ad Iohannem Lorinum.

Digitized by Google

Boucat [1]), Ludovicus Bail [2]), Bernardus Desirant [3]), Carolus Bertrand [4]), Aegidius de Praesentatione [5]), Iohannes Viguerius [6]) et ne plures congeram, Benedictus [7]) Plazza. De insignibus vero rationum momentis quibus propositam tueri sententiam susceperunt, digni omnino sunt qui praeter [8]) Iohannem de Luca, Ludovicum Bail [9]) et [10]) Natalem Alexandrum, interrogentur Iohannes Baptista de Lezana, Lucas Wadingus et Antonius Velasquez.

1849. De damnata igitur Baii propositione sic habet [11]) de Lezana: « Tria asserebat Baius in propositione LXXIII. Primum est, *nemo praeter Christum est absque peccato originali:* secundum vero, *beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum:* tertium denique, *omnes afflictiones Mariae ultiones fuerunt peccati actualis vel originalis.* Haec omnia videntur in sua bulla Pontifices reprobare. Quo ergo iure solum tertium condemnari dicetur? Insuper si primum et secundum damnare noluerunt Pontifices, cur illa inter damnatas propositiones numerarunt? Facilius namque esset solum tertium Baii assertum transcribere illudque penitus abolere, non alia quae censuram non merentur. » Plenius de eadem disserit [12]) Wadingus inquiens: «Ego etenim aliqua censura ex iis quas adhibent Pontifices in fine Bullae, propositionem hanc notari plane iudico, meamque sincere fateor inscitiam vel ingenii tenuitatem, qui hucusque varias multorum huius propositionis explicationes quibus eam ab omni pontificia censura liberare conantur, sufficienter intelligere non potui, dum condemnationi Pontificum iuxta verborum proprietatem sufficienter satisfactum perspicue non viderim. Omnes quos consului referre et refellere nimis esset operosum et molestum, clariora sunt ipsa verba et Baii illatio ex prima illa propositionis parte, *nemo praeter Christum est absque peccato originali*, quam ut expositionem aut tergiversationem admittant. Proposuit pro fundamento prima illa verba, ex iis ita deduxit: *hinc Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt*

1) De incarnat. diss. II. art. II. sect. I.
2) De beneficio crucis Part. I. art. II.
3) Ad prop. LXX. Quesnelli.
4) In thesi quam die VI. Mail MDCLVI. propugnavit in comitiis ordinis minorum provinciae Flandriae.
5) De praeservat. b. Virginis lib. III. pag. 221.
6) In epist. ad Rom. V. 12.
7) Op. cit. act. V. act. V. art. II. nn. 107. seqq.
8) Dissert. pro imm. concept. cap. XV.
9) Summ. concil. T. I. pag. 770.
10) H. E. sec. II. diss. XVI. art. XXI.
11) Apolog. pro imm. concept. cap. XIII.
12) Opusc. quo ostenditur imm. conceptioni Deiparae non adversari corporalem eiusdem mortem cap. V. nn. 87. seqq.

Digitized by Google

ultiones peccati actualis vel originalis Pontifices hanc cum ceteris propositionibus in Bulla recensitis, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes respective dixerunt et condemnarunt. Qui ergo plane [1]) et pertinaciter dixerit, *beatam virginem Mariam mortuam propter peccatum ex Adam contractum*, aliquam etiamsi minimam ex assignatis mereri videbitur censuram. Quod enim quidam dicunt, totam condemnari propositionem propter illa verba, *ultiones peccati actualis vel originalis*, quibus visus est Baius innuere in beata Virgine actuale fuisse peccatum, verisimile non est. Etenim doctor hic etsi in his propositionibus desipuerit, in lovaniensi academia et in concilio tridentino ad quod a catholico rege fuerat missus, vidit constanter et absque ulla dubitatione beatam Virginem semper ab actuali peccato defendi, nec in eius operibus quidquam reperitur quo vel leviter indicetur eum putasse Virginem actualiter peccasse. Praeterquam quod illam disiunctivam *actualis vel originalis* adhibuisse propter alios sanctos, de quorum etiam afflictionibus in anteriori parte propositionis loquutus est, facile et benigne iudicare liceat, et ad eius concludendum intentum quod ex illis verbis, *Maria mortua est propter peccatum ex Adam contractum*, clare constabat, sufficeret ultima disiunctivae pars, scilicet *originalis*. Adde insuper Baium semper constantissime negasse se aliquando huiusmodi docuisse vel scripsisse propositionem. Deinde si durum hunc quem aliqui volunt sensum admittamus posterioris partis propositionis; quid afferri poterit per quod salvetur illa prior pars, qua clare asseritur Mariam mortuam propter peccatum originale, quae etiam non minus quam altera pars condemnatur? Nihil plane nisi velis dicere ideo Pontifices eam condemnasse, quia supponit seu affirmat mortem vel afflictiones inferri solum ad culpae vindictam vel propter peccatum. At haec ipsa solutio nostrum confirmat intentum, dum aliam a peccato assignat caussam mortis Deiparae, et consequenter admittit condemnatum a Pontificibus qui asseruerit Mariam mortuam propter peccatum; quidquid attinet *(sic)* ad alteram partem propositionis, circa quam modo no-

1) Sed si fas esset citra quamvis notam Deiparam dicere hereditaria labe vitiatam, fateor me non assequi quo tandem pacto reprehendi possent, qui ipsam mortuam propter peccatum ex Adamo contractum tuerentur. Luce namque splendidiora videntur Apostoli verba Rom. V. 12: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit.*

lim imorari. Haec etenim assertio de Mariae morte propter peccatum ex Adamo contractum, nihil plane dependet ex sequentibus verbis, et absque eorum connexione suum integrum conficit sensum, quem tamen reiiciunt Pontifices, et aliam aperte insinuant assignandam esse caussam illius felicissimi transitus praeter peccatum originale. » Consonat [1]) Antonius Velasquez de baiana propositione scribens: « Si dixeris hanc a Pontifice damnatam quod asserat, afflictiones huius vitae quas Deipara experta est, esse ultiones *actualis vel originalis*, quasi innuerit Virginem non modo *originariae* labi sed etiam *actualibus* culpis fuisse obnoxiam, facile occurrit Salazar observans, propositionem Michaelis esse *disiunctivam*, atque adeo *ne falsa fuerit, satis fuisse alteram partem esse veram;* atque ideo cum auctoris illius mens fuerit, afflictiones a beata Virgine perpessas culpae alicui vel originali vel actuali *sub disiunctione adscribi debere*, atque ea propositio a Pontifice, *nulla disiunctione facta*, omnino damnata sit, utramque quidem disiunctionis partem notatam videri: cum facile potuerit Pontifex in re tam gravi censuram circumscribere et ad eam solum partem dirigere. »

1850. Nimirum non ipsa dumtaxat *ratio formaque* propositionis, verum etiam quae condemnationem praecessere, quaeque illam consequuta sunt, haud obscure manifestant thesim, *nemo praeter Christum est absque peccato originali,* a quavis censura immunem haberi non posse. Atque inter ea sane quae praecesserunt, numerari I. debent quae anno MDXXVI. Natalis Beda parisiensis doctor litteris consignavit [2]) scribens: « Propositio Erasmi XVII. *Christus solus omnium nulla peccati labe contactus fuit.* Censura. Cum sess. XXXVI. sacrum basileense [3]) concilium consentanee ad cultum ecclesiasticum definiverit, beatam Christi genitricem nulla unquam peccati labe fuisse contactam, nullique de cetero licitum esse

1) De imm. concept. lib. IV. dis. VI. adnotat. I. n. 8. Consonant quae tradit Dionysius Bernardus de Mornes in critic. animadvers. con. Lampridium animad. XXVI. n. 140.

2) Con. errores Erasmi pag. 187. Hanc vero censuram adprobavit facultas theologica parisiensis die XVI. Maii MDXXVI.

3) Sepositis controversiis de basileensi concilio, quod ad decretum attinet de immaculato Deiparae conceptu, in annalibus servorum b. virginis Mariae centur. III. lib. I. cap. XII. n. 6. ad an. MCDXLIV. legimus: « Cum eisdem illis diebus (an. MCDXXXIX.) decretum basileensis concilii de festo immaculatae conceptionis solemni ritu quotannis celebrando *passim et ubique* plausibili reipublicae christianae consensione divulgaretur, *brevique ab omnibus pia religione coleretur;* ordo servorum ut prae ceteris huiusmodi honores sospitatrici et patronae suae Dei matri promptiori animo exhiberet, annuas quasdam pro eo die rogationes per urbes publice instituit. Quare adhuc consuetudo nonnullis in locis viget, utpote Senis et Perusii, ubi ex senatus consensu et *Eugenii indulto* publicae preces et antiqua vota servantur. »

Digitized by Google

in contrarium praedicare seu docere; constat assertionem hanc schismaticam esse, quam assertor Luthero in hoc dextras dans, contra honorem immaculatae Virginis impie concepit et perniciose edidit.» Tum numerari II. debet iudicium, quod de baiana propositione parisiensis universitas [1]) anno MDLX. tulit: «Haec propositio pro omnibus partibus [2]) est haeretica, et beatae Mariae virgini Dei genitrici et sanctis iniuriosa.»

1851. Ad consequentia vero pertinet I. Baii apologia ad Pium V., in qua de propositione, *nemo praeter Christum est absque peccato originali*, sic [3]) habet: «In hac sententia quam collector damnandam obtulit, ingeniose convolvuntur varia, et inter cetera illa quaestio de conceptione beatae Mariae, ut videlicet saltem in speciem per litteras sanctissimi Domini nostri videatur damnata sententia aientium, beatam Mariam in peccato originali conceptam fuisse. Nam [4]) licet et a Sixto IV. et a concilio tridentino definitum sit, hanc quaestionem debere esse liberam: et licet non tantum [5]) universi patres, sed [6]) et scholastici doctores qui in scriptis suis huius quaestionis meminerunt, sentiant beatam Virginem conceptam in peccato originali; attamen qui haec sollicitaverunt, non patiuntur ut quis ea de re dubitet, adeo ut in eius rei confirmationem per totam provinciam Flandriae ordinaverint omnibus diebus sabbatinis per totum annum in suis coenobiis solemniter cantari missam de conceptione beatae Mariae virginis, statimque datis litteris apostolicis quibus haec sententia damnatur, quidam ex horum consortio litteris ad me missis hoc unicum mecum expostulaverit, quod ausus fuissem dicere beatam Virginem conceptam in peccato originali. Id quod licet verum non esset, quia ego hanc quaestionem numquam disputavi; attamen ostendit quid collector cum suo consortio in huius sententiae damnatione quaesierit, et quam dolose sanctissimo domino nostro obrepserit, ut haec sententia non tan-

1) Apud Bulaeum in hist. univ. paris. T. VI. pag. 121.

2) Haec censurae atrocitas repeti inde debet, quod parisiensis facultas basileense decretum veluti fidei normam habuerit.

3) Apolog. ad Pium V. missa die VIII. Ianuarii an. MDLXIX.

4) De sententia Sixti IV., deque doctrina concilii tridentini recolantur quae scripsimus nn. 1089. seqq.

5) Quam haec a vero abhorreant, quamque praepostere dicantur, ex iis affatim liquet quae tota sectione VI. disseruimus.

6) Argumento haec esse possunt, quo Baii in affirmando temeritas innotescat. Ceterum si utrumque probaretur, consequens esset I. doctrinam de immaculato conceptu ecclesiasticae traditioni refragari, atque adeo II. opinionem de primordiis Deiparae noxa obstrictis eorum comprehendi numero oportere, *pro quibus*, Baio auctore, quemadmodum in actis lovaniensis academiae ad annum MDLXXI. narratur, *deberemus forsitan mori potius quam ea damnare.*

Digitized by Google

tum per concilium basileense, sed etiam per sanctissimum dominum nostrum Pium V. contra decretum felicis recordationis Sixti IV. et contra determinationem concilii tridentini damnata putetur.» Pertinent deinde II. Baii [1]) adnotationes ad parisiensem censuram, e quibus haec decerpo: « Sicut dicimus beatam Virginem ex voluntate carnis et voluntate viri esse genitam, sic etiam sine periculo haeresis aut iniuriae [2]) in ipsam dicere possumus, ipsam in iniquitatibus esse conceptam; maxime quia [3]) id etiam sentit universa antiquitas et recentiorum doctissimi. Indiscretam basileensis [4]) concilii definitionem et prohibitionem postea anno MCDLXXXIII. correxit Sixtus IV., illos sententiae excommunicationis subiiciens [5]) qui alteram huius propositionis partem aut haereticam aut peccato mortali obnoxiam dicere auderent, cum non sit adhuc a romana ecclesia aut sede apostolica decisum. Ubi latenter indicat Sixtus, illud quidem in concilio basileensi fuisse decisum, sed decisionem illam [6]) non esse curandam, cum a sede apostolica non approbetur. Porro quod festum conceptionis pie ac religiose a fidelibus in ecclesia iam celebretur, nullum facit huic quaestioni praeiudicium, eo quod [7]) de nostrae salutis exordio Deo gratias agere possumus, sive peccatum habuerit sive non.» Pertinent III. quae [8]) in chronologia caussae baianae leguntur: « Per id temporis graves inter minoritas provinciae Flandriae denuo exortae sunt contentiones circa beatissimae Virginis conceptionem, eo quod non probaret Baius cum tanto ardore defendi sententiam de immaculata conceptione Virginis, quae in nullo sanctorum patrum legitur, imo quam eorum doctrinae adversari arbitrabatur.» Ac postremo IV. pertinent [9]) litterae Pii V. ad Michaelem Baium, in quibus legimus: « Quamvis ea quae super libro et propositionibus ad nos missis per litteras no-

1) Annotatt. ad cens. paris. an. MDLX.

2) Utique dicere haec et similia possemus, immo et deberemus, nisi de privilegio constaret. De hoc autem tanta evidentia constat, ut nullus sit reliquus dubitandi locus.

3) Ferri haec non possunt, eoque pertinent ut opinio de hereditaria Deiparae labe iis accenseatur quae cum fide universaeque antiquitatis doctrina cohaerent.

4) De basileensi declaratione diversum plane fuit catholici nominis suffragium, quo illam ultro recepit probavitque: ac diversum pariter fuit suffragium romanorum pontificum, qui illam editis continenter decretis confirmarunt.

5) Sinceram Sixti mentem explanavimus seduloque defendimus n. 1688. seqq.

6) Immo non parvi illam fecit Sixtus, qui in romana ecclesia cultum conceptae Deiparae solemniter instituit.

7) His Baius pervertit obiectum cultus, quaeque illi accidunt cum iis confundit quibus *proprie* continetur.

8) Chronolog. caussae Michaelis Baii ad an. MDLXIV.

9) Hasce litteras ad Michaelem Baium Pius dedit die XIII. Maii MDLXIX.

Digitized by Google

stras apostolicas sub plumbo superioribus diebus decrevimus atque statuimus, non sine matura deliberatione et consideratione a nobis decreta statutaque fuerint, quemadmodum et ipsius caussae gravitas et hominum alioquin de hac sancta sede apostolica bene meritorum conditio postulabat; tamen nos omnem novarum querelarum caussam auferre volentes, simulque postulatis vestris satisfacere cupientes, mandavimus ut et libri et ipsae propositiones et scripta vestra proxime ad nos missa diligentissime et accuratissime iterum considerarentur et perpenderentur. Quibus omnibus mature admodum consideratis, quae super hoc ipso iam decreveramus, nisi antea a nobis decreta fuissent, eadem prout fecimus, de integro decernenda statuendaque esse iudicavimus. Itaque tibi et ceteris praedictarum propositionum assertoribus perpetuum silentium imponimus, vosque tamquam nostros huiusque sanctae sedis obsequentissimos filios in Domino hortamur, ut his quae nunc vestra atque omnium christifidelium mater ac magistra praecipit et iura decernunt, sine ulla recusatione faciatis. »

1852. Quamquam igitur Baio liceret doctrinae refragari de immaculatis Deiparae primordiis, et quamquam integrum eidem foret Deiparam originali labe vitiatam tenere; haud tamen ullatenus poterat sive sententiam de Virgine hereditariae praevaricationis experte traducere tamquam unanimi traditioni patrum infensam et communi veteris scholae suffragio repudiatam, sive opinionem de solo Christo universalis transgressionis nescio tamquam indubitatam ita proponere, ut ex ea inferendo colligeret quae propositione LXXXIII. complexus est. Verissime namque Iodocus Rawestayn lovaniensis doctor [1]) anno MDLXVIII. scripsit: « Sicut pius fidelium sensus a Spiritu sancto ipsis haud dubie inspiratus docuit a generalibus illis Scripturis quae de peccato actuali agunt, sine Scripturarum ullo testimonio excipere virginem Mariam; ita tot ecclesiarum tam longa observatio et tandem ab ecclesia quoque romana approbata, cuius magisterio et observationi aliis in rebus plurimum tribuere solent catholici, tandem ostendit generales illas de originalis peccati contagio ab omnibus, excepto unico Christo, contracto posse recte accipi quodam sensu, qui Virginem Christi matrem non subiiceret corruptioni et contagio peccati originalis. »

1) Apolog. concilii trident. con. Kemnitium sess. V. pag. 155.

Digitized by Google

1853. *Corollarium V. Fuit cur nefas esse affirmaretur in controversiam citra erroris suspicionem adducere, haberi nec ne debeat Deiparae conceptus immaculatus.* Vitari enim suspicio erroris non potest quum de eo ambigitur, quod certum omnibus est suoque merito infallibile existimatur. Utroque autem charactere insignis est doctrina de immaculatis Deiparae primordiis. Ultro igitur lubentesque subscribimus gravissimis theologis [1]) Francisco Suario, Melchiori Cano [2]), Gabrieli Vasquio [3]), Iohanni de Segovia [4]), Vincentio Iustiniano Antist [5]), Petro Canisio [6]), Roberto Bellarmino [7]), Theophilo Raynaudo [8]), Christophoro de Vega [9]), auctoribus armamentarii seraphici [10]), Thyrso Gonzalez [11]), Nicolao Pallavicinio [12]), Benedicto XIV. [13]), Thomae Campanella [14]), Iohanni de Lugo [15]), Iohanni Maiori [16]), Caelestino Sfondratio [17]), Hiacyntho de Graveson [18]), Gabrieli Biel [19]), Adamo Tannero [20]), Iohanni de Ovando [21]), Egidio Columna [22]), Hiacyntho Serry [23]), Gregorio de Valentia [24]) et [25]) Rutilio Benzonio, qui verbis apertis aut [26]) virtute aequipollentibus testantur, doctrinam de immaculato Deiparae conceptu iis fulciri argumentis eaque certitudinis evidentia nitere, ut cum errore coniunctum intime sit tam illam negare quam ambigendo in discrimen adducere.

1854. Eo autem proclivius libentiusque gravissimis theologis suffragamur, quo manifestius accepimus illorum iudicium auctoritate ecclesiasticorum tribunalium et theologicarum facultatum non semel fuisse probatum. Et de tribunalibus quidem ecclesiasticis perspicua sunt quae Iohannes a Fonte [27]) commemorat inquiens: « Tan-

1) In III. p. q. XXVII. art. II, disput. III. sect. I., et q. XXXVII. art. IV. disput. XXI. sect. II.
2) Loc. theologic. lib. XII. cap. XI.
3) In III. p. q. XXVII. art. II. disput. CXIV. n. 12.
4) Allegat. I. ad concilium basileense et avisament. VII.
5) Tract. de imm. concept. §. XIII.
6) De Maria Deipara lib. I. cap. IX. et lib. V. cap. V.
7) In sententia quam in congregat. gen. s. inquisit. coram Paulo V. dixit XXXI. Augusti MDCXVII.
8) Diptych. marian. P. II. puncto X.
9) Theolog. marian. certam. XVIII. n. 421.
10) Armament. seraphic. pro imm. concept. pag. 282.
11) De imm. concept. disput. III. §. II.
12) De excellent. matris Dei part. II. lib. IV. cap. IV.
13) De canonizat. lib. I. cap. XLII. n. 15.
14) Tract. de concept. capp. XVI-XVII.
15) De fide disput. II. sect. III. n. 96.
16) Comm. in Luc. I. pag. 168.
17) In innocent. vindicat. §. III.
18) Hist. ecclesiast. sec. XII. pag. 209.
19) In III. dist. III. q. I.
20) Theolog. scholast. T. II. disput. IV. q. VII. dub. II. nn. 35-37.
21) In III. dist. III. q. I. art. II. dubb. II-VI.
22) In III. dist. III. q. I. art. III.
23) De Christo eiusque matre exercit. LXVI. pagg. 464-471.
24) In III. p. disput. II. q. I. punctis I-II.
25) In ps. LXXXVI. cap. XX.
26) Testantur verbis aequipollentibus, quum ex cultu natae assumptaeque Deiparae colligunt, neque nativitatis sanctitatem neque corpoream Deiparae assumptionem negari citra errorem posse.
27) Exam. scrupul. circa imm. concept. pag. 14.

Digitized by Google

dem expende, post litteras Sixti IV. prohibentes solam censuram haeresis, erroris, peccati mortalis impingi tutoribus partis affirmativae, academiam parisiensem statuisse contra ipsam graves censuras inferiores tribus praedictis, et ut ait [1]) Miranda, a ducentis retro annis puniuntur ut scandalosi, impii et rebelles assertores affirmativae. Easdem censuras adstruit [2]) Maior. Supremus senatus fidei Hispaniae ante annum MDXXX., iuxta Albertinum, absolvit accusatum qui dixerat, affirmativam esse temerariam, scandalosam, male sonantem. » Perspicua quoque sunt quae tradit [3]) Andreas Mendo: « Opinio contraria antequam a sede apostolica praecipieretur ne ei nota infligeretur censurae, fuit notata ut scandalosa, male sonans, piarum aurium offensiva ac temeraria, cumque id libris et scriptis circumferretur, nec Pontifices summi nec sanctae fidei tribunalia quidquam ex eo proscripserunt. » Et [4]) rursum: « Ingens stabilitas opinioni piae accedit a favore, quo eam prosequuta sunt sanctae fidei tribunalia; cum enim haec sint arces fidei catholicae quae eam defendunt acerrime ne impugnetur nec expugnetur, eximiam praestant auctoritatem veritatibus quas amplectuntur, fovent et ab adversariis tuentur. In indice expurgatorio qui prodiit anno MDCXII. iussu em. cardinalis Bernardi de Sandoval supremi ac generalis fidei quaesitoris, in expurgatione iuris canonici et extravagantium [5]) praecipitur, *deleatur nota.* Delenda autem propositio est impugnatio quaedam immaculatae conceptionis anno MDCXV. adhuc ante prohibitionem editam a Gregorio XV., quum Hispali fuissent praelo mandatae assertiones in quibus continebatur, Deiparam fuisse labi originali obnoxiam; ipse cardinalis Bernardus de Roias et simul ill. Antonius Caietanus Pontificis in Hispania nuntius eas prohibuerunt, facultate negata ne umquam defenderentur. Sanctae fidei tribunal Lusitaniae approbavit quod docet [6]) Egidius de Praesentatione, conceptionem immaculatam Deiparae esse canonizatam ut sanctam absque praecepto. » Referente autem [7]) Iohanne Trithemio « Anno MDI. facultas theologica universitatis moguntinae exemplo parisiensium coloniensiumque provocata, statutum fecit XIII. die mensis Octobris pro fidei veritate ac defensione purissimae conceptionis beatae Mariae semper virginis, determinans

1) Tract. de concept. cap. XCIX.
2) In III. dist. III. q. 1.
3) De iure academic. in app. n. 191.
4) Ibidem n. 86.
5) Pag. 138.
6) De praeservat. lib. III. q. VI.
7) In chron. ad an. MDI.

Digitized by Google

cam ab omni originali macula semper praeservatam, exemptam et immunem, contrariamque assertionem impiam et erroneam iudicavit. » Denique ut missam faciam retractationem Iohannis Very nutu parisiensis universitatis praeceptam die VI. Sept. MCDXCVII. eadem universitas [1]) die XV. April. MDXXI. de hac Lutheri propositione, *contradictoria huius propositionis*, beata Virgo est concepta sine peccato originali, *non est reprobata*, sic censuit: *haec propositio est falsa, ignoranter et impie contra honorem immaculatae Virginis asserta.*

1855. *Corollarium VI. Fuit cur doctrina de immaculato Deiparae conceptu talis haberetur, quae suprema ecclesiae auctoritate definiri proxime posset.* Ut enim doctrina aliqua *proxime definiri posse* censeatur, omnino sufficit si I. ex sese ad obiectum fidei cultusque referatur: si II. certa sit, omnemque erroris suspicionem excludat: si III. iis muniatur argumentis, quae illam demonstrent infallibilem, itemque IV. demonstrent ex fonte divinae revelationis profectam. Ex his porro characteribus nullum assignare licet, qui in doctrinam de immaculato Deiparae conceptu non aptissime quadret. Doctrina igitur qua Deipara exsors hereditariae labis celebratur, videri eiusmodi debet quae supremo ecclesiae magisterio definiri proxime valeat. Atque eiusmodi sane visa est theologis prope innumeris ac nominis fama celeberrimis, quos inter suo merito numerantur [2]) Ambrosius Catharinus, Marcellinus Siuri episcopus cordubensis [3]), Franciscus Perrin [4]), Edmundus Simonnet [5]), Franciscus Toletus [6]), Benedictus Iustinianus [7]), Eusebius Nierembergius [8]), Martinus Bonacina [9]), Dominicus Viva [10]), Augustinus Reding [11]), Iohannes Puteanus [12]), Iohannes Malderus episcopus antuerpiensis [13]), Georgius Gangellius [14]), Franciscus de Pitigianis [15]), Georgius de Rhodes [16]), Didacus Gonzalez [17]), Ludovicus Bail [18]), Iacobus Gra-

1) Apud Bulaeum in hist. universit. paris. T. VI. pag. 121. Neque ab re fuerit contulisse quae narrat Carolus Du-Plessis de novis erroribus Tom. II. p. 444.

2) In prooemio libri IV. com. Caietanum.

3) Tract. evangelic. V. cap. III. n. 35. et tractatu XXX. n. 44.

4) Theolog. dogmat. P. II. cap. VIII.

5) Tract. V. de peccat. disput. V. art. VII.

6) In III. p. q. XXVII. art. II.

7) In I. Ioh. I. n. 33.

8) In opp. parthenicis pag. 381.

9) T. II. disput. II. q. I. punct. III.

10) Theolog. P. VIII. disput. I. q. II. art. II. n. 7.

11) In III. p. q. V. art. II. n. 3.

12) In III. p. q. XXVII. dubit. II. conclus. II.

13) In II. q. LXXXI. art. III.

14) Vindic. innocent. Mariae proposit. XL.

15) In III. dist. III. art. VI.

16) T. II. de incarnat. disput. unica de virgine Maria q. IV. sect. I. §. IV.

17) Vindic. mystic. civitatis art. IV. §. II. n. 322; »Sciat nunc criticus iste (*Muratorius*), theologos hispanos omnes iam unanimiter sentire, mysterium conceptionis Deiparae in sensu explicato et intellecto a sententia pia esse proxime definibile.«

18) Summ. concil. T. I. pag. 512: »Haec an-

Digitized by Google

nadus [1]), Augustinus de Angelis [2]), Andreas Mendo [3]), Iohannes Baptista de Lezana [4]), Iohannes Baptista Ricciolius [5]) qui magnam theologorum seriem idem putantium texit, Thomas Francus [6]), Andreas Eudaemoniohannes [7]), Didacus Gonzaga de Villoslada [8]), Petrus Hurtadus de Mendoza [9]), Iohannes Navarro [10]), Gabriel Vasquius [11]), Ernestus archiepiscopus coloniensis [12]), Franciscus Bertrand [13]), Theophilus Raynaudus [14]), Vincentius Baro [15]), Petrus Diaz [16]) qui in relectione scholastica Compluti edita, *an haec veritas, beata Virgo praeservata fuerit immunis a peccato originali, sit in statu proximae definitionis et oporteat definiri*, aiendo respondit, Iohannes Baptista Poza [17]), Thyrsus Gonzalez [18]), Iohannes Everardus Nidhardus [19]), Iohannes de Luca [20]), Ludovicus Crespi [21]), et [22]) Ferdinandus de Salazar qui diligenter explanata ecclesiae sententia de primordiis Virginis labe solutis pergit: « Sed quod ea ratione maior ecclesiae pars tamquam verum sentit ac praefert, habet ultimam dispositionem ad definitionem excipiendam. Ergo pia sententia in eo statu est ut proxime sine alio examine definiri queat. Confirmatur, quia ut aliquod dogma sit proxime definibile, tantum requiritur cognitio et deprehensio alicuius medii infallibilis, ex quo certo constet

tem veritas saepe in Scriptura indicata est, et in universali ecclesia paulatim recipitur non sine motione Spiritus sancti, ut creditur, qui plenitudinem gratiae Virginis ita esse intelligendam sensim ecclesiam docet; possetque ita consensus ecclesiae in hanc veritatem crescere, ut posset ecclesia rem definire absque magna contradictione, cum iam fere omnes dispositi sint ad hanc veritatem, etiam tamquam de fide suscipiendam, si ecclesia ita declararet. Addi potest aliquid amplius, quod si quaestio in concilio generali determinanda proponeretur, vix credibile est aliam futuram ecclesiae determinationem quam pro asserenda illibata illa et immuni ab omni peccato conceptione. Iam enim toties suam propensionem in hanc partem variis decretis testificata est, ut in contrariam partem sese vertere absque nota aliqua inconstantiae non posset.»

1) De imm. concept. disput. III. cap. XXX. n. 11. et cap. XXXII. n. 7. « Ego sentio cum viris doctissimis nostri seculi, veritatem hanc tam firmis praesidiis iam esse munitam, totque luminibus illustratam, ut si ecclesia velit et expedire iudicet, possit nunc eam definire et damnare contrariam.»

2) Propugnac. theolog. q. I. art. X. n. 11. et q. II. art. III. n. 9.

3) Epilog. pro imm. concept. cap. XVI.

4) Apolog. pro immac. concept. capp. XXIV-XXX.

5) De immunit. ab errore pract. [et speculat. definit. pontif. lib. III. cap. II.

6) Certam. scholast. pro imm. concep. cap. XII. nn. 375. seqq.

7) Respons. ad script. cuiusdam con. imm. concept. cap. III.

8) Libell. suppl. ad Innocentium X. pro definit. imm. conceptionis.

9) In III. p. q. XXVII. disput. LXXXIX. n. 170.

10) In thesibus Caesaraugustae defensis.

11) In III. p. q. XXVII. art. II. disp. CXVII. cap. XIV. nn. 148-149.

12) In litteris ad Urbanum VIII. die XXI. Febr. MDCXXIV. Consonant litterae ad eumdem datae a Philippo Christophoro archiepiscopo trevirensi die III. Febr. MDCXXIV.

13) In comitiis ord. minorum provinciae Flandriae habitis VI. Maii MDCLVI.

14) In diptych. mariau. P. II. punct. II. n. 44.

15) Apologet. lib. I. sect. II. art. III. §. II.

16) Edita fuit haec relectio an. MDCLIII.

17) In elucidario Deiparae tract. II. cap. III.

18) De imm. concept. disput. II. n. 91.

19) Exam. theolog. pro imm. concept. pag. 58.

20) Dissert. pro imm. concept. VIII-XIII.

21) Propugnac. theolog. definibilit. piae sententiae pag. 48.

22) Defens. imm. concept. cap. XLIII. §. VI.

illud esse revelatum a Deo. Sed eiusmodi est sensus communis ecclesiae praefatis indiciis ac documentis proditus et contestatus. Ergo piae sententiae nihil deest, ut proxime definitionem excipiat. »

1856. Accedunt [1]) Vincentius Fassari, Thomas Strozzius [2]), Antonius Velasquez [3]), Iohannes de Ovando [4]), Aegidius de Praesentatione [5]), theologi regis Hispaniae [6]) in synopsi pro definibilitate immaculatae conceptionis ad Clementem XI., Christophorus de Vega [7]), Antonius a Treio [8]) in litteris ad Philippum III. datis, Dominicus Lossada [9]) qui syllabum producit auctorum totidem verbis propugnantium, sententiam de immaculato Deiparae conceptu eam esse

1) In idea trutinae theolog. pro imm. concept. pag. 14.

2) Hist. imm. concept. lib. X. cap. ultimo.

3) De imm. concept. pagg. 414-424.

4) In III. dist. III. q. I. art. II. « Traditiones aliae sunt adeo clarae ut de eis numquam fuerit dubitatum, et aliae sunt de quibus aliquando fuit dubitatum, ideo ad tollendam dubitationem necessaria fuit determinatio summi pontificis. Hoc supposito dico, quod veritas immaculatae conceptionis potest definiri ut de fide. Nam dubium erat an sacramentalis confessio necessario ante eucharistiam esset praemittenda, an vero sufficeret interior contritio et examinatio conscientiae. Hoc secundum existimabat Panormitanus de celebr. missae cap. de homine, Richardus in IV. dist. XVII. art. III. q.VI., Adrianus de confess. q. III., Caietanus in II. p. q. LXXX. art. IV. et in summ. v. *communio*. Nunc autem in concilio tridentino sess. XIII. cap. VII. expresse definitur, quod debeat praecedere sacramentalis confessio, et inducit concilium verba Pauli I. Cor. XI. *probet autem seipsum homo*. Si ergo in his verbis cognoscit concilium latere hanc veritatem de qua dubitatum est, potest etiam concilium ex illis verbis Luc. I. *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, cognoscere hanc veritatem. Nam haec veritas est supernaturalis, provocat ad devotionem matris et filii, et sic moralis est vel ad mores ordinem dicit. Iacobi V. dicitur, *in multis offendimus omnes*, iuxta quod multi sancti posuerunt veniale in Virgine. Et tamen concilium trident. sess. VI. can. XXIII. dicit veniale non fuisse in Virgine, ad quod definiendum non erat Scriptura clara nec traditio indubitata; aliter numquam sancti viri et doctissimi sine errore affirmarent oppositum. Consequens igitur est hoc esse definibile, et quod ad hoc definiendum sufficit traditio obscura; nam si est traditio clara, sine definitione est de fide. »

5) De praeservat. b. Mariae virginis lib. III. q. IX. art. unic. n. 3.

6) n. 66.

7) Theolog. marian. P. I. n. 322. « Censeo piam nostram sententiam esse proxime definibilem, idest ultimo dispositam ad definitionem; ergo pia sententia est in proxima potentia ut definiatur. Solus Canus lib. IV. de locis cap. III. et Gravina P. II. q. II. nescio quo ducti fundamento ad ultimam definitionis dispositionem exposcunt, ut res definienda certo constet esse revelata in sacris voluminibus, vel ex traditione id certum sit, vel saltem quod ex revelatis certo deducatur; cumque in alterutra parte praesentis controversiae id omne desideretur, neutra definiri poterit. Sed quum lis omnis versetur circa veram et genuinam aliquorum locorum sacrae Scripturae intelligentiam ac sensum, nullus catholicus in dubium revocare potest penes summum pontificem residere potestatem dubia dirimendi, quae circa loca sacrarum Scripturarum eorumdemque sensum verum emergere possunt. Quod si ad definiendam aliquam veritatem opus esset, ut infallibili veritate antecedenti ex sacra Scriptura vel traditione constaret; profecto non resideret auctoritas penes summum pontificem decidendi dubia, sed solum proponendi ea quae certa ac manifesta esse aliunde constaret. Si ergo sententia Cani vera esset, utique concilium tridentinum syllabum canonicorum librorum definire nequivisset. Quod autem haec pia sententia devenerit ad statum proximum in quo definiri possit, contestantur innumeri pene doctores. » Quos ut longo ordine numeravit, e vestigio pergit: « Et quidem merito in hanc proximam dispositionem conspirant omnes ferme huius aevi doctores. Quod enim prudens ac maturum examen desiderari potest, quod iam non praecesserit? Audenter dicam, si post tam longum ac serium huius controversiae examen, si post tot adhibitas diligentias, post tot rationum pondera gravissima, post tot doctissimos eruditissimorum hominum tractatus hac de re in lucem editos, adhuc quispiam renuat ac refragetur, piam sententiam non esse in proximo statu ut definiri possit, profecto nulla controversia, nulla veritas in ecclesia Dei definita ac dirempta fuit cum sufficienti examine, quaeve ante definitionem esset in dispositione proxima ut definiretur. »

8) Die XXIII. Decembris MDCXVIII.

9) De definibilit. imm. concept. pagg. 134. seqq.

Digitized by Google

quae definiri proxime queat, Augustinus Mattheucci [1]) qui vim testium non minorem adducit, Emmanuel Rodericus [2]), Franciscus Suarius [3]), Adamus Tannerus [4]), Antonius Calderonus achiepiscopus cordubensis [5]), Iohannes Puteanus [6]), Silvester de Saavedra [7]), Bernardus Sannig [8]), Iohannes Bagotius [9]), Ludovicus Velasquez [10]), Benedictus Plazza qui [11]) ex omnibus locis theologicis argumenta mutuatur ut praerogativam immaculati conceptus proxime definiri posse persuadeat, Dionysius Bernardus de Moraes qui [12]) insigni auctoritatum argumentorumque pondere confirmat, eo doctrinam immaculati conceptus devenisse ut ad illam definiendam quaecumque desiderari iure possint, affatim conspirent, denique [13]) Andreas Duvallius qui sibi viam complanans scribit: « Praemitto tres assignari regulas quibus ecclesia in propositionibus definiendis utitur, sacram Scripturam, traditionem et generalem ecclesiae consensum. Nomine autem ecclesiae vel praelatos omnes vel generalem fidelium multitudinem intelligimus: siquidem praelati omnes collective sumpti errare nequeant in definiendo, multitudo autem fidelium errare nequit in credendo. Praemitto deinde non esse necesse tres illas regulas *simul* ad aliquid definiendum concurrere, sed unam earum per se sufficere: cum enim unaquaeque a Deo auctoritatem habeat, si in una sola aliquid reperiatur, sat est ut illud ab ecclesia tamquam de fide definiatur. Ad haec non esse opus ad propositionem aliquam definiendam, quod ipsa in his tribus regulis aut in aliqua earum *expresse* contineatur, sed satis esse si *implicite*: proprium enim est ecclesiae eruere fidei dogmata quae in regulis allatis delitescant, et ex aliquo quod in illis expresse habetur, propositionem definiendam inferre et colligere. » Tum aliquot interiectis [14]) pergit: « *Conceptio immaculata non tantum remote est definibilis, sed etiam est in proxima et quasi ultima dispositione ad definiendum.* Quorum prius ita certum est ut a nemine negari queat propter ratio-

1) Controv. VII. cap. VIII.
2) Quaestt. regular. T. II. q. LVIII. art. II.
3) In III. p. q. XXVII. art. II. disput. III. sect. VI.
4) Disput. IV. de peccat. q. VII. dub. II. n. 58.
5) Pro titulo imm. concept. capp. V-VII-IX.
6) In III. p. q. XXVIII. dub. II.
7) In s. Deipar. disput. XIX. n. 403.
8) Curs. theolog. T. II. dist. XVI. p. II. q. I. n. 10.
9) Apologet. disput. VII. fidei P. I. lib VI. cap. VI.
10) Epist. ad Paulum V. penes Antonium Deza in lib. de concept. pag. 189.
11) In conclus. caus. imm. concept. nn. 102. seqq.
12) Animadvers. critic. in Lampridium, animadv. IX. n. 117. et ibid. n. 121.
13) In I. II. q. ult. art. VII.
14) Ibidem.

Digitized by Google

nes quas in patrocinium immaculatae conceptionis [1]) attulimus, quae ex Scriptura, traditionibus, institutione festi, approbatione officii et communi ecclesiae consensu petuntur, adeo ut aliquae conclusiones de ipsa Virgine iam in ecclesia definitae plura argumenta et fundamenta ad suam definitionem non habuerint, ut quod nativitas ipsius Virginis sancta et immaculata fuerit, nec peccatum veniale umquam commiserit. Posterior vero pars probatur, quia ita parata et expedita videntur omnia ut si adhiberetur a Pontifice diligentia consueta in negotii definitionem, nihil ultra esset ad eius definitionem desiderandum. » Quare in congregatione sancti officii habita mense Ianuario MDCXXVII., auditis votis eminentissimorum cardinalium decretum fuit: « Urbani VIII. praedecessores ad favorem immaculatae conceptionis eousque progressos fuisse, nihil ut hodie reliquum sit quam vel quaestionem definire, vel aequipollentia definitioni statuere. »

1857. *Corollarium VII. Fuit cur doctrina de immaculato Deiparae conceptu a romana ecclesia romanisque pontificibus declarata eoque dirempta iudicii genere putaretur, quod virtuale nominant.* Enimvero romana ecclesia romanique pontifices duplici potissimum modo doctrinae de immaculato Deiparae conceptu prospexerunt: sicut enim illi prospexerunt [2]) *negando*, quum nihil omiserint quo contrariae opinioni omnem veri speciem detraherent illamque funditus pessumdarent; ita eidem prospexerunt [3]) *aiendo*, quum explicita dumtaxat definitione seposita, nihil non adhibuerint quo piam sententiam ornarent et ad summum quemdam certitudinis apicem proveherent. Nemo autem facile neget his aliquam contineri romanae ecclesiae romanorumque pontificum declarationem, ac prorsus eam quae virtuali definitioni re et potestate aequipolleat. In qua quidem mente praestantissimos novimus fuisse theologos, e quibus ut silentio praetereantur [4]) Iohannes Taulerus, Iohannes Baco-

1) Nullas vero rationes attulit Duvallius quae fuerint a nobis omissae aut non etiam multo plenius vindicatae. Tanti porro momenti visae sunt non spectatissimis modo theologis plerisque omnibus, verum ipsis quoque universitatibus, ut testibus Thoma Franchel in certam. scholast. pro immac. concept. sect. XIV. n. 404. et Didaco de Pennalosa in litteris die X. Maii MDCLI. ad Consalvum de Castillo datis, nobilissimae academiae doctrinam de immaculato conceptu proxime definiri posse iudicaverint.

2) nn. 1622. seqq.

3) nn. 1695. seqq.

4) De Iohanne Taulero qui medio seculo XIV. floruit, quique ab Echardo T. I. scriptt. ord. praedic. pag. 678. egregie laudatur, dici non pauca possent, sed omnibus praeferri debent quae idem scribit lib. de X. caecitatibus, caecit. IV. cap. XI. pag. 717. « Superest nunc aliquid de sacratissimae virginis Mariae dignae genitricis Dei laudibus proferre in medium, quamque periculose ea in re vel coecutiant ho-

Digitized by Google

nius [1]), Didacus de Castillo [2]), Ludovicus Debiel [3]), Arnoldus Albertinus [4]), Andreas Barbatius archiepiscopus panormitanus [5]), Michael de Palacio [6]), Ludovicus Blosius [7]), Henricus Henriquez [8]), Gabriel Biel [9]), Nicolaus de Tudeschis [10]), Valentinus Gerard [11]), Antonius Pocquet [12]), Petrus Bandus [13]), Gregorius Sanchez [14]), Iodocus Rawesteyn [15]), Dionysius carthusianus [16]), Andreas de Ferraris [17]), Iohannes Antonius Velasquez [18]), Petrus Dorè [19]), Eusebius Nierembergius [20]), Lucas Vadingus [21]), Iacobus Faber stapulensis [22]), Philippus Christophorus archiepiscopus trevirensis [23]), Bartholomaeus de los Rios [24]), Iohannes

mines vel erreut aliquot rationibus, quantum quidem Dominus dederit, liquido demonstrare. Caecitas ergo quae suo ordine quarta sequitur, non alia est quam ignoratio inaestimabilis pulchritudinis, bonitatis et amabilitatis gloriosissimae semperque virginis Mariae. Et primo quidem de pulchritudine eius id habendum est pro comperto, eam ab initio et ante secula prae ceteris creaturis omnibus a Deo electam atque dilectam ut esset mater Dei, regina caelorum, porta paradisi, domina mundi, mater gratiae, mater misericordiae, nec non a summo artifice tempore praestituto longe nobilissimam, dignissimam, speciosissimam esse creatam, ab omnique peccato et macula tam originali quam actuali praeservatam, uti hoc decebat eam quae mater esset unigeniti filii Dei. Idque adeo ut ipse supersanctissimus Spiritus sanctus in quem nulla cadit admiratio, eius pulchritudinem, donorumque et virtutum atque charismatum omnium splendorem quibus mirifice decorata refulget, per suos electos angelos et homines admiretur dicens in canticorum volumine, *quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es.* Itemque, *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Enimvero Deus gloriae quem mirabilem in sanctis suis propheta dicit, sese mirificissimum ostendit in amabilissima longeque carissima genitrice sua, cui similem numquam fecit neque facturus est creaturam dignitate, pulcritudine, nobilitate et omni maiestate et gloria. Tanta namque puritate, sanctitate, perfectione nitet et emicat, ut omni sit angelica puritate longeque superior, nec ulla maior sub Deo puritas queat intelligi, quam Deus per suam omnipotentiam, sapientiam et bonitatem tam in conceptione quam omni illius vita, morte et glorificatione ultra communem naturae modum humanamque conditionem insigni cum miraculo praeservavit, dignam fecit et sublimavit, ut nec levissimam quidem ullius unquam peccati contraxerit labem, uti hoc divinae erat congruum maiestati quae ex ipsa carnem sumere dignata est. Et quamquam non defuerint qui hac in parte non satis illuminati divinitus, conceptionis eius puritatem vocarent in dubium, *eam tamen sancta romana eademque catholica ecclesia quae errare non potest, hoc ipso quod festum conceptionis illius solemniter celebrandum colendum-*

que assumpsit, haud obscure adstruit et affirmat. Neque enim id ageret ullo modo, nisi conceptionem tantae Virginis et matris Dei omnis fuisse contagionis expertem, imo et sanctam pro certo exploratoque haberet. »

1) In III. dist. III. q. III. et in IV. dist. II. q. IV. art. I.

2) Triumph. Mariae serm. XLII-XLIII.

3) Assertt. theolog. lib. III. pag. 307. « Ex his omnibus apparet, communem hunc esse fidelium sensum, immo sensum ipsius ecclesiae, quae licet formaliter et clare hanc opinionem nondum definiverit, ita ut qui sequuntur opinionem oppositam dici haeretici queant, tamen *aequivalenter et interpretative definivisse videatur.* »

4) Assertt. catholic. q. XVII.

5) In cap. *Conquestus* tit. de feriis.

6) In III. dist. III. disput. I.

7) De sacello animae cap. V.

8) Summ. theolog. moral. lib. de fine hominis cap. X. n. 11.

9) In III. dist. III. q. I.

10) In decretal. T. III. cap. *Conquestus* tit. de feriis.

11) Triumph. Virg. P. III. serm. II. pag. 763.

12) De imm. concept. serm. I.

13) De imm. concept. serm. I-II.

14) De statu sententiae piae post Bullam Alexandr. VII. §. ult. n. 44.

15) Apolog. concil. trident. pag. 554.

16) Summ. fidei lib. IV. n. 36.

17) De imm. concept. lib. II. cap. ult.

18) De imm. concept. pag. 320.

19) Imag. virtutt. Deiparae cap. II.

20) Epist. III. ad Aloisium Novariuum.

21) Epist. an. MDCXL. data ad Marchionem Castri-Rodrigo regis Hispaniarum oratorem.

22) Comm. ad Damasc. lib. III. cap. II. et in scholiis ad cap. III. Dionysii de divinis nominibus pag. 131.

23) Epist. ad Gregorium XV. die III. Febr. MDCXXIII.

24) Oriz. marian. tract. I. cap. XXII.

Digitized by Google

Driedo [1]), Crescentius Krisper [2]), Antonius Bonitus [3]), Ludovicus Schönleben [4]), Christophorus de Vega [5]) et [6]) Ignatius Como: dignus tamen inprimis est qui nominatim audiatur [7]) Petrus Hurtadus de Mendoza scribens: « Ecclesia definit aliquo pacto sanctitatem alicuius rei, quando in eius honorem instituit festum. Sed ecclesia instituit festum in honorem conceptionis Mariae. Ergo ecclesia definivit aliquo pacto sanctitatem conceptionis Mariae. Maior propositio aperte asseritur a Bernardo, Bonaventura, Petro cellensi et Hildephonso probante sanctam esse nativitatem Mariae, quia colitur ab ecclesia, ob quod, ait, eam sanctitatem probari auctoritate catholicae ecclesiae. Minor vero [8]) propositio satis est clara ex Sixto IV. praecipiente festum conceptionis, et declarante illud institui pro conceptione: ex Gregorio XV. praecipiente uti nomine conceptionis et non alio. »

1858. Succedunt Bernardinus de Bustis et Iodochus Clicthoveus, e quibus ille [9]) ait: « Papa approbando officium conceptionis et instituendo festum eiusdem, consequenter ex hoc *determinavit* ipsam Virginem sine peccato conceptam, quia ut ait Bernardus in epistola ad lugdunenses, non erit festivitas conceptionis, nisi sanctus asseratur qui conceptus est. » Alter vero [10]) commemorata Sixti constitutione pergit: « Obiicient adversarii, nos hac sanctione apostolica etiam percelli atque constringi, ne oppositam tuentes partem dicamus haereticos, aut mortali idcirco peccato teneri. » Eu autem quibus verbis difficultati occurrat: « Et id sane libenter fatemur. Quis enim nos ipsos constituit iudices super fratres et proximos

1) De grat. et lib. arbitr. lib. II. cap. II.

2) De incarnat. tract. VIII. diss. ult. q. unic. pag. 532-536.

3) Elucidar. Virginis

4) In palma Virg. cap. XX.

5) Theolog. marian. nn. 399-406-410.

6) Diss. de certitud. imm. concept. sect. X.

7) In III.p.q.XXVII. disput. LXXXIX. n.154.

8) De hac propositione mox ait: « Obiiciet quis minorem propositionem esse apertissime falsam, quia Pius V. asseruit nihil in hac parte a sede apostolica definitum. » Tum reponit: « Definitionem alicuius mysterii in speciali esse bifariam, primum *expressam verbis*, qualis est omnis quae aliquid affirmat vel negat; quae est in causa ut qui eam sciens negaverit, sit haereticus. Altera definitio est non expressa verbis sed *factis et virtualis*, non enim est proprie loquutio. Haec quae consistit in *facto*, non est semper causa ut sit haereticus ille qui eam sciens negaverit, vel quia non omnes sentiunt tale factum esse definitum, in praesenti vero aliqui censent non esse de fide sanctitatem canonizatam aut celebratam festo; vel quia poterunt absque haeresi aut errore negare celebrari sanctitatem, et confugient ad aliam rationem infra examinandam, cuius impugnatio non est de fide. Ob quod potuit Pius asserere, nihil definitum *expresse et formaliter*, non tamen negat *virtualem* definitionem. Pontifices enim non definiere *verbis* proponi sanctitatem conceptionis ut necessario credendam, sed instituerunt festum in honorem conceptionis: quapropter non sunt haeretici qui negant eam sanctitatem, quia non est *expresse* definita, *virtualiter* autem est, quia celebritas moraliter non potest oriri nisi a iudicio infallibili de sanctitate rei festivae; quod est quidem magis quam probabile, non tamen de fide. »

9) Marial. serm. III. de concept. P. III.

10) De purit. concept. con. Vincentium de Castro novo lib. I. cap. XVI. et cap. XVII.

Digitized by Google

nostros ut eos nostra auctoritate censeamus aut haereseos aut mortis aeternae crimen incurrere? Id plane ex nostro non pendet iudicio sed universalis solum ecclesiae, quae necdum id definivit atque decidit (ut ait heic Sixtus) quod asserentes beatam Virginem originaria labe in conceptu fuisse contaminatam, habendi sint haeretici aut peccato mortali obnoxii; quamvis ipsa sedes apostolica publice definiverit beatam Virginem sine tali peccato fuisse conceptam.» At vero Iohannes Everardus Nidhardus insignis omnino theologus idemque cardinalis postquam [1]) constitutione Alexandri VII. demonstravit, *sententiam piam eiusque obiectum, idest gratiam originalem Virginis, fuisse declaratam moraliter evidentem ac certam,* aliquot interiectis [2]) subdit: «Observo quod a nemine hactenus [3]) observatum sciam, et ab omnibus hoc scriptum lecturis summopere observatum cupio, nempe Pontificem illis verbis, *cum a romana ecclesia et ab apostolica sede nondum fuerit hoc decisum,* non dicere hactenus circa cultum, sententiam piam et obiectum utriusque aut prorsus [4]) nihil, aut ullo penitus genere et gradu definitionis quidpiam esse decisum, sed solum dicere nondum *hoc* esse decisum. Quo quidem pronomine demonstrativo *hoc* non negatur esse decisum aliquid aliud, aut aliqua alia, aut aliunde, a quibus in praesentia praescindit Pontifex, negationem decisionis applicando et restringendo ad unicum *hoc* dumtaxat. Inquirendum proinde ac declarandum restat quidnam sit illud *hoc,* quod Pontifex asserit nondum esse decisum. Adi bullam et videbis, illud *hoc* nondum decisum non esse aliud nisi id quod in eadem periodo vetat Pontifex: *vetamus autem,* inquit. Et quidnam est id quod vetat? *Quempiam,* inquit, *asserere quod propter hoc contrariam opinionem tenentes,* nempe quod beata Virgo concepta sit in peccato originali, *crimen haeresis aut peccati mortalis incurrant.* Vides iam quid vetet Pontifex? Nempe asserere, auctores contrariae opinionis esse haereticos formales aut peccato mortali obnoxios. Et cur hoc utrumque vetat asserere? Audi caussam: *cum,* inquit, *a romana ecclesia nondum fuerit hoc decisum.* Hoc, inquit, idest an contrariam opinionem tenentes revera sint et appellari possint formales haeretici, aperte-

1) Exam. theologic. pro imm. concept. pag. 66.

2) Ibidem pag. 74.

3) Atqui iampridem observaverat Clichtoveus, ut ex superioribus liquet. Sed quis est qui omnia legerit, aut eorum quae legerit, semper meminerit?

4) Plura enim de his omnibus tum a superioribus Pontificibus, tum ab ipso Alexandro VII. declarata fuisse ac decisa, suis opportune locis nn. 1096. seqq. comprobavimus.

que mortale peccatum committant. Hoc dici et asseri posse vetat Pontifex, eo quod nondum sit decisum an dicta crimina hucusque incurrerint. Hoc igitur est illud *hoc*, quod per ista verba asserit Pontifex *nondum esse decisum*. Ex quibus patet a Pontifice his verbis solum negari quidpiam esse definitum definitione fidei, non vero definitione alterius generis aut gradus. »

1859. Consonat Ignatius Ioseph Milanesius qui principio ita [1]) disserit: « Festi institutio in universa ecclesia apostolicae sedis auctoritate peracta quaedam virtualis et aequivalens canonizatio est illius obiecti, quod toti christiano populo colendum sistitur. Aequipollentem canonizationem cardinalis Lambertinius unice consistere docet in missa et officio Missali ac Breviario romano ex apostolicae sedis mandato insertis, totique ecclesiae praeceptis. Si ergo non solum missa et officium de Virginis conceptione ex romanorum pontificum iussu in Missali ac Breviario romano iamdiu fuerunt apposita, sed etiam universo christiano populo ipsum conceptionis festum observare mandatum est; Virginis conceptionem plusquam acquipollenter a Petri cathedra canonizatam fateri oportet, et consequenter de eius sanctitate dubitare turpe ac orthodoxo viro indignum facinus censendum est. » Tum [2]) pergit: « Piceninus, Rivetus, Dallaeus et similes [3]) nequissimi nebulones, ut romanam

1) Diss. de imm. concept. cap. VII. n. 86.

2) Ibid. cap. VIII. n. 89.

3) Diceres ad hanc novatorum pugnam adversus Christi ecclesiam non uti par erat eos omnes animum advertisse, qui immaculatum Deiparae conceptum eo nomine delinendum negant, quod huic catholicae persuasioni nemo adversetur. Atqui adversatos semper esse protestantes et una cum protestantibus baianos et ianseníanos, apertissimis verbis praeclarisque sententiis testantur et probant Georgius Colvenerius in Kalendario mariano ad VIII. Sept. n. 15., Franciscus Suarius in III. p. disput. III. sect. VI., Franciscus de Castillo Velasco de praeservat. Virginis disput. II. q. I. n. 4., Ambrosius Catharinus in disput. pro imm. concept. ad synod. tridentinam, Hugo Sisilinus in corolla Virginis prop. XXVII., Gregorius de Valentia in III. p. disput. II. q. I. punct. II., Adamus Burghober theolog. polem. controv. LIX. n. 9., Benedictus a Benedictis in iaculis rom. ecclesiae n. 99. Franciscus Fevardentius theomach. Calvini lib. X. cap. II., Humbertus Guillelmus archiepiscopus mechliniensis qui in sententia die X. Nov. MDCCIV. iuridice lata *Paschasium Quesnellum ideo etiam damnavit, quod dogma immaculatae conceptionis Deiparae numerarit inter opiniones novas et contrarias veritati Scripturarum, inferentesque perniciosam sequelam*, Iohannes Marius Scribonius conc. IX. per advent. p. 244., Georgius Bertholdus Pontanus in biblioth. concionat. T. II. pag. 42., Aegidius de Praesentatione de praeservat. lib. II. q. I. art. unic. §. I., Iohannes Laurentius Lucchesinius in hist. polem. iansenismi P. II. lib. IV. §. VIII., Antonius Vasconcellus in anaceph. de rebus lusit. in Philip. p. II. pag. 369., Vincentius Iustinianus Antist de concept. §. XII, Cornelius Schultingius biblioth. ecclesiast. T. II. P. I. pag. 45., defensores imm. conceptionis ad Paulum V. in opusc. de scandalis P. I. cap. VI., Petrus de Alva in exercitatt. con. Ioh. Martinez de Prado pag. 71. et Dionysius Bernardus de Moraes qui in animadversionibus crit. con. Lampridium animadv. XIV. n. 105. ait: « Ego contra demonstrabo conceptionem immaculatam impugnantes Ioh. Calvinum, Ioh. Pomeranum Lutheri primum discipulum et ipsummet Lutherum, Erasmum, Martinum Kemnitium, Michaelem Baium, Franciscum leydensem, Sarcerium, Titelmannum Hessusium, Agricolam, centuriatores modernos et alios plures. » Tum animadv. XXV. n. 45. subdit: « Deiparae laudes decerpere est novatores sequi, et praecipue baianos ac iansenianos ut videre est in propositt. XXIV-XXVI. damnatis ab Alexandro VII. Aliae

Digitized by Google

ecclesiam irriderent eique insultarent, sic arguebant: romani pontifices edixerunt nolle se controversiam de immaculato divinae genitricis conceptu definire; sed immaculatae conceptionis festum instituentes totique ecclesiae imperantes, iam illam definierunt; sibi ergo non constant, immo secumipsis manifeste pugnant definientes quod definire nolle asseverant. » Nimirum distingui rite debet « Inter definitionem quam scholae vocant *formalem et expressam*, eamque quam *virtualem et implicitam*. Nolle se piam sententiam definire definitione primi generis, quae illibatam Virginis conceptionem orthodoxi dogmatis dignitate condecoret, romani pontifices sunt contestati. Immaculatae conceptionis festum instituentes ac celebrari mandantes, piam sententiam definierunt definitione secundi generis. » De qua definitione Gaspar Scioppius comes a Claravalle sic [1]) habet: « Definitum iam est ab ecclesia *ex parte rei*, Mariam sine peccato fuisse conceptam; finem enim conquisitio veritatis accepit, cum sententia ita certa sit, ut ea nullo modo condemnari possit. Nondum tamen hoc definitnm est *ex parte hominum*, quoniam ecclesia considerans quosdam zelo et contentione teneri, adeoque solidae doctrinae nondum capaces esse, eorum infirmitati materna indulgentia pepercit, nec id quod verum iudicat, cum omni imperio sive laqueo iniecto docuit, tamquam Apostoli verbis diceret: sapientiam loquimur inter perfectos, vobis autem non potui loqui tamquam spiritualibus sed tamquam car-

videri possunt in elencho p. Duffi, quarum una est: *antiquitatis amantiores selum suum scientia condiunt, et revelatis contenti, inani spe non protuberant venturum aliquando tempus quo in catholicis dogmatibus censeatur conceptus Virginis labis expers, quem norunt vel Scripturae sacrae vel sanctorum patrum auctoritate destitui.* » Quae quidem esse verissime dicta, ut missum faciam Erasmum quem de immaculato Deiparae conceptu sinistra loquentem Natalis Beda refutavit, testes sunt locupletes Michael Baius in annotationibus ad censuram parisiensem, Michael a s. Ioseph in bibliograph. critic. P. IV. pag. 175., Franciscus Costerus in respons. ad epist. Iacobi Baii XII. Mart. MDLXXXVIII. atque inprimis Iohannes Henricus Hottingerus hist. eccles. P. V., Martinus Kemnicius in exam. concil. trident. P. I. pag. 521. et P. III. de diebus festis inquiens, *ad confirmationem novitii et falsi dogmatis, quasi Maria sine peccato originali concepta esset, festum conceptionis Mariae instituerunt*, Theodorus Simonis de statu et religione papatus P. I. pag. 201., Franciscus Burmannus in synop. theolog. lib. II. cap. IX. n. 28., Iohannes Calvinus in antidoto concilii tridentini et epist. LI. ad mompelgarenses; Iohannes Adamus Osiander in system. theolog. exercit. LII. n. 12., Iohannes Prideaux episcopus wigorniensis opp. theolog. lect. XXI. de peccat. originali, Iohannes Benedictus Carpzovius isagog. in confess. august. art. II. membr. II. pag. 150, Iohannes Durellus in vindic. eccles. anglic. cap. XIII: de festis pag. 105., Iohannes Conradus Dannhauerus in Deuteron. pag. 96., Daniel Chamierus in panstrat. cath. T. I. lib. II. cap. XIII. n. 8., Iohannes Piesce in pacificat. theolog. orthod. cap. XIII. §. VI. pag. 116., Ioachim Ursinus in exam. concil. trident. lib. II. sess. V. pag. 63., Rodulphus Hospinianus de origg. festorum pag. 166. et ne plures addam, Zacharias Hogelius in libro hunc titulum praeferente: *de immaculata conceptione solius Domini nostri Iesu Christi, virginis vero Deiparae Mariae ceterorumque mortalium omnium peccato originali maculata, adversus romanae ecclesiae heterodoxiam iniustamque legem silentii nostra aetate indictam.*

1) In libro cui titulus est, *gladius Goliath*.

Digitized by Google

nalibus et parvulis in Christo. » Neque ab his discrepant quae Angelus Vulpes [1]) his verbis: « Tam Paulus V. quam Gregoriu ex certa scientia informati, in populo christiano cum magn offensa scandala, iurgia et dissensiones oriri ex opposita asser penitus eiusmodi opinionem suppresserunt atque totale sile imposuerunt. Ex quibus apparet tam certum de fide, *implici tem*, fuisse semper in catholica ecclesia hoc dogma, ut nun permiserit Deus ipsam ecclesiam a tali fide deficere per acc ad opinionem oppositam. Alioquin universalis ecclesia nunc p in errore versaretur, dum suppressit eiusmodi sententiam su petuo silentio, et negativam positive iudicavit satis piam, et sacrae Scripturae consonam. Immo ex hoc patet esse de *saltem implicite*, negativam sententiam, cum numquam sic affirmativa fuerit ab ecclesia suspensa, prohibita, suppressa

1860. Quid vero subtilis eruditusque theologus Dionysiu nardus de Moraes? Initio [2]) sic statuit: « Illud est metaphysi tum, cui ex aliquo antecedenti repugnat subesse falsum. certitudo immunitatis marianae, siquidem posito cultu ab observato et a suo capite romano pontifice eidem ecclesiae cepto, conceptio Virginis sancta et immaculata terminat illu tum, quum ab Alexandro VII. declaratum sit, ipsam Virgi munitatem et sanctitatem esse obiectum illius cultus. Implicat quod obiectum terminans illum cultum non sit sanctum et culatum, quia metaphysice repugnat quod cultus ab ecclesi ceptus exterius habeat mendacem significationem, qualis es conceptio si in re sancta non esset. » Tum infra [3]) subdit: « In cultus publici de praecepto universali ecclesiae imposito aec verae canonizationi, et pro canonizatione sancti vel mysterii instituitur, procul dubio habetur. Atqui habemus ex decre mentis XI. cultum ex praecepto ad universam ecclesiam, et h ab Alexandro VII. huius cultus obiectum esse beatae Virgin servativam sanctitatem in primo instanti. Ergo licet non ha definitionem ecclesiae ad credendum de fide mysterium co

1) Summ. theolog. T. III. P. IV. disp. LXXII. art. VII.

2) Animadversiones critic. in Lampridium, animadvers. X. n. 12.

3) Ibid. n. 14. et animadvers. XIV. n. 25. ait: « Apud theologos ut certum habetur, ecclesiam non concedere festum cum octava de p toto orbe, nisi pro sancto canonizato: cessionem esse virtualem canonizationem sancti sub praecepto colendi aut celebran ceptionis mysterium est virtualiter defin consequens proxime definibile. »

nis, habemus saltem canonizationem aequipollentem, ut sine temeritate et insania dubitare non possimus de ipsius immunitate. » Quare Franciscus Burmannus e novatorum coetu, non secus ac in re explorata [1]) scripsit: « Peccati originalis subiectum sunt omnes homines, omnes videlicet Adami posteri sine ulla exceptione, frustra pontificiis fere omnibus obnitentibus et beatam Virginem excipientibus. Qui error a canonicis lugdunensibus circa annum Christi MCXXXVI. ex immodico in matrem virginem cultu ortus, et a Bernardo et scholasticis isto aevo refutatus, tandem Scoti acumine et auctoritate in scholis praevaluit. Litem quam concilium tridentinum ob certamina theologorum definire non ausum, ambiguis verbis involverat, nostra aetate pontifex romanus Alexander VII. a sede sua non sine orbis stupore decidit, et lata sententia Virginem ab omni nativitatis labe absolvit, idque pro ecclesiae dogmate credi in posterum iussit. »

OPERIS CONCLUSIO.

1861. Si qui mente superiora reputaverint animoque comprehenderint, hi in unam eamdemque nobiscum sententiam concedent, quaestionem de impolluta Deiparae origine sanctisque primordiis esse funditus expeditam, nihilque omnino superesse quod aut revocetur in dubium aut merito flagitetur, ut tantum decus eximiumque ornamentum ea perfusum luce videatur quae ad illud definiendum christianaeque fidei articulis inserendum necessarium ac sufficiens existimari queat. De hac enim splendoris copia evidentiaeque plenitudine multa sunt eaque decretoria quae affatim testantur. Ac sane testantur ab aliquot seculis uno propemodum ore theologi, qui hoc doctrinae caput impensis studiis excoluerunt: testantur nobilissimae academiae, quibus ne insolens quidem fuit [2])

1) Synops. theolog. lib. II. cap. IX. n. 23.

2) Qua de re consuli possunt Bulaeus hist. univ. paris. T. V. pagg. 621-815. ad an. MCDLVII., T. VI. pag. 121. ad an. MDXXI., Carolus du-Plessis d'Argentrè de nov. erroribus T. II. pag. 444. ad annum MDLXXIV., Maldonatus epist. ad Franciscum Turrianum, Iohannes Baco in III. dist. II. q. IV. art. III., Bernardinus de Bustis de concept. serm. VIII., Edmundus Richerius hist. concil. general. lib. II. cap. V., Iohannes Maior in III. dist. III. q. I., acta synodi paris. sub Stephano Parcherio an. MDXV., Iacobus Almainus in III. dist. III. q. I., Iohannes Malderus in I. II. q. LXXXI. art. III., Faber stapulensis in I. lib. Iohannis damasc. cap. XI., Hugo decanus rothomagensis apud Stephanum Baluzium in notis ad vitas. pp. avenion. pag. 1378., auctor glossae in decret. Grat. edit. Paris. MDXXII. ad cap. *Pronuntiandum* dist. III. de consecrat. c. I., Nicolaus Gilles an-

Digitized by Google

profiteri, tot tantaque sententiae de **immaculato Deiparae conceptu** suffragari ut ea merito assensione **propria fidei catholicae teneatur**: argumenta postremo testantur **quae toto opere deprompsimus**, et quorum consideratione monemur **ut nonnulla articulatius de iisdem proponamus.**

1862. Itaque spectari illa *dupliciter* **possunt, tum *absolute atque in se*,** tum *comparate* sive *prae* ***difficultatibus quae obstrepere possent***, sive *prae iis auctoritatis rationumque* ***momentis, quae ante latam definitionem aliis caussis adfuerint.*** **Iamvero si priore modo** eoque absoluto considerentur, illud **I. mentem occupat, *ad asserendam tuendamque doctrinam de Deipara sine labe concepta plura esse quae luculenter conspirant.*** **Tum illud II. accedit, *dissimiles esse ac diversas, proindeque non coordinatas sed subordinatas probationes, quae ad illibatam Deiparae* *originem asserendam concurrunt.*** Profecto singulae probationes **eam referunt faciem, eumque** exhibent characterem, qui proprius ***locorum*** **est e quibus educuntur.** Hi autem *loci* dissimiles sunt **penitusque diversi; quum alia,** speciminis gratia, sit ratio loci ex **suffragio populorum cultuve petita**, et alia eius quem antiqua tra**ditio et inspirata divinitus instrumenta** complectuntur. Porro **dissimilia ac diversa necesse est** *subordinata* non vero *coordinata* **censeantur. Probationes igitur ad** decus immaculati conceptus ostende**ndum idoneae cum *dissimilitudine*** discrepant, tum *vario diversoque* ***ordine*** **continentur. Hinc illud** III. succurrit, *doctrinam de* ***immaculato conceptu pro discrimine probationum quibuscum componitur, aliis atque aliis notis suo merito insigniri.*** Exploratum **enim est quam quod maxime,** cuiuscumque doctrinae notas quibus **eadem dicitur *probabilis, certa, infallibilis*** aut etiam *caelitus revelata*, **argumentis *proportione*** **re**spondere quibus innititur, probati**onibus quibus fulcitur et locis** e quibus desumitur. At vero IV. ***ultimum supremumque iudicium de*** *doctrina immaculati conceptus ex* ***earum ferri debet summa probationum, quae ad illam aperiendam statuendamque conveniunt.*** Probationes enim quae alicui doctrinae **suffragantur, haberi debent** veluti totidem pondera quae animum **flectunt, mentem inclinant,** iudiciumque determinant. Si ergo **plures conspirent probationes,** ultimum supremumque iudicium **non huic illive sed omnium sum-**

nal. regg. franc. ad an. MCCCLXXXIV. in Carol. VI., Dominicus Lossada de proxim. definib. imm. concept. dias. II. et Didacus Gonzalez vindic. mystic. civit. art. IV. §. II. n. 322.

Digitized by Google

mae ex sese ac necessario respondebit. Probationes autem de immaculato Deiparae conceptu quemadmodum numero sunt plures, ita qualitate ac virtute non minimum differunt. Ultimum ergo supremumque de hac praerogativa iudicium ad omnium probationum summam exigatur necesse est. Cui necessitati V. si obtemperemus, *ultimum supremumque iudicium de doctrina immaculati conceptus huc redibit, ut ipsa certa, infallibilis ac revelata divinitus pronuncietur*. Norma enim ultimi supremique iudicii ex summa peti debet probationum, quae ad illud edendum mentem cient animumque propellunt. Atqui summa probationum cui supremum innititur iudicium de doctrina immaculati conceptus, iis conflatur elementis quae illam ceu per gradus [1]) ostendunt certam, infallibilem et divinitus revelatam. Probationibus igitur *in se atque absolute* spectatis affirmari debet, doctrinam de immaculato Deiparae conceptu certam esse, infallibilem et materia obiectoque divinae revelationis comprehensam.

1863. Quid vero si eaedem probationes *non citra comparationis respectum* aestimentur? Conferri nimirum illae possunt hinc quidem *cum difficultatibus*, quae iudicium de veritate immaculati conceptus impedire utcumque videantur, inde autem *cum argumentis* quibus suffulta novimus non pauca doctrinae capita antequam suprema ecclesiae definitione sancirentur. Iamvero priore instituto comparationis modo, totius operis ratione docemur I. nullas haberi ex inspiratis divinitus instrumentis [2]) sumptas difficultates: nullas II. rursus haberi, si profecta a maioribus traditio [3]) consulatur: et nullas III. haberi, si animo dissensiones reputentur quae seculo XII. obortae ita sensim defecerunt ut in unanimem tandem conspirationem [4]) desierint. Si ergo probationes de immaculato Deiparae conceptu examini subiiciantur *non citra habitum ad eas difficultates* quae certum ratumque iudicium impedire forte possunt, suam illae retinent evidentiam, suum tuentur robur, et quin ulla ex parte nutent, sibi contra perfectissime constant.

1) Hos gradus describimus corollariis adiectis ad superiores articulos.

2) Hanc enim difficultatum speciem umbramque saepe depulimus.

3) Quidquid enim creare negotium posset, suis accurate locis expedivimus.

4) Hinc Bonaventura qui antea dissensisse videbatur, in opusculo ad calcem T. VI., quo meditationes continentur per singulas hebdomadae feriae distributae et floribus fructibusque distinctae, in meditatione feriae II. ad Nonam sic habet: « *Flos quintus*. Iesus promotor providus maternae dignitatis. *Ad Nonam tres fructus attende*. Mariae mirabilem conceptionem absque inquinatione; puellae mirabilem educationem, in templum oblatione; Virginis mirabilem desponsationem, Ioseph copulatione. »

Digitized by Google

1864. Hoc autem expedito comparationis capite, ad alterum quod pertinet, prudens quivis fatebitur non pauca recenseri christianae institutionis dogmata quae ante definitionem nullatenus fuerint aut impugnata levius aut validius propugnata. Et sane fuit ne ante definitionem aut impugnatum levius aut validius propugnatum, verba [1]) Pauli, *probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibet*, intelligi oportere de probatione quae sacramentali confessione contineatur? Fuit ne ante definitionem aut impugnatum levius aut validius propugnatum, sanctum esse ratumque baptismum qui ad praefinitam a Christo normam ab haereticis administretur? Fuit ne ante definitionem aut impugnatum levius aut validius confirmatum, epistolam ad Hebraeos esse divinam et in Scripturae album referendam? Fuit ne ante definitionem aut impugnatum levius aut validius propugnatum, Spiritum sanctum a Patre Filioque, tamquam ab uno principio, sempiterna spiratione procedere? Et ne diutius in exemplis congerendis immorer, fuit ne ante definitionem aut impugnatum levius aut validius propugnatum, sacramentalem absolutionem eius esse virtutis, qua simul cum peccatorum labe ipse quoque immortalis poenae reatus deleatur? Non admodum historiae dogmatum se peritos ostenderent qui haec doctrinarum capita prae immaculato Deiparae conceptu aut impugnata levius aut validius ante definitionem propugnata arbitrarentur.

1865. Immo omnibus diligentius excussis intimiusque spectatis cogimur suffragari gravissimis theologis [2]) Georgio Gengellio, Iacobo Granado [3]), Andreae Mendo [4]), Francisco de Castillo [5]), Henrico de Hassia [6]), Francisco Bonaespei [7]), Iosepho a Cruce [8]), Iohanni Baptistae Poza [9]), Thyrso Gonzalez [10]), Iohanni de Luca [11]), Ludovico Crespi [12]), Ferdinando de Salazar [13]), Vincentio Fassario [14]), Thomae Strozzio [15]), Antonio Velasquez [16]), Andreae Duvallio [17]), Ambrosio Pennalosa [18]),

1) I. Cor. XI. 28.

2) Vindic. innocent. Mariae proposit. XL.

3) De imm. concept. diss. III. cap. XXXI. n. 7.

4) Epilog. pro imm. concept. cap. XVI.

5) De praeservat. Virginis disput. IV. q. II. n. 8.

6) Epist. de concept. P. IV. cap. IX.

7) De imm. concept. definibilit. disput. ult. dub. III. n. 144.

8) In proposit. Compluti publice defensa an. MDCLXI.

9) Elucid. Deiparae lib. IV. cap. IV.

10) De imm. concept. disput. II.

11) Diss. pro imm. concept. cap. XIII.

12) Propugnac. theolog. definibilit. piae sent. pag. 413.

13) Defens. imm. concept. cap. XLIII. §§. III. seqq.

14) Idea trutin. theolog. pro imm. concept. pag. 14.

15) Hist. imm. concept. lib. X. cap. ult.

16) De imm. concept. pagg. 424-448.

17) In I. II. q. ult. art. II.

18) Vind. Deiparae a pecc. orig. disput. XII. cap. I. nn. 24. seqq. et cap. II. n. 58.

Digitized by Google

et [1]) Antonio Casnedo quibus solemne est cum Silvestro de Saavadra [2]) inculcare, *illud verissimum, plures veritates de fide ab ecclesia definitas, quae tot ac tanta motiva non habuerunt.* Accedunt [3]) Christophorus de Vega, Antonius a Treio [4]), Lucas Wadingus [5]), Angelus Vulpes [6]), Georgius de Rhodes [7]), Franciscus Suarez [8]), Theophilus Raynaudus [9]) et [10]) Ignatius Como, quorum mentem concordemque sententiam expressit cardinalis Everardus Nidardus [11]) scribens: « Sane si nos audiant, dicimus libere quod sentimus, nullum dogma ante definitionem finalem in ecclesia catholica maiori certitudine morali hactenus stabilitum, nullum solidius firmatum esse. Interrogent generationes singulas, romanam ac omnes alias ecclesias, omnia regna, catholicos quasi omnes, omnes romanos Pontifices universales pastores, et fatebuntur a seculo non esse auditum in aliam piam sententiam quam in hanc ante sui definitionem ita unanimi consensu ab omnibus fuisse fidelibus conspiratum. »

1866. Quum vero tantus sit luminis splendor quo caussa immaculati conceptus perfunditur, tantaque probationum quibus stabilitur evidentia et firmitas; id unum non iniuria dixeris superesse, ut qui in Christi ecclesia [12]) *testes* sunt *authentici* apostolicae praedicationis, *supremi* Scripturarum traditionisque [13]) *interpretes* ac *selecti divinitus* dubitationum [14]) *arbitri* et controversiarum *iudices* suum edant suffragium, suoque oraculo sanciant sive quem sensum Scripturae ac traditio fundant, sive quo in numero habenda sint si quae forte adhuc refragari videantur. Et quidem nisi plane fallimur, omnia eo spectant ut quod votis summopere ambimus, diu exspectari amplius non debeat. Is enim ad quem pertinet [15]) praeceptum Salvatoris, *confirma fratres tuos:* is cui [16]) dictum est, *pasce oves meas, pasce agnos meos:* is qui iure repetit [17]) Petri verba, *viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis*

1) Cris. theolog. disput. X. n. 233.
2) In sacr. Deipar. disput. XIX. n. 403.
3) Theolog. marian. P. I. n. 294.
4) Ad Paulum V. orat. III. n. 13.
5) Epist. ad Marchion. Castri Rodrigo.
6) Summ. theolog. P. IV. disput. LXXII. art. VIII.
7) De incarnat. disput. unic. de virg. Maria sect. IV. q. I.
8) In disputt. in collegio rom. habitis ab anno MDLXXX. ad MDLXXXV.
9) In pietat. lugdun. opp. T. VIII. pag. 300.
10) Diss. de certitud. imm. concept. sect. X.
11) Exam. theolog. pro imm. concept. pag. 106.
12) Actt. I. 8-22., II. 32., X. 41., XXII. 15., XXVI. 16., I. Tim. VI. 12., II. Tim. II. 2.
13) Luc. XXIV. 45.
14) Actt. XV. 1. seqq.
15) Luc. XXII. 32.
16) Ioh. XXI. 15. seqq.
17) Actt. XV. 7.

Digitized by Google

elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere: et is de quo Anastasius ad Nicolaum pontificem verissime [1]) scripsit: *neque enim fas est ut absque vicario Dei, absque clavigero caeli, absque curru et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastore, absque speciali patre, absque omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur: ipse enim tenet claves David, ipse accepit claves scientiae, in arca quippe pectoris eius tabulae testamenti et manna caelestis requiescunt;* iam *testes* interrogavit, consuluit *interpretes* et *arbitris* contentionumque *iudicibus* auctor fuit, ut suam mentem promerent sententiumque aperirent. Neque hi sibi suisque partibus defuerunt, sed iam plurium venere responsa, immo iam plures pastores doctoresque ex universis propemodum orbis plagis ad Urbem accurrunt, circumdant Petri cathedram ad quam perfidia habere nequit accessum, confluunt ad ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, et e qua in omnes, veluti e quodam supremo capite, venerandae communionis iura dimanant, atque huic petrae innixi quam frustra impetunt inferorum portae, una *cum Pio,* idest *cum Petro* qui in *Pio* vivit et praesidet et praestat petentibus fidei veritatem, magna conquisitione facta in id unanimes incumbunt ut tandem aliquando decernant, utrum eximiis illius ornamentis de qua natus est Iesus, illud pariter connumerari debeat quo eiusdem conceptus labis expers purusque *catholica fide* credatur.

1867. Quod [2]) *si res magnas a magnis considerari oportet, cui aeque ut romano antistiti id studii competit, qui parem super terram non habet? Sed ipse secundum sapientiam et potestatem datam sibi desuper fuciet de hoc. Non est nostrae humilitatis dictare eidem sic vel sic debet fieri quidquam; sufficit intimasse, oportet aliquid fieri unde et ecclesia consoletur et obstruatur os loquentium molesta.* Atque spem omnino fovemus, quando [3]) *bonam habeamus caussam et aequum iudicem,* fore ut quae uno omnium ore celebratur humanae naturae venustas, nostri generis ornamentum, gloria luti nostri, caeli terraeque portentum, unitarum inter se naturarum officina, animatum caelum, summa divinorum oraculorum, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, ab omni

1) Praefat. ad vitam Iohannis eleemosynarii.
2) Apud Bernardum de considerat. ad Eugenium lib. II. cap. I.
3) Apud eumdem epist. CVIII.

Digitized by Google

contagione libera et corporis et animae et intellectus, typus [1]) filii Dei, quae Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit, et de qua nisi magnalia et mirabilia christiana fides non recipit, eadem pariter in suo conceptu pura et in suis originibus labis exsors *credenda* proponatur. Hanc enim spem atque hanc insculptam animis praesensionem tuentur ac fulciunt populorum vota, theologorum studia, academiarum suffragia, religiosorum ordinum postulationes, antistitum iudicia, sollicitae romanorum pontificum curae et Pii IX. fervens obsequium, aucti veritatis splendores, enarratae plenius Scripturae, maiorum traditio diligentius investigata et luculentius exposita, depulsae tenebrae, difficultates ad liquidum expeditae, lites compositae, harmonia dogmatum penitius inspecta, signaque in dies maiora quae minus etiam benevolis persuadent, opus spiritu veritatis incoeptum et ad culmen fastigiumque promotum in eo iam esse ut absolvatur ac implorata tamdiu definitione coronetur.

1868. Quae quum primum ex infallibili magisterio prodierit, nemo facile aut mente complectatur aut verbis declaret, qui in caelis, qui in terra, quique in ipsis inferis futuri sint motus. Exsultabunt in caelis angeli, quod praepositam sibi reginam novo auctam gloriae fulgore mirentur: exsultabunt prophetae, quod edita a se oracula, uti par est, intellecta conspiciant: exsultabunt evangelistae, quod gratiae plenitudo a se Deiparae asserta omnibus innotuerit: exsultabunt patres ac doctores, quod apostolica traditio a se litteris consignata suum undequaque lumen effundat: et exsultabunt pontifices, quod iucundissimum sibi opus omnibus expletum numeris contueantur. Gestient in terris homines bonae voluntatis, quod congenerem sibi naturam semper Deo amicam, semperque puram certa fide praedicent: iterumque gestient, quod nacti sint occasionem qua pietatem optimae matris novis sibi obsequiis plenius concilient. Horrebunt denique in inferis daemones, quod relatus de ipsis per mulierem triumphus omnium linguis proclametur, inanesque ipsorum in Virginem conatus ubique terrarum ludibrio habeantur. Interea dum faustissimum spei nostrae opperimur eventum, illumque summis infimisque precibus exoramus, integrum nobis sit ad divinam matrem veramque Θεοτόκον animum orationem-

1) Theotoc. p. 434. tetrast. III.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google